Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XX
H
11
NAPOLI

XX
H
11

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

NOVVM
Sextum Volumen,
In quo hæc ſequentia extant.

THESAVRVS ACCVRSIANVS: DICTIONES ET SENTENTIAS IVRIS SELECTIORES ab Accurſio explicatas continens.

Remiſſiones ſeu Indices capitum iuris difficiliorum: QVÆ HINCINDE TVMVLTVARIE À VETERIBVS ET NEOTERICIS IVRIS INTERpretibus *expoſita, Lectorem antehac fugiebant.*

NOTARVM QVOQVE ET BENEDICTORVM LIBRI AD ACCVRSIVM.

Auctoribus & collectoribus Doctis quibuſdam viris.

EPISTOLA DENIQVE DIONYSII GOTHOFREDI I.C. AD LECTOREM.



LVGDVNI,
SVMPTIBVS HORATII CARDON.
M. DCIIII.
Cum priuilegijs Sacræ Cæſar. Maieſt. & Chriſtianiſſ. Francorum Regis.

Digitized by Google

Digitized by Google

CLARISSIMO VIRO IO. BROSSEO, DVCIS SABAVDIAE CONSILIARIO, PATRI OPTImo & chariſsimo

Petrus Broſſeus F. S. D.

IVRISPRVDENTIA fons & origo omnium aliarum ſcientiarum à nonnullis meritò appellatur (Pater optimè mihi longè chariſsime) nam, re diligenter perpenſa, Theologum, Medicum, Geometram, Mathematicum, Iuriſconſultum eſſe oportere ſatis ſupérque conſtat. Hinc effectum, vt quibuſdam difficilis & ardua ſcientia hæc videretur, cùm ob ipſarum legum multitudinem, tùm pugnantiam. Et verò multi itineris difficultate perterriti, vel ab ipſis initiis deſperarunt, alij ſuſceptum iter deſeruerunt. Verùm huius ſtudij difficultas non adeo Seruium Sulpitium mouit, vt vel prouectiore ætate iuri ciuili operam non daret: in cuius ſtudio ita profecit (ſi Tullio credimus) vt omnes qui ex omni ætate in ciuitate Romana iuris intelligentiam habuerunt, ſi vnum in locum conferantur non fuerint cum Seruio Sulpitio comparandi. & alioquin ex Seneca diſcimus, nihil eſſe difficile, quod volenti & cupienti facile non reddatur. Igitur poſt nouem & eò amplius annos, quos euoluendis linguæ cùm Latinæ & Græcæ, tum etiam philoſophorum libris conſumpſi, in hac vna tãdem iuris noſtri diſciplina conquieui, neque portum, vllum qui me tanquam ex longo errore diuagantem exciperet, alium gratiorem reperire potui, Quo abs ſpatio, totus in eo fui vt cæteris intermiſsis ſtudiis, totum me iuri ciuili traderem: cùm ex Philoſophi ſententia, ea nobis diſcenda ſint, quibus ſenes aliquando vſuri ſimus. Quid enim diligentius inquirẽdum nobis, quàm id cuius beneficio ipſi primum ſtamus, deinde liberè incedimus: quo viuimus tuti, quo dominia rerum noſtrarum defendimus, quo diuina & humana non attentantur, quæ tota iuri legibúſque acceptò ferimus: vt ad eam ſententiam ſcitè Tullius noſter ſcripſerit, nihil eſſe quod iure ciuili nobis diligentius retinendum ſit: vt quo ſublato, exploratum nemini eſſe poſsit quid ſuum, quid alienum, quid à patre accepturi, quid liberis relicturi ſimus: nihil denique inter homines æquabile, nihil concors ſit futurum. Quid amplius? qui ius ciuile contemnit, non iudiciorum modò, ſed & publicæ vtilitatis vincula reuellit. Fit enim lege (quod in authenticis noſtris legimus) vt patria tutò habitari poſsit, propriæ facultates ſecurè retineantur: adeò vt non immeritò maiores noſtri, ciuitatis animam legem eſſe dixerint, quòd vt ſine anima corpus, ita ſine lege nulla ſtare ciuitas poſsit. Nam ſi legem ex hominum cœtu ſuſtuleris, ex rapto ſine lege viuetur: non erit hoſpes ab hoſpite tutus, pudor fugiet, & honeſtas verúmque fidéſque (vt verbis Ouidianis vtar) in quorum locum fraudes, vis, doli, tyrannis ſubſtituentur. Hæc animo cogitans tuis conſiliis (Pater) tuo denique iuſſu, impellente me, leni ac ſuaui motu, natura mea, huic ſanctæ philoſophiæ me dedidi. Ac cùm prodeuntium quotidie authorum multitudine obruerer, ad facililiorem ſtudiorum meorũ progreſſum, & ad priuatos meos vſus, conatus ſum Miſcel-

laneos ad ius noſtrum libros(ſunt enim ſingula eorum capita,ſparſim, ſaltuatim, & quaſi per ſatyram digeſta)ad iuris noſtri ſeriem,quaſi per indicem,referre. Qua quidem in animi ſententia me multùm confirmauit Doctiſsimus Martinus Antonius Del Rio Brabantiæ conſiliarius(id enim iam dudum ab ipſo præſtitum fuiſſe comperi) quæ vt à me collecta,ita in publicum ea emittere animo non ſedebat, quòd nihil(his præſertim temporibus)niſi perfectum ingenio & elaboratum induſtria,in publicum emittendum eſſe liquidò conſtaret. Prætereà videbam quàm difficilè eſſet,præſertim nouo homini, ita ſcribere vt omnibus ſatisfaceret. Quæ mihi eò magis pertimeſcenda, quòd hic primus laborum meorum fœtus eſſet futurus,quòd ætas nondum matura, quòd hac denique omnium ætatum florentiſsima viueremus,aliáque quamplurima me ab hoc ſcribendi genere reuocabant. Verùm cùm Accurſius noſter caſtigatior quàm antea & notis prudentiſsimi & ſummi ingenij viri Dionyſij Gothofredi illuſtratus in lucem prodiret, & is labor (cuius ante facta à me mentio eſt) eius ſuaſu & aliorum à me ſuſceptus eſſet, non inuitus eorum ſuaſionibus aequieui, quòd & viderem futurum poſthac aliquem, qui genio meliore ad id inſtitutum opus perficiendum ſe daret. Itaque, cùm de hoc opere in publicum exhibendo conſilium inirem, & anxius,cuius auſpiciis id euulgarem, meritò (Pater) has laborum meorum primitias tibi deberi ſatis intellexi. Nam & naturæ ſanguiniſque ius me ad id vltrò primùm impellit, deinde, tu vnus es qui me ad iuris noſtri ſtudium prudentia tua deſtinaſti, liberalitate tua erga me ſumma ad finem vſque me proſecutus. Hoc igitur opus iam inde à multis annis votum tibi ac dicatum (Pater) offero, quod niſi facerem, ingratus eſſem. Munus hoc, vti ſpero, à filio: eóque tibi deuoto, animi grati ac ſinceri teſtimonium ſeruabis. Hac ſpe fretus, Deum optimum Maximum, toto pectore orabo vt te diutiſſimè (Pater) ſuperſtitem conſeruet. omnéſque actiones tuas, clementia ſua fortunet ac ſecundet. Datum ex Muſæo Kalendis Februariis 1589.

Tuus ad omnia paratiſſimus & obſequentiſſimus filius
Petrus Broſſeus.

AD LECTO-

AD LECTOREM REMISSIONVM IVRIS ET THESAVRI ACCVRSIANI

Petrus Broſſeus S.

QVOD à pleriſque fieri conſueuit (amice Lector) vt initio cuiuſque libri rationem inſtituti, atque operis ſui reddant, id nunc mihi video eſſe faciendum: ne ſi facti mei conſilium tibi ſit aut obſcurum aut incognitum, videar imprudenter feciſſe. Cùm ingentē eorum qui ad ius noſtrum ſcripſerunt multitudinem conſiderarem, vtile cenſui, ad ſuos libros, Titulos, ſuáſque leges (imò & paragraphos ac verſiculos interdum) authores aut potius interpretes noſtros referre: non omnes, aut qui ex profeſſo cōmentarios ad ius noſtrum κατὰ πόδας reliquiſſent, ſed qui Miſcellaneos ac recepto iam more ſaltuatim atque ſaturatim legis cuiuſque ſenſum atque intellectum nouum & ſelectiorem pollicentur. Sunt enim hi authores magno ſtudioſis omnibus vſui, in vnum quaſi indicem à me ita reiecti: qui, vti leguntur, lectori ſummū laborem pariunt. Qua in parte operis mei vſus ſum maximè libris antehac editis ab Antonio Del Rio, Zileto, Alphano, quos omnes vnà coniunxi, nominibus eorum hoc loco adſcriptis laudatiſque, vt ſcias (Lector) per quos ipſe in hoc opere atque inſtituto profecerim. Citantur autem rurſus à ſuperioribus eorum libri qui Varia, Opiniones, Selectiones, Obſeruationes, Aduerſaria, Miſcellanea, Quæſtiones, Singularia, imò & conſilia, & huiuſmodi inſcriptionis libros ad ius noſtrum ciuile compoſuerunt. De quibus ſi me interroges, hæc reſpondeam. Quæ patrūm noſtrâve memoria præclarè atque ingenioſè excogitata ſunt, ea omnia pauciſſimis verbis ab his ſcriptoribus, illo genere librorum eſſe euulgata. Sed cùm apud eos authores, iuris noſtri capita tumultuariè ſine ordine & delectu expoſita eſſent, eo factum puto vt hi ſcriptores minus diligenter à noſtris legerentur, quorum tamen ſummam vtilitatem eſſe conſtat. Vt Lectorem eo onere leuarem, quaſi per indicem quæq; eorum capita ad iuris noſtri ordinem redegi, vt ex hoc indice, Lector, ſtatim cognoſceres, quis ad quodque iuris noſtri caput ſcripſiſſet aut non ſcripſiſſet. Neque tantum adieci leges eas, quibus locis aliquid adfertur ab his Miſcellaneorū authoribus, ſed & leges omnes alias, quæ iuris noſtri corpore continentur, quarum vacua ſpatia, Lector, diligentiæ atque induſtriæ tuæ non inuitus aut fruſtrà reliqui: vt ea, quoties animo tuo ſederet, tuis obſeruationibus, ſelectionibus & miſcellaneis compleres: tuo deniq; bono ac commodo feci, Lector, id omne, ne tibi pro impreſſa ac plena, puram chartam me tibi offerre exiſtimes, quam & compleſſem quoq; ſi tēporis vlterius ſpatium mihi acceſſiſſet.

Adieci quoque, vt hoc opus eſſet perfectum, præcipuas quæſtiones quæ à Doctoribus noſtris primæ notæ, Bartolo, Baldo, Caſtrenſi, Iaſone, & aliis certis legibus diſputari ac definiri ſumma vtilitate ſolent.

Quin ſi quod verbum in lege obſcurum eſt, ne hæc quidem prætermiſi quæ ad eius intellectum (vt in ſcholis loquuntur) facerent. Hoc iam ſupereſt (Lector) vt ſi quid impolitum neque cohærens hoc meo ſcripto offenderis, æqui bonique habeas. Fieri non potuit hac priori editione, quin quædam minus commodè dicta, aut non ſuo loco poſita eſſent. Nihil enim vt quidque cœptum aut ortum eſt ita perfectum eſſe poteſt. Si quæ huius generis occurrerint aut exſcriptoris vitio, aut operarum (hoc eſt eorum qui excudunt) ſomno acciderint, ſed & hoc quoque, Lector, tibi prænuntiare viſum eſt, certis locis præſertim in Codice & in Feudis, quædam minus elegāter ac Latinè ſcripta, vt quoties ea inciderint Zileti ea eſſe exiſtimes non mea, nam nec eius authoris ſcripta circumcidere auſus ſum. Et alioquin Iuriſconſulto celebri condonandum eſt, qui res ipſas vt liberius nobis traderet, verborum delectum curæ ita non habuit, Quid quod plerumque res ipſæ (quas tractat) elegantiam ſermonis non ferunt? quid quod Practici (quorum ille author curam habuit) commodius loqui, & ius noſtrum eo dicendi genere, tametſi rudi, intelligere ſe arbitrantur, quàm ſi vel in legibus Duodecim Tabularum, Cicerone, Liuio, & Tacito verſarentur. His de cauſis, nihil hac parte iam metuendum mihi fuerit à Politis, cùm quæ huius generis ſunt, non à me ſed

ab aliis ſint profecta: nihil etiam à Barbaris qui & ſuas epulas & lautitias habent. His tibi (polite & benignè Lector) vt ſpero ſatisfacio, quippe alios nihil iam moror.

Iam ad Theſaurum meum Accurſianum venio. In eo conficiendo hoc ordine vſus ſum, quo & P. Cornelius Brederodius (cuius ſcripta hodiè extant apud multos, eruditionis atque lectionis plena) in ſuo lectiſſimo iuris theſauro. hoc tamen intereſt, quòd ille ſeparatim voces à ſententiis iuris diſſeruit, quas coniunctim in vnum conieci. Sententiis coniuncta hæc habes, Argumenta, Differentias, Paria, Synonima iuris & ſimilia id genus. Iam verò vt ex hoc indice ad ipſas Gloſſas facilior eſſet via, paginarum ipſarum, immò & librorum, titulorum & legum numerum adſcripſi. quod ſi qua in parte paginarum numerus defuerit, habes illico ſubſidium hoc, nempe librorum, Titulorum, atque adeo legum ipſarum inſcriptionem, ex qua ad ipſiſſimum (ſi ita loqui licet) locum Accurſij peruenias. Porrò dicendi elegantiam ſi quis in hoc opere efflagitet, na ille imperitus eſt: cùm in his indicibus orationis ſeries continuata eſſe non ſoleat ſed interciſa plerasque etiam voces pragmaticis vſitatas continens, quas Tullius, Cæſar, immò & Vlpianus, Papinianus, & alij iuris noſtri coryphæi penitus ignorarunt. Fruere Lector his omnibus interim, & Vale.

AD LECTOREM, IN OPERIS BROSSIANI commendationem.

Qui tribulos alit, eſſe ferax ager vt nequit, & qui
Neglectis tegitur ſordibus, haret equus
Et trita aptatur ſerica malè fimbria veſti
Caſaque gemma, auro non niſi clauſa, nitet
Sic iuri quo nil elegantius, aptáne priſci
Squallida Barbariei temporis eſſe poteſt?
Non ſecus ac tenebras luci qui offunderet, aut cui
Candela in medio ſole foret potior:
BROSSIVS vt Tribulos, vt ſordes atque tenebras
Tolleret, atque pari ius frueretur ope.
Ius purum puris ex fontibus irrigat, aptans
Cuique ſuas Titulo cum breuitate notas
Iuſque elegans, eleganti colit ſermone, tuus ſit
Vt fructus culti tam bene LECTOR agri.

DIONY-

Digitized by Google

DIONYSIVS GOTHOFREDVS I. C. AD LECTOREM THESAVRI ACCVRSIANI ET REMISSIONVM AD IVS A PETRO BROSSEO COLLEctarum: & Notarum ad Accurſium, Ioannis Hennequini. S. D.

ACCVRSIVM (benignè Lector) in mea ad te priore Epiſtola, ſatis iam videor tibi commendaſſe: qui, quò nobis eſt legendus magis, eò purgatior à noſtris exoptatus quoque eſt. Fecerim meliorem necne, tui iudicij eſt, Lector, non mei. Repurgandi equidem animus fuit, ſi non omni ex parte voto meo, immo & tuo, euentus ſucceſſit. At ecce, manum tanto authori admouiſſe non contentus, ad Accurſianum *Theſaurum* iuriſque *Remiſſiones* contexendas PETRVM BROSSEVM impuli: vt & ad *Notas* ac *Benedicta* in eundem authorem, IOANNEM HENNEQVINVM. Opus ipſum, ſi naturam eius ſpectes, neceſſarium: ſin euentum atque ſucceſſum, tale, vt vterque laudem conatus ſui mereâtur: interim dum vel repetita lectio vtriuſque acceſſerit, vel alius, eorum exemplo, opus hocce plenius aggreſſus, deſiderio tuo ſatisfaciet. Boni conſule Lector, fruere & Vale.

MISCELLANEORVM SCRIPTORES EX QVORVM LIBRIS has notas excerpſimus, ordine literario diſpoſiti.

A

Andr. Alciati *Parerg. lib. xij. Diſpunct. libr. 4. Paradox. libr. 6. Praterm. lib. 6.*
Alexandri ab Alexandro *Genialium dierum lib. 2.*
Antonij Auguſtini *Emendation. lib. 4.*
Ioh. Aurpach. *epiſt. iurid. lib. 4.* eiuſdem *ſing. alleg. lib. 2.*

B

Eguinarij Baronis *variar. quaeſt. lib. 2.*
Barnabæ Briſſonij *Selectarum Antiquarum lib. 4.*
Ægidij Boſſij *Tractatus varij.*
Nicolai Belloni *Supputationum lib. 4.*
Curtij Burg. *[illegible] ad collegam Vuium lib. 3. & ad fratrem totidem.*

C

Ludouici Carpionis *Antiquar. lection. lib. 3.*
Lapi de Caſtelnouo *Allegationes.*
Ludouici Charondæ *Veriſimilium.*
Contij *Diſputationum lib. 1. Succiuarum lectionum lib. 2.*
Coraſij *Miſcellanearum lib. 6. Epiſtolicarum quaeſtionum lib. 1.*
Emanuelis Coſtæ *Selectionum lib. 2.*
Catelliani Cottæ *Memoralia.*
Didaci Couarruuiæ *Practic. quaeſt. lib. 1. Variar. reſolut. lib. 4.*
Petri Criniti *De honeſta diſciplina lib. 25.*
Rainaldi Corſi *Indagation. lib. 3.*
Cuiacij *Obſeruationum lib. 24.*

D

Duareni *Diſputationum Anniuerſariarum lib. 2.*

F

Ferandi Adduenſis *Explicationum lib. 2.*
Forcatuli *Necyomantia Dialog. 100. Cupido Iuriſperitus. Penus Iuris, Auiarium eiuſdem. Sphara legalis.*
Guillielmi Fornerij *Selectionum lib. 2.*

G

Antonij Gomeſij *Variarum reſolut. tom. 3.*
Antonij Goueani *Variarum Lectionum lib. 1. Animaduerſar. lib. 1.*
Antonij Guiberti *Quaeſtionum lib. 1.* eiuſdem *Polyhiſtor.*
Ioannis Guiterij *Variarum Reſolutionum Tractatus ſiue lib. 3*

H

Franciſci Hotomani *Illuſtrium Quaeſtionum li. 1. eiuſdem Obſeruation. lib. 2.*

L

Iuſti Lipſij *Epiſtolicarum Quaeſtionum lib. 5.*
Conſtantij Landi *Enarrationum, eiuſdem Praetermiſſorum liber.*

M

Hyeronimi Magij *Miſcellaneorum lib. 4.*
Petri Martreſij *Notae in Iuriſconſultorum reſponſa.*
Vaſquij Menchacenſis *Illuſtrium controuerſiarum lib. 3.*
Iacobi Menochij, *De arbitrariis iudicum Quaeſtionibus lib. 2.*
Ioan. Mercerij *Opinion. lib. 2.*
Molinæi *ad difficiles leges lib. 1. Labyrinthi de diuiduis & indiuiduis & xvi. legum Obſcurarum &c.*
Pilei Modicenſis *Quaeſtiones Aureae.*

N

Petri Nannij *Miſcellaneor. li. 10.*

P

Ioannis Parladorij *Rerum quotidianarum li. 1.*
Baptiſtæ Pij *Annotamentorum li. 1.*
Angeli Politiani *Miſcellaneorum libri.*
Pardulphi Pratei *Geminationum li. 1. Inuerſionum li. 1. Sententiarum li. 1. Catapodiſmatum li. 2. Dicaelogiae li. 1. De veteri Iuriſprudentia li. 1.*
Petri à Plaza *Miſcellaneorum criminalium li. 1.*

Antonij Quæſadæ *Quaeſtionum li. 1.*

R

Iacobi Ræuardi *Variorum li. 5. Protribunalium liber ſingularis, item De lege Scribonia liber ſingularis.* Item *Tribonianus ſeu de uſucap. differentiis liber ſingularis, De praeiudiciis li. 2. De auctoritate prudentum li. 2.*
Gilberti Regij *[illegible] li. 2.*
Antonij Roſcij *Memorabilium li. 3.*
Cælij Rodigini *Antiquarum lectionum li. 30.*
Ioannis Roberti *Sententiarum Iuris li. 4. Recepta iuris ciuilis lectionis li. 2.*

S

Floridi Sabini *Succiſiuarum li. 2.*
Franciſci Sarmenti *Selectarum li. 5.*
Theodori Straitmanni *Harmonia vtriuſque iuris.*

T

Hadriani Turnebi *Aduerſariorum li. 30.*

V

Antonij Vaccæ *Primum volumen expoſitionum legum obſcuriorum in li. 1 & 2. Digeſtorum.*
Bernardi VValtheri *Miſcellaneorum li. 2.*
Ioannis Vandi *Variarum Quaeſtionum li. 2.*
Ludouici Vitalis *Variarum Lectionum li. 2.*
Nicolai Vallæ *De rebus dubiis & quaeſtionibus in iure controuerſis lib. 1.*
Petri Victorij *Variarum lectionum lib. 25.*
Vaconij Vacunæ *Declarationum iuris ciuilis lib. 6.*

Z

Vldarici Zaſij *Singular. intellectuum li. 2. Antinomiarum li. 1. Singularium Reſponſorum lib. 2.*
Franciſci Zoanneti *Rerum quotidianarum eiuſdémque reſtitutionum in Pandectas liber.*
Emanuelis Zoares *Obſeruation. 1.*

His adiecta ſunt concilia Doctorum vt Bartoli, Baldi, Fulgoſij Alexandri cæterorúmque.
Repetitiones & Tractatus Doctorum, qui paſſim hodie reperiuntur.

Digitized by Google

INDEX OMNIVM TITVLORVM SEV RVBRICARVM, VNIVERSO IVRIS CORPORE COMPREHENSARVM, AD OMNES editiones accommodatus. quo faciliùs vniuſcuiuſque libri Titulus inquiri poſsit.

NOTAE LIBRORVM.

I. Inſtitutiones.
D. Digeſta ſeu Pandectæ quæ habent 50. libros, tribus voluminibus comprehenſos, quorum prius vulgo *Digeſtum Vetus* nuncupatur, continens 24. libros, à 1. ſcilicet ad 24. Secundum *Infortiatum* 14. ſequentes à 24. ad 38. Tertium verò *Digeſtum Nouum* reliquos poſteriores 12. à 39. ad 50.
C. Codex.
A.Col.N. Auth. coll. Nou.
E. Edicta Iuſtini Imper.
N.I. Nouellæ Iuſtini.
C.T. Conſtitutiones Tiberij.
F. Feudorum conſuetudines.
Ex. Extrauagantes.
C.I.I. Conſtitutiones Iuſtiniani, Iuſtini.
L. Leonis Nouellæ.
C.I. Conſtitutiones Imperiales.
C.F.II. Conſtitutiones Friderici ſecundi.

A

ABigeis D.47.t.14.C.9.t.37
Abolitionibus C.9.t.42
Abrogatio legis, quæ hominem liberum ſe vendere permittit. L.59 ¶Legis quæ ſenatui prætores, decurionibus verò præfectos conſtituere concedebat. L.47 ¶Legum quarundam de curiis & decurionibus latarum. L.46
Acceptilationibus D.46.t.4.C.8.t.44
Accuſationibus & inſcriptionibus D.48.t.2.C.9.t.2
Acquirenda. vide Ad.
Actionib. I.4.t.6 ¶Empti & venditi D.19.t.1.C.4.t.49 ¶Rerum amotarum D.25.t.3 ¶& Obligationibus C.4.t.10
Actore à tutore ſeu curatore dando C.5.t.61
Ademptione legatorum, & tranſlatione eorum I.2.t.21 ¶Libertatis D.40.t.6
Ad exhibendum D.10.t.4.C.3.t.42 ¶Legem Aquiliam D.9.t.2. L.Corneliam, de falſis D.48.t.10.C.9.t.22 ¶Sicariis D.48.t.8.C.9.t.16 ¶L.Falcidiam D.35.t.2.C.6.t.49 ¶L.Flauiam de plagiariis D.48.t.15.C.9.t.20 ¶L.Iuliam, de adulteriis & ſtupro D.48.t.5.C.9.t.9 ¶Ambitu D.48.t.14.C.9.t.26 ¶Annona D.48.t.12. ¶maieſtatis D.48.t.4.C.9.t.8 ¶pecular', & de ſacrilegiis & reſiduis D.48.t.13 ¶repetundarum D.48.t.11.C.9.t.27 ¶de vi priuata D.48.t.7.C.9.t.12 ¶publica D.48.t.6.C.9.t.12 ¶L.Pompeiam de parricidiis D.48.t.9 ¶L.Rhodiam de iactu D.14.t.2 ¶L.Viselliam C.9.t.21
Adimendis vel transferendis legatis vel fideicommiſſis D.34.t.4
Adiutoribus quæſtoris A.Col.4.t.14.N.35
Adminiſtrantibus officia in ſacris appellationib. A.Col.3.t.7.N.20
Adminiſtratione: & periculo tutorum D.26.t.7 ¶Rerum, ad ciuitatem pertinentium D.50.t.8 ¶publicarum C.11.t.30 ¶Tutorum vel curatorum, & de pecunia pupillari fœneranda vel deponenda C.5.t.37
Adminiſtratoribus A.Col.3.N.19. & Col.7.t.7.N.95
Ad municipalem & de incolis D.50.t.1
Adoptionibus I.1.t.11.D.1.t.7.C.8.t.48 ¶& emancipationibus D.1.t.7
Adquirenda: vel amittenda hæreditate D.41.t.2 ¶vel omittenda poſſeſſione D.29.t.2 ¶vel retinenda poſſeſſione C.7.t.32
Adquirendo rerum dominio D.41.t.1
Adquiſitione per adrogationem I.3.t.11
Ad ſenatuſconſultum: Macedonianum D.14.t.6.C.4.t.28 ¶Orficianum C.6.t.56 ¶Syllanianum D.29.t.5 ¶Tertyllianum D.38.t.18. C.6.D.55 ¶Trebellianum I.2.t.23. D.38.t.1.C.6.t.48 ¶Turpillianum D.48.t.16.C.9.t.45 ¶Velleianum D.16.t.1.C.4.t.29
Adſertione tollenda C.7.t.17
Adſeſſoribus & domeſticis & cancellariis iudicum C.1.t.51
Adſignandis libertis D.38.t.4
Adſignatione libertorum I.3.t.9
Adulteris manifeſto deprehenſis L.32
Aduocatis diuerſorum iudicum C.2.t.8 ¶Iudiciorum C.2.t.7 ¶Fiſci C.2.t.9
Ædificiis priuatis C.8.t.10
Ædilitiis actionibus C.4.t.58
Ædilitio edicto, & redhibitoria, &c. D.21.t.1
Æqualitate dotis, & propter nuptias donationis, & augmento dotis, &c. A.Col.7.t.9.N.97
Æſtimatoria actione D.19.t.3
Ætate ineuntium officia C.I.1.Alex.Comneni.
Agentibus in rebus C.12.t.20
Agnoſcendis & alendis liberis, vel parentibus D.25.t.3
Agricolis: cenſitis, & colonis. C.11.t.47 ¶& Mancipiis dominicis, vel fiſcalibus, reip. vel priuatæ C.11.t.67
Albo ſcribendo D.50.t.3
Aleæ luſu & aleatoribus D.11.t.5.C.3.t.43
Alendis liberis ac parentibus C.5.t.25
Alexandriæ primatibus C.11.t.28
Alienatione: & emphyteuſi, & locatione, & hypothecis, & aliis diuerſis contractibus &c. A.Col.9.t.3.N.120 ¶Feudi F.1.t.13.4.t.73. paterni F.2.t.39 ¶Iudicij mutandi cauſa facta D.4.t.7.C.2.t.55
Alimentis: & cibariis legatis D.34.t.1. ¶Pupillo præſtandis C.5.t.50
Allelengio communis cenſus penſitorum C.I.Baſ.Porphyr.1
Allodiis F.2.t.34
Alluuionibus; & paludibus; & paſcuis ad alium ſtatum tranſlatis C.7.t.41
An: Agnatus, vel filius defuncti poſſit retinere feudum &c. F.2.t.41 ¶Apud iudicem, vel curiam, &c. F.2.t.46 ¶Cognatus vel filius, &c. F.2.t.45 ¶Ille qui interfecit fratrē domini &c. F.2.t.37 ¶Maritus ſuccedat vxori, &c. F.2.t.25 ¶Mutus vel alias imperfectus feudum retineat F.2.t.36
Annali exceptione Italici contractus tollenda; & de diuerſis temporibus & exceptionibus, & præſcriptionibus, & interruptionibus earum C.7.t.40
Annonis ciuilibus C.11.t.24 ¶& capitatione adminiſtrantium, & eorum aſſeſſorum, aliorúmve publicas ſolicitudines gerentium, vel eorum, qui aliquas cōſecuti ſunt dignitates C.1.t.52 ¶& tributis C.10.t.16
An per alium cauſæ appellationis reddi poſſunt D.49.t.9 ¶Præſcriptione feudum adquiratur F.4.t.87 ¶Remouendi erunt teſtes qui, &c. F.2.t.19 ¶Seruus pro ſuo facto manumiſſus teneatur C.4.t.14
Annuis legatis D.33.t.1
Apochis publicis, & deſcriptionibus curialibus, & de diſtributionibus ciuilibus C.10.t.22
Apoſtatis C.1.t.10
Apparitoribus: Comitis orientis C.12.t.57 ¶Magiſtrorum militum & priuilegiis eorum C.12.t.55 ¶Præfecti annonæ C.12.t.59 ¶Præfectorum prætorio, & eorum priuilegiis C.12.t.53 ¶Præfecti vrbis C.12.t.54 ¶Præſidum E.10 ¶Proconſulis & legati C.12.t.56
Appellationibus: Ad quemnam remittantur, ſi res ob quam appellatio inſtituitur, non ſupra auri libras decem valeat A.coll.4.t.2. N.23 ¶Et intra quæ tempora debeat app. ibid. ¶Et conſultationibus C.7.t.62 ¶Recipiendis D.49.t.5 ¶& relationibus D.49.t.1 ¶Siciliæ A.col.2.t.4.N.75 ¶Vt ſi mora appellationis iudicem, &c. A.col.7.t.5.N.93
Apud: Eum à quo appelletur, aliam cauſam agere compellendum D.49.t.13 ¶Quem vel quos erit F.1.t.18 ¶Quos oporteat cauſam dicere, monachos & aſcetrias A.col.6.t.8.N.79
Aquæductu C.11.t.42
Aqua: Pluuia arcenda, vel aqua & aquæ pluuiæ D.39.t.3 ¶Quotidiana & æſtiua D.43.t.19
A quibus: Appellare non licet D.49.t.2 ¶Obſignari teſtamenta oporteat L.44

A quo appellet quis D.49.t.3
Arbitrium tutelæ C.5.t.51
Arboribus cædendis D.43.t.26
Arborum furtim cæſarum D.49.t.7
Argenti pretio quod theſauris infertur C.10.t.76
Argentariorum contractibus A.col.9.t.19.N.136.E.9
Armeniis A.col.3.t.8.N.21
Armeniorum ſucceſſione E.3
Armis A.col.6.t.24.N 85
Adſcriptitiis Colonis c.I.I.2
Atletis c.10.t.53
Attiliano tutore, & eo qui ex l.Iulia & Tit.dabatur I.1.t.20
Auro, Coronario c.10.t.74 ¶& argento legato D.34.t.2
Auri publici perſecutoribus c.10.t.72
Authoritate: Tutorum vel curatorum I.1.t.21 ¶Et conſenſu tutorum & curatorum D 26.t.8 ¶Præſtanda c.5.t.59
Auulſa terræ cruſta L.95

B

BEneficiis F.4.t.1 Conſtitutio Conradi
Beneficio fratris, & qualiter frater in beneficium fratris ſuccedat F.1.t 20
Bonis: authoritate iudicis poſſidendis D.42.t.5 ¶Poſſidendis ſeu venundandis, & de ſeparationibus bonorum C.7.t.72
¶Damnatorum D.48.t.20 ¶Eorum, qui ante ſententiam mortē ſibi conſciuerunt D.48.t.21 ¶Eorum qui mortem ſibi conſciuerunt c.9.t.50 ¶Libertorum D.38.t.2 ¶& iure patronatus c.6.t.4 ¶Maternis, & materni generis c.6.t.59 ¶Proſcriptorum ſeu damnatorum c.9.t.49 ¶Quæ liberis in poteſtate conſtitutis, ex matrimonio vel aliàs adquiruntur, & eorum adminiſtratione c.6.t.60 ¶Vacantibus & incorporatione c.10.t.10
Bonorum poſſeſſione: Contra tabulas D.37.t.4 ¶Liberti, quæ patronis liberiſque eorum datur c.6 t.13 ¶Quam prætor liberis pollicetur c.6.t.12 ¶Furioſo, infanti, &c. competente D.37.t.3 ¶Secundum tabulas D.37.t.11.C.6.t.11 ¶Ex teſtamento mili.D.37.t.13
Bonorum poſſeſſionib.D.37.t.1 Inſt.3.t.10 ¶Separationib.D.42.t.7

C

CAdaueribus punitorum D.48.t.24
Caducis tollendis c.6.t.51
Cæcos ſecreta teſtamenta facere poſſe.L.69
Calumniatoribus D.3.t.6.C.9.t.46
Canone frumentar.vrbis Ro.col.11.t.22 & largitionum titulorum C 10.t.23
Canonico & conſu.c.1
Capiendis & diſtrah.pig.c.10.t.21
Capitaneo qui curiam F.2.t.51
Capitatione ciuium cenſib.crim.c.11.t.48
Capitis diminut.I.1.t.18.D.4.t.5
Capit.Conradi F.2.t.40. Captiuis D.49.t.1
Carbon.edict D.37.t.10.C.6.t.17
Caſtrenſianis c.12.t.26 Caſtrenſi pec.D.49.t.17 omnium palatinorum c.12.t.31 militum & præfectianorum C.12.t.37
Caſus quib.fœm.F.4.t.104
Cenſibus 10.t.15.& c.11.t.57
Certi condictione D.12.t.1
Ceſſione bonorum D.42 t.1
Claſſicis c.11.t 12
Clericatu feudum amitti F.4.t.109
Clerico qui inueſtituram facit F.2.t.35
Cloacis D.43.t.23
Codicillis I.2.t.25 c.6.t.36
Cæcos ſecreto teſtamentum facere poſſe L.69
Cohortalibus princip.Cornicularis, ac primipilaribus c.12.t.58
Collatione: Æris c.10.t.29 ¶Bonorum D 37.t.6 ¶Donatorum vel releuatorum aut tranſlatorum, ſeu adæratorum c.10.t.28 ¶Dotis D.37.t.7 ¶Fūdorum fiſcaliū vel rei priuatæ vel dominicæ vel ciuitatis vel templi c.11.t.73 ¶Fundorum patrimonialium vel emphyteuticanorum c.11.t.64
Collationibus c.6.t.20
Collatoribus & aliis capitulis A.Col.9.t.11.N.128
Collegiis illicitis D.47.t.22
Collegiatis, & Chartopratis, & nummulariis c.11.t.17
Collusione detegēnda D.40 t.16.c.7.t.20
Colonis: Illyricanis c.11.t.52 ¶Paleſtinis t.50 ¶Tracenſibus t.51
Comite Iſauriæ A.Col.4.t.6.N.27
Comitibus conſiſtorianis c.12. t.10 ¶& Archiatris ſacri palatij t.13 ¶& Tribunis ſcholarium t.11. ¶Qui prouincias regunt ti.14 Rei militaris t.12
Commeatu c.12.t 43
Commerciis & mercatoribus c.4.t.63
Comminationes, epiſtolas, programmata, ſubſcriptiones, authoritatem rei iudicatæ non habere c.7.t.57
Commodati vel contra D.13.t.6
Commodato c.4.t.23
Communia: de legatis & Fideicommiſſis, & de in rem miſſione tollenda c.6.t.43 ¶de Manumiſſionibus c.7.t.15 ¶Prædiorum tam vrbanorum quàm ruſticorum D.8.t.4
¶De ſucceſſionibus c.6.t.58 ¶de Vſucapionibus c.7.t.30
¶Vtriuſque iudicij tam familiæ erciſcundæ quàm communi diuidundo c.3.t.38
Communi diuidundo D.10.t.3 c.3.t.37
Communi ſeruo manumiſſo c.7.t.7
Communium rerum alienatione c.4.t.52
Compenſationibus D.16 t.2 c.4.t.31
Concubinis D.25.t.8 c.3.t.26
Concuſſionibus D.47.t.13
Condictione: Cauſa data, cauſa non ſecuta D.12.t.4 ¶Ex lege D.13.t.15 & ſine cauſa vel iniuſta cauſa c 4.t.9 ¶Furtiua D.13.t.1. c.4 t.8 ¶Indebiti D 12.t.6.c.4.t.5 ¶Ob cauſam datorum D.4.t.6 ¶Ob turpem vel iniuſtam cauſam D.21.t.5.c.4.t.7
¶Sine cauſa D.12.t.7 ¶Triticaria D.13.t.3
Conditionem feudum tacitè ſequi F.4.t.89
Conditione feudi non impleta F.4.t.75
Conditionibus: & Demonſtrationibus, & cauſis & modis eorum quæ in teſtamentis ſcribuntur D.35.t.1 ¶Inſertis tam in legatis, quàm fideicommiſſis & libertatibus c.6.t.46 ¶Inſtitutionum D 28 t.7
Conditis in publicis horreis c 10.t.26
Conductoribus & procuratoribus, ſiue exactoribus prædiorum fiſcalium, & domus Auguſtæ c.11.t.71
Confeſſis D.42.t.2.c.7.t.59
Confirmando tutore c 5.t.29 ¶vel curatore D.26.t.3
Coniungendis cum emancipato liberis eius D.37.t.8
Connubio Perſarum cum Romanis c.I.3.Theoph.
Conſanguineis & vterin.& fratribus A.col.6.t.12.N.84
Conſortibus eiuſdem litis c.3.t.40
Conſtituta pecunia D.13.t.5.c.4.t.18
Conſtitutio: Ad bonum Quæſtorem &c.A.col.5.Nou.50.9
Conradi de beneficiis F.5.t.1 ¶Feudalis Domini Lotharij Imper.&c.F.1.t.19 ¶Friderici de feudis non, &c. F.5.t.7 ¶de incendiariis F.5.t.10 ¶de iure fiſci F.5.t.8 ¶de iure [illegible] F.5.t.13.14 ¶de pace componenda F.2.t.11 ¶de pace Conſtantiæ P.5.t.12 ¶de pace tenenda F.5.t.9
¶Henr.de cauſis amit.F.5.t.2. vt ingratitudo &c.F.5.t.4 ¶de vaſallo &c. F.5.t.3 Iuſtini Imperatoris de filiis libertatum in Africam directa.c.I.I.3 ¶Lotharij de inueſtitura non, &c.F.5.t.6 ¶de feudis non, &c.p.5.t.5 ¶Ad bonum quæſtorem exercitus ordinat appellationes à quinq. prouinciis Caria & Cypro, &c. A.col.5.t.5.N.50 ¶Quæ dignitatibus & epiſcopatu filium liberat patria poteſtate A.col.6.t.10.N.81
Conſtitutionibus principum D.1.t.4
Conſtitutionem quæ ex adſcriptitio & libera natos liberos vult, non iis qui ante te &c.A.col.5.t.9.N.54
Conſuetudine recti feudi F.2.t.33
Conſulibus A.col.9.t.6.N.105 ¶& non ſpargēdis ab iis pecuniis, & de præfectis & magiſtratibus militum & patriciis c.12.t.3
contentione inter Dominum & fidelem de inueſtitura feudi F.1.t.10 ¶Dominum & vaſallum, de inueſtitura feudi F.2.t.23
¶Me & dominum, de portione feudi fratris mei defuncti F.1.t.12
contractibus iudicum, vel eorum qui ſunt circa eos, & inhibendis donationibus in eos faciendis, & ne adminiſtrationis tempore proprias ædes ædificent ſine ſanctione pragmatica c.1.t.53
contrahenda & committenda ſtipulatione c.8.t.38 ¶Emptione & venditione D.18.t.1.c.4.t.38
contraria & vtili actione tutelæ D.27.t.4
contrario iudicio tutelæ c.5.t.58
controuerſia feudi: Apud pares terminanda F.2.t.16
¶Inter dominum & emptorem feudi t.4 ¶epiſcopum & vaſallum t.20 maſculum & fœminam de beneficio t.41 ¶vaſallum & alium de beneficio t.43
conueniendis fiſci debitoribus c.10.t.2
conuentione inter dominum & fidelem, de inueſtitura feudi F.1.t.20
creditorem euictionem pignoris non debere c.8.t.46
crimine Expilatæ hæreditatis D.47.t.19.c.9.t.32
¶Peculatus c 9.t.28 ¶Sacrilegij t.29
¶Stellionatus D.47.t 20 c.9.t.34
culpam vnius ex coheredibus alij non nocere F.4.t.78
cupreſſis ex lucro Daphnes Perſeidos per Ægyptum non excidēdis vel vendendis c.11.t.77
curatore: Bonis dando D.42.t.8 ¶Furioſi & prodigi c.5.t.70
curatoribus I.1.t.23 ¶Furioſo vel aliis perſonis extra minores dādis D.27.t.10
curialibus vrbis Romæ c.11.t.13
curioſis & ſtationariis c.12.t.23
curſu publico, & Angariis & parangariis c.12.t.51
cuſtodia: Reorum c.9.t.4 ¶& Exhibitione reorum D.48.t.3
culpam vnius ex cohæredibus F.4.t.78

D

Damno infecto, & de ſuggrundis & protectis D.39.t.2
Debita impenſa in exequiis defunctorum A. Col.5.t.14 N.59
Debitorem venditionem pignoris impedire non poſſe C.8.t.29
Debitoribus ciuitatum C.11.t.32
Decanis C.12.t.27
Deciſione Siſinij de nuptiis duorum fratrum, cum duabus conſobrinis C.I.4.Manuelis Comm.
Decretis: Ab ordine faciendis D.50.t.9 ¶ Decurionum ſuper immunitate quibuſdam concedenda C.10.t.46
Decurialibus verbis Romæ C.11.t.13
Decurionibus, & filiis eorum D.50.t.2 A-Col.4.t.17 N.38 ¶ Et qui decuriones habeantur, & quibus modis à fortuna curiæ liberentur C.10.t.31
Dedititia libertate tollenda C.7.t.5
Defenſoribus ciuitatum C.1.t.56 A.Col.3.t.2 N.15
Delatoribus C.10.t.11
Depoſiti vel contra D.16.t.3 C.4 t.34
Depoſitione Anthimi, & Seueri, & Petri, &c. A.Col.4.t.21 N.42
Depoſito & denuntiationibus inquilinorum, & de ſuſpendenda adminiſtratione panum A.Col.6.t.17 N.88
Deſcriptione quatuor præſidum Armeniæ A.Col.4 t.10 N 31
Deſertoribus & occultatoribus eorum C.12.t.46
Dignitatibus C.12.t.1
Dilationibus C.3.t.11
Diſcuſſoribus C.10.t.50
Diſtractione pignorum C.8.t.28 ¶ vel hypothecarum D.20.t.5
Diuerſis: Officiis & apparitoribus iudicum, & approbatoriis eorum C.12 t.60 ¶ Prædiis vrbanis & ruſticis templorum, & ciuitatum, & omne reditu ciuili C.11.t.69 ¶ Regulis iuris antiqui D.50.t.17 ¶ Reſcriptis & pragmaticis ſanctionibus C.1.t.20 ¶ Et temporalibus præſcriptionibus, & de acceſſionibus poſſeſſionum D.44.t.3
Diuidenda tutela, & pro qua parte quiſque tutor conueniatur 5.t.52
Diuinis domibus C.T.2
Diuiſione: Et qualitate rerum D.1.t.8 ¶ Stipulationum I.3.t.19
Diuortio facto, apud quem liberi morari vel educari debeant C.5.t.24
Diuortiis & repudiis D.24.t.2
Doctoribus C.I.6 Alexij.Comm.
Doli mali & metus exceptione D.44.t.4
Dolo malo D.4.t.3 C.2.t.31
Domeſticis & protectoribus C.12.t.17
Donationibus: Inſt.2.t.7 D.39.t.5 C.8.t.54 ¶ Ante nuptias vel propter nuptias & ſponſalitiis C.5.t.3 ¶ Cauſa mortis C.8.t.57 ¶ Et capionibus C.39.t.6 ¶ Inter virum & vxorem D.24.t.1 ¶ & à parentibus in liberos factis, & de ratihabitione C.5.t.16 ¶ A curialibus factis ſiue ab inteſtato, vel teſtamento eorum ſucceſſoribus A.Col.8.t.2 N.101 ¶ Quæ ſub modo, vel conditione, vel ex certo tempore conficiuntur C.8.t.55
Dotis: Collatione D.37.t.7 ¶ Promiſſione & nuda pollicitatione C.5.t.11
Dote cauta non numerata C.5.t.15 ¶ Prælegata vel relegata D.33.t.4
Duabus ſiliquis præſtandis prouinciarum adminiſtratoribus C.I.3 Leonis I.Konomachi.
Duobus: Fratribus à capitaneo inueſtitis F.2.t.18 ¶ Reis ſtipulandi & promittendi I.3.t.17 D.45.t.2 C.8.t.40

E

Ea quæ raptori ſuo nubit A.Col.9.t.32 N.150
Eccleſiam fidelitatem non facere F.4.t.105
Eccleſiaſticarum rerum immobilium alienatione, & ſolutione A.Col.5.t.1 N.46
Eccleſiaſticorum alea ludentium pœna L.87
Eccleſiaſticis titulis & priuilegiis, aliiſque capitulis A. Col.9.t.14 N.131
Eccleſiis conſtitutis in Africa A.Col.4.t.16 N.37
Edendo D.2.t.13 C.2.t.1
Edictum: De his qui luxuriantur contra naturam A. Col.9.t.23 N.141 ¶ Pientiſſimi Domini noſtri Iuſtiniani de formula artificum A. Col.9.t.5 N.122 ¶ Pientiſſimi Domini noſtri Iuſtiniani E.6 ¶ Scriptum in omni terra piiſs. Archiepiſcopis E.1
Edicto D.Hadriani tollendo, & quemadmodum ſcriptus hæres in poſſeſſionem mittatur C.6.t.33
Effractoribus & expilatoribus D.47.t.18
Electis ad Orientales eccleſias C.I.7.Alexij Comm.
Emancipatione & dotis reſtitutione L.25
Emancipationibus liberorum C.8.t.49
Emendatione: Codicis Iuſtiniani, & ſecunda eius editione C.1.t.3

¶Propinquorum C.9.t.15 ¶Seruorum C.9.t.14
Emptione & venditione I.3.t.14
Eo: Cui libertatis cauſa bona addicuntur I.3.t.12 ¶ Per quem factum erit, quo minus quis in iudicio ſiſtat D.2.t.10 ¶ Qui ad primam denunciationem iudicio ſe non ſiſtit I.108 ¶ Qui finem fecit adgnato de feudo paterno F.2.t.49 ¶ Qui pro tutore vel curatore negotia geſſit D.27.tit.5 C.5.tit.45 ¶ Qui ſibi vel hæredibus ſuis maſculis & fœminis inueſtituram recepit F.2.t.17 ¶ Qui vitam monaſticam deſeruit, qui præſidum cohortibus adſcribi ſolet L.8. ¶ Quod certo loco dari oportet D.13.t.4 ¶ Quod metus cauſa geſtum erit D.4.t.2
Epiſcopali audientia, & diuerſis capitulis, quæ ad ius curámque & reuerentiam pertinent pontificalem C.1.t.7
Epiſcopis & clericis, & orphanotrophis, & xenodochis, & procotrophis, & aſceteriis, & monachis, & de priuilegiis eorum, & de caſtrenſi peculio, & de redimendis captiuis, & de nuptiis clericorum vetitis, ſeu permiſſis C.1.t.6
Epiſcopatibus detentis à laicis C.I.1.incerti Imper.
Epiſcopum vel abbatem, vel abbatiſſam, vel dominum plebis feudum dare non poſſe F.1.t.6
Equeſtri dignitate C.12.t.32
Erigendis epiſcopatibus in metropoles C.I.e.Alexij Comn.
Erogatione militaris annonæ C.13.t.38
Errore Aduocatorum, vel libellos ſeu preces concipientium C.2.t.10. Calculi C.2.t.5
Etiam: ob chirographariam pecuniam pignus teneri C.8.tit.27 ¶ Per procuratorem cauſam in integrum reſtitutionis agi poſſe C.2.t.49
Euictione F.4.t.80
Euictionibus C.8.t.45 ¶ & duplæ ſtipulationibus D.21.t.2
Eum qui appellauerit in prouincia defendi D.49.t.11
Eunuchis C.4.t.42
Exactoribus tributorum C.10.t.19
Exceptione rei iudicatæ D.44.t.2 C.7.t.53 ¶ Venditæ & traditæ D.21.t.3
Exceptionibus I.4.t.13 ¶ & præſcriptionibus C.8.t.36 ¶ & præiudiciis D.44.t.1
Exceptoribus & exactoribus C.12.t.61
Excoctione & tranſlatione militaris annonæ C.12.t.39
Excuſationibus: Artificum C.10.t.64 ¶ Munerum t.47 ¶ Tutorum vel curatorum I.1.t.25 ¶ Tutorum vel curatorum, & temporibus earum C.5.t.62 ¶ Tutorum & temporibus earum D.27.t.1 ¶ Veteranorum C.5.t.65
Ex delictis defunctorum in quantum hæredes conueniantur C.4.t.17
Ex delicto vaſalli, feudum ad dominum redire F.4.t.98
Executione rei iudicatæ C.7.t.53
Executoribus: Et de iis quæ conueniuntur, & reconueniuntur A.Col.7.t.8 N.96 ¶ Et exactoribus C.12.t.61 ¶ Teſtamentorum C.I.1.Manuel.Comm.
Exemplum. Sacræ formæ de appellationibus A. Col.9.tit.9 N.126 ¶ Sacræ pragmaticæ formæ de vſuris A.Col.9.t.42 N.160
Exercitoria actione D.14.t.1
Exhæredatione liberorum I.2.t.13
Exhibendis & introducendis reis, & vt ij qui conueniuntur poſt xx.diem præſeruentur iudicibus, & de iis qui iuratoriā cautionem exponunt, & ante litis cōteſtationem abſentes fiunt, & de hypotecis quæ appellātur ex caſu, & quæ perſonæ & quādo hoc ius habent, & de indotatis vxoribus, vt habent quartam partem in ſubſtantia viri, & ipſe vir in ſubſtantia vxoris quando inops eſt, cui relinquitur A.Col.5.t.8 ¶ Tranſmittendis reis C.9.t.3
Expenſis ludorum publicorum C.11.t.41
Expilatæ hæreditatis D.47.t.19
Expulſione monachorum C.I.2.Theoph.
Ex quibus cauſis Infamia irrogatur C.2.t.12 ¶ In poſſeſſionem eatur D.42.t.4 ¶ Maiores xxv.annis in integrum reſtituantur D.4.t.6
Extraordinariis: Cognitionibus, & ſi iudex litem ſuam feciſſe dicetur D.50.t.13 ¶ Criminibus D.47.t.11

F

Fabricenſibus C.11.t.9
Factum fratris, fratri in feudo paterno non nocere F.4.t.93
Falſa: cauſa adiecta legato vel fideicommiſſo C.6.t.44 ¶ Moneta C.9.t.24
Falſariorum pœna L.77
Familiæ erciſcundæ D.10.t.2 C.3.t.36
Famoſis libellis C.9.t.36
Feriis C.3.t.12 C.I.2.Manuel.Comneni ¶ & Dilationibus, & diuerſis temporibus earum, & ex quibus cauſis feriæ non impediuntur D.2.t.12
Feudi cognitione F.2.t.1
Feudo: Dato in vicem legis commiſſoriæ, &c. F.1.t.27 ¶ Fœminæ F.2.t.30 ¶ Guardiæ & Gaſtaldiæ F.1.t.2 F.4.t.94 ¶ Ligio F.4.tit.99 ¶ Marchiæ, vel ducatus, vel comitatus F.1.tit.14

¶ Non habente propriam feudi naturam F.2.t.48 ¶ Sine culpa non amittendo F.1.t.21
Feudis: Datis minimis valuaſoribus quibus quid iuris ſit F.1.t.16 ¶ Habitationum F.4.t.105 ¶ Impropriis, quæ auferuntur dantis arbitrio F.4.t.81 ¶ Non alienandis F.5.t.5.t.7 & 16 ¶ Scutiferorum F.4.t.74
Fide C. L. 1. Heraclij ¶ & iure haſtæ fiſcalis, & de Addict. C.10.t.3
Fideicommiſſaria hæreditatis petitione D.5.t.6
Fideicommiſſariis: Hæreditatibus, & ad Senatuſconſultum Trebellianum I.2.t.23 ¶ Libertatibus D.40.t.5 C.7.t.4
Fideicommiſſi C.6.t.42
Fide inſtrumentorum & amiſſione eorum D.22.t.4 ¶ & apochis & antapochis faciendis, & de iis quæ ſine ſcriptura fieri poſſunt C.4.t.21 ¶ & Iure haſtæ fiſcalis, & de Addictionibus C.10 t.3
Fideiuſſoribus I.3.t.21 ¶ Et mandatoribus D.46.t.1 C.8.t.41 ¶ Et ſolutionibus A.Col.1.t.4.N.4 ¶ Et nominatoribus, & hæredibus tutorum & curatorum D.27.t.7 ¶ Minorum C.2.t.24 ¶ Tutorum vel curatorum C.5.t.57
Fidelitate F.4.t.76
Fiduciaria tutela I.1.t.19
Filiofamilias minore C.2.t.23
Filios tantum ſecundi matrimonij matri in feudum ſuccedere F.4.t.105
Filiis: Ante dotalia inſtrumenta natis A.Col.3.t.6.N.19 ¶ Familias & quemadmodum pro iis pater teneatur C.10.t.60 ¶ Natis ex matrimonio, ad morganaticam contracto F.2.t.29 ¶ Officialium militarium, qui in bello moriuntur C.12.t.48
Finium regundorum D.10.t.1.C.3.t.39
Fiſcalibus vſuris C.10.t.8
Fluminibus, & nequid in flumine ripáve eius fiat D.43.t.12
Fonte D.43.t.21
Forma: Fidelitatis F.2.t.6 ¶ pragmatica de argentariorum contractibus E.7 ¶ Præfectorum prima [illegible] de Adiectionibus A.C.9.t.48 N.166 ¶ Secunda de hominibus qui eidem domino ſubiecta prædia poſſident A.Col.9.t.50 N.168 ¶ de poſſeſſione, &c. A.Col.9.t.49 N.167
Formulis & impetrationibus actionum ſublatis C.2.t.59
Foro: Clericorum, & de iudice per reſcriptum prohibito cauſam ad ſe tranſmiſſam diſceptare C.L.11.Alexij Com. ¶ Competenti: epiſcoporum & clericorum, & monachorum C.I.3.Heraclij ¶ Iudiciorum C.I.14 Manuelis Comneni
Fratrem: fratri in feudo nouo non ſuccedere F.4.t.90 ¶ In feudo filij non ſuccedere t.84
Fratribus de nouo beneficio inueſtitis F.2.t.12
Fructibus: Feudi F.4.t.86 ¶ & Litium expenſis C.7.t.51
Frumento: Alexandrino C.11.t.27 ¶ vrbis Conſtantinopolitanæ t.23
Fugitiuis D.11.t.4 ¶ colonis & patrimonialibus ſaltuenſibus, & emphyteuticis C.11.t.63
Fundo: Dotali D.23.t.5 C.5.t.23 ¶ Inſtructo vel inſtrumento legato D.33.t.7
Fundis: Limitrophis, & terris, & paludibus, & paſcuis limitaneis & caſtellorum C.11.t.59 ¶ Patrimonialibus, & ſaltuenſibus, & emphyteuticis, & eorum conductoribus C.11.t.61 ¶ Rei priuatæ, & Saltibus diuinæ domus C.11.t.65 ¶ & ſaltibus rei dominicæ D.11.t.66
Furibus balneariis D.47.t.17
Furtis D.47.t.2 ¶ Seruo corrupto C.6.t.2
Furti aduerſus nautas, caupones ſtabularios D.47.t.5

G

GEneralis abolitione C.9.t.43
Generalis forma de proſpectu in mare, &c. A. Col.9. t.47 N.165
Gladiatoribus C.11.t.43
Glande legenda D.43.t.27
Gradibus: Adfinitatis D.38.t.11 ¶ Cognationum I.3.t.6
Graſſatoribus L.70
Grege dominico C.11.t.75

H

HÆc conſtitutio: Innouat conſtitutionem, quæ præſcriptionem centum annorum locis venerabilibus dederat A. Col. 8.t.12 N.111 ¶ Interpretatur priorem conſtitutionem de his qui ingrediuntur monaſterium A.Col.6.t.5 N.76
Hebreis & Montanis C.L.1.Leon.I.Xonomachi
Hæredibus A.Col.9.t.46 N.164.C.T.2.ab inteſtato venientibus, & de agnatorum iure ſublato A.Col.9.t.1 N.118 ¶ & Falcidia A. Col.1.t.1 N.1 ¶ Inſtituendis I.2.t.14 D.28.t.5 ¶ & quæ perſonæ inſtitui non poſſunt C.6.t.24 ¶ Tutorum vel curatorum C.5.t.54
Hæreditariis actionibus C.4.t.16
Hæreditate vel actione vendita D.18.t.14 C.4.t.39
Hæreditatibus: Decurionum C.6.t.61 ¶ Quæ ab inteſtato deferuntur I.3.t.1
Hæredum qualitate & differentia I.2.t.19
Hæreticis & Manichæis & Samaritis C.1.t.8
HEllesponto E.12
Hic finitur lex deinde conſuetudines regni incipiunt F.2.t.28
His: Quæ ex publica collatione illata ſunt non vſurpandis C.10.t.73 ¶ Quæ in teſtamento delentur D.28.t.4 ¶ Quæ pœnæ nomine in teſtamento vel codicillis ſcribuntur vel relinquuntur D.34.t.6 C.6.t.41 ¶ Quæ pro non ſcriptis habentur D.34.t.8 ¶ Quæ ſub modo legata, vel fideicommiſſa relinquuntur C.6.t.45 ¶ Quæ vi metúve cauſa geſta ſunt C.2.t.20 ¶ Quæ vt indignis auferuntur D.34 t.9 ¶ Qui accuſare non poteſt C.9.t.12. ¶ Qui ad eccleſiam confugiunt, vel ibi exclamant, & ne quis ab eccleſia extrahatur C.1.t.15 ¶ Qui ad ſtatuas confugiunt C.1.t.25 ¶ Qui à non domino manumiſſi ſunt C.7.t.10 ¶ Qui ante apertas tabulas hæreditatem tranſmittunt C.6.t.51 ¶ Qui à principe vacationem acceperunt C.10.t.44 ¶ Qui deiecerunt vel effuderunt D.9.t.3 ¶ Qui eunuchos faciunt A. Col.9.t.24 N.142 ¶ Qui ex officio quod adminiſtrarunt conueniuntur C.11.t.38 ¶ Qui ex publicis rationibus mutuam pecuniam acceperūt C.10.t.6 ¶ Qui feudum dare poſſunt F.1.t.1 qui in eccleſiis manumittuntur C.1.t.16 ¶ Qui in exilium dati vel ab ordine moti ſunt C.10.t.59 ¶ Qui ingrediuntur ad appellationem & quando per ſcripturam manus propriæ, fiat collatio literarum, & de iureiurando dilationis, & vt coniungatur iureiurando calumniæ A.Col.5.t.4 N.49 ¶ Qui in locis arabilibus aut vineis ædificaturi ſunt L.71 ¶ Qui in Oſroena illicitas contrahunt nuptias A. Col.9.t.36 N.154 N.L.3 ¶ Qui in priorum creditorum locum ſuccedunt C.8.t.19 ¶ Qui latrones, vel aliis criminibus reos occultauerint C.9.t.39 ¶ Qui mutum dant agricolis A.Col.4.t.12 N.33 ¶ Qui non impletis ſtipendiis, ſacramento ſoluti ſunt C.10.t.54 ¶ Qui notantur infamia D.3.t.2 ¶ Qui numero liberorum vel paupertate excuſationem meruerunt C.10.t.52 ¶ Qui parentes vel liberos occiderunt C.9.t.17 ¶ Qui potentiorum nomine titulos prædiis affigunt, vel eorum nomina in litē prætendunt C.2.t.15 ¶ Qui propter metum iudicis non appellauerunt C.7.t.67 ¶ Qui ſe deferant C.10.t.13 ¶ Qui ſibi adſcribunt in teſtamento C.9.t.23 ¶ Qui ſponte publica munera ſubeunt C.10.t.43 ¶ Qui ſub modo legati ſeu fideicommiſſi relinquuntur C.6.t.45 ¶ Qui ſunt ſui vel alieni iuris I.1.t.8 D.1.t.6 ¶ Qui veniam ætatis impetrauerunt C.2.t.45 ¶ Quibus vt indignis hæreditates auferuntur, & ad ſenatuſconſultum Silanianum C.6.t.35 ¶ Legata auferuntur D 34.t.9
Homicidis voluntariis C.L.1 ¶ Conſtantini Porphyrogenneti C.L.8 Manuelis Comneni
Honoratorum vehiculis C.11.t.19
Hortulanis Conſtantinopolitanæ ciuitatis A.Col.5.t. 19 N.64

I

IIs: Per quos agere poſſumus I.4.t.19 Cætera vide I.His ¶ Qui ad hoſtes tranſeunt, & ſua ſponte reuertuntur L.67 ¶ Qui de maritimis prædiis ad conſtituendas remoras piſcatorias ſocietatem ineunt L.103 ¶ Qui monaſterium imperfectū relinquunt L.14 ¶ Qui in locis arabilibus aut vineis ædificaturi ſunt L.71
Imaginibus C.I.1.Theophil.
Immenſis donationibus in filios factis A.Col.7.t.4 N.92
Immobilibus: Magnæ eccleſiæ C.I.10 Manuelis Com. omnium quę vbique ſunt eccleſiarum ad poſſeſſionem immobilium C.I.11 Manuelis Comneni
Immunitate nemini concedenda C.10.t.5
Impenſis in rebus dotalibus factis D.25.t.1
Imperatorem feudum amittere, vel alium pro ſe fidem dare F.4.t.100
Imponenda lucratiua deſcriptione C.10.t.35
Impuberum & aliis ſubſtitutionibus C.6.t.26
Incantatorum pœna L.65
Incendiariis & pacis violatoribus F.5.t.10
Incendio, ruina, naufragio, rate naue expugnata D.47.t.9
Incertis perſonis C.6.t.48
Inceſtis & inutilibus nuptiis C.5.t.5 ¶ Nefariis nuptiis A.Col.2.t.7 N.12
Incolis & vbi quis domicilium habere videtur, & de his qui ſtudiorum cauſa in alia ciuitate degunt C.10.t.39
Indicta viduitate, & lege Iulia Miſcella tollenda C.6.t.40
Indictionibus C.10.t.27
In diem addictione D.18.t.2
Indotatis mulieribus, quantum maritis mortuis ex ipſorum bonis lucrentur L.106
Indulgentia: Illicitè contractarum nuptiarum A. Col.9. t.22 N.139 ¶ Reliquorum publicorum A.Col.9.t.30 N.148 ¶ Tributariorum reliquorum N.L.1
Infamibus C.10.t.57
Infantibus: Expoſitis A.Col.9.t.35 N.153 ¶ Liberis, & ſeruis, & de iis qui ſanguinolentos nutriendos acceperunt C.8.t.51
Infirmandis pœnis cœlibatus, & orbitatis, & de decimariis ſublatis C.8.t.58
Ingenuis I.1.t.4 ¶ manumiſſis C.7.t.14
Ingratis liberis C.8.t.50

In integrum

In integrum reſtitutione D.4.t.1 ¶minorum xxv. annis C.2.t.22 poſtulata, ne quid noui fiat C.2.t.50
Iniuriis I.4.t.4.C.9.t.35 ¶Et famoſis libellis D.47.t.10
Iniuſto, rupto & irrito facto teſtamento D.28.t.3
In ius vocando D.2.t.4 C.2.t.2
In ius vocati vt eant aut ſatiſdent D.2.t.6.
In litem: Dando tutore vel curatore C.5.t.44 ¶Iurando D.12.t.3 C.5.t.53
In medio litis non fieri ſacras formas, aut ſacras iuſſiones, ſed ſecundum antiquas leges generales lites decidi A.Col.8.t.14 N.113
Inofficioſo teſtamento I.2.t.18 D.5.t.2 C.3.t.28
Inofficioſis: Donationibus C.3.t.29 ¶Dotibus t.30
In quibus: Caſibus tutorem vel curatorem habenti, tutor vel curator dari poteſt C.5.t.36 ¶Cauſis, ceſſat longi temporis præſcriptio C.7.t.34 ¶coloni cenſiti dominos accuſare poſſint C.11 t.49 ¶feudum amittatur F.2.t.23 ¶In integrum reſtitutio neceſſaria non eſt C.2.t.41 ¶militantes fori præſcriptione vti non poſſunt C.3.t.25 ¶pignus vel hypotheca tacitè contrahatur D.20.t.2 C.8.t.15 ¶Reſtitutio in integrum non eſt neceſſaria. Vide Sup. in Integrum, &c.
In rem verſo D.15.t.3
Inſpiciendo ventre, cuſtodiendóque partu D.25.t.4
Inſtitoria, Actione D.14.t.3 ¶Et exercitoria actione C.4.t.25
Inſtitutionibus, & ſubſtitutionibus, & reſtitutionibus ſubconditione factis C.6.t.25
Inſtructo vel inſtrumento legato D 33.t.7
Inſtrumentis omnium quæ vbique ſunt Eccleſiarum ob poſſeſſionem immobilium C.L.11.Manuel.Com.
Inſtrumentorum cautela, & fide, & primum de depoſito & mutuo, & aliis documentis priuatè quidem ſcriptis, habentibus tamen teſtes. de inſtrumentis publicè confectis, & de collationibus manus propriæ ſcripturæ, de expoſitis inſtrumentis ab illiteratis, aut paucas literas ſcientibus, & de non ſcriptis contractibus, & de contractibus vſque ad vnam libram auri, & de contractibus qui in agris firmis, & vt in documentis & contractibus futuris locum habeat A.Col.6.t.2 N.73
Interdicto matrimonio inter pupillam & tutorem ſeu curatorem, filióſque eorum C.5.t.6
Interdictis: I.4.t.15 C.8.t.2 ¶Collegiis hæreticorum A.Col.9.t.15 N.131 ¶Et relegatis & deportatis D.48.t.22 ¶Seu extraordinariis actionibus, quæ pro eis competunt D.43.t.1
Interpretatio conſtitutionis, quomodo quæ duplum excedunt vſuræ, non præbeantur A.Col.9.t.21 N.138
Interrogationibus in iure faciendis, & de interrogatoriis actionibus ſublatis D.11.t.1
Inuento theſauro, cuius eſſe debeat L.51
Inueſtitura: Alieni beneficij F.4.t.96 ¶De re aliena facta F.2.t.8 facta marito, vel vtrique coniugi F.4.t.85 ¶In maritum facta F.2.t.15 ¶Inueſtitura non petita intra annum F.5.t.6 ¶Veteris & noui beneficij F.4.t.91 ¶Quam Titius accepit à Sempronio F.2.t.13
Inutilibus ſtipulationibus I.3.t.20 C.8.t.39
Irenarchis C.10.t 75
Itinere actúque priuato D.43.19
Iudæis C.L.2.Heracl. & cœlicolis C.1.t.12
Iudicatum ſolui D.46.t.7
Iudicibus: C.l.1. Leonis & Alexand. Et foris quibuſdam, & de pauperibus lites habentibus C.l. Baſilij. Et vt nullatenus cum iureiurando eligatur aliquis iudex quod permaneat ei: & vt appellationes accipiant modis omnibus iudices: & vt in media lite factæ formæ quomodo oporteat decidi, ſi cognitionem non attendant iudices A.Col 6.t.11 N.82
Iudicio finium regundorum D.10.t.1
Iudiciis C.3.t.1 ¶& vbi quiſque agere, vel conuenire debeat C.5 t.1
Iure: Aureorum anulorum D.40.t 10 ¶de natalibus reſtituendis C.6.t.8 ¶Codicillorum D.29.t.7 ¶Deliberandi D.28.t.8 ¶& de adeunda vel adquirenda hær. C.6.t.30 ¶Dominij impetrandi C.8.t.34 ¶Dotium D.23.t.3 C.5.t.12 ¶Emphyteutico C.4.t.66 ¶Fiſci D.49.t.14 C.10.t.1 F.5.t.8 ¶Immunitatis D 50.t.16
Iurando à moriente præſtito, propter menſuram ſuæ ſubſtantiæ A.Col.5.t.3 N.48 ¶Iurando propter calumniam dando C.2.t.59
Iureiurando ſiue voluntario, ſiue neceſſario, ſiue iudiciali D.12.t.2
Iure: libertorum C.8.t.59 Naturali, gentium, & ciuili I.1.t.2 ¶Patronatus D.37.t.14 Perſonarum I.1.t.3 ¶[illegible] F.5. t.13. 14. & 15 Reipublicæ C.11.t.29
Iuriſdictione omnium iudicum D.2.t.1 ¶Et de foro competenti C.5.t.13
Iuris & facti ignorantia D.22.t.6 C.1.t.21
Ius feudorum à quibus conſcriptum & quam habeat authoritatem. Vide Comment. Duareni in extrema parte Extrauagantium.
Iuſiurandum quod præſtatur ab his, qui adminiſtrationes accipiunt A.Col.2.t.3 N.8
Iuſtinianeo Codice Confirmando C.1.t.2
Iuſticia & Iure I.1.t.1 D.1.t.1
Iuſto errore excuſari vaſallum, &c.F.4.t.92
Vt, Iudæi ſecundum Chriſtianiſmi ritus viuant L.55 ¶ Iudices non expectent ſacras iuſſiones, ſed quæ videntur eis decernant A.C.9.t.8.N.125 ¶ Iudices ſine quoquo ſuffragio fiant, &c.A.C.2.t.3.N.8 ¶ Legatorum ſeu fideicommiſſorum nomine caueatur D.36.t.3 ¶ Liberti de cætero aureo non indigeant annulo, vt priſtinis reſtituantur natalibus, &c. A. C.6.t.7.N.78 ¶ Liceat matri & Auiæ, & aliis parentibus, poſt legitimam partem liberis derelictam quomodo voluerint, &c.A.C.8.t.18.N.117 ¶ Liceat Hebræis ſecundum formam hic traditam ſacras ſcripturas Latinè vel Græcè &c. A.C.9.t.28.N.146 ¶ Lite pendente vel poſt prouocationem, aut definitiuam ſententiam nulli liceat Imperatori ſupplicare C.1.t.24 ¶ Litigantes iurent in exordio litis, &c.A.C.9.t.7.N.124 ¶ Matres etiam tutelæ rationibus obnoxiæ ſint A.C.9.t.37.N.155 ¶ Monachus de adquiſitis teſtari poſſit L.5 ¶ Monachi & clerici tutores eſſe poſſint, ſed, &c.L.68 ¶ Mulier quæ matrimonium non iterat, vnius liberorum portionem proprietatis iure capiat, ſimiliter & pater L.22 ¶ Mulier ſoluto matrimonio dotem ſuam, propterque nuptias donationem, & reliquam omnem mariti ſubſtantiam, in commentarium conſcribat, &c.L.110 ¶ Negotiari, ædificare, munerāque accipere, vrbis magiſtratibus liceat L.84. ¶ Ne maritus quemadmodum vxor, illa præmoriēte præter donationem propter nuptias quidquam capiat L.20 ¶ Nemini liceat in emptione ſpecierum ſe excuſare, & de munere Sitocomiæ C.10.t.27. ¶ Nemini liceat ſine iudicis authoritate, ſigna rebus imponere alienis C.2.t.17 ¶ Nemo ad ſuum patrocinium ſuſpiciat ruſticos vel vicos eorum C.11.t.53 ¶ Nemo cum mulieribus in Eccleſiarum cœnaculis habitet L.73 ¶ Nemo inuitus agere, vel accuſare cogatur C.3.t.7 ¶ Nemo Priuatus titulos prædiis ſuis vel alienis imponat vel vela regia ſuſpendat C.2.t.16

Vt Neque miles, neque fœderatus obſeruetur domui priuatæ, aut poſſeſſioni alicuius A.Col.8.t.17.N.116

Vt Non fiant pignorationes pro aliis perſonis, & vt principum donationes non egent, &c.A.C.5.t.7.N.52 ¶ Non liberentur curiali fortuna Iudæi, nec Samaritani, aut hæretici occaſione eorum religionis, &c. A. C.4.t.24.N.45 ¶ Non luxurientur homines contra naturam, neque iurent per capillos Dei, &c. A. C. 6.t.6.N.77 ¶ Non modò vniuerſalis Eccleſiæ ſacerdotes, verum etiam qui ad quamcunque ſacram ædem pertinent, &c. L.4 ¶ Nulli iudicum liceat habere loci ſeruatorem, niſi certis ex cauſis diuina conceſſerit iuſſio A.C.9.t.17.N.134 ¶ Nullus ex vicaneis pro alienis vicaneorũ debitis teneatur C.11.t.56 ¶ Nullus fabricet oratorij domos, præter voluntatem Epiſcopi, vt deputet &c.A.C.5.t.22.N.67 ¶ Nullus mutuans agricolæ teneat eius terram A. C. 4.t.11.N.32. ¶ Omnes iudices tam ciuiles quàm militares poſt adminiſtrationem depoſitam per 50. dies in ciuitatibus vel certis locis permaneant C.1.t.50. ¶ Obediant iudicibus prouinciarum & in criminalibus & in pecuniariis cauſis, &c.A.C.5.t.24.N.69 ¶ Ordinariæ præfecturæ vrbanæ & prætoriæ duæ, & præfecturæ quæ in cingulo, &c.t.25.N.70 ¶ Pacta etiam non conſtituta pœna valeant L.72 ¶ Pariter omnibus adoptare liceat L.27 ¶ Particulares vſurarum ſolutiones in duplum computentur A. C.9.t.4.N.121 ¶ Patres qui nuptias non iterant, vnius liberorum portionem capiant L.85 ¶ Per ſcribendi ignaros etiam teſtamenta confirmentur L.43 ¶ Ponderatores & monetarij apud Ægyptios, &c.E.13 ¶ Prçponatur nomen imperatoris documentis, & vt Latinis litteris apertius tempora inſcribantur A.C.5.t.2.N.47. ¶ Prodigus quæ ex rebus ipſius ſint facere poſſit L.39 ¶ Purpuræ ſegmenta & particulæ in publicis mercimoniis ſint L.80. ¶ Quæ circa viminacium ſunt Eccleſiæ ſub proprio Archiepiſcopo ſint, &c.A. C.1.t.6.N.11 ¶ Quæ deſunt aduocatis partium iudex ſuppleat C.2.t.11 ¶ Quæ mulier mariti odio abortat, repudiari ab illo poſſit L.31 ¶ Quemadmodum in aliis ſtructuris lege cautum eſt, ita etiam ſubdialium ambulacrorum ſtructuræ, quæ ſolaria appellantur decem pedibus à vicinorum ædificiis diſtent L.113 ¶ Qui alioqui principe ſacerdotio dignus eſt, ſi legitimi illi liberi ſint, non impediatur illud conſequi L.2 ¶ Qui cætera ſecundum ſacros diuinóſque canones Epiſcopali dignitate dignus eſſe probatur ſi liberi, &c. L.2 ¶ Qui iuſiurandum defert, prior de Calumnia iuret L.99 ¶ Qui obligatas ſe habere perhibent res minorum, aut obligati ſunt eis ad eorum gubernationem penitus non accedant, &c. N.72 ¶ Qui reiicere venerandum monaſticæ vitæ habitum in animum induxerit, ac pro, &c.L.8 ¶ Qui ſacerdotes creādi ſunt ſecundum Eccleſiæ ritus, ea lege creentur, &c.L.3 ¶ Qui tertium matrimonium contrahunt, ſacri canonis pœna obnoxij ſint L.90 ¶ Qui viginti annorum eſt, hypodiaconus creari poſſit L.75 ¶ Qui viginti annos habet, hypodiaconus creari poſſit L.16 ¶ Quotieſcunque a clericorum habitu ad protaſorum tranſire, &c.L.7 ¶ Ratio vaſalli priuſquam domini diſcutiatur F.4.t.79 ¶ Reſtitutiones fideicommiſſi vſque ad vnum gradum conſiſtant A.C.9.t.41.N.159 ¶ Salutarem baptiſmum in quocunque ſacro oratorio peragi liceat L.15 ¶ Sententiā iudices in literas referant, &c. L.45 ¶ Si maritus per matrimonij tempus in furorem incidat, intra quinquennium matrimoniū ſolui nequeat L.112 ¶ Sine prohibitione matres debitrices, & creditrices tutelam gerant minorum, &c A.C.7.t.6.N.94 ¶ Si ſponſa ex alio grauida deprehēdatur, ſponſalia reſcindi poſſint L.93 ¶ Si vxor mente capiatur, idque neque dolo mariti, neque ipſo conſcio aliorum maleficio fiat, &c.L.111 ¶ Sponſalitia largitas ſpecialis ſit contractus, & de diuerſis capitulis A. C.9.t.2.N.119 ¶ Sufficiens numerus teſtium teſtamentum ratum faciat, tametſi, &c. L.42 ¶ Tam veterum principum, quàm recentiorum numiſmata modò iuſti ponderis probæque materiæ ſint valeant L.52 ¶ Tertulæ vel domus vel vinea ſanctiſſ. Eccleſiæ Myſiæ, in redēptionem captiuorum, &c.A.C.5.t.20.N.65 ¶ Vaſalli, ſumptibus domini, ſeruitia præſtent F.4.t.107

Vtrubi D.43.t.30

Vulgari: Et pupillari ſubſtitutione D.28.t.6 ¶ Subſtitutione I.2.tit.15

Vxoribus militum, & eorum qui reipub. cauſa abſunt C.2.t.52

FINIS.

Summa priuilegij Cæſaris.

PRIVILEGIO Cæſareæ Maieſtatis cautum eſt, vt ne quis Typographus aut Bibliopola intra Sacri Romani Imperij, regnorúmque & dominiorum hæreditariorum, eiuſdem Maieſtatis, fines, & decem annorum ſpatium, computandorum à die prima editionis Dionyſij Gothofredi I. C. Repetitæ lectionis commentarios, notáſque ad ius ciuile, ad Accurſium & Ciceronem, ſimili aut alio quopiam charactere vel forma, ſiue in toto, ſiue in parte recudere, aut alij recudendos dare, vel alibi etiam impreſſos adducere, vendere diſtraheréve, clàm vel occultè citra voluntatem & conſenſum præfati Gothofredi eiúſve hæredum præſumat, pœna hac conſtituta, vt & dicto Gothofredo, & Typographo, cui dictos libros cudendi curam commiſerit, vel alterutrius hæredibus ac mandatariis, poteſtas ſit, ſuperiores libros, ita deprehenſos propria authoritate, vel magiſtratus illius loci vendicare, vt qui ſecus fecerit quàm hoc priuilegio continetur, omnibus illis libris de facto priuetur: Pœna præterea decem marcharum auri puri Cæſareo fiſco, & dicto Gothofredo, ex æquo pendenda. Datum in arce regia, Pragæ, die xxij. Febr. Anno Domini. M.D.LXXXVIII. Regni Romanorum XIII. Hungarici XVI. Bohemici XIII.

Rudolphus.

Iacobus Curtius à Teuffenau.

Ad mandatum Cæſareæ Maieſtatis proprium.

P. Bernburger.

Extraict du priuilege du Roy.

SA Maieſté a permis & ottroyé à Denis Godeffroy Aduocat, & Profeſſeur en droict, de faire imprimer le Cours ciuil, y ioinct les Gloſſes d'Accurſe auec les annotations, & meliorations que ledict Godeffroy y a nouuellement adiouſtées, par tel Imprimeur, ou Libraire qu'il voudra choiſir, ou eſlire, & ſans qu'autre que ledict ſuppliant ou les ayant droict & pouuoir de luy, le puiſſent imprimer, ou faire imprimer iuſques au terme de dix ans, à compter du iour & datte de l'impreſſion dudict Cours, ſur peine de confiſcation deſdicts liures, & de cinquante eſcus d'amende pour chacun exemplaire. Donné à Paris le 24. Decembre 1588.

Par le Conſeil.

Le Compte.

Digitized by Google

THESAVRVS SELECTARVM SENTENTIARVM ET DICTIONVM IVRIS CIVILIS QVÆ PASSIM IN GLOSSIS ACCVRSII OCCVRrunt, à Petro Broſſeo nobili, & Iuriſconſulto collectus.

Opus iuris ſtudioſis practicis, & Theoricis omnibus vtile & neceſſarium.

Notæ quibus in hoc opere vſi ſumus hæ ſunt. ſignificat,

V. Digeſtum Vetus.
I. Digeſtum Infortiatum.
N. Digeſtum nouum.
C. Codicem.
INST. Inſtitutiones.
A. Authenticorum librum.
F. Feudorum libros.
E. Extrauagantes.

Hæ autem literæ a,b,c, quæ titulis, legibus & paragraphis ſubijciuntur denotant literas initiales ſingularum Gloſſarum Accurſij.

A B

A Iuriſdictione eximere, *l. ſi quis. ff. de iudic.* V. 677.

Ab, pro, ſine quod ſeparationem denotat, *l. ſi ex 12. ff. de duob. reis.* N.1043.e

Abdicare ſe magiſtratu an & quomodo quis poſſit, *l. obligatum 20. ff. de officio præſidis.* V.350.t

Abducere pro manus iniicere, *l. Imperator. 7. ff. qui ſine manu.* N.314.m

Abeſſe videtur quod abfuturum eſt, *l. ſi quis 2. ff. de negotiis geſtis.* V.412.m ¶Id in quo ſumus obligati *leg. huic 15. digeſtis de relig. & ſumpt. fun.* V.1226.q. ¶Etiam ſub conditione. *leg. ſi quis. 28. digeſtis de negotiis geſtis.* V.445. ¶Id in quo ipſi pro aliis fideiuſſimus, *l. ſi tutor. 6. digeſtis de contra tutel.* I.324.b. ¶Qui extra continentia vrbis, *l. ſi ideo. ff. de euictionibus.* V. 2012.z ¶Quod alteri promiſimus, *l. cum poſt. 43. ff. de adminiſt. tutorum.* I.212.q

Abeſſe reipub. cauſa qui dicantur, *l. qui mittuntur. 35. §. octauo. digeſtis ex quibus cauſis maiores.* V.611.p *l. ſermus 211. digeſtis de regulis iuris.* N.1926.g. *l. ſi cui. 28. §. primo. digeſtis ex quibus cauſis maiores.* V.612. ¶Extra prouinciam quis dicatur necne, *l. parui 17. ff. de condictione furt.* V.1578.r ¶In iure quis dicatur. *leg. dies cautioni 5. digeſtis de damno infecto.* N.38.i ¶Ex iuſta cauſa qui dicantur, *l. ſi quidem 1. ff. de fideicommiſſ. libert.* N.235. ¶Mortuus intelligitur, *l. cum quaſi. digeſtis de fideicommiſ. libert.* N. 259.h

Abeſſe deſinere res videtur quæ ita rediit in noſtram poteſtatem vt ne poſſeſſionem eius amittere poſſimus, *leg. mulieris 13. ff. de verborum ſignification.* N. 1083.f ¶Præſumitur iniuſtè qui procul à familia verſatur, *leg. ſi cum vigeſima octaua. §. quinto. ff. de fideicommiſſis libertatib.* N.259.

CONTRA ABESSE NON VIDETVR QVIS, Is cuius parentes vel cognati ſunt præſentes, *l. cum ſumus 11. ff. de agricolis & cenſitis.* 181.a Qui ad tempus abeſt. *l. in ſacris 9. C. de proximis ſacr. ſcri.* 247.d

Abigeus quis ſit, *C. 15. mitiores collat. 4. Nouell. 22. tit. 1. de nup.* A.169.l

Abigei qui dicantur, *l. ſi quis 9. §. 4. Imperator. d. geſtis locati.* V. 1848.d

Abiicientis partum pœna, *l. necare 4. ff. de agnoſcendis & alend. lib.* I.92.o

ablata licet interciderint peti ab eo poſſunt qui abſtulit, *leg. percuſſionem prima. Cod. de iis quæ vi metuſve.* Cod. 407.r

ablatiui caſus in accuſatiuos reſoluuntur. *Authentic. collatione quinta. Nouel. 66. titu. 21. vt facta noua. ſ. ſancimus.* 315.m

Ablatiui abſoluti conditionem inducunt, *l. fideicommiſſa. ff. de legatis 1.* I.983.

abnegatiuè, *l. hæres 19. §. ſecundo proinde. ff. de iudiciis.* V. 684.m

abnoctare quid. *leg. illud [illegible] digeſtis de officio præſidis.*

abnutiuum pro negatione, *l. inter ſtipulantem 83. ff. de verb. oblig.* N. 975.l

abolitio, *l. deſtitiſſe decima, digeſtis de iudiciis.* V.678.m ¶Criminum fit cum cauſæ cognitione. *l. [illegible] torum prima. ff. ad ſenatuſconſultum Tertullianum.* N.1523.n. ¶Specialis peti non poteſt niſi cauſa cognita & aduerſario conſentiente, *l. Imperatore 18. ff. ad ſenatuſconſultum Tertullianum.* N.1532.u. ¶Deſiſtenti neceſſaria eſt etiamſi non teneat accuſatio. *leg. vim paſſam 39. §. 3. præſcriptione. ff. ad legem Iuliam de adulteriis.* N.1474.x

Abolitione non omni receditur ab inſtantia, *l. aut priuatis 1.* N. 1528.c

Abolitionem impetrare, *leg. deſtitiſſe 10. digeſtis de iudiciis.* V. 678.m

abortiuus pro non nato habetur, *l. cum 30. ff. de acquirend. hæred.* I.645.n

Abortiuus partus in quibus proſit, *leg. ſi ventri, digeſtis de priuilegiis creditorum.* In quibus noceat, *l. cum 30. ff. de acquirenda hæred.* I.645.m.

abradere arma alterius ex publico non licet, vt quis ſua arma eo loco ponat, *l. opus 3. digeſtis de oper. pub.* N.1776.

Abraſio in inſtrumento ſeu literis in ſuſpecto & ſubſtantiali loco vitiat, *leg. edicto 3. Cod. de edicto diui Hadriani tollend.* Cod. 1437.a

abbreuiationes quid. *ff. proem. Glo. 2. pag. 50.* haud prohibitæ. Ibidem.

abſciſſe pro indiſtinctè, *l. ſi quis 9. ff. de liberis & poſthumis.* I. 387.n

abſens quis dicatur, *l. non cogendum 43. §. 6. ff. de procurator.* V. 387. k Quot & quibus modis. *l. abſentem 199. ff. de verborum ſignification.* N.150.d. *l. præſens. 5. ff. de procuratorib.* V.356. *ſ. Nou. 119 tit. 2. vt ſponſal. largit. cap. 8. de præſcriptione.* A. 520.g. *l. aliud 174. ff. de verb. ſign.* N.1844.c

Abſens pro eo qui abeſt à iudicio. *l. certum 6. § 3. ff. de confeſſis.* N. 558.f. Habetur pro diſſentiente, *l. præſcriptum 10. ff. de pactis.* V. 273.c. *l. ſi præcedente 58. ff. mandati.* V.1637.t

Abſens an abſoluatur ſi comparuerit, *Authent. collat. quinta. Nouel. 69. titu. 24. vt omnes obediant, cap. 3. ſi verò.* 317.c.

¶Non adrogatur nec adrogat, *l. neque, 24. ff. de adoptionibus. I.* V.109.t. ¶Condemnari poteſt, *l. quod &, 3. §. 14. hoc interd. ff de liber. hom. exib.*

Damnari capitis iure certis caſibus, *titu. primo. quomodo in læſa maieſta.* E.195.d

¶Ex ſtatutis Italiæ propter contumaciam tantum *ibid. l. Dini,*

A

l. de requir. reis. V,1532. l. abſentibus, 5. ff. de pœnis.

¶Dolum committere poteſt, l. prætor, 4. §. 7. ff. vi bonor. rapt. N,1346.m

Recipi poteſt inter reos, l. Miles, 11. §. 2. vſque. ff. ad l. Iul. de adult. N,1448.p

Abſens reipublicæ cauſa abeſſe videtur pro ſua ciuitate, l. cum 30 ff. de acquirenda hereditate. I. 644.c

Excuſatur à tutela ad tempus, l. ſi tutor, 9. ff. de tutelis. I,313.a

¶Recipi poteſt inter reos ſine fraude aut ſine abſentia affectata, l. ſi maritus, 15. §. primo legis Iuliæ, ff. ad legem Iuliam de adulteriis. N,1455.e

¶Fingitur miles at non magiſtratus, §. & ſunt 6. ex quibus cauſis maiores. V,592.f. ¶Reſtituitur, l. abſentia, 182. ff. de regulis iuris. N,1917.c ¶Contra omiſſam appellationem, l. is qui, ff. ex quib. cauſ. maio.

Contra non potest condemnari in cauſis criminalibus tit. quomodo in læſa maieſt. E,134.e ¶ In criminalibus capitalibus, l. abſente. ff. de pœnis. N,1550.y

Abſens eſſe videtur Qvis pupillus præſens præſentem tamen tutorem habens, l. ſi pupillus, 10. ff quibus ex cauſis. N,571.I. ¶ Furioſus, l. cum furioſus, 39. ff. de iudiciis. V,696.o ¶ Qui præſens id non exequitur facit id quod facere tenetur, l. non tantum 51. §. 9. ff. de fideicommiſſ. libert. N,280.

Abſenti reipublicæ cauſa ita ſubuenitur in lucro vt in damno, l. cum 30. ff. de acquir. hered. I,643.d

Abſenti innocentiam excuſare quis poteſt, l. ſeruum, 33. §. 2. ff. de procuratorib. V,370.o

Abſentis amici cum de eius præiudicio tractatur vocãdi ſunt, l. ſi abſens, 6. ff. vbi pupilli educari. I,303.m

Abſentis loco eſt furioſus, l. furioſus, ff. de diuerſis regulis iuris. N,1881.b

Abſentis vice habentur qui in vrbanis caſtris militant, l. ſi maritus. 15. §. 1. legis. ff. ad leg. Iul. de adult.

Abſentis non citati & contumacis differentia vide differentias.

Abſentis contemptus plus facit quam ſi præſens eſſet, l. Sabinus, 28. ff. com. diuid. V,1176.k

Abſenti tutor dari poteſt, l. tutela 1. ff. de tutelis. I,112.x

Abſenti iuramentum remitti poteſt, l. generaliter. C. de rebus credit. 708.e

Abſentium conſenſus non requiritur vbi plures ſunt præſentes. Nou. 120. tit. 3. de alienat. cap. 6. & hoc. A,526.r ¶Domicilium ſola fama & vulgi opinione intelligitur, tit. 1. quom. in læſa maieſt. E,152.c ¶ Reipublicæ cauſa non deterior conditio eſt quàm eorum qui Reipublicæ cauſa abſunt, l. ignorare, 3. titu. de reſtit. mil. Cod. 846.p ¶ Priuilegium extenditur ad eorum vxores, l. temporales, 1. tit. de vxor. milit. C. 470.l

Abſente reo, ſententia quandoque pronunciari poteſt etiam in criminalibus, titu. 1. quomo. in læſ. maieſt. E,156.k

Abſentes quemadmodum citandi, Nouell. 113. tit. 13. ff. de litig. cap. 3. omnem, A. 481.a

¶Commeatum habere debent ſi cauſa ſtudij abſint, l. comperimus, 13. Cod. de prox. ſacr. ſcrin. 152. ¶ Condemnari poſſunt in priuatis & publicis iudiciis, l. abſentem, 5. ff. de pœnis, V,1550.r

¶Dolo vel ſine neceſſitate reſtitui non ſolent, l. ſi quid, 2 titu. de reſtit. mil. C. 467. z l. inter minores, 8. ff. de in integrum reſtit. V. 426.a ¶ Non contumaces tribus caſibus expectandi, l. in cauſa, 12. §. 1. ff. de minoribus vigintiquinque annis. V. 553. ¶ Fiunt vel ex cauſa neceſſaria, vel probabili, vel vtraque, l. ſed etſi, 28. ff. ex quibus cauſis maiores. V,603.d ¶Gerimus vel per nuntium vel per literas, l. ſufficit. 4. §. 1. denique, ff. de ſponſ. V,2104.f ¶Qua actione teneantur, leg. idem priuilegium, 7. ff. de priuileg. cred. N, 585.f

abſentibus bona fide permittitur defenſio cap. 30. noxalibus, titulo quarto, ff. de noxalibus actionibus. V. 1115.a

Abſentibus præſentium priuilegia non dantur, l. comperimus, 15. C. de prox. ſacr. ſcrin. 152.r

abſentia contumacis optimam cauſam habentis de præſentia ſuppletur, l. & poſt, 63. ff. de iudi. V,710.

Abſentia pro præſentia habetur, Nou. 90 titu. 2. de teſtibus, cap. 9. & his. A. 625.a

Fauorabilior ætate, l. denique, 3. §. 4. ff. de minoribus vigintiquinque annis. V,531.h.

Abſentia probabilis ſtudiorum cauſa, Auth. coll. 5. Nou. 56. titu. 11. vt clerici qui reced. 298.u ¶ Plus facit quandoque quàm præſentia cum contradictione, leg. item, 17. §. 7. ff. de recep. arbitr. V, 634.o

¶Excuſat ab omiſſa damni infecti ſtipulatione, l. eorum 19. ff. de damn. infect. N. 75.b

¶Non inducit contradictionem, neque habetur pro contradictione, leg. ſi cum vigeſimaſecunda, §. ſexto. Nec ff. ſoluto matrim. I,30.o

¶ Quæ vaſallum excuſet, à non petenda inueſtitura, intra tempus legitimum. tit. quo tempore miles. F.24.m

Abſentiæ tempus quemadmodum duplicetur, Nouel. 119. titu. 2. vt ſponſal. larg. cap. 8. de præſcriptione. A.519.g

Abſentiam reipublicæ cauſa an & quatenus bona vendi poſſint, l. ignorare 3. tit. de reſtit. milit. C. 468.p

Abſentiarum varia genera, l. inter minores 8. ff. de in integr. reſtit. V. 476.z

abſoluere non poteſt qui non poteſt damnare, l. curatoru 3 ff. de offi. procur. Cæſ. V. 152.r l. qui damnare 3. ff. de re iud. N. 519.a

¶Qui non poteſt, idem nec poteſt condemnare. l. qui damnare 3 ff. de re iud. N. 519.a

Abſoluere quis poteſt, qui damnare non poteſt, l. quoties 3. titu. vbi ſenat. C. 575.h.

Abſoluere poteſt, qui poteſt condemnare. l. qui damnare 3. ff. de re iud. N. 519.a

Abſoluere potius, quàm condemnare quibus caſibus non debeamus, Tit. 28. E. 16.a

Abſoluere creditorem quid, l. & in contraria 37. digeſtis de vſuris. V. 2060.p

abſolui reus debet actore deficiente in probatione. leg. ex ſextante trigeſima. §. latinus. ff. de exceptio. rei iudi. N. 839.f

Abſoluendo ſeu ad abſoluendum, proniores ſemper fuimus, l. creditore 42. ff. de iureiur. V. 1199.l

Abſolui abſens poteſt, titu. primo, quomodo læſ. maieſta. E. 156.g

Abſolui quis poteſt populo irrequiſito, col. 6. Nou. 83. tit. 11. vt clerici qui proprios. §. 2. ſi tamen. A. 386.c

abſolutio facit, tantum quantum condemnatio cum ſolutione, leg. prætor 2. digeſtis vi bonorum raptorum. N. 1341.b

Fit ex æquitate, leg. item 14. §. quinto, ff. quod metus cauſa. V. 492.x

Abſolutio manumittentis prodeſt manumiſſo. l. nulla 10. ff. qui & à quibus. N. 313.d

Abſolutionis cauſam in dubio quærimus, l. factum 197. ff. de regu. iur. N. 1922. e

abſolutus de peculio, de in rem verſo conueniri non poteſt, l. prætor ait 1. §. 10. quæſitum. ff. quan. de pecul. act. V. 1553.b

Abſolutus à toto, abſolutus etiam à parte intelligitur, l. ſi quis 7. ff. de except. rei iud. N. 818.n. l. in toto 103. ff. de regulis iuris. Nou. 1901.b

Abſolutus ex duabus cauſis abſolutus intelligitur, maximè ex ſecunda cauſa, leg. ſi quis 18. digeſtis de exceptione rei iudic. N. 830.i

Abſolutus ſimpliciter cenſetur abſolutus ex cauſa ex qua debeat fieri, leg. ſi quis decimaoctaua, digeſtis de exceptione rei iudis. N. 830.i

¶Ab hæreditate paterna & auita, leg. ſi cum 3. titu. ſi minor. ſe ab hæred. abſt. C. 448.f

¶A malo non ſufficit, ff. lib 1. titu. 1. l. 10. §. 1. n

Abſtinendi beneficium ab hæreditate paterna fratri competit, leg. ſed ſi plures. decima, digeſtis de vulgari & pupillari ſubſtitutione. I. 530.

¶Amittit, qui quid amouet ex hæreditate, leg. ei qui. 12. ff. de acquiren. hered. I. 614.f.

¶Competit neceſſariis hæredibus, leg. more 8. ff. de acquirenda hered. I. 615.a

Abſtinent ſui, repudiant extranei, l. ſi ſeruus. 71. ff. de acquiren. vel omitten. hered. I. 671.u

Abſtinente ſe vno vel pluribus per in integrum reſtitutionem actiones omnes transferuntur, l. quæ 36. ff. de adquirenda vel omittea. hered. I. 689.i

abſumere rem intelligitur, qui eam repudiat, leg. retinente vndecima digeſtis de iure deliberandi. Cod. 1413.b

abſurditas quandoque toleratur, leg. poſſeſſio prima, §. vigeſimo, digeſtis de adquirenda poſſeſſione. Nou. 407.f

¶ Vitanda, Authentica collatione quinta, Nouella ſexageſimaſecunda, titulo decimoſexto, vt immobilibus ante nuptias. 311.d

Abſurdum ſequitur ab abſurdo leg. fructus. 7. §. 1. Papinianus. ff. ſoluto matrim. I. 11.m

Abſurdo vno admiſſo alia conſequuntur. titu. 51. de capitaneo. F. 95.b.

abundantia pro cautela ſeu cautione. leg. ſi pupilli ſexta, §. primo, digeſtis de negotiis geſtis. Vetus 418.r

¶ Nihil adiicitur ſeu fuit, lex ſecunda. titu. pro ſocio. V. 1686.u

Abun-

Digitized by Google

abundant plerunque certæ dictiones in legibus, *l.arboribus 12.ff.de vſufructu*.V.892.c

abundans cautela nihil addit, minuit aut vitiat, *l.pediculis 32.ff.de auro & arg.leg*.I.1176.l

Abundans cautela non nocet, *l.quid tamen 1.§.6.ff.de recep.arb*. V.939.h

abuti non licet nomine eccleſiæ euitandorum canonum cauſa, *l.id ab vnaquaque.C.de autem*.C.29.n

Abuti re ſua an paſſim cuique liceat necne, *l.ſi à bona 11.ff.de rei vindic*.V.836.m

acceptilatio quemadmodum fiat in rei vindicatione, *l.qui cum 5.§.2.ff.de tranſact*.V.323.e

¶Fieri debet ſuper eo vel parte eius quod in ſtipulationem deductum eſt, *l.& per 13.ff.de acceptil*.N.1211.

¶Sub conditione tacita non expreſſa, *l.licet ſoleat 43.ff.de iure dot*.V.2179.q

¶Non extinguitur per contrariam acceptilationem, *leg.ſi vnus 27.§.2.ff.de pactis*.V.286.d

¶Solutionis vim habet, *l.ſi vnus 27.ff.de pactis*.V.284.c

¶Cõditionem poteſt recipere, *l.actus 77.ff.de reg.iur*.N.1892.i

¶ Non quidem expreſſam, *l.ſi pecuniam 5.ff.de conditione cauſa data*.V.1311.c

¶Operari plus non debet, quàm ſolutio, *l.qui 17.ff.de acceptil*. N.1213.f

¶Prodeſt alteri correo ſi vni ſit facta, *leg. liberationem 3. ff.de liber.leg*.I.1286.h

Acceptilatio nocet alteri correo vnius rei credendi, ſiue ſocij ſiue non ſocij, *l.ſi rem 31.ff.de nouat*.N.1127.a

¶Vno reorum liberato, alius per conſequens liberatus intelligitur, *l.nihil 12.§.3.filius.ff.de inoffic.teſtamen*.N.730.u

¶ In perſonam facta ipſam perſonam non egreditur, *l.ſi ex 16.ff.de acceptil*.N.1213.c

¶Valet in obligationis dimidia *l.& per 13.ff de acceptil*.N.1210.

¶Partium omniũ integralium, *l.& per 13.ff.de acceptil*.N.1210.

¶Vitiatur diei adiectione, *l.in diem 6.ff.de acceptil*.N.1206.

Contra, Acceptilatio non valet. ¶ Facta contra bonos mores, *l.& per 13.ff.de acceptil*.N.1211.d

¶Quomodo non teneat, *l.metum 9.§. 7. digeſtis quod metus cauſa*.V.485.e

Acceptilatio debiti amiſſio eſt *l.ſi rem 31.ff.de nouat*. N. 1127. d

Quaſi ſolutio eſt, *l.ſi ex 16.ff.de acceptil*.N.1213.

¶Obligationis diſſolutio verbis facta, *l.ſolutam 49. ff.de ſolut*. N.1161.d

¶Imaginaria ſolutio.*ff.de acceptil*.N.1105.

¶Iurigentium eſt approbatione, *l.an inutilis 12. §. filiusf.ff.de accep*.N.1208.z

¶Inepta concipitur, inter abſentes ſub conditione in diem, *l.an inutilis.8.ff.de accep*.N.1207.c

¶Inutilis vim pacti habet, *l.an inutilis 8.ff.de accep*.N.1207.b.

¶Reſoluitur in pactum, *leg.cum emptor 5. ff. de reſcind.vend*. V. 1286.r

¶Ratione ineptæ conceptionis vim pacti non habet, *l. an inutilis 8.ff.de accept*.N 1207.b

¶Rei ſuper qua interponitur vim pacti habet, non acceptilationis, *leg.an inutilis.8.ff.de ſolut*.N.1207.d *leg.ſi vnus 37.§.9.ff. de pactis*.V.190.f

¶Perſonalis facta fideiuſſori ad reum non porrigitur, *leg.& per 13.ff.de accept*.N.1213.m

Acceptilationis & ſolutionis ſimilitudo, *leg.liberatione 3.ff.de liber.leg*.I.1286.h

accepto ferri, id non poteſt, quòd non eſt, *l.ab omnibus 104.ff.de leg.& fideicom*.I.841.c

¶ Dolus futurus, qui nondum eſt, non poteſt, qui iam commiſſus eſt poteſt, *l.& per 13.ff.de accept*.N.211.d

acetum quemadmodum fiat, *l.in venditionibus 9. tit. de contrahen.emp*.V.1730.o

acceſsio dicitur in vſucapionibus, accedere quoties tẽpus auctoris iungitur ſucceſſori, *l.in vſucapione 18 ff.de diuerſis & temp.præſcript*.N.850.

¶ Non fit non poſſidenti, *l. Pomponius 13. §.3. ff. de adquirenda poſſeſ*.N.429.h

¶ Omnis non eſt vſura, *leg. ſocium 60. digeſtis pro ſocio*. V.1207.

Acceſſio diſcreta, *l.item quæ 6. digeſtis de adquirendo rerum dominio*.N.362.u

¶Pro lucro, *leg. ſi quis 6.ſed & 5. digeſtis communi diuidundo*.V. 1162.m

Acceſſio creditoris pignus vendentis datur emptori etiam ſi debitor inſpecta perſona emptoris ſit inuitus debitori, *leg. de acceſſionibus 14. digeſtis de diuerſis temporibus præſcript*. N. 848.

¶Teſtatoris competit hæredi. *l. de acceſſionibus 14. ff.de diuerſis temp.præſcrip*.N.848.

¶Venditoris competit emptori, *l.de acceſſionibus 14.ff.de diuerſis temp.præſcrip*.N.848.

¶Fundo fit diuina & humana ſimul natura operante *leg.quæ ratione nouæ. digeſtis de adquirendo rerum dominio*. Nou. 367.c

Acceſſio obligationis pro adiecta perſona, *l.obligationum 44.ff. de oblig.& action*.N 905.d

Acceſſione vtimur auctoris cum ſua cauſa & vitij, *l. an vitium 5.ff.de diuer.temp.præſcrip*.N.843.e

Acceſſione vxoris maritus vel contra mariti vxor vtitur, *leg. Pomponius decimatertia, §. quinto. ff. de adquirenda poſſeſſione*. N. 424.o

Acceſſionis voce continetur etiam mandatum, *l. ex perſona. 31 ff.de fide.& mand*.N.1087.l

Acceſſionis datur actio, *leg. ſocium ſexageſima, titu. pro ſocio*. V. 1701.i

Acceſſiones ciuiles, vſuræ, naturales, fructus. *l. quod 8.ff.de condi cauſ.data*.V.1316.i

Acceſſiones naturales veniunt indebiti condictione, *l.in ſumma 65.§.11.qui ff.de cond.indeb*.V.1366.

Acceſſus pro itinere, *l.gaurus 10.ff.de ſeruitu. urbanor. præd*. V.981.c

Acceſſor pro fideiuſſore, *l. ſi ſeruum 91. §. & nunc uidendum.ff.de verbo.oblig*.N.988.a

Acceſſor pro mandatore, *l.ſi ſeruum 91.§.5.an filiusfa. ff. de verbor. oblig*.N.528.l

Acceſſorio non confirmatur principale, *l. nam 2. §.14. de pecul. leg*.I.1198.l

Acceſſoria rei venditæ an æquè ſana præſtanda, vt ea quæ principaliter vendita. *l.ſi ſeruum 54. tit. de act emp.& vend*.V.1845.c

Acceſſoria rei rem venditam conſequi debent *l.ſi heres 5.titu.de act.emp*.V.1807.d

Acceſſoria rerum principalium ſi non naturam habent, iure tamen eodem finiuntur. *l.ait prætor.1.§.6.ait prætor ff.naut.caup.ſtab*.V.663.a

Acceſſoria expreſſim accedant an ſub vniuerſitatis appellatione multum intereſt, *leg.cum eiuſdem 34.titu. de ædilitio edicto*. V.1982.r

Acceſſoria non durant ſublato principali. *l.quod 7.ff.de compenſ*. V.1597.d

Acceſſoria interdum remanent deficiente principali. *l.ſi fideiuſſor 16.ff.de fide.& Mand*.N.1078.g

Acceſſoria non poſſunt eſſe ſine principali, *l. Marcellus 15.ff.de fide.& mand*.N.1085.d

Acceſſoria non præſtat qui principali nomine non tenetur. *l. Iulianus 9.§.7.ff.ad exhib*.V.1106.l

Acceſſoria tolluntur ſublato principali. *l.ſi creditor 21.ff.de nouat*. N.1120.

Acceſſionum naturalium & ciuilium ſimilitudo, *l.fructus 7.§.1. Papinianus.ff.ſolut.matrim*.I.11.v

Acceſſorium principale non rumpit. *leg. ſi quis 16.ff.de vulga.& pup.ſubſtit*.I.536.o

Acceſſorium cedit ſuo principali. *l. cum 28.ff.de auro & arg.leg*. I.1272.

Acceſſorium principali extincto durare poteſt æquitate prætoria. *l.pater 15.ff.de caſtr.pecul*.N.1700.h

Acceſſorium extinguitur & differtur extincto vel deleto principali. *l.nam 2.ff.de pecul.legat*.I.1198.m

Acceſſorium ſine principali eſſe non poteſt. *l.ſi ſtichum 38.ff.de fideiuſſor*.N.1090.l

Acceſſorium non tenet ſi principale non tenet. *leg.ſi quis 17.§.1. ff.de adquir.poſſ*.N.427.c

Acceſſorium non ſequitur reum principalem vbi in acceſſorio non eſt eadem ratio *leg.prædiorum decima. digeſtis de prædiis*. C.1254.m

Acceſſorium ſequitur cauſam ſui principalis *l. item 9. ff. de vſufructu*.V.884.i

Acceſſorium qua ratione ſine ſuo principali eſſe poſſit. *l. vtrique 16.ff.de rei vindic*.V.832.q

Acceſſorium valet ratione principalis validi, *l.item 6.ff.de ſtipu. ſeruo*.N.1053.e

Acceſſorium vnum trahit ad ſe aliud. *l. qui fundum 40. tit.de contrahen.emp*.V.1742.r

Acceſſorio redhibito non redhibetur principale, niſi propter ornamenta. *leg. cum eiuſdem 34. titu. de ædilitio edicto*. V. 1982.r

Acceſſorio vitiato non vitiatur principale. *l.repeti 5.ff.quibus modis vſusfruct*.V.933.x

Acceſſoriis ea veniunt & in acceſſoriis ea præſtantur quæ in re principali. *leg. quod ſi nolit 31. digeſtis de ædilitio edicto*.V. 1981.b

Acceſſoriè quædam veniunt quæ principaliter non veniunt. *l. ex qua.e.tit fami.erciſ*.C.662.n

Digitized by Google

Accidens interdũ magis inſpicitur quàm natura, *l.hunc. tit.1.§.6.ff.de pollut.*V.331.k naturam rei nõ mutat, *l.naturalem 5.§.5 ff.de acq.rer.dom.*N.361 m. ¶Non mutat ſubiectum *l.ſed ſi 26.§.2 ff.de acq.rer.do.*N 377 h ¶Origini interdum præfertur, *ff.lib.1.tit.2.l.2.§.4* y

Accipere pecuniam mutuam, *l.ſi quis 8.digeſtis de iudiciis.* V.678

Accipere & recipere diuerſa, *leg.cum quis 1.ff. de dote prælegata.* I.1141 o

accipere pro effectu retinere, *l.ex facto 43.§.3 Iulian. ff.de vulg.& pupil.ſubſti.*I.563 g

Acclamationis publicæ breuis formula, *l.qui ex 1.C. de quæſtio.*123 g

Accuſare alium qui dignus accuſatione ſit nemo debet, *l.11.ff.de publ.iud.*N.1413

Accuſare mulieri an & quando permittatur, *l.non eſt 1.ff.de accuſat.*N.1418 l

Accuſare qui alios non poſſunt ſine pœna, *tit.24.quæ fuit prima cauſ.*Q.57 h

Accuſare criminaliter, *leg.conueniſſe 2.§.5 item ſi. ff.de iudiciis.* V. 675

accuſare poteſt damnatus non amiſſa vel fama vel ciuitate, *l.is qui 5 ff.de public iud.*N.1413 b

Accuſare adulterij vxorem conſtante matrimonio an & quo iure poſſit vel non poſſit maritus, *l.miles 11.§.10 volenti. ff.ad l.Iul.de adul.*N.1449 k

accuſare adulterij iure nouo vxorem maritus poteſt conſtante matrimonio, *l.miles 11.§.10 volenti. ff.ad leg.Iul.de adulteriis.* N.1456 k

accuſare adulterij vxorem maritus prius poteſt, deinde eam repudiare, *Nouel.117.tit.15.vt liceat matri & auiæ,cap.8 quia verò.* A.503 h

accuſare an & quando mulier poſſit, *leg.cum 1.titul.de negot.geſt.* C.298 h

accuſare libertum patronus poteſt, *l.ſi quis 30.§.3.ff.qui & à quibus.*N.316 u

accuſare interdum poſſumus perſonas minus legitimas vt ſeruos & minores, *l.in omnibus 1.tit.de iuretur.*B.492 t

accuſare quilibet poteſt qui non prohibetur, *l.qui accuſare 8.ff. de accuſat.* N.1423 t

accuſare pro agere ciuiliter, *l.viro 39.ff.ſol.matr.*I.467

accuſare eſt laudabile, *cap.11 ſicut.titul.7. de non alien.permitt. Authent.*81 l

accuſare ſuos patronos liberti an & quando poſſunt, *l.hi tamẽ. §.1.liberi.ff.de accuſ.*N.1425 t

accuſare qui iure non poſſint, *leg.qui accuſare 8.ff.de accuſat.* N. 1423 f

accuſare quis ex eadem etiam cauſa decem poteſt eodem tẽpore, dummodo id faciat diuerſis libellis, *l.inter liberas 6.§.3. maritus.ff.ad l.Iul.de adul.*N.1446 f

accuſare non poteſt infamis, *leg.accuſator 5.de præuaricatione.*N. 1400 c

¶Magiſtratus non poteſt conſtante magiſtratu, *l. qui accuſare 8. ff.de accuſ.*N.1424 f

¶Minor non poteſt de adulterio, licèt in aliquibus accuſationibus admittatur, *l.ſi maritus 15.§.6.lex Iulia.ff.ad l.Iul.de adulter.*N.1456 ¶Seruus niſi certis caſibus *l.Stichum 30.§.3.ff.de ſtatulibe.*N.309 h ¶Tutor nomine pupilli licèt ſit eius adminiſtrator, *l.inter liberas 6.§.2.ſimul ſimilitas.ff.ad leg.Iul.de adulte.* N.1446 o

accuſari poteſt abſens, ſic tamen vt aduerſus eum non procedatur, *l.ſi maritus 15.§.1.legis. ff.ad leg.Iul.de adul.*N.1455 e ¶Poſt mortem quis illicitæ mercis poteſt, *l. diuin.ff.de his quæ vt indignis.*I.1365 ¶Apud delegatum an & quatenus poſſit, *l.15.§.ſolent 6.ff.de off.procon.*237 b

Accuſari de capitali crimine ſeruus an poſſit, *l.ille ſeruus 9 ff.qui & à quibus.*N.318 f

accuſari in eodem libello poſſunt mandans delictum vt & mandatarius, *l.24.ff.ad l.Corn.de falſ.*N.1505

accuſans condemnare videtur, *l.ſi filium 37.ff.de libe.cauſ.* C.1618 a ¶Criminaliter reconueniri non poteſt ciuiliter, *l.rerum.ff.de actio.rer.amot.* I.84.n ¶Re obligari poteſt ad pœnam ſi ab accuſatore deſiſtat, *l.procurator 3.titul. ubi cauſa.*C.578 o

¶De crimine quolibet debet libellum formare, *leg.ſi cui.§.1. cauens.ff.de accuſat.*N.1423 o ¶Criminis, *Auth.colla.5.Nou.69. tit.24.vt omn.obed.cap.4* H.327 a

accuſatus Ex vno crimine an & quatenus ab eodem accuſari poſſit de eodẽ crimine, *l.ſenatus 14. ff.de accuſ.*N.1428 r

¶In ſua accuſatione temerè vagari non debet, *l. ſi item 16.ff. de dolo.*V.518 y

¶Quemadmodum cuſtodiri debeat. *l.de cuſtodia 1. ff.de cuſtod. reor.*N.1431.

Accuſati manumittere an etiam alienare poſſint, *leg.qui pœnæ 8 ff.de manumiſ.*N.198

Accuſator pro actore, *Auth.col.5.Nou.69.titul.78. vt omnes obed.cap.3.ſi verò* 327 b

¶Duorum, cur tertium accuſare non poſſit, *l.qui accuſare 8.ff. de accuſ.*N.1424 f Etiam poſt mortem rei perſequi debet, *l.in ſenatus 15.ff.ad ſenatuſconſ.*N.1531 e

¶Domini vaſallus pœnitere poteſt vſque ad ſententiam, *tit. 24.quæ fuit prima cauſ.*F.57 t

Accuſator incidit in Turpillianum quãdocunq; deſiſtat ab accuſatione, *l.ab accuſatione 6.ff.ad ſenatuſc.*N.1527 b

Accuſator domini vaſallus quibus caſibus feudum non amittat, *tit.24.quæ fuit prima cauſ.*F.57 a

Accuſatore & actore nõ probante reus abſoluitur niſi certis caſibus, *l.qui 4.tit.de edendo.*C.288.i

¶Deſiſtente vel mortuo in criminalibus iudex iudicare poteſt, *tit.1.quem in laſ.maieſt.*E.155 c.

Accuſatoris vtrum ſit eligere criminalem vel ciuilem cauſam, *l.qui cum 5 §.2.ſi deos.ff.ad l.Iul.de vi pub.*N 1477 i

Accuſatio quid. *ff.de accuſ.*N.1418. ¶Criminalis eſſe poteſt falſa pondera habentis, *l.arbitrio 18.§.3.ff. de dolo.*V.521 o ¶Calumnioſa quæ interdum permittitur, *l. in omnibus 1.C.de iureiuran.*C.481 f ¶Priuata, *l.ſi quis.ff.de priua. delic.*N.1266. ¶Publica quæ non permittatur fœminis, *l.poteſt 1.ff.de off.eiꝰ.præf.*Cod.167 o. *l.ſi præſes.32.ff.de pœnis.*N.1568

Accuſatio criminalis, *l.ſi de vi 37.ff.de iud.*V.694

¶Prius debet expediri quàm quæſtio ciuilis de proprietate, *l.ſidem 37.ff.de iudic.*V.694 ¶Et inquiſitio an forma differant, *tit.quomodo in laſ.maieſt.*E.176 d ¶Accuſatio & teſtatio à pari procedunt, *l.libellorum 4.ff.de accuſat.*N.1421 e ¶Non eſt querela inofficioſi, *leg.poſthumum 6.§.1.ff.de inofficioſo teſtamento.* V. 719 i

¶Quandoque contra heredes inchoari debet, *l.publica 19 ff. ad legem Iuliam pec.*N.1517 i ¶Sine libello fieri non poteſt, *tit. quomodo in laſ. maieſt.* E.135 c ¶Cœpta ab vno & omiſſa poteſt per alium exerceri & perfici, *l.conſtante 26.ff. ad leg.Iul.de adult.*N.1463

¶Proponenda ſolẽniter in criminibus legitimis, *l.hac clauſula 2.ff.de ſuſpect.tut.& cur.*I.235

Accuſatio adulterij gratis remitti poteſt. *Nou.117.tit.18. vt liceat matri & auiæ.cap.15.hic quoque.*A.509 i

Accuſationis deſertæ pœna eſt quinque librarum auri, *l.procurator.3.ti.ob.1.cauſam.*C.578 o ¶Similitudo differentia & ſimilitudo, vide differ.& ſimil.

Accuſationem peragere debet non ſolũ accuſator, & inſtigator, *leg.in ſenatus 15.ff.ad ſenatuſconſ.*N.1530

Acta quæ dicantur, *l.non eſt 1.tit.de ſatiſd.*C.483 e. *l.ſupplicare 2. tit.vt lite pendente.*C.141 b

Acta ſcripturæ apud iudicem factæ, *l.acta 45.ff.de re iudic.*N. 545 h

Acta in iudicio facta extra iudicium, *l.de curatore 2.§.1.ff.de cura.bon.dan.*N.603 3

Acta & geſta, *Auth.coll.5.tit.2.Nou 48.l.vt proponat. nom.*168. a ¶Latius patent quàm geſta, *l.quæ acta 1. ff. de off. procon. Caſ.*V.151 a

Acta in quibus verſatur magnum periculum, confeſſiones & teſtimonia publicata, *tit.de pace Conſtantiæ.*E.179 b

Acta in quibus non verſatur magnum periculum, quæ *tit.de pace Conſtantiæ.*E.179 b ¶Scripta probari teſtibus poſſunt, *l.ſi prætor 75.§.1.Marcellus.ff.de iudic.*V.712 y

Acta iudicialia fiunt in ſcriptis, *Auth.col.6.Nou.82.tit.11.de iudicib.cap.5.Audient.*377 d

¶Publica omnia quæ facta coram iudice, *l.is apud 2.tit.edend.* C.285

¶Edi debent cũ die & conſule: aliud in priuatis inſtrumentis, *l.ſupplicare 2.tit.vt lite pendente.*C.140

Acta edi quemadmodum debeant, *l.quæ quiſque 1.§.2.ff.de edend.* V.243 c

Acta facta in vno iudicio fidem non faciunt in alio, niſi certis caſibus, *l.is apud 2.tit.de edendo.*C.985 a *l.cum 5.tit.de recep.arbi.* C.488

¶Inter alios aliis non præiudicant, *l.idem 11.ff.de iureiurando.* V.1179 e *leg.denuntiaſſe 17.§.6 quæritur.ff.ad legem Iuliam de adulteriis.*V.1458 y *l.nam 10 ff.de iureiurando.*V.1177 m. *l.poſthumus 6.ff.de inoff. teſtam.* V.718 p. *l.& quia 6.ff. de interrog.action.* V.1194 i

Acta priora pereunt ſeu vim ſuã amittunt perempta ſententia. *l.cum 2.ff.iud.ſol.*N.1130 i

Actio anomala, *l. hac actio 14. ff. de eden.* V.459 u in 378. *l. non poteſt 23. ff. de iud.* V.687 *l. ſi debitori 21. ff. de iudi.* V.686 o ¶ Præiudicialis, *ff. de excep.* N.807 ¶ Præſens, *l. non quemadmodum. ff. de iud.* V.693 c ¶ Temporalis, *l. Proculus 18. ff. de neg. geſt.* V.438 o

Actio ad præſtandam patientiam, *l. poſt vendit. 16. ff. de aqua pluuia arcend.* N.129 c

Ad ſupplementum *l. ſiendum 1. ff. de inoffi. teſta.* V.715 i

¶ Dicitur perſecutio iudicialis, *l. nihil 51. ff. de obligat. & action.* V.908 a

¶ Eſt formula iuris agendi apud iudicem *ff. de oblig. & act.* N.882 a ¶ Ius perſequendi, *l. 1. ſumma. §. 2. ff. de rerum diuiſ.* V.215 g

¶ Rem ſuam vel ſibi debitam, *ff. de oblig. & act.* N.882

¶ Olim erat verborum ſolennitas imperata, *l. quod quis 50. ff. de oblig. & act.* ¶ Non eſt querela inofficioſi, *l. Papinianus 8. ff. de inoffic. teſta.* V.721 ¶ Propriè non dicitur quæ non naſcitur ex obligatione, *l. obliga. 1. ff. de oblig. & act.* N.864 b

Actio pro ACTV legitimo, *Auth. col. 6. Nouell. 11. tit. 10.* A.371 *l. pro emp. 2. §. 8. ff. pro empt.* N.493 *1. l. quæſitum eſt 34. ff. de adopt.* V.118 f

¶ Accuſatione, *l. prætor ait 1. ff. vi bon. rapt.* N.1341 c

¶ Adæquatione, *l. qui grauatus 5. C. de ſenſib.* 173 t

¶ Adminiſtratione, *l. hac ratio 3. ff. de donat. inter virum & uxor.* V 280

¶ Auxilio, *l. in cauſa 16. ff. de minorib. 25. annis.* V.555 b

¶ Condemnatione ſeu eius effectu & exercitio, *l. ſi finita 15. ff. de damno infect.* N.66 d

¶ Inſtantia petendi, quæ ſit propoſita actione, *l. non ſolum 7. ff. de liber. leg.* I.1293 d

¶ Legato ex teſtamento ad pias cauſas, *cap. 8 ſtudium. col. 3. Nouell. 98. tit. 5. de triente & ſemiſſe.* A.151 e

¶ Obligatione, quæ eſt actionis cauſa, *l. vtrum 63. ff. pro ſocio.* V 1712 k ¶ Rei vendicatione, *l. non alias 2. §. ſed & ſi. ff. de iud.* V.688 g

¶ Replicatione, *l. ſi cuius 10. § 1. ff. de dolo.* V.523 b *l. verbum. ff. de verb. ſignif.* N.1081 t ¶ Suſpecti accuſatione, *l. certum 1. C. ſi tutor vel curator.* C.1224 r. ſ

Actio legis pro actu legitimo, *l. magiſtratu 41. ff. de adoptionib.* V. 101 e

Actio annalis eſt regulariter contra prohibentem, *l. ſi quis. §. 3. ff. de damno infect.* N.67 i ¶ Arbitraria cur dicatur, *l. qui 2. C. vbi conueniatur qui.* C.565 b ¶ Nomen proprium non habet, ſed qualitas eſt potius, *l. in bonæ fidei 7. §. 2. ſi tamen. ff. de eo quod certo loco.* ¶ Caluiſiana quæ ſimul cum alia datur, *l. Diuus 16. §. 5. Id ff. de petit. hered.* V.763 n ¶ Calumniæ infamat, *l. in eum 1. ff. de calum.* V.466

¶ Mouenda intra annum vtilem, *l. in eum 1. ff. de calumn.* V.466 m. non datur in parentes & patronos, *l. in eum 1 ff. de calumn.* V.466 i

¶ Ciuilis, *l. ſi ſeruus 27. §. ſi quis. ff. ad l. Aquil.* V.174 k

¶ Prætoria dici poteſt ratione extenſionis, *l. poſſeſſio 1. §. 1. ff. de acquir. poſſeſſ.* N. 402 d non conſtituitur eorum nomine quæ æſtimationem non recipiunt, *l. cum 14. §. 12. quod ſi. ff. de furtu.* N.1274 m non naſcitur ex obligatione naturali, *l. præſes 1. ff. de extraord. cognit.* N.1790 n

¶ Criminalis quæ non tollit criminalem, *l. quicquid 1. C. de ſupell.* 35 n *l. ſi quis 3 ff. de priuatis delict.*

¶ Prætoria dici poteſt, *l. ſi ut certo. 5. §. 15. ſi duobus. ff. commodati.* V.1413 a

Actio confeſſoria, *l. inde 23. §. ſi infans. ff. ad legem Aquiliam.* V. 168 y

¶ Dicitur vtilis eâq; deſcendit & oritur ex confeſſione iudicati, *l. inde 25. §. 8. ff. ad l. Aquil.* V.169 y

Actio cumulata non poteſt ante principalem proponi, *l. ſi cum 16. ff. de tut. & rat.* I.316 z ¶ De effuſis & eiectis an & quatenus perpetua, *l. ſi verò 5. ff. de his qui effud. vel eiec.* V.175 m

¶ Directa pro ea quæ ſolenniter datur, *l. actio 47. ff. de negotiis geſtis.* V.464 *l. venit ex verbis & mente legis, l. actio 47. ff. de negotiis geſtis.* V.464 l

¶ Eadem eſt in ſubſtantia vtili, licèt diuerſa ſit qualitate, *l. ſi ſcripti 9. C. de petit. hered.* C.621 o

¶ Aquiri non poteſt per liberam perſonam *l. quod procurator 69. ff. de procur.* V.399 f

¶ Non datur continuo ex facto ſimili, *l. nec vllam 13. ff. de her. pet.* V.760 u

¶ Non quæritur ex alterius pacto niſi ceſſa ſit, *l. poſſeſſio 49. §. 1. ff. de acq. poſſ.* 12.450 r

Actio ex delicto datur ad intereſſe, *l. euicta 70 ff. de euict.* V.1834. m *l. ſi fine. C. de vendit. ser. ciuit.* 149 g non datur in hæredes niſi lite conteſtata aduerſus defunctum, *leg. cum eo 57. ff. de Iud.* V. 705 a

¶ Origine Iuris eſt gentium: formula iuris ciuilis: *l. cum 8. ff. de cap. minut.* V.589 d

¶ Bonæ fidei eſt, *l. huiuſmodi 84. ff. de legatis & fideicommiſſis 1.* I. 816 o

Actio empti non eſt arbitraria, *l. ſi res 1. ff. de act. emp.* V.1082 k

¶ Ex iudicato competens, an iudicati, an in factum appellari debeat, *l. actori 8. C. de reb. cred.* 703 g

¶ Ex quaſi delicto an, & ex quibus caſibus detur, *l. debet 6. §. 3. in factum. ff. nautæ, caupones.* 668 n

¶ Extincta regulariter reuiuiſcit, *l. venditor 1. §. 19. & ſi ſeruitutes. ff. de hered. vel act. vend.* V.1777 c

CONTRA NON POTEST ſuſcitari: *l. pupilli 96. §. 1. cum eodem ff. de ſolut.* N.1194 niſi ſub iuſta cauſa, *l. qui res 98. §. 8. Aream. ff. de ſolut.* N.1200

Actio, Ex ſtipulatu pro Actione incerti vel certi, *l. cum a. Cod. de tranſact.* C.318 n

¶ Dotis, *l. rem. ff. de rei vxoriæ actione,* I.1093 r quæ datur ad certa ibid. ¶ Pœnalis non tollitur ex actione ſequuta per actionem ex vendito ope exceptionis, *l. prædia 28. ff. de actio. empti.* V.1831 y

Actio ex teſtamento, *leg. quod legatur 38. ff. de iudiciis.* V.693 b bonæ fidei eſt, *l. in fideicommiſſi 1. §. 1. in his ff. de vſuris.* 1043 h ſtricti iuris licèt habeat ſimilia aliqua cum bonæ fidei iudiciis, *l. ſi fidei, ff. de legat. & fideicom.* 1.849

Actio ex teſtamento datur in duplum, licèt ſit ex quaſi contractu, *l. ſi quis 5. §. 1. l. Tutelæ, ff. de oblig. & act.* N.838 p pro his quæ in teſtamento relicta, *l. teſtamen. ff. qui teſtam. facere poſſunt.* F.364 g CONTRA NON DATVR. In legatarium, niſi agnito legato, *l. Imperator 70. ff. de legatis & fideicommiſſis 1.* 921 a. *l. ſi legatarius 8 ibidem.* I.960 h ſi ruptum ſit, *l. his verbis 28. ff. de adoption.* V.107 k

Actio famoſa in patrem dari non poteſt, *l. dolum 6. C. de dolo malo* 416

Actio generalis ſpecialem non excludit. *l. hoc edicto 1. ff. de dolo* V.504 b

Actio glandis legendæ ciuilis eſt præter interdictum, *ff. de glande legenda,* N.772 l

Actio de hereditatis petitione, *l. ordinarii 1. ff. de poſſeſſoria heredit. pet.* V. 818.

Actio iam nata, quibus caſibus collatur variis voluntate, *l. Pomponius. ff. de negotiis geſtis.* V.428 g

¶ Inanis quã inopia debitoris excludit, *l. hoc edicto 1. ff. ſi ventris nomine mulier* 1.106 b

¶ Incerti & hæc variis modis dicitur, *leg. cum quis 3. ff. ſi quis in ius vocatus.* V.296 k *l. 1. ibid.*

Actio de in rem verſo non eſt proprium nomen actionis, *l. & ideo 3. § 3. illud. ff. de in rem verſo.* V.1561 f

¶ Dari vbi debeat & poſſit. *l. ſiue hereditaria 22. ff. de negotiis geſtis.* V.442 *l. in quem l. ſeruus 17. §. cum Sticho 1. ff. de in rem verſo.* V. 1567 g

Locum habet regulariter quibus caſibus datur in aliquem mandati aut negociorum geſtorum actio, *l. quod ſi 3. §. regulariter 2. ff. de in rem verſo.* V.1559. & *l. ſeruus 17. §. 1. cum Sticho. ff. de in rem verſo.* V.1567 g

¶ Naſci poteſt ex pacto & quidem tacito, *l. cum in C. de donat.* 1012 f

¶ Patet latius quàm de peculio, *leg. ſi hi. §. 1. nec videtur. ff. de in rem verſo.* V.1455 a

Actio natiua, *l. ſolent. ff. de praeſcrip. verb.* V.1806

Actio negatoria vbi & quando locum habeat, *ff. lib. 36. tit. 1. l. 1. §. 17* n *l. quemadmodum 29. ff. ad l. Aquil.* V.1976 p

¶ Nulla quæ nomine defuncti ſuſcipitur. *l. de quare 74. § 2. cum abſente. ff. de iudic.* V.710 f

¶ Perpetuata hæredibus datur & in hæredes, *l. ſi cum 9. § 2. ff. ſi quis cautio.* V.1292 f

Actio pecuniæ conſtitutæ quæſita per hæredem vel hæreditatis poſſeſſorem cedenda eſt fideicõmiſſario vel euincenti, *l. ſi poſt, ff. de conſtituta pecu.* V.143 b

Actio perſecutoria alia aliam tollere poteſt, *l. ancilla 17. C. de furt.* C.1278 n

Actio perſonalis ex eo dicitur quod nunquam perſonam obligati egrediatur, *l. actionum 25. ff. de oblig. & act.* N.807 ¶ Dicitur conditio, *l. dedi 3. ff. de condict. cauſa data.* V.1308 u

Actio perſonalis competit. PRO QVIBVS, pro vſufructu, *l. interruptionem 16. C. de vſufructu & habit.* C.647 l

¶ QVOMODO sit. ex teſtamento, *l. pater 20. ff. de exceptione rei iudicatæ.* N.839 a

¶ Datur ad poſſeſſionem, *l. indebiti 15. ff. de cond. indeb.* V.1335

¶ Aduerſus poſſidentem, *l. actione, ff. pro ſocio,* V.1717

¶ Latius patet quàm hypothecaria, *l. ſi fideicommiſſum 50. §. ſi tractum. ff. de iudiciis.* V.701 b

¶ Reſpicit vniuerſum patrimonium, *ibid.*

¶ Tranſit ad vniuerſalem ſucceſſorem, *l. ob id 23. ff. ad leg. Aquil.* V.1086 m

l. ob id 23. ff. ad legem Aquiliam, V.1086 m

¶ Non ſequitur particularem poſſeſſorem, *leg. Titius 71. tit. de contrahenda emptione.* V. 1759 b quæ datur aduerſus menſores

quodammodo pœnalis eſt, l. ſi duobus 3.§5. hæc actionem. ff. ſi menſ. fal. mod. V.1226 ſ ¶Non tollitur per rei perſecutoriam, l. ſi vulneraueris 43. tit. locati condu. V.1874 r

¶Pœnalis vna an & quando aliam tollat, l. nunquam 60. ff. de oblig. & act. 912. l. Ancillas 13. ff. de furt. C.1278 n edict. 1989

¶Prætoria qualibet etiam per procuratorem nobis adquiri poteſt, l. in cauſa 27.§1. ff. de procur. V.365 m

Publiciana cui datur, ei datur & communi diuidundo: l. fundi 18. ff. de except. N.814 t

¶Publiciana quatenus perpetua, l. ſed exhib. H.13.§4. ff. de publican. N.145 o ¶In ſucceſſorem quatenus detur, l. ſed & hi 13.§4. ff. de publicana. N.145 p ¶Rationibus diſtrahendis non tollit actionem furti, l. actione 2. ff. de tut. & rat. 310 t

¶Redhibitoria ſemeſtri finitur, l. diuortio 35.§1. ff. de neg. geſt. V.456 a ¶Rei perſecutoria aliam etiam tollit, l. ſi vulneraueris 43. tit. locati conduct. 1874 r ¶Recepto nautarum & ſimiliũ in factum eſt, l. ait prætor 1. ff. naut. caup. ſtab. V.462 d

¶In rem competit ſuperficiariis, l. tutor 16.§2. etiam vectigale. ff. de pig. act. V.1431 n ¶Strictè ſumpta non complectitur hypothecarias & in rem vtiles, l. ſi à bene 21. ff. de rei vin. V.816 t

¶Reſciſſoria pro veteri actione & prima, l. vt mihi 21.§1. ff. de donat. N.165

¶Competit data reſtitutione in integrum, l. ab hoſtib. 15.§3. ff. ex qui. cau. maio. V.596 k ¶Reſtituta perpetuatur per reſtitutionem, l. quoties 34.§4. ſi quis. ff. de ſolut. N.1154 t

¶Reuocatoria daſ etiã in ſubſidiũ, l. ait prætor 10.§1. ff. quæ in frau. cre. N.613 b ¶Recepto nautarum arbitraria non eſt, l. ait prætor 1. ff. nau. caup. ſtab. V.662 d ¶Si pars hereditatis petatur non eſt alia ab actione ſeu petitione hereditatis, ſed vna & eadem, ſeu non differt à ſuperiori ſpecie, ſed numero, l. poſt actionem. tit. 4. de here pet. V.808 ¶Subrogata per legem in locum actionis temporalis eſt perpetua, l. quod debitori 24. ff. de mort. cauſ. donat. N.182 l ¶Non ſemper eiuſdem naturæ cuius principalis, l. item verba 18.§2. quod adiicitur ff. de conſt. pecun. V.1401 o ¶Subſtituta an eãdem vim habeat ac ea in cuius locum ſubſtituitur, l. eum qui 30 ff. de iureiur. V.1291 b

¶Tigni iuncti datur ad duplũ aduerſus malæ nõ bonæ fidei poſſeſſorem, l. in rem 23.§5. item. ff. de rei vind. V.839 g ¶Vẽdita actione quæ competãt, l. obligationes 1 ff. de obli. & act. N.883 b

¶Vectigalis ſeu de fundo vectigali, l. agri 1. ff. ſi ager vectig. V.879 ¶Viæ reiectæ, l. ſi in agrum 3. ff. de via publ. V.662 ſ

¶Vna an per aliam tollatur, l. rem 45. tit. pro ſocio. V.1696 l

¶Vnius partis tantùm voluntate naſci non debet, l. Pomponius 9. ff. de neg. geſt. V.418 c

¶Stadium eſt octaua pars milliarij, conſtans paſſibus 125. hoc primum Herculem ſtatuiſſe ferunt, cùmque hoc ſpatio determinaſſe, quod ipſe ſub vno ſpiritu confeciſſet, ac proinde, an ſtadium appellaſſet, quod in fine reſpiraſſet, ſimul ſtetiſſet. Vnde autem dicta ſint ſtadia, declarat hic *Gloſſa.*

An Vniuerſitas plurium vel ſingulorum ſit, & cur, tradit hic Bald.

An ſi vnus de vniuerſitate eſt condemnatus, executio fieri poſſit in bonis vniuerſitatis, latè tradit Baldus *in l. etiam. C. de execut. rei iud.*

¶An vnus collegio poſſit eſſe teſtis in cauſa collegij, faciunt ea quæ tradit Baldus *in l. ſed etſi hoc. §. qui manumittitur. D. de in ius voc.* Cynus *in l. parentes. C. de teſtib.*

§.Vniuerſitatis.1.

An teſtis vniuerſitatis poſſit eſſe teſtis in cauſa vniuerſitatis, adde Bald. conſ. 339. 352. & 370. vide etiam Lanfra. in praxi *c. 8. nu. 70.* Bart. *in l. omnib. C. de teſtib. l. nullus. D. de teſtib.* qua de re conſule Albericum hic.

§.ſacræ res.2.

¶Res ſacras, ſanctas, & religioſas, in nullius bonis eſſe tradit hoc loco Marcianus: quod congruit cum iis quæ in l. ſ. dixit: cui adde Harmen. *lib. 2. tit. 1. §. 73.*

§.ſacræ autem.3.

Quæ dicantur res ſacræ, declarat hic Iuriſconſultus.

Etiam diruto ædificio, locus ſacer remanet. Ratio diuerſitatis inter ſacrum & publicum locum eſt, quòd in Sacro nihil interueniat, quod priſtinam cauſam mutet. Diruto verò ædificio in littore poſito, interuenit noua cauſa, quæ ius mutet, quia mare rurſum occupat &c. *hic in prin. & l. penult. infra eod. M.*

§.Religioſum.4.

¶Agit nunc de rebus religioſis quæ ſunt nullius.

Et licet poſtea ratum habuerit. Mala Haloandri lectio, quæ negatiuam inculcabat: ratihabitio enim mandato comparatur. *l. ſemper. § de reg. iur. l. vlt. C. ad Macedon.*

§.Cenotaphium.5.

De Cenotaphio vide Alciat. *lib. 10 parerg. cap. 12.* & Cortam in voce Cenotaphium. Sed omnium copioſiſſimè Forcatulus *dial. 1 nu. 27. & 28.* Briſſon. *ſelect. antiq. lib. 2. cap. 15.* Vacca *hoc titulo.* Cotta *in memor. in verbo Cenotaphium.* Rimi. *Inſt. de donat. ad prin. num. 46. & ſeq.*

¶Cenotaphium, imaginarium ſepulchrum eſt, de quo etiam meminit Virgilius *lib. 3. Aeneid.* et Marcianus. quod à Græco nomine *cenos*, quod inane, & *taphos* quod ſepulchrum eſt, originem traxit. Cuius etiam verbi meminit Suetonius *in Claudio cap. 1. & in l. 42. D. de relig. & ſump. fun. & l. 6. §. 1. D. eod.* & Dionyſius Halicarnaſſæus *lib. 2.* vide etiam Budæum *hic quod ad intellectum huius §.*

l.ſed Diui.7.

Forcatulus *d. num. 28.*

l.Sanctum

Digitized by Google

l.ſanctum.8.

¶Differunt autem Sacrum, Sanctum, & religioſum. ¶Nam Sacrum dicimus ædificium conſecratum Deo. ¶Sanctum murum, qui ſit circa oppidum. ¶Religioſum ſepulchrum, vbi mortuus ſepultus aut humatus eſt, ait *Feſtus*. De Sancto adde Ciceronem *pro Archia*.

§.ſanctum autem.1.

Pro intellectu huius §. vide Crinitum *lib. 7. de honeſt. diſcip. cap.* 3.

¶ Quod ad hanc vocem *Cogere* attinet, malè Alexander ab Alexandro legit *exhibere*. qua de re vide etiam Budæum in annot ad Pandect pag. 52.

Sagmina quæ, vide Feſtum, de Sagminibus exemplum, & apud Liuium *lib. 1.* de his etiam meminit Plinius *lib. 22. cap.* 2.

§.in mancipiis.2.

l.ſacra loca.9.

Conſt. Land. Præterm. *cap* 10. Vacca *hoc titulo*.

Quæ dicantur loca Sacra, declarat hoc loco Vlpian.

§.ſciendum.1.

An Princeps donare poſſit quod publicum eſt, vide hic *Bald.*

§.illud notandum eſt.2.

De Sacrorum euocatione, quid ſit, & qualiter olim fieri ſolita, vide Macrob. *lib. 3. Saturn. cap.* 8. ſimiliter & Liuium, *lib. 5. ab vrbe condita*.

¶Notanda autem eſt hic differentia inter ſacrum locum, & ſacrarium.

¶Sacer enim locus eſt locus conſecratus, at Sacrarium eſt locus in quo Sacra reponuntur, ſicut donarium eſt, in quo collocantur oblata.

¶Sacrarium autem nuncupatur ab inferendis & deportandis Sacris, hæc Iſid. *lib. 15. Orig. c. 4.* 5. de hoc Sacrario meminit etiam Cicero *lib. 13. epiſt. famil. epiſt.* 2. hinc Sacrarium Cereris appellatur, de quo meminit quoque Cicero, *in or. 2. 9. in Verrem*. ſimiliter etiam dicimus Sacrarium ſcelerum, vt ait Cicero *in Orat. 2. in L. Catilinam*.

§.Propriè dicimus.3.

§.Muros autem.4.

§.Res ſacra.5.

Res ſacra non recipit æſtimationem, *concordat cap. 2. cum gloſſ. 1. ext. de reli. & ven. ſan.* licet ſacra quandoque recipiant æſtimationem, vt putà ex cauſa ſpeciali, *vt in l. ſancimus. & in Auth. præterea. C. de ſacroſ. eccleſ.*

l.Ariſto ait.10.

Vide Vaccam *hoc titulo*.

Coniunge cum hac lege *l. 50. D. de adquir. rer. dom.*

l.ſi quis.11.

Limita hanc legem, vt habeat locum tempore belli, non tempore pacis Bart. de Capua *in ſing.* 5 vide per Boer. *deciſ.* 232 & per Iaſonem in materia *ad l. ſi quis nec cauſam. nu. 10. ad fi. D. ſi cert. pet.* Rom. *ſing.* 743 *facit textus in l. 3. §. in bello. D. de re militari.* vide Cagnol. *ad regulam non vult heres, & in adiectionibus ibi ad Deci. Sil. aup lib. 4. nu. 46. verſic. quinto lim.* ¶Qua pœna puniatur tranſcendens vallũ, vel foueam, *vide l. deſertorem §. nec non. D. de re militari.* ¶Quot & quæ ſint rerum diuiſiones, paucis hic declarat D. Gotho. ¶Ad gloſſam finalem hic & Bart. in principio adde Felin. *in ſuo tractatu, quando conatus puniatur in 4. col. ad principium.* Socin. *in reg. 31. Attentaria.* Bertach. *in ſuo repert. in verbo, venenatio*, Cremenſ. *ſing. 50. deſ. uſan.*, & late Deci. contra communem opinionem, *in reg. non vult heres. nu. 2. de reg. iur.* & *ad l. certi condictio. §. ſi. nu. 7. D. ſi cert. pet.* ¶An deprehenſus in crimine ſeditionis ſtatim puniri poſſit abſque ordine iudiciario, & quæ ſint pœnæ apponentium ſcalas ad feneſtras, declarat hic Baldus. An & quo caſu frater fratrem occidens non puniatur, vide eundem.

¶An & quando quis dicatur velle vel nolle, vide Bald. *in l. ſi prædium. C. de ædilit. act.* ¶Qua pœna puniatur fodiens iuxta murum caſtri, vt muri cadant, vide Bald. *in l. pergit C. de ſepul. viol.*

Tit.9. De ſenatoribus.

In hunc titulum ſcripſit Vacca. Ferrandus *lib. 1. explic. c. 7.* Briſſonius *lib. 3. ſelect. c. 16.* Cato Papienſis, Mertus Salomonius & alij.

¶Qui dicantur ſenatores, optimè hic explicat Cuiac. in paratitlis. ¶Senatores autem à Senectute dici non ambigitur, quos initio Romulus elegit centum, quorum conſilio Reſpublica adminiſtraretur, itaque etiam patres appellati ſunt.

Senatus vnde dicatur, declarat hic Bartolus.

l.Conſulari.1.

Ferrandus *dicto libro primo, c. 7. & 8.* vide Per. Fab. 1. *Semeſtr. 2.* & Cuiacium *Nouell.* 62 eundem 24. *obſer. cap.* 3 Gellium *lib. 4. cap.* 10. & Anto. Auguſtinum *in lib. 1. emendat. c.* 2. Cuiacium *lib. 24. obſ. cap.* 3. Briſſon. *lib. 3. ſelect. antiq. cap.* 26.

¶An maſculi potius ſuccedant in regno, quàm fœminæ. ¶Filia regis Franciæ quare non ſuccedat in regno. ¶Et an mater regis dicatur regina, *vide hic Bal.* ¶An dignitas maior ſit in maſculo quàm in fœmina, *vide hic Bar.*

§.Conſulares autem.1.

Quæ dicantur conſulares fœminæ, declarat hoc §. Vlpianus.

l.Caſsius.2.

Menochius *lib. 1. de Arbit. cap. 27.* Vacca *hoc titulo*.

Iudex eſſe non poteſt remotus a Senatu tanquam infamis, nec teſtimoniũ perhibere poteſt. ¶Circa regulam huius legis, vide Ang. *in §. hinc nobis. in Auth. de hære. & fal. & alios in l. non ignorabit. circa fi. C. ad exhib. ſequitur Felin. in c. ſcribam, ex. de præſumpt.* ¶An mercator ſemper præſumatur mercator, vide Fran. de Aret. *l. cætera. § ſed ſi quis. ff. de leg. 1.* Felinum *in procem. decretor.* Modes. *in l. ſi prius. 3. q. & 5. oppo. D. de operis noui nunt.*

¶Infamatus quando poſſit eſſe teſtis. Et an remotus ob crimen ab officio poſſit habere aliud officium, vide hic Bart.

¶An comes condemnatus in centum, propter falſum, perdat comitatum.

¶An notarius infamis poſſit conficere inſtrumenta. ¶An teſtimonium ſit dignitas. ¶An condemnatus de falſo ex forma ſtatuti ſit infamis de iure.

¶An ex accuſatione damnatus ſit infamis. ¶An infamia hominis per famã probari poſſit, vide hic Bal. cui adde Alex. de Imol. *in § tormenta. de quæſt.* & omnino per Fel. *in c. inquiſitionis. §. quæſiuiſti. in fi. de accuſat.*

¶An rebannitus poſſit eſſe procurator ciuitatis. An propter infamiam repellatur quis ab hereditate, *vide hic Bald.* ¶An remotus propter culpam ab officio, ad aliud poſſit aſpirare, *vide l. 1. C. ſi quos prod. pat. vide quæ notat Bart. in l. 1. C. ſi rector prouin.*

l.ſenatorem.3.

Vacca *hoc titulo*.

l.Qui indignus.4.

Marcus Vertranius de iure liberorum. Ad hunc etiam locum vide Anto. Auguſt. *in c. 14. de excuſ. ad Modeſtinum. & Alciat. lib. 3. diſpunct. c. 4.*

¶Quis dicatur dignus. ¶Perſona quot modis proſit perſonæ. An conſuetudo introducere poſſit, vt minor habeat iuriſdictionem in maiorem.

¶An indignus officio ſit indignus beneficio, vide hic Bald.

l.ſenatoris.5.

Duarenus *lib. 2. diſput. c. 29. Hot. Illuſt. quæſt. 42.* Vacca *hoc tit.* Ioannes Aurpachus *lib. 2. epiſt. iuridic. c. 23.* ¶Quomodo & quem Senatoris filium intelligere debeamus, declarat hoc loco Vlpianus.

l.ſenatoris.6.

§.A ſenatore.1.

l.Emancipatum.7.

§.item Labeo.1.

§.ſi quis &.2.

Forner. *lib. 2. ſelect. c. 20.* ¶An & quando delictum patris noceat filio, vide Bar. *in l. 3. D. de interd. & releg.* & per Bal. *in l. 2. C. de ingrat. lib.* vide Ioan. Fab. *in tit. Iuſti. de ingen.* adde Gloſſam pleniorem *in l. diui fratres. 17. in verbo fuiſſet D. de iure patron.* ¶An nepos ſuccedat in feudo aui, non obſtante patris delicto. An nepos in feudo patris delinquentis ſuccedat, vide hic Bald.

l.Fœminæ.8.

Vacca *hoc titulo*. Cuiacius *lib. 24. obſ. c. 3.*

¶An dignitas procedens à patre ſit maioris efficaciæ quàm procedens à marito, vide hic Bald.

l.Filiam ſenatoris.9.

Cuiacius in hanc legem. 24. *obſ. c. 3.*

l.Liberos.10.

Ad hunc textum in fine, vbi Bald. notat, adde Decium *ad reg. Fœminæ. nu. 97. D. de reg. iur. & ad cap. nouit. colum. 2. ex. de iudic.* Alciatus *ad l. Familiæ. D. de verb. ſignif.* pulchrè & latè Tiraquellus *in tractatu de nobilitate, c. 18. nu. 20. cum ſeq.* Cuiacius 24. *obſ. cap.* 3.

¶An priuilegium conceſſum ſub nomine liberorum extẽdatur vltra nepotes, vide hic Bart.

l.ſenatores.11.

Dignitas ſenatoria non mutat proprium domicilium.

¶An domicilium nouum per antiquum mutetur, vide hic Bald.

¶An adeptio dignitatis originis domicilium tollat. ¶An & qualiter clerus differat à populo, vide hic Bald.

l.Nuptæ.12.

Bellonus *lib. 4. ſuppu. c. 10.* Hotomanus *lib. 1. obſ. c. 15.* Gilbertus Regius *lib. 2. enantiophſ. c. 2.* Vacca hoc titulo. Cuiacius 24. *obſ. c.* 3.

An princeps poſſit reuocationem ſuam reuocare, *vide hic Bald.*

Digitized by Google

§.ſenatores autem.1.

Vide Cottam *in voce Senatores.*

Qui à patriciis.

Patricij Iuſtiniani ætate dicebantur Patres Reipublicæ, *authore Suida, vt toto tit. Cod. lib. 12. de conſul. & patriciis.* Patricij etiam dicebantur Populi Romani qui à primis Senatoribus oriundi erant, qua de re Sueton. *in Auguſt. cap. 2.* Verum malè hic Accurſius, cẽtum viros confundit cum Senatoribus. qua de re *vide Gloſ. in l. 2. de orig. iur. & l. vlt. C. de patit. hæ ad.*

Conſulibus. ¶ Conſularibus potius legendum eſſe, exiſtimat hic Budæus, vbi *de Senatoribus & de Senatu fuſe admodum differit.*

Tit. 10. De officio Conſulis.

Vacca *ad hunc titulum.*

Quo ætatis anno quis conſul eſſe poſſit declarat Cicero *in Philip. 5. in ſ*

¶ Et qualis debeat eſſe conſul. vide etiam Ciceronem *li. 4. in Verrẽ. & in Oratione in L. Piſonem*, eſt & Nouel. 101. quæ tractat de Conſulibus.

¶ Conſulis officium in quibus conſiſtat declarat hic Cuiacius, *in paratitlis.* Verum pręcipuum eius officium eſt, vt ex Senatuſconſulto conſilij cauſam examinet. ¶ Conſulum autem creatio, ex eo ortum habuit, quod cum expulſi eſſent Reges, Romæ conſtituti ſunt duo, penes quos ſummum ius eſſet, qui ab eo quod plurimum Reipublicæ conſulerent, conſules appellati ſunt, de his meminit Harmen. *lib. 1 tit. 1.* §. 1. ibi enim dicit quod bini quotannis conſules creabantur, vt eſſent qui rerum tam bellicarum quàm ciuilium curam ſuſciperent. ¶ Appelati autem ſunt conſules à conſulendo ſicut reges à regendo, & leges à legendo. Nam cum Romani Regum ſuperbam dominationem non ferrent annua Imperia, binóſque conſules ſibi fecerunt, meritò ergo conſules vel à conſulendo ciuibus, vel à regendo cuncta conſilio dicuntur. ¶De conſulum poteſtate vide *l. 2. §. 16. D. de orig. iur. & Cicer. 3. de legib.* de quę conſulatus dignitate, vide quæ notat. & in Authẽt de conſulibus.

l. Officium. 1.

De officio conſulis. vid. Iaſ. poſt Bart. quem allegat. *Inſtit. de act. in princ. in 9. col.* vid. Alex. *in p. Plin. l. ſi iuri de re iud.* conſulis officium circa manumiſſiones verſatur, hoc eſt conſulis, eſt conſilium præbere, manumittere volentibus, id eſt rogare aut conuocare iudices, ad examinandas manumiſſionis cauſas, ſi opus ſit: atque ita ſolemniter manumittere. conſulis etiam officiũ erat vigilare, adeſſe animo, ſemper aliquid pro Repub. aut cogitare, aut facere, aut dicere, *vt ait Cicero pluri. 9.* Præterea, boni cõſulis non ſolum videre, quid agatur, verùm etiam prævidere quid futurum ſit, ait etiam Cicero in ora. pro illis.

¶ Quod & quale debeat eſſe conſulis iuramentum, vide omnino, *cap. veniens. ex de iurior.* & Speculatorem in illo eodem tit.

¶ An Conſul poſſit ponere locum tenentem in loco vbi inferior pręſcripſit iuriſdictionem. ¶ An iudex ſuperior poſſit inhibere inferiori, ne ſua iuriſdictione vtatur. ¶ An quis poſſit emancipare filium coram ſuo collega vide hic Bald.

¶ Conſilium quid eſſet, ignorauit planè hic Accurſius. Verum diſce ex Theoph. *Inſt. qui & quib. ex cauſ. manu.* conſilium ſæpiſſime pro cõuentu accipi *l. ſi pater. 4. § fin. l. ſeruus. 6. l. pupillus. 24. D. de manum. vind. §. eadem lege. Inſt. quib. ex cauſ. manu. licet.*

¶ Iuriſdictio, an. quomodo, & quibus modis pluribus competere poſſit, vide hic Bal. nu. 1.

§. Conſules. 1. Nomina ediderit.

Accurſius hic nomina interpretatur probationes cauſarum, verum malè. nam edere nomen. idem eſt quod curare nomẽ inſcribendum, & veluti eius nomen profiteri in actis quem manumiſſuri ſumus, quod quidẽ fiebat ante cognitionem conſulis, ſimiliter etiam dicimus dari nomen, vt dare nomen militiæ *vt l. 3. infra de re milit.* verùm de his plenè vide Budæum hic.

¶ An conſul habeat Iuriſdictionem contentioſam, vide hic Bar. *& l. 2. §. exactis. D. de orig. iur. facit quod habetur in l. 3. de arbit.* eſt & textus. & ibi *Imo. in l. ſi cui libertas. D. de condit. & demonſt.* Ang. *in l. 1. de in ius vocan.*

§. Conſules. 2.

Rauardus *cap. 2. & cap. 13. pro tribun.* Cuiacius *lib. 2. obſ cap. 17.* Gilbertus Regius *lib. 1 enantioph. cap. 29. & 30.* Vacca *hic* Bened. Capra *in reg. concluſ. 27.* Cuiacius 18. *obſ.* 38.

An conſules creari poſſint minores viginti annis. ¶ An iudex vnus amittat iuriſdictionẽ, propter alterius præſentiam. An manumiſſio quæ fieri debet cauſa cognita ſit voluntariæ iuriſdictionis. vide hic Bald.

Tit. 11. De off. præf. præt.

In hunc titulum vide Alciatum *ad ti. de off. pręf. præt. lib. 12. Cod.* Petrum Marteſium. *Notar. cap. 1.* Vaccam *ad hunc tit.* & Budæum hic. ¶ Inſtituta autem eſt hęc dignitas, ab Auguſto, vt colligere eſt ex Suetonio & Tacito. & ex Pet. Fabro. *lib. 1. Semeſt. cap. 1. & ſeqq.* & Cuiac. lib. 2. obſ. cap. 14.

¶ Præfectus prætorio quis fuerit, declarat hoc loco gloſſa Rubricaria.

¶ Præfecti prætorio officium ex eo ſumpſit originem, vt æquales eſſent magiſtris militum. cum enim apud veteres ſumma poteſtas Dictatoribus committeretur, ſibi elegerunt militiæ gratia magiſtros equitum, qui ſecundam poſt eos poteſtatem gererent. Cum autem totius Reipublicæ gubernatio, ad Imperatores trãſlata eſſet, electi ſunt è principibus præfecti prætorio, ad ſimilitudinẽ magiſtrorum equitum. ¶Ideo autem præfecti prætorio appellati ſunt, quia ſc. præficiebantur prætorio imperiali, vbi cauſas examinabant. ¶De præfectorum prætorio poteſtate vide Caſſiod. *lib. 6. epiſt.*

l. Breuiter. 1.

Numero plurali vtitur hoc loco, cum ait, præfectorum prætorio ratio eſt, quoniam interdum duo, interdum tres vnà creabantur, vt omnium diligentiſſimè notat Pet. Fab. 1. *Semeſt.* 1. ¶Tractat hoc principio Aurelius. Vnde officium præfecti prætorio ſumpſerit originem. ¶An princeps eligatur ad regẽdum, vel ad deſtruendum, vide hic Bal. ¶An à ſententia regis appelletur, *vide Bald. conſ. 407. lib. 1.*

§. His cunabulis. 1.

Vide in hunc §. Eraſmum *Chil 1. cent. 7. prou. 3.*

¶Tractatur hoc loco de priuilegiis quibuſdam conceſſis pręfectis prætorio, quæ enumerantur in Gloſſa prima huius legis. ¶ An appelletur à ſententia P. prætorio, in præfectis prætorio eligendis quæ concurrere debeant.

§. ſubnixi. 2.

Continetur hoc §. 2. præfecti prætorio priuilegium, ne ſcilicet à ſententiis eorum minores ætate, ab aliis magiſtratibus, niſi ab ipſis præfectis prætorio reſtitui poſſint, & hoc eſt ſpeciale priuilegium, de hoc vide *l. in cauſa. 96. in ſ. & l. præfecti. 17. D. de min. 25. an.*

Tit. 12. De offi. præf. vrbi.

In hunc titulum vidę Crinitum *lib. 1. De honeſt. diſcipl. cap. 12.* Vaccam hic. Gellium *lib. 15. cap.* 8. Cuiac. 13. *obſ.* 1. vide etiam Suetonium *in Auguſto cap. 37.*

¶Præfectus vrbis eſt, cui ab Imperatore commiſſa eſt vrbis adminiſtratio, *l. 3. §. cum vrbem. hoc tit.* ¶Præterea præfectus eſt maior omnibus magiſtratibus in vrbe, habẽtque duplex priuilegium, vt ſcil. liberare poſſit à patria poteſtate, & à curiali conditione, *vt l. vlt. C. de decur.* ¶De origine vetuſtiſſima huius magiſtratus, vide Tacitum *lib. 5.* Gell. *lib. 4. cap. vlt.*

l. Omnia. 1.

Tota hæc lex cõtinet priuilegia quæ habet præfectus vrbis. Primò igitur præfectum vrbis de omnibus criminibus cognoſcere poſſe tradit, tam extra quàm intra vrbem, ad centeſimum miliarium.

§. Seruos. 1.

Briſſonius *lib. 4. ſelect. c. 8.* P. Pithœus *in notis ad Fragm. l. C. pag. 97.* Corraſius *epiſt. quæſt. cap. 29.* Vacca hic.

Secundo loco præfectus vrbis cognoſcere poteſt de querelis, pro ſeruis contra ſuos dominos.

§. Sed & patronos. 2.

Tertio loco præfectus vrbis cognoſcit de querelis porrectis per patronos egentes contra libertos.

§. Relegandi. 3.

Quarto loco præfectus vrbis poteſtatem habet relegandi, & in inſulam deportandi.

§. Ab initio. 4.

Quinto loco, præfectus vrbis poteſtatem habet vrbis regendæ.

§. Si quis ſeruum. 5.

Sexto loco: Præfectus vrbis cognoſcit de adulterio ſerui cum domina.

§. ſed ex interdict. 6.

Septimo: præfectus vrbis cognoſcit de interdictis quod vi aut clam, & vnde vi. vt pręfecti vrbis officium generale ſit tam in criminali quàm in ciuili.

§. Quod autem. 8.

Nono: præfectus vrbi cognoſcit de ſeruo qui de domino quæritur, Iubet etiam ne mancipia proſtituantur.

§. Præterea. 9.

Decimo: præfectus vrbis curare debet, vt nummularij ſe probè gerant. nummularios autem hic pro argentariis accipit. *vt in l. 2. infra eod.*

§. Cum patronus. 10.

Ioannes Robertus *l. 3. ſent. c. 17.* Vndecimo præfectus vrbis pro modo culpæ poteſt corrigere & caſtigare quoquo modo voluerit, & cognoſcere poteſt de patrono qui de liberto quæritur.

Google

§.Cura carnis.11.

Duodecimo præfectus vrbis curare debet, ne carnes & victualia iuſto, idoneóque pretio vendantur.

¶Forum ſuarium.

Forum ſuariū, inquit Varro *lib.4.de ling.Lat.*eſt in quo ſues venduntur: vt bouarium, in quo boues, & piſcarium, & olitorium, in quo piſces oleráque venduntur, ſicut forum cupedinis, in quo Cupedinarij negotiantur.

¶Forum autem quot & quibus modis intelligatur, vide Feſt. in voce Forum. ¶An quis cogatur vendere rem ſuam viliori pretio, vide Bart. *in ca.1. ex.de empt.& vend.* ibi enim agit de pœna illorum, qui vt carius vendant frumentum, merces, & ſimilia falſificant.

§.Quis quoque.12.

Cuiacius *lib.8.obſ.c.29.* Lipſius *lib.3.epiſt.quæſt.epiſtola* 18.

Decimotertio, Quies populi & diſciplina ſpectaculorum ad præfectum vrbis pertinet.

¶Milites ſtationarios appellat, qui in ſtationibus diſpoſiti erāt, qua de re vide Plin. *lib.10.epiſt.* Sueto. *in Tiber.cap.37.l.3.de re milit.*

§.Et vrbe.13.

Cuiacius *lib.2.obſ.c.14.* Briſſonius *lib.ſelect.c.14.*

Decimo quarto præfectus vrbis vrbe interdicere poteſt.

§.Diuus Seuerus.14.

Decimo quinto, & vltimo: præfectus vrbis cognoſcit de collegio illicito.

l.Adiri etiam.2.

Argentariis. Argentarij trapezitæ ſunt, qui pecuniam tam ſuam quàm alienam fœnori dabant, rationes negotiationis conficientes, quos autem argentarios appellamus, Iuſtinianus vocat ſæpe argenti diſtractores, quæ appellatio ex eo ducta eſt, quod argentum vendant (argenti enim nomine cuiuſcumque materiæ nummus ſignificatur.) Nummularij tamen non abſimiles ſunt argentariis. Nam hos ſiue ars, ſiue vſus longus tractandarum & permutandarum pecuniarum ita erudiuit, vt hi auri, argenti, æriſve qualitatem probe noſſe exiſtimentur, hæc Cuiacius.

l.Præfectus.3.

Vacca *hoc titulo.*

Extra territorium per ſe iudicare non poteſt: ſed poteſt cauſam delegare: Nam magiſtratus extra territoriū pro priuato habetur. Præterea præfectus vrbi extra vrbem poteſt iubere iudicare, licèt in quibuſdam libris contrariū legatur. De vera huius legis lectione, vide Bart. hic.

Tit.13.De officio quæſtoris.

In hunc tit. ſcripſit Ant.Roſ. *lib.3.memor.c.7.* Briſ. *lib.1.ſelect.c.17.* Addendus Gell. *l.13.c.13.* Vacca *hoc tit.* Tacitus *lib.2.annal.* latiùs repetit Quæſtorum originem. Tullius Hoſtilium nempe fertur antiquitus tertium Romanorum regem primum in Repub. quæſtores introduxiſſe. ¶Vnde autem dicti ſint quæſtores, ſatis conſtat à quærendo, nempe quòd ſc. conquirerent pecunias publicas & maleficia. Varro *lib.4.de ling.Lat.* Conſtituti denique quæſtores, vt præeſſent ærario fiſci & populi, vt pecunias publicas tractarent, vt ait Cicero *in Q.Cæcilium orat.4. l.2.§.deinde.12.de orig.iur.* qua de re vide Feneſt. *c.3.de magiſtrat.* de his etiam quæſtoribus meminit Tacitus *libro* 11. Cicero *in Diuin.in Verrem.& orat.3.*

¶Quæſturæ autem olim fuit legitimus annus, quæ tamen ætas legibus annalibus præſcripta nō ſemper obſeruata fuit, qua de re ſic ait Capitolinus in Marco, *Gratia ætatis facta, quæſtor eſt deſignatus.* Sic & etiam Spartianus in Iuliano. *Quæſtor ante annum quàm legitima ætas ſinebat deſignatus eſt.* Verùm vt opinor, exigebatur ætas 18. annorum: vt *l.quidam.C.de decur.*

¶De quæſtoris officio vide *lib.1.C.tit.30.& l.1.§.22.de orig.iur.*

l.Origo.1.

In hanc legem vide Pratcium *Geminatian.cap.3.*

Gracanus vnde ſit dictus, declarat Cicero *3.de legib.* ab amicitia, ſc. Gracchis, perperam itaque hoc loco quidam legunt, *Gratianum.*

¶Quod in iudicando, & in cōſulendo, non ſit reddendū à communi opinione tradunt DD. *ad cap.nouimus.de verb.ſig.* ponunt Bart. & alij *in l.2.Cod.de pœn.iud.qui ma.iud.* Alex. *ad l.qua dotem.nu.14.D.ſoluto matrimo.* Felinus *ad cap.prudentiam.§.ſexta.colum.3.ad fin.nu.17.de offi.deleg.* Decius *conſ.366.col.3.nu.7.verſ.3.& conſ.499.col.penul.& 259.viſis.in principio.* Cat.Cotta *in ſuis memorab. in verſ.opinio communis.* vbi limit. niſi melioribus rationibus & legibus poſſet confutari, quia tunc ab ea eſſet diſcedendum. Alex. *ad l.cum proiatio.col.penul.D.de re indic.* Felin. *ad cap.1.col.penult.ext.de conſtit.* Iaſ. *ad Auth.nouiſſima.nu.11.Cod.de inoffi.teſtam.* pro hac limitatione pondera *l.item ſi verberatum. in fin. D.de rei vind.& cap.nouimus.uncti a gloſſa, à plurib.de verb.ſig.* Moder.Gemi. *in repet.ad l.Diffamari.in 99.q.nu.113.C.de ingen.& manum.* Neuiz. *in ſua Sylua.lib.5.* Ferret. *conſ.176.*

De communi opinione *vide Rip.ad l.4.§.hoc autem ind.num.107.D.de dam.infect.* Socin.Iunior *conſ.107.num.40.lib.3.item.in dote.* Nam opinio vnius doctoris pro cauſa dotis præfertur cōmuni opinioni ſecundùm Felin. *ad Rub.ex.de ſponſ.in nono priuilegio.nu.6.& ad cap.1.num.54.de conſtit.* communis opinio conſideratur ex pondere & authóritate doctorum. Alciat. *lib.4.parerg.c.18.& lib.1.de præſump.reg.1.præſump.51.* Quæ ſit communis opinio, Ferrat. *caut.51.* Crot. *ad l.4.§.Cato.nu.151.D.de ver.obl.*

Communis opinio quomodo cognoſcatur, Moder. *ad l.diffamari.q.99.nu.84.* Goſſad. *conſ.39.nu.17.* An deciſio Rotæ præualeat communi opinioni, in addit. *ad Dec.ad l.iura ſanguinis.in verſ.contrarium. D.de reg.iur.* Vbi ſunt duæ opiniones contrariæ, vt putà Canoniſtarum, & legiſtarum, tenenda eſt opinio Canoniſtarum, de quo vide Lanfra. *ad cap.quoniam contra.in verſ.tertium.col.2.in fin.de probat.*

§.& à genere.2.

§ Ex quæſtoribus.2.

Vide Cuiacium *in paratitlis pag.9.& 10.* ¶Quod ad hanc vocem Candidati: vide etiam Lampridium *in Alexandro.*

¶Varia fuerunt Quæſtorum genera. Ij namque quos Vlpianus dicit hic prouincias ſortiri ſolitos, comitādæ rei militari, primū creati fuerunt. Cum Imperatoribus enim populi Romani mittebantur, hoc eſt, cum conſulibus, & prætoribus, ad adminiſtrandam rem pecuniariam, & prædam, & manubias, in rationes publicas referendas, vt videre eſt apud Liuium *multis locis.*

§.Hodiéque.3.

Ant.Aug. *lib.2.emend.c.1.* Gilbertus Regius *lib.2.(enantioph.)cap.2.*

Florentiæ legebatur, *vt indifferenter* Græca figura: An autem Florentini librarij errauerint, indicent viri docti.

§.Ex his.4.

Dion. *lib.54.*

Tit.14.de officio Prætorum.

Antonius Vacca *hoc tit.*

Prætor à præeundo dictus eſt, quaſi præitor. verùm prætor aut erat vrbanus, aut peregrinus. ¶Vt Feneſtella *de magiſtrat.cap.19.* & Varro *4 de lingua Latina. Iſque lib.7.origin.cap.4.& lib.9.cap.3.* Vrbanus ex eo appellatus, quod in vrbe ius diceret. *de hoc meminit Cicero pro Cluentio.* Peregrinus autem, quod plerúmque inter peregrinos ius diceret: vt *l.2.D.de orig.iur.* ¶Hinc prætura dignitas prætoria.

¶De poteſtate prætoris, vide Ciceronem *in Verrem, & pro Cæcinna,* vide etiam *tit.Cod.de offi.præt.* ¶De numero prætorum, vide hic Vveſembeccium. De prætorum numero, electione, & officio, vide *l.tres tantummodo.4.Cod.de epiſc.aud.*

l.Apud filiumfamilias.1.

Pater manumittere poteſt ſeruum ſuum apud filium ſuum prætorem: ratio eſt, quoniam in priuatis negotiis pater filium, vel filius patrem iudicem habere poteſt. *l.in priuatis.77.D.de iudic.* ſecus autem in contentioſa iuriſdictione: vt *l.qui iuriſdictioni.20.D.de iuriſd.om.iud.*

l.Sed etiam.2.

Filius prætor factus liberatur patria poteſtate, *vt hic.*

l.Barbarius.3.

Vide Corſetum *ſingulari Errore communi*: Marcum Mantuam *fol.140.* Repetit.5 *fol.18. num.134.* Ad quid allegetur & limitetur Soz. *reg.166.* & quando habet locum *in reg.127.* & Io.Fab. *inſtit.de teſtam.in penult.col.* & ib. Bauer. in *4.coll.* Et vide Bart. *in actuarios,nu.2.ibi.* Nec obſtat *l.Barbarius.de mune.aſſ.par.lib.2.* vide Dec. *in conſ.407.verſ.& diligenter.* Pro intellectu d.l *Barbarius,* vide Sozin. *in reg.182.* vbi ponit ſeptem fallentias ad illum text. vide Bart. *ibi in 4.lect.coll.8.num.8.de offic.præto.* In quo loquitur d.l. *Barbarius,* vide Bart. *in l.generali.num.3.Cod.de nat.lib.10* vide eundem *in l.actuarios.num.2.Cod.de muner.aſſu.libro* 12.

¶Pro intellectu huius legis difficillimæ, vide Goueanum *lib.1.lect.cap.6.* Ant.Guibertum *lib.1.Quæſt.cap.11.& 10.* Contium *lib.1.diſput.c.20.* Ioan. Robert. *lib.1.recept.lect.cap.38* Briſſonium *lib.4.ſelect.cap.20.* Adrianum Turneb. *lib.7.aduerſ.c.7.illuſtr.quæſt.quæſt.7.* Lapum *allegatione* 89.& 130. Vaccam *hic.* Ant.Mercat. 1.*notator.*18.

¶Communis error facit ius: limita hunc textum vt per Socin. *in reg.127.lex Barbar.* Plaut. *hic in repetitione,* qui reprobat communem intellectum F. 3. Niconit. *ad Rub.D.de operis noui nunt.num.234.* Cotta *in ſuis memorab.in verbo, opinio communis col.2.* Abb & Felin. *ad cap.ad probandum.ext.de re iud.* Ferr. *conſ.8.nu.3.conſ.9.& 10.per totum.& conſ.69.nu.2.& 19.* Dec. *conſ.407.verſ.& diligenter.* Alex. *conſ.77.nu.9.vol.2.* Ad hunc textum Corſet. *in ſing.verbo Error communis* Felin. *ad cap.ſicut.num.31.ex.de re iudic.* Pariſ. *conſ.1.num.58.lib.1* vide etiam Cuiacium 18.*obſ.*33.

¶Quis fuerit hic Barbarius Philippus, de quo mentio hic ſit, declarat Gloſſa, ita vt exiſtimet Accurſius prætorem Romæ fuiſſe: melius autem, vt opinor, Vlpianus ait eum præturâ functum fuiſſe: aliud etenim eſt prætorē eſſe, aliud fungi prætura, ſicut diuerſa ſunt eſſe in ſeruitute, & ſeruum eſſe, *l.ſi quoque. D.ex quib.cauſ.maio.* ſimiliter poſſidere, & eſſe in poſſeſſione, *l.3.§.vlt.D.de acq.poſſeſ.* ita etiam exiſtimat D.Gothof. ¶De materia huius l. [illegible] vide Felinum *in c.cum dilecta.de reſcrip.* Federic. *in conſ.202.* Panor. *in ca.dilectum.de præben.* Alex. *conſ.76.vol.2.* Item ad hanc legem vide Ioan. *in c.cum ſuper. de off.deleg.* Ioan.Andr. *in cap.mera.de reg.iur.in* 6. Verùm limita hanc legem, vt per Bald. *in l.nihil.de manum.vind.* & de hac lege notat Bald. in *l.non nutat. C.de liber.cau.* Bart. in *tract.de Tyrannide.in* [illegible].

¶ Magis in imperatore obſeruandum: Vt potè qui poteſtatem omnem populi conſecutus, ad hoc etiam legibus ſolutus ſit. *l.1. D. de conſt. prin. l. princeps. D. de legib.*

l. Prætor. 4.

Ioannes Robertus *libro 2. recepta. ſententia. cap. 23.* ¶ Huius legis ratio eſt, quia tutela eſt onus, & ſuſpectus præſumitur, qui ſe ingerit. eadem ratio eſt, & in iudice.

Tit. 15. De officio præfecti vigil.

Præfecti vigilum officium eſt, per totam noctem vigilare, & calceatum armatúmque oberrare cum inſtrumentis ad extinguenda incendia idoneis, atque omnes inquilinos admonere, vt curam adhibeant, ne per negligentiam (vt quandoque fieri ſolet) incendij caſus oriatur. *l. ſi vendita. 11. D. de peric. & comm. rei vend. l. ſi ſeruus. 27. §. ſi fornacarius. 1. D. ad l. Aquil.* Vnde vocatur indagator incendiorum & furum: *vt toto tit. C. de off. præf. vig.* Hinc eleganter Caſſiodorus de præfecto vigilum ait, Furta eum facere in furibus, dum illos noctu circumuenit.

l. Apud vetuſtiores. 1.

In hanc legem vide Briſſonium *lib. 2. ſelect. c. 8.* Vaccam hic. Dion. 55. Suet. *in Auguſt.*

¶ Cur præfecti vigilum fuerint inuenti & creati, qua de re dixi in Rubrica huius Tituli.

De materia huius legis vide Alexandrum *conſ. 50.* ¶ Incendiarij an & quę pœna ſit, vide diſtinctè Cyn. in *l. data. C. qui accuſare non poſſ.* ¶ An & quando connumeretur inter caſus fortuitos incendium, vide Ang. *in tract. maleficiorum. in verbo Incendiario, & in §. præterea. Inſt. quib. mod. re contrah. oblig.* & Bal. in *§. cognoſcit. 1. l. 3. huius titu. nu. 2.*

l. Pluribus vno. 2.

l. Nam ſalutem. 3.

¶ An præfectus vigilum ſpectabilis ſit, dubitatur hoc loco. Placentinus etenim exiſtimat non eſſe ſpectabilem: ratio eſt, quoniam in Cod. ponitur poſt præſidem, qui eſt clariſſimus. Verùm eum eſſe ſpectabilem certum eſt, qua de re vide hic gloſſam *in voce ſpectabilis.*

¶ Spectabilium autem medius eſt ordo. Spectabilis dignitas media eſt inter ſenatorias. Supra ſpectabiles ſunt illuſtres, infra clariſſimi, qua de re meminit lex *Nullus. 60. C. de dignit. lib. 20.*

§. Cognoſcit. 1.

Quod incendium præſumatur culpa inhabitantium, *adde l. ſi vendita. D. de peric. & comm. rei vend. & l. qui inſulam. §. ſi. D. loca.* vide Gramm. *deciſ. 3. in cauſa.* & Afflict. *deciſ. 57. Co. die.* Socin. *reg. 178.*

An quando maleficium eſt commiſſum in confinio, vtraque ciuitas teneatur, *vide hic Bald.*

§. Effracturæ. 2.

§. ſciendum. 3.

In hunc §. ſcribit Couarruuias *lib. 4. variar. reſo. c. 3.* Ræuardus *lib. 1. varior. cap. 8.* Turneb. *lib. 19. aduerſ. cap. 14.* Vacca *hic.*

Coerrare eſt frequenter ire. Perperam autem exiſtimat Accurſius, Coerrare idem eſſe, quod frequenter præcipere, cùm hoc alienum prorſus ſit à ſignificatione verbi.

¶ An *calceatum*, an verò *caligatum* legendum ſit, dubitat quidam, vt ducatur à caliga militari indumento, quod cognomentum inducit Caligulæ Imp. veruntamen *calceatum* potius legendum eſſe exiſtimo: tametſi *Falciatum* legi potius debere putet Hotomanus, id eſt, falcibus muralibus, quibus ædes inflammatæ diruerentur inſtructum.

¶ Hamæ. Vas eſt aquarium rotundioris formæ, & ventris globoſioris, quo ad extinguenda incendia ſolebant vti veteres.

¶ Dolabra. Inſtrumentum eſt, per quod ignis vel flamma in tignis recepta quaſi dolando abraditur, ne progrediatur.

§. Vt curam. 4.

Præfecti vigilum cura hæc eſſe debet, Ne incendium negligentia aliqua oriatur, deinde admonere debet inquilinos, vt vnuſquiſque aquam in cœnaculo habeat.

Cœnaculo. ¶ Cœnaculum eſt ſuperius membrum domus, quod inquilini Romę habitare ſolebant, quaſi corpuſculum, ſuis quoque membris conſtans. Dictum autem eſt cœnaculum à communione veſcedi. Antiqui enim publicè, & in commune veſcebantur, nec vllius conuiuium ſingulare erat, ne in occulto deliciæ luxuriam gignerent. hæc *Iſid. lib. 15. orig. cap. 3.* Hinc cœnacularius ex eo dicitur qui totas domos conducit, vt ſingula cœnacula inquilinis locet queſtus faciendi cauſa. *l. ſi verò plures. 5. §. 1. ſi quis. D. de his qui eff. ſud. & ibi D. Goth.* optimè notat. Vnde Vlpianus *in l. ſæcularij. D. de extraord. crim.* ait in aliena cœnacula ſe denigere.

§. Aduerſus. 5.

Capſarij erant homines qui mercede conſtituta à domino balnei ſeruanda, in balneis veſtimenta ſuſcipiebant. Verum non ineptè exiſtimat Accurſius capſarios dici eos qui pueris euntibus, in ſcholam libros portabant *vt in l. 13. ſi collactaneus. D. de manu. vin.* quo pertinet illud Iuuenalis Satyr. 10.

Quiſquis adhuc vno partam colit aſſe Mineruam,

Quem ſequitur cuſtos anguſtæ vernula capſa. id eſt ſeruus capſarius.

Et in hac ſignificatione vſurpatur à Suetonio in Nerone cap. 36. cum ait Conſtat quoſdam cum pedagogis & capſariis vno prandio pariter necatos, de hoc capſario meminit lex, *ſi collactaneus. 25. D. de manum. vind.* vel ſi mavis capſarij ſunt qui nobiliorum ciuium filiis ad ſcholas euntibus libros deferunt in capſula. Capſa autem dicta eſt, quod res in ea conditas capiat, vt ait Plin. lib. 8. c. 3. Capſarum modo includitur.

An flagellatio, fuſtigatio, & criminales omnes cauſæ ſint meri imperij, necne, declarat hic Bald.

Tit. 16. De officio proconſulis & legati.

Qualem oporteat eſſe Proconſulem, pulchrè docet Cicero *lib. 1. epiſtol. ad Q. Fratrē epiſtola 1.* vide Vaccam *ad hunc tit.*

Proconſul autem eſt, qui cum poteſtate Conſulis in prouincias mittebatur: ita & optimè dictum eſt proconſulem extra vrbem morari. Dictos quaſi conſul procul miſſus. Alia eſt Iſidori opinio. Exiſtimat enim Proconſules ſubrectos fuiſſe conſulibus, & ait dictos eſſe proconſules eo quod vice conſulis fungerentur *lib. 9. orig. cap. 3.* ¶ At legati proconſulis nihil proprium habent, niſi à proconſule eis mandetur *l. legati. hoc titul.* Sequitur ergo quod mandata iuriſdictione aliquid propriū habeat. qua de re Cuia. *lib. 7. obſer. 21.* Verùm in eo duo ſunt ſpecialia. primum; quòd cognitio cuiuſlibet criminis ei demandari poſſit, quod tamen non repetitur in alio. Item pronuntiat de crimine ſuſpecti tutoris quamuis alius delegatus non poſſit. *§. datum. Inſti. de ſuſpect. tutor.* Pœnam autem grauiorem irrogare nō poteſt: *vt in l. ſi quid hoc ti.*

Quid differat proconſul à Præſide, optimè declarat *Cuiac. 20. obſ. cap. 37.*

¶ Quis primus proconſul creatus fuerit, optimè declarat Lucius *lib. 3. dec. 1.* & Feueſt. *cap. 11. de magiſtrat.*

¶ Proconſulis officium eſt moderatè, & prudenter verſari, innocentibus parcere. *l. ſolent. hoc tit.*, & inquirere in malos. *l. congruit. 13. infra de officio præſ.* & alia eiuſmodi.

¶ Inſignia proconſulis ſunt ſecuris, & faſces.

¶ An proconſul ſit ſpectabilis, nec ne, declarat hic Bald. in Rub.

l. Proconſul. 1.

In hanc legem Briſſonius *lib. 3. ſelect. cap. 14* Iacob. Ræuardus *de method. prudent. cap. 6. & 7.*

¶ Proconſul vbi & quo loco, & quam poteſtatem habeat, declarat hoc loco Vlpianus, poteſtatem etenim non habet niſi in ea prouincia quæ ei ſola demandata eſt.

¶ An inſignia diſtent à dignitate, & an aliud ſit dignitas, aliud inſignia dignitatis, vide hic Bald.

l. Omnes. 2.

Gueuarra *ad leg. 3. infra de offic. præſid. nu. 5.* Charondas *lib. 1. veriſ. cap. 3.* Goueanus de *Iuriſdictione pag 6.* & Vacca hic.

¶ Proconſules ſtatim atque vrbem egreſſi ſunt, habent iuriſdictionem, non quidem contentioſam. ſed voluntariam: quoniam iuriſdictio voluntaria poteſt extra territorium ius dicentis exerceri, niſi id quod expediendum eſt competat de iure ſpeciali, qua de re vide Romanum *ſingul. 49. & 48.* vbi optimè notat duo maxime neceſſaria eſſe, vt iuriſdictio contentioſa extra territorium exerceri poſſit: Conſenſum nempe partium, & iudicis proprij territorij. ¶ Quæ autem ſit iuriſdictionis voluntariæ & contentioſæ differentia, declarat hic *Gloſſa prima.*

¶ An iuriſdictio extra territorium prorogari poſſit: An iuriſdictio voluntaria delegari poſſit, vide hic Bald. *nu. 3. & 4.*

§. Apud. 1.

Pro intellectu huius §. vide Cuiacium *2. obſ. cap. 1.*

¶ Quæ ſit proconſulis & legati proconſulis differētia, maximè ex hoc §. patet: nam Proconſul, vt iam diximus ſupra, iuriſdictionem habet voluntariam non contentioſam, legatus proconſulis, neque voluntariam neque cōtētioſam iuriſdictionem habet quamuis re vera videatur habere, vt in *l. apud proconſulem. 17. D. de manu. vin.* vbi apertè dicitur *apud proconſulem, poſtquā vrbem egreſſus eſt vindicta manumittere poſſumus: ſed & apud legatum eius manumittere poſſumus.* Varij varias attulere ſolutiones quæ vti cuique ſederit: ita quiſque videre poſſit: ſed omnium optimè mihi videtur conciliaſſe vir ille ſummę doctrinæ Iacobus Cuiacius addita & adiecta negatiua: Verum quoniam noſtrum non eſt tantas componere lites, iudicabis, beneuole lector.

§. Legis actio. 2.

Quid ſit legis actio, vide l. 10. infra de offic. iuridic.

l. Nec adoptare. 3.

Vide hic Robert. 2. *anim. cap. 11.* cui contradicit Cuiac. 18. *obſ. 36.*

¶ Legatus

Digitized by Google

¶ Legatus Proconſulis non poteſt adoptare: ratio eſt, quoniam non eſt apud eum legis actio, ita vt optimè ex hoc loco conſtet, Legatum proconſulis omni prorſus legis actione carere: & ita is demum manumittere poteſt, qui legis actionem habet: *vt l.4.de adopt.& l.vlt.C.de vind.lib.* & à Paulo *lib.2.ſent.quemad.filij ſui iuris officio.*

l. Obſeruare. 4.

Quæ cura demandata ſit proconſuli, ſatis ex hoc loco conſtat. imprimis etenim obſeruare debet, ne in hoſpitiis præbendis prouinciam oneret.

¶Rationem ad hanc legem vide apud Abbatem in *c.poſt ceſſionem.pen.col. de probat.* Adde *fol.26.nu.15.Repet 1.*

§. Nemo proconſulum. 1.

¶Strator quis, vide *Cottam in voce ſtratores.* Ræuardum *libro 1.variar.ca* 10. Cuiac.11.*obſ.cap.*1.Goueanum *lib.1.lect. cap.* 42. Vacca hic. Adde tit.*cod.lib.12.de ſtratoribus.* ¶Dicti autẽ ſtratores à ſiſtendo vel à ſtãdo, aut potius ſternendo, vt Cicero *lib. 2.epiſt.* Ad te ſtratores meos, & lictores cum literis mitterem, & libro 9. præſto mihi ſuit prætor cum eius literis, quibus ne venirem denuntiabat. Horum etiam mentio fit in *l.1.C.de cuſtodia reor.* Quidam tamen pro ſtratoribus, *ſtatores* legunt.

§. Proficiſci. 2.

Cuiacius *libro 6.obſ.cap.*30. Vualtherus *libro 1.miſcell.cap.*13. Tacitus *libro* 3. Corraſius *hic.*

Ab ipſis ratio, & vindicta exigatur.

Quid poteſt conueniri, maritus pro vxore? Negat lex 2. & 3.*Cod.ne vxor pro marito.* verùm facilis eſt ſolutio. facto etenim alterius tenemur, ſi culpa noſtra factum: illud alteri nocuit: Vide Tacitum 3.annal.ſic etiam rectores ciuitatum vxores ſecũ ducere non debent:tenentur etenim pro ipſis. Nonnunquam enim furto vxoris tenetur maritus, non quidem furti: ſed in factum actione.

¶An iudex qui non vult audire allegationes vel probationes faciat litem ſuam, vide Bal.hic nu.18. & Innocent.*in c.paſtoralis de cau.poſſ.* Lantra.*in clemen.ſæpè.verſ.de plano. de verb.ſignific.* ¶ An pendente appellatione iudex qui tulit ſententiam iniquam poſſit conueniri. ¶An ſi ſententia eſt nulla, iudex faciat litem ſuam. ¶ An iudex qui malè iudicauit, præſumatur per ignorantiam, vide hic Bald.

§. Antequam. 3.

¶Debet de aduentu ſuo mittere edictum. Quod ſe feciſſe ſcribit Cicero *libro 2.epiſtol.ad Appium*, & quid edictum hoc continere debeat, declaratur hoc §.

An & quomodo ciuitas dicatur turbari, vide hic Bald.

§. Rectè autem. 4.

Proconſul antequam ad fines alicuius prouinciæ accedat, mittere debet deceſſori ſe ea die fines ingreſſurum. Ratio eſt, quoniam incertus hic & inopinatus aduentus ſæpiſſimè turbat, aut contumelia afficit prouinciales & impedit eorum actiones & negotiationes.

§. ingreſſum. 5.

¶Epidemia, eſt acceſſus ad ciuitatem aliquam obſeruari plerumque ſolitus. Epidemiam vocant medici morbum populariter vagantem, ſiue vndique ſparſum.

¶*Cataplum.* Hoc eſt, portum ad quem plerumque proconſules applicare ſolent.

Aſiam applicare per mare in prouincia proconſul veniat. Per mare. Budæus *hic.*

Pro more: Aſiam applicari legendum eſſe mauult.

§. Poſt hæc. 6.

Forcat.*dialog.79.num.5.& in aniario cap.9.num.3.* Furne. *lib.30.aduerſ.c* 26.

¶Poſtquam proconſul prouinciam ingreſſus eſt, quid agere debeat, demonſtratur hoc §.

¶An ſemper ratihabitio retrotrahatur: Ratificatio quid operetur, an operetur in præiudiciũ tertij: An ſit infamis ex ratihabitione condemnatus: An requiratur ſcientia ratificationis in ratificatione: An factum poſſit ratificari: An ſententia nulla poſſit ratificari: An de ratificatione quis poſſit criminaliter puniri: An & qualiter probetur ratificatio: An vbi peccatum eſt in forma, valeat ſubſequens ratificatio, *vide hic Bald.*

l. Aliquando. 5.

Hæc lex videtur obſtare §.ſuperiori: vbi enim dixit non poſſe Proconſulem iuriſdictionem mandare legato ſuo antequam prouinciam ſit ingreſſus, hac lege dicitur eum poſſe: ſed hic eſt caſus ſpecialis.

¶An quis iuriſdictionem habere poſſit, & non exercitium. ¶ An vicarij habeat iuriſdictionem ordinariam, & an is poſſit facere alium vicarium: An vicariatus commiſſio poſſit probari per teſtes: An & quomodo cognoſcatur, an quis ſit vicarius delegatus ad vniuerſitatem cauſarum: An pater ex cauſa poſſit conſtituere filium vicegerentem: An mandatum factum à vicegerente arctet & dominum: An mortuo domino expiret officium vicarij, hæ omnes quæſtiones tractantur hic copioſiſſime a *Baldo.*

l. ſolent. 6.

Sripſit in hanc legem Vacca *hoc tit.* Ferrandus.*lib* 1 *explic. cap.* 9. Loriot. *de iuriſdict.axiom.*7.Gillotus.*de imperio iuriſd.lib.1.cap.*7.Bellon.*lib.* 3. *ſuppu. cap.*17.Ioan.Robert.*lib.4.ſent.c.*22.Menoch.*lib.1.de arbi.iud.q.*43. *&* 54. Longouall.*ad l imperium.D.de iuriſd om.iud.nu* 80

Quòd ſententia maior & potiſſima pars iudicij ſit. ¶ An poteſtas gladij committi poſſit, notat hic Baldus. ¶Ex hac igitur lege conſtat eum qui non poſſit condemnare, multo minus poſſe abſoluere, & vice verſa: qua de re vide Felin.*in cap.cum inferior.de maior.& obed.* Vide etiam quæ notat Socin. *in Rub.D.de acquir.poſſeſſ.*

§. ſunt autem. 1.

In arbitrio proconſulis eſt mandare, vel non mandare iuriſdictionem, ita etiam ſi proconſuli liceat mãdatam iuriſdictionem tollere, atque adimere; hoc tamen facere non debet inconſulto principe, quoniam hoc honeſtas requirit, licet re vera facere poſſit hoc.

§. Legatos. 2.

Legati principem conſulere non debent: ſed potius proconſulem ſuum: Vnde proconſul ad conſultationes legatorum reſpondere debet.

§. Non verò in totum. 3.

¶Cuttius *lib.3.ad fratrem cap.*& ita etiam legit Forcat.*in penul.cap.*18. licèt aliter tamen iuris Politia.*miſ ell.ca.*95.

¶Proconſul non debet paſſim Xenia recipere, licèt quandoque poſſit: nõ tamen ea quæ in munus tranſeunt, quamuis pontifex idem permiſerit poſtea ſuis delegatis *conſtitutum.§.inſup.& ex.de reſcrip.* & eſculentum, vel poculẽtum mera liberalitate oblata, quod paucis conſumi poſſit dieb. acciperẽt.

¶Xenia dona ſunt hoſpitibus dari ſolita. Vnde Martialis librum alterum diſtichorum Xenia inſcripſit, ſic & Apuleius Xenium munus hoſpitale appellat. De Xeniis Vitruuius *lib.6.cap.*10. & deriuatur à Græco *ξένος*, qui hoſpitem ſignificat.

¶An emere liceat victualia à ſubditis: An poſſint rectores recipere eſculentum & poculentum: An aſſeſſoribus liceat recipere Xenia, vide hic Bald.

§. ſi in aliam. 7.

Vacca hoc titulo.

¶Cùm honori ſuo. Ratio eſt, quoniam, vt rectè ait Ariſtoteles 1.Ethicorum, laus eſt in honorante, non in honorato.

Ferias dare. ¶Ferias dat Proconſul quoties eas confirmat, & obſeruat: nouas etenim dare non poteſt. ita etiam legatus tenetur obſeruare ferias conſuetas. Metropolitana ciuitas dicitur caput ſuæ prouinciæ.

§. Aedes ſacras. 1.

¶Sarta tecta quæ ſint: Sic in archetypo Florentino legitur, mihi tamen magis arridet Taurel.lectio ſi legamus ſarta tectaque ſint.

§. Cum pleniſsimam. 2.

Proconſul pleniſſimam habet iuriſdictionem. hinc fit, vt omnium partes qui Romæ vel quaſi magiſtratus, vel ex ordinem ius dicũt, ad ipſum pertineant. Accurſius tamen excipiendum putat Conſulem & præfectum prætorio, quaſi conſul maiorem Romæ poteſtatem haberet, quam proconſul in prouincia, aut etiam præfectus prætorio.

l. Et ideo. 8.

Proconſul poſt principem in ea prouincia quæ ſibi demandata eſt maius imperium habet.

l. Nec quicquam. 9.

Ad huius legis intellectum vide Alciatum *lib.2.parad.ca.*3. Alex.ab Alex. *lib.4 genial.dier.c.*19.Gillotum *lib.2.de iuriſd.c.*26. Loriottum *de tutelis axiom.* 59. Corraſ.*lib 2.miſcell.c.*4 Briſſon *lib.2 ſelect.c.*18.Cuiacium *lib.4.obſ.cap.*40. Vaconium *lib.6.decl.n.*80.*&* 81. Vacca *hoc tit.*

Nihil eſt in prouincia quæ procõſuli demandata eſt, quod nõ per ipſum expediatur.

§. Vbi decretum. 1.

Zoannetus teſtitut.*ad D.cap* 15. Ræbardus *pro tribun.cap.8.fol.366.num.*53. *Repetitionum 3.ad l.omnia quæcunque. D de reg.iur.fol.*319.*num.*138. *Repet.1.D.de procur.& leg. Arch.in l.3.C.de ſen.ex peric.recit.nu.5.fol.*317.

¶Cauſæ in quibus plenæ cauſæ cognitio, & decreti interpoſitio requiritur non ſunt delegabiles: Alciat.*ad c.cum ſedem.ext.de off.ordin.& lib.2.parado. c.*3.Budæus *hic.*Vacon.*lib* 8.*decl.n.* 232 Ioan.Long.*ad l imperium.nu.*158. *D.de iuriſd.om.iud.*& vide repetitio.ad hunc §.Pe.Stell. & Mar.Salom. vbi de intellectu latiſſime & notiter Marc Mantuam.

¶Per libellum. Libellus eſt, quam vulgo requeſtam appellamus, qua de re Tranquillus in *Auguſto ca.*53. idem etiam in *Domitiano cap.*17.& *in Aug.c.*5

Digitized by Google

¶Decretum an quot modis ſumatur, vide Mar. Socinum in conſ.25. incip. viſis.

¶An in officio iudicis ſit neceſſarius libellus, vide hic *Bar. in l.4. §. hoc autem. D. de dam. infect.* An in officio iudicis requiratur litis conteſtatio: An quæ ſit differentia inter ſententiam & decretum, vide Bald. & alios *in l. iuſto. D. de acquir. poſſ.* & Cyn. *in l. cum propter. C. de bonis author. iud. poſ.*

¶An iuriſdictio voluntaria delegari poſſit, vide hic Baldum in ſecunda lectura.

§. Circa. 2.

Proconſul circa aduocatos patiens eſſe debet: ſed cum quodam moderamine, ne fortaſſe nimis contemptibilis videatur.

§. De plano. 3.

Ræuardus *d. loco prò trib. cap. 7.* Proconſul cognoſcit de plano inter parentes, & liberos patronos, & liberos obſequia non præſtantes.

¶Planum, & de plano quid, vide Marſil. *ſing. 102.* gloſſ. *in extrauag. ad reprimendam, in verbo de plano, quomodo in crimine læſæ maieſtatis procedatur.*

Clauſula de plano in reſcriptis appoſita, quid importet: An litis conteſtatio requiratur in cauſis ſummariis, vide Bart. *hic, & in l. ſi conſtante. in 4. & 3. quæſt. D. ſoluto matrim.*

De materia huius §. vide Bar. *in l. ſi in lege. in pr. D. loc. & in l. filiusfamilias. in pr. D. de donat.* An in cauſa de plano requiratur libellus, litis conteſtatio, & alia, vide quæ notat Bart. *in l. 1. §. ſi. D. de prætor. ſtipul.*

§. Obſeruare. 4.

Vt ſit ordo aliquis poſtulationum. ¶De ordine poſtulandi, vide Ciceronem *pro Fronteio.*

§. Aduocatos. 5.

Proconſul indulgere debet petentibus aduocatos, quibúſque aliis indulgere debeat, declaratur hoc §.

§. Quæ etiam. 6.

l. Meminiſſe. 10.

Procõſul de cauſis cognoſcere debet, & omnia adminiſtrare vſque in aduentum ſucceſſoris. ¶Hinc ſatis conſtat officium proconſulis non finiendo, donec ſucceſſor aduenerit, eúmque aduenisſe ſciuerit, vnde Romanus *ſingul. 392.* ſcribit, Proconſuli deberi ſalarium totius temporis quo exercuit officium nõ adueniente ſucceſſore, ſic etiam rectè poteſt exercere officium ſuum vſque in aduentum ſucceſſoris ſui, *quæ dec.* vide *Bart. in l. more. de iuriſd. om. iud.*

Vſque ad aduentum. ¶Vſque, dictio, quemadmodum ſumatur, vide Bar. & Bald. hic. vide omnino de hac dictione quæ notat Bart. in *l. à caligato. C. de mil.* & *Oldrad. conſ. 49.*

§. Legatum. 1.

Proconſul non debet remittere legatum ſuum, antequam de prouincia recedat, quod confirmatur authoritate Diui Hadriani.

De materia huius §. vide quæ notat Bart. in l. 1. C. vt omnes iudices tam ciuiles quàm criminales.

l. ſi quid erit. 11.

In hanc legem ſcripſit Briſſonius *lib. 3 ſelect. cap. 9.* vide Harmenop. *6. titu. 14.* Cùm ſuperioribus legibus abundè ſatis de proconſule tractauerit ad officium legati tranſit. Et initio quidem notat, cauſas quæ animaduerſionem requirant ad legatum procõſulis non pertinere, modicam tamen coercitionem legato eſſe permiſſam. ¶Obiter autem notandum eſt, Tria eſſe genera legatorum: primo enim loco ſunt legati proconſulum, *vt toto hoc titulo,* qui habent iuriſdictionem delegatam à proconſule ad vniuerſitatem cauſarum. Secundo loco ſunt legati, qui mittuntur ex prouinciis ad principes, *vt in titu. de legat. l. 2. de iudic.* Tertio loco ſunt legati principis, hoc eſt, rectores prouinciæ. *l. legatus. de offi. præſid.* & hoc de iure ciuili. ¶Iure verò canonico tria etiam ſunt genera legatorum, primò ſunt legati miſſi qui non habẽt iuriſdictionem nec collationem, quique hodie appellantur Nuntij. Secundò ſunt legati nati, quòd officium legationis annexum ſit epiſcopatui, *vt in cap. 1. de off. legat.* & hi habent iuriſdictionem in ſua prouincia, at non collationem beneficiorum. Tertiò ſunt legati à latere, qui collationem habent beneficiorum totius prouinciæ, quique iuriſdictionem habent ad inſtar proconſulum *cap. 2. ex. de off. legat.*

l. Legatus. 12.

Ioann. Robert. *d. c. 22.* Politian. *in Miſcell. c. 78.* Vacca hoc tit.

Duplex eſt hic lectio, quidã enim habẽt negatiuam *Non.* Alij, carent ea.

¶An & quomodo delegatus iudicem dare poſſit, declarat hic gloſſ. Coniunge autem ad intellectum huius legis. *l. cum prætor. 12. §. 2. non autem. D. de iudiciis.* vbi tractatur hæc materia.

¶An delegatus ad vnam cauſam poſſit ſubdelegare certum articulum cauſæ, vide hic Bart.

¶Legatus Proconſulis ante mandatam ſibi iuriſdictionem, ius dandi iudicis non habet, poſt mandatã iuriſdictionem iudicem dare & iubere, iudicare poteſt, non vi mandati quidem, ſed ex lege ſpeciali quæ hoc ei dedit: nam & proconſul ipſe ius dandi iudicis non habet niſi ex lege. *d. l. cum prætor. 12. D. de iudic.*

l. Legati. 13.

Giſſorus *lib. 2. de iuriſd. c. 23.* Cuiacius *lib. 7. obſ. c. 21.* Vacca hoc tit.

Legati proconſulis nihil ſane proprium habent, niſi eis demandatum ſit à Proconſule. attamen legatus Proconſulis iuriſdictionem propriam habet poſt ſubdelegationem, vide Gloſſ. in *l. more. de iuriſd. omnium iudic.*

l. Proconſules. 14.

Vacca hoc titulo.

Faſcibus. Male exiſtimauit Accurſius, faſces pro menſibus. verùm faſces proconſulares hic intelliguntur, de quibus vide Vopiſcum. Faſces etiam erãt faſciculi virgarum, inter quas virgas ſecuris obligata erat, ita vt ferrum in ſummo faſce extaret. quare autem obligatæ fuerint faſces cum ſecuribus, ratio eſt, vt interea dum diſſolueretur, mora quadam magiſtratuum ira deferueſceret, vt auctor eſt Plutarchus. iuſſi autẽ lictores faſces & ſecures quas præferebant, ſoluebant & expediebant: atque virgis primùm, deinde ſecuri percutiebãt, qua de re Liuius *lib. 1. decad. 1.* hinc etiam ſummittere faſces Plin. *lib. 7. c. 30.* Conſ. duodecim faſces: prætores vrbani binos: prouinciales, ſenos præferebant. de his meminit Cicero in Verrem *lib. 5. & pro Aulo Cluentio & de lege Agraria contra Rullum.* adde Socinum reg. 211.

l. Et legati. 15.

Vacca hoc titulo. ¶Tutores dare poſſunt legati proconſulum, quamuis re vera non poſſint: *vt ait l. nec mandante, in pr. D. de tut. & curat. dat. ab his.* Verùm legatus proconſulis tutorẽ non dat ex delegatione, ſed legis beneficio.

l. Proconſul. 16.

Bellon *lib. 1. ſupput. cap. 1.* Vacca hic.

Statim atque Procoſul Romę portam ingreſſus eſt, deponit inſignia magiſtratus, hoc eſt, deponit iuriſdictionem, etiam voluntariam, & omnia iuriſdictionis ſuæ inſignia.

Tit. 17. De offic. præfect. Auguſtalis.

Ad hunc titulum ſcripſit Antonius Vacca.

Præfectus Auguſtalis dicebatur, qui omnia tributa per Ægyptum in cura & prouidentia ſua habebat. ¶Dictus autem eſt Auguſtalis, quia Auguſtus primus eam dignitatem ei præfecto qui Alexandriam inhabitaret conceſſit.

l. Præfectus. 1.

Præfectus Auguſtalis eo ipſo imperium amittit, quòd ſucceſſor intrauit Alexandriam.

Præfectus Ægypti. ¶Præfectus Auguſtalis in Ægypto ab Auguſto conſtitutus eſt, poſt victoriam Actiacam victis Antonio & Cleopatra, Strabo 7. cauſam conſtituendi vide apud Tacitum 2.

Tit. 18. De offic. præſidis.

In hunc titulum extant commentaria Petri Vellei Guenarræ, Vacca hic.

Præſides rectores ſunt prouinciæ dicti, eo quod præſunt. Iſidor. *lib. 8. orig. cap. 4.* vel quia alicuius loci tutelam præſid. aliter tenent, vt ipſemet ait libro *9. tit 3.* ¶Præſides autem quales, & per quos eligi debeant, vide Auth. præſides. Cod. *lib. 1. tit. 4. l. 19.* Quintil. *lib. 3. cap. 9.* ¶Præſes etiam quandoque pro auxiliatore ſumitur, vt declarat Liuius *lib. 6. ab vrbe.* hinc præſides qui vulgò patriarum gubernatores dicuntur, inter eos etiam ſunt legati regis, qui & vicarij dici poſſunt.

l. Præſidis. 1.

Vacca hic.

Præſidis nomen ita generale eſt, vt eius appellatione contineatur quicumque rector prouinciæ, *vide Cuiac.* Si quidem proconſulis appellatio ſpecialis ſit 20. *obſ. cap. 37.* His obiter adiiciendum, Præſidem tribus modis ſumi ſtrictè, largiùs & largiſſimè.

¶An præſidis appellatio omnes magiſtratus comprehendat, vide hic Bal.

l. Præſes. 2.

Præſes prouinciæ adoptare poteſt, & manumittere apud ſe, cui coniunge *l. 5. D. manum. vindict.*

l. Præſes. 3.

Præſes prouinciæ cognoſcit de criminibus in ſua prouincia, per quoſcumque commiſſis, & donec eſt in prouincia eos punire poteſt. At ſi exceſſerit, priuatus eſt. Quantum ad exercitium, in ſua prouincia habet imperium, & in extraneos præſes. Extra prouinciam, an, quemadmodum, & in quibus dicatur priuatus, declarat hic Gloſſ. ſic etiam rex extra regnum non eſt pro rege habendus.

¶Si quid

itized by Google

Si quid manu. ¶ Potius legendum eſſe puto: ſi quod malum.

l.Præſes.4.

Præſes prouinciæ, poſt principem habet omnibus maius imperium, in ea prouincia, quæ ei demãdata eſt. idem etiam de procõſule in l.ſ. vbi diximus.
¶ An quis forum ſortiatur ratione delicti, an iudex extra prouinciam habeat iuriſdictionem, vide hic Bart.

l.Præſes 5.

Præſes prouinciæ dare, nec tutorem nec præſidem poteſt, cui congruit l. vlt. D. de off. prætor.

l.illicitas.6.

Præſes prouinciæ, prohibere debet illicitas exactiones, & violentia factas: & extortas metu venditiones & cautiones, vel ſine pretij numeratione, nec ſufficiunt hæc tantum & prouidere debet, ne quis iniquum lucrum aut damnum ſentiat.

§.veritas.1.

Vide allegatos ab Antonio Del Rio in repet. l. transfigere. Cod. de transact. n. 93. Addatur Paleus quæſt. 108. Aulus Gel. lib. 14. cap. 1 Benedict. Capra in Regul. concluſio. 32. Vacca hic. ¶ Iudex debet ferre ſententiam, ſecundum allegata & probata, non ſecundum conſcientiam. Adde Felinum ad cap. paſtoralis §. quia verò. nu. 23. cum ſeq. ex de off. de leg. Marſ. ſing. 266. iudex. Coraſ. lib. 4. miſcel. cap. 20. Guid. pap. q. 20. vel 29. Cuiac. 12. obſ. 10. Hotom. quæſt. illuſt. 25. quod extenditur, etiam in criminalibus vbi iudex iudicare debet ſecundum allegata & probata, & notat Iaſon in §. ſi minus. Inſt. de action. Imol. conſ. 14.
¶ An iudex teneatur iudicare ſecundum conſcientiam, v. d. D. Flo. in l. ſi ir. imperiene. ad fin. infra ſin. regund. & quod notant DD. in l. 12. C. de ferijs.
¶ Quotuplex autem ſit conſcientia, ponit Bald. in l. fin. verſi. non tamen. C. de pæn. iudic. qui malè iud. ¶ Quid ſit conſcientia, tradit idem Bald. in cap. inſ. cum pridem. ex. de renunc. ¶ An error veritati noceat, vide hic Bald.

§.Ne potentiores.2.

Ad officium præſidis prouinciæ pertinet ne potentiores opprimant tenuiores, hoc eſt, ne impotentes opprimantur à potentibus, ipſi etenim permittere non debet, vt grauentur pauperes & inopes, iudex etenim, hoc eſt præſes prouinciæ, debet eſſe protector pauperum, iis namque ſi ſe grauatos ſentiant, ad præſidem habent regreſſum.
Securitas quid, quanto tempore duret, & quot ſint eius effectus, declarat hic Bart.

§.illicita miniſteria.3.

Præſes prouinciæ, prohibere & deprehenſa coercere debet illicita miniſteria, ſub prætextu adiumentum militares viros, ad concutiendos occaſione multum homines procedentes; ille etiam cohibere debet illicitas exactiones quæ ſub ſpecie quadam tributorum exigi ab aliquo poſſunt.

§.Neque licita.4.

In hunc § Briſſonius lib. 4 ſelect. cap. 4.
An Iudex eccleſiaſticus imponere poſſit maiorem pœnam, quam perpetuus carceris, vide hic Bald.

§.Ne tenuis.5.

Cotta in voce Limin. Tiraquell. connub. leg. 10. nu. 28. Zoannetus reſtitut. ad ff. cap. 21. vbi pro luminæ, lumine legendum putat, vt lumẽ hic pro caſa tenui & humili ſumatur: ꝓ. pꝛperã itaq. Accurſius hic loquutus de candela ac lucerna.

§.Ne quid.6.

Humanæ fragilitatis caſus medico non imputatur: ſed imperitiæ. cap. tua nos. ex. de homi. Nam medicus non ſemper ſanare poteſt, ſicut etiam orator non ſemper perſuadet, ſed ſi per imperitiam aliquid commiſerit, ei ſanè imputari debet.

§.ſicut medico.7.
§.Qui vniuerſas.8.

Bellonus lib. 1. ſuppu. cap. 1. Gillotus de iuriſdict. lib. 1. cap. 7. Zoannetus reſtitut. ad. D. cap. 22. Vacca hic. vbi per vniuerſas prouincias intelligit integras.
Vniuerſi qui prouincias aliquas regunt, ius gladij habent, hoc eſt merum imperium habent, poſſuntque in metallum damnare: ita vt hinc colligere poſſimus, quod qui merum imperium habent, condemnare poſſunt ad mortem, necnon etiam in metallum.
An rector prouinciæ bannire poſſit, vide quod notat Bart. in l. imperium. D. de iuriſd. om. iud. ¶ An metallo dari, & in opus metalli damnari differant: atque metallis dari grauius ſit quam deportari, vide hic gloſſam finalem huius §. ¶ An bannire ſit meri imperij, vide hic Bald. num 3. ¶ An vſufructus finiatur per bannum, atque iudex eccleſiaſticus bannire poſſit, vide eundem.

§.Præſes prouinciæ.9.

Multa remitti poteſt, ex cauſa neceſſitatis & paupertatis præſide prouinciæ, hoc eſt ſi præſes aliquẽ pecuniariter condemnauerit, nec ille condemnatus ſoluere poſſit, remittitur ei pœna propter inopiam: quod ſi ſiat poſtea ſoluendo, non debet tamen poſtea exigi. ¶ An neceſſitas à pœna, & mulcta excuſent, & quæ illa ſint, vide Tiraq. de pœn. tēp. cau. 13. Meno. de arbitr. iudic. cap. 186. Sebaſtian. Medic. tract. de fort. caſib. parte 1. q. 6. & quod mulcta neceſſitatis cauſa remittatur, vide hic Bart. & Alber.
Reprehenſa. Quidam legunt apprehenſa. Alij deprehenſa Budæus verò longè proſſa. Veteres Reprehenſa potius legendum eſſe exiſtimo.

l.Præſes prouinciæ.7.

Ad officium Præſidis prouinciæ pertinet, vt ædificia in eius prouincia reficiantur, quòd ſi quis in eo fuerit minus obediens, poteſt præſes prouinciæ eum compellere. Inuitus enim ædificare, & de nouo reſtituere & deſtruere, quis cogi poteſt. Ratio autem huius legis eſt, quoniam ciuitas ædificiis deformari non debet: quaſi diceret iuriſconſultus poſſeſſorem domus, quæ deformitatem inducit, iudex poteſt cogere, vt eam reformet, vt optimè declarat hic Bald.

l.ſæpe audiui.8.

Iohan. Robert. lib. 4. ſentent. cap. 23 Gouean. lib. 1. lect. c. 33. Si imperator remittat negotium aliquod ad præſidẽ prouinciæ, & ita ſcriptum ſit in reſcripto Imperatoris, Eum qui præeſt prouinciæ adire potes vel poteris, ſanè non cogitur præſes, nec proconſul, multoque minus eius legatus de hoc negotio cognoſcere, ſed in arbitrio præſidis prouinciæ eſt, an velit cognoſcere, vel alij delegare.
¶ Cæſarem noſtrum, Hadrianum nempe intelligit.
¶ Vide Ruin. poſt Bart. ſuper gloſ. in verb. poſſeſſ. in l. Gallus. in princ. in. 7. char. de liber. & poſthum.

l.Generaliter.9.
l.Ex omnibus.10.

Vacca hic.
Correctores autem hi appellantur, quibus aliqua pars prouinciæ mandata eſt, vt videre eſt in l. vnic. circa princ. Cod. vt omnes iud. vide tamen Zaſiũ 1. comment. 2. & 8. Præſidis prouinciæ poteſtas ita ampla eſt, vt cognoſcere poſſit in prouincia quæ ipſi demandata eſt, de omnibus, de quibus alij magiſtratus Romæ cognoſcunt.

l.Omnia enim.11.

Idem repetit hæc lex quod ſuperior. Verum in ſumma ait, quod negotia omnia in prouincialia pertineant ad præſidem prouinciæ.
¶ An præſes prouinciæ relegare poſſit, ambiguũ, verum vide l. relegatorum. §. 2. de interdictis infra.
¶ Romæ varios iudices. Sunt quibus placet, varios iudices valent, ſed tamen priorem lectionem retinendam eſſe cenſeo, vt iudices hic pro magiſtratibus ſumantur.

l.ſed licet is.12.

Quamuis præſes prouinciæ, omnium Romæ magiſtratuum, vice & officio fungi debeat, non tamen ſpectandũ eſt, quid Romæ factum, ſed quid fieri deberet: qua de re vide Ant. Aug. lib. 4. cap. 8. Ratio huius legis eſt quoniã exemplis non eſt iudicandũ, licet aliquando iudicare poſſit, ex iis quæ fiunt.

l.Congruit.13.

Præſes prouinciæ, non ſolum debet prouinciam malis hominibus purgare, ſed etiam in mare, vt notat. Bart. in l. 1. verſ. 8.
¶ An & quatenus liceat inquirere in maleficos, præter allegata hic à Bart. adde gloſ. extrauag. ad reprimendum in verbo inquiſition. Clarus. 5. ſentent. §. vlt. quæſt. 5. 12.

§.Furioſus.1.

Huius §. mentẽ ac ſententiam optimè declaratur à D. Gothof. hicique vide.
¶ Furioſi an parricidij, homicidij, tutelæ male adminiſtratæ, iniuriæ, teneantur. An teſtamentum & codicillos facere an ſponſalia, matrimonium, & ſtipulationem contrahere: an teſtes, iudices, & tutores eſſe poſſint, omnium ſufficiẽtè tractat hic idem D. Gothofredus.

l.Diuus Marcus.14.

Ad intellectum huius legis vide Iohannem Aurpachii lib. 2. alleg. cap. 41.
Quod afflicto non ſit addenda afflictio, vide Iaſonem ad l. ex facto n. 30. D. de vulg. & pupil. & ad l. furioſum. nu. 7. Cod. qui teſtam. fact. poſſ. Cæpol. caut. 2. Corſetum ſingul. diligenter. Quod propter furorem homicidium nõ puniatur, vide Bald. conſ. 348 lib. 3. Angel. in tract. maleſ. in verbo ſcienter. column. 3. verſ. quid in furioſo. Cotta. in verſ. Homicidiũ. Cigno. id l. 5. D. de reg. iur. Iodoc. in prax. crimin. cad 84. n. 6. Viuius lib 2. commun. opin. in verſ. furioſo.
Cum ſatis furore ipſo puniatur. ¶ Hoc eſt etiam quod ait Cicero de Aruſpicum reſponſ.
Quæ poteſt homini maior eſſe pœna furore.
Non forte cu momento. ¶ Quidam hic Cum legendum eſſe exiſtimant, alij Nam ex emẽdatioribus libris verum vtroque modo legatur parũ intereſt.
¶ Si cum poſſit videri ſentire. Perperam in quibuſdam libris legitur, cum ſi poſſit videri ſentire. ¶ Ordine eſſe. ordo quid, vide hic apud Budæum.

l.Illud obſeruandum.15.

Vacca hic.
Iubet hæc lex, vt præſes prouinciæ, non exeat prouinciam niſi voti cauſa, dum tamen non ſtet extra prouinciam per totam noctem: ita vt ex hoc loco facile colligere liceat, quod quædam voti ratione conceduntur, quæ alias non conccderentur.

Abnoctare ¶Quid ſit abnoctare, optime declarat hic Accurſius poſt Bar. ſic etiam anno 1520 conſtitutione Philippina interdictum eſſe comperi cõſiliaris parlamenti, vt ne ab vrbe abnoctarent, duntaxat quominus omnibus conceſſibus curiæ intereſſent, citra comeatum, aut regium, aut cancelarij, cum principe curiæ, qui tum ſupremus appellatur.

l.Senatuſconſulto.16.

Loriottus *de conſanguin.axiom.*38.Vacca hic.

¶ An præſcriptio deſinat currere propter impedimentum ſuperueniens, anque actio ex delicto durante magiſtratu poſſit intentari, & an ſatiſdatio impediat ſequeſtrum fieri, declarat hic Bald.

¶Lis quare in delictis conteſtari magis debeat, quàm in alio: an impedito currat præſcriptio, & an impedimentum tollat præſcriptionem inchoatam, vel inchoandam, vide hic Bart.

l.ſi fortè præſes.17.

Præſes prouinciæ antequam ſucceſſoris cognouerit aduentum, tutorem dare poteſt & authoritatem manumittendi præſtare.

l.Plebiſcito.18.

Præſes prouinciæ nec donum, nec munus capere debet, niſi eſculentum poculentú ve, quod intra dies proximos prodigatur. Officiales ſimiliter non poſſunt munera accipere cui congruit id quod legit *in Deuter.c.*10.quod ſcilicet munera exſecant oculos ſapientum, & mutant verba iuſtorum, ſecundùm Ang.*in l.dubium. C.de teſtib.vide etiam Bart.in l.Aquilius.ff.de donat. Alex.conſ.*206.*vol.*2.

¶Quid differat Donum, munus, & xenium, optimè declarat hic Gloſſa, quare eam vide. Coniunge cum hac lege *l.qui offic. D.de contrah.emp.*

l.Obſeruandum.19.

Vacca hic.

Iudex ſiue potius magiſtratus non debet eſſe leuis ſuis officialibus, ſeu ſubditis, ne alias contemnatur. Ratio eſt, quoniam plerumque accidit, vt ex côuerſatione æquali côtéptus dignitatis naſcatur, qua de re v. Cap.*conſ.*49.

§.ſed & in.1.

Ariſtoteles 1. *Rhetoric.in prin.*

Præſes prouinciæ quando cognoſcit improbos ac nefarios homines, non debet aduerſus eos clamare, ad lachrymandum etiam facilis eſſe non debet, ſi quidam accedant ad eum: id enim non eſt conſtantis & recti iudicis, cuius animi motum vultus detegit.

l.Legatus.20.

Bellonus *d.c.*1.Forcatulus *dialo.*60.Vacca *hic.*

Præſes prouinciæ tria nomina habet, quoniam aut appellatur legatus Cæſaris, aut præſes prouinciæ, aut rector ſiue corrector prouinciæ, quæ duo vltima idem ſignificant.¶Hic de Cõſtantini donatione loquitur Gloſſa, qua de re alibi. ¶An iuriſdictioni quis renuntiare poſſit, Bald.hic.

Prouinciæ abdicando. ¶Abdicare ſe, eſt dicere ſe nolle amplius magiſtratû eſſe, ſicut ſe abdicare tutelæ libro. *Regul.Vlpia.* eſt dicere, nolle ſe amplius tutorem eſſe: quæ abdicatio tutelæ, vt ipſo iure nulla eſt, ſi fuerit tutela legitima, ita abdicatio legitimi magiſtratus ſanè nô valet, ac proinde ſi præſes prouinciæ, cui prouinciam princeps decreuit, ſe abdicauerit, non deſinit eſſe præſes: non amitit imperium. *Liuius lib.*6.*&* 37.

l.Præſes.21.

Si ſeruus vel ancilla corruptus vel corrupta ſit, & de hoc cognoſcat præſes prouinciæ, eum ſeueriſſimé punire debet. Ratio adiungitur, quoniá plus punitur qui bonum corrumpit, quàm qui malum deteriorauit.

Tit.19. De officio procuratoris Cæſaris.

Cuiacius hic *in parat'tl.pag.*13 Briſſon.*lib* 1.*ſelect.c.*18. Procuratorem Cæſaris & rationalem eundem eſſe, optime declarant. Verùm differentiam quádam hic notat Vveſembecius, quoniam qui fiſco præſunt, in vrbe præfecti ærario dicuntur, vt notat Goueanus *lib.*2.*de iuriſd.* at qui in prouincias mittuntur, propriè dicuntur procuratores Cæſaris. Procurator autem Cæſaris inter quos & de quibus iudicet, tradit Cuiacius 3.dicto loco, veruntamé procurator Cæſaris eſt, qui ex mandato Cæſaris cauſas & negotia agit. Ad intellectum huius Rubricæ, vide quæ notat Iaſon hic in lectura de materia iſta.

l.Quæ acta.1.

Cuiacius *lib.*1.*obſ.c.*34.Vacca hic.

Quæ procurator Cæſaris geſſit, ita rata & firma ſunt, ac ſi princeps ipſe feciſſet, dum tamen hoc ad principis commodum conuertatur, qua de re vide Tacitum *lib.*12.

§.ſi rem.1.

Si procurator Cæſaris rem Cæſaris vendat vt ſuam, dominium transferre non poteſt, quamuis nihilominus védere & tranſigere, quo ad commodum Cæſaris poſſit, quoniam bene gerere rem Cæſaris debet.

§.Eſt hoc præcipuum.2.

Si ſeruus Cæſaris hæres inſtituatur, Procurator Cæſaris iubere poteſt ſeruo, vt ſeruitutem adeat, ſic etiam ſi Cæſar inſtituatur heres, ſi iſte procurator adeat eam hereditatem, adquirit eam Cæſari.

l.Quod ſi ea.2.

An procurator priuati, aut adire, aut repudiare hereditatem poſſit, declarat hic Gloſſa.

l.Curatores.3.

Quia *huius pœna.* Sic legitur Florentiæ, idque tuetur Ruſſardes. Norici libri habent, *Quia pœna,* quos defendit Aldobrandinus *in comment. lib.*1.*Inſtit. pag.*79 *col.*4. verùm priorem lectionem plerique retinent. Cuia.19.*obſ.*13.Robert.1.*anim.*21.*in fi.* Anton. Mercator *reſponſ.*1.*c.*21. ¶ Procuratores Cæſaris deportationis pœnam infligere non poſſunt: ratio eſt, quia huius pœnæ conſtituendæ auctoritatem non habent, quoniam propria eorum iuriſdictio eſt, de fiſcalibus & pecuniariis cauſis.

§. ſi tamen.1.

Procurator Cæſaris poteſt colonos improbos à colonia remouere: tumultuoſus enim & curioſus prohiberi poteſt, ne accedat ad aliquem locum.

§.Deinde neque.2.

Poſtquam coloni improbi ſemel à procuratore Cæſaris colonia fuerint remoti, non poſſunt ad eandem iterum reuerti.

Tit.20.De officio iuridici.

Pro intellectu huius tituli vide Briſſonium 4.*ſelect.ca.*20. Deeſt autem hic vox *Alexandriæ,* quæ ſubaudienda eſt, & colligere licet *ex C.eod.titulo.*

De iuridico mentio fit *in l.*41 §.*Lucia Titia. D.de fideic.lib. & in* §.*nos autem.Inſt.de Attiliano tutore.& in l.ſancimus.*30 *C de epiſc.aud.*

¶Iuridicus autem Alexandriæ eſt, qui mandatam iuriſdictionem à principe in ciuitate Alexandrina Ægypti habet, ſic appellatus, quia iura dicit, vt ait Iſid.*Orig.lib.*10.vnde iuridicus dici, quo rite ius dici poteſt, & actio iuridica quæ ſecundùm ius eſt, *Plin.lib.*3 *c.*1.

l.Adoptare.1.

Adoptare quis apud Iuridicum Alexandriæ poteſt. Ratio eſt, quoniam data ei eſt legis actio, de qua legis actione mentio fit *in l.nec adoptare.*3. *D.de off.procenſ.*

l.Iuridico.2.

Tutoris datio conſtitutione Diui Marci conceſſa eſt iuridico Alexãdriæ, hoc eſt, qui Alexandriæ agit, qui iure magiſtratus non competebat. *l.nec.* §.*tutoris. D.de tutelis.*

Tit.21.De officio eius cui.

¶Bellonus *lib* 1.*ſupp.c.*11. Vaconius *lib.*6. *Declar.c.*77.*&* 78.Vacca hic.

¶Ad hanc Rubricam ſcripſerunt Marcus Mantua, Sebaſtia.Sapia Marcus Anton.Bellar. Franciſcus Coſcius Senenſis Eccleſiæ Decanus, & Camillus Plautius. ¶ An idem honor habendus delegato qui eius auctori: an & quis præferendus ordinarius, an delegatus principis: an & quis ſit delegatus: an & quis poſſit ſibi facere vice gerentem: an delegans teneatur de imperitia delegati, declarat hic Alciatus.

l.Quæcumque.1.

Ad faciliorem huius legis intellectum, vide Alciatum *lib.*2.*parad.cap.*1.*&* 6.*& lib.*3.*diſpunct.c.*4. Gillotum *lib.*2. *de iuriſd.lib.*1.*c.*2 4.7.10. Bellonum *lib.*1. *Suppu.c.*1.*&* 2.*&* 14.*lib.*3 *cap.*6.*&* 9.Cuiacium *lib.*15 *obſ.c.*39 Iohan.Robert. *lib.*4.*recept.ſenten.cap.*22.Charondam *de iuriſd.lib.ſing.pag* 47.*&* 54. Cuiac.in *parat.pag.*34. Vaconium *lib.*6.*declar.*79 Vaccam hic. Longoual.*ad l.imperium. D.de iuriſd om iud nu.*147.*vſque ad nu.*159.Balb.*deciſ.*488 Tiraq.*in tract.ceſſan. cauſ.* 1.*lim.num.*71.& Baronem *lib.*1.*Quæſt.anniuerſar.*

In hanc legé ſcripſerunt Pau de Ortano, Marcus Mãtua, Iacob.de Nigris, Sebaſtia.Sapia.Marius Salomon, Marcus Anto.Bellarma & Camillus Plaut.

¶An imperator & delegatus principis poſſit delegare cauſam meri imperij, vide hic Bartol ¶ Huius rei fortiſſimum argumentum. Argumentum à contrario ſenſu fortiſſimum eſſe ait hoc loco Papinianus, quod ſane intelligendum eſt, dummodò cõtradictio, aut aliud abſurdum ex eo nô ſequatur, vt notant Doctores *in l.conuenticulam.C.de epiſc.cycler.* quando autem habeat locum argumentum à contrario ſenſu, & an hoc habeat locum in contractibus, vide Bald.*in l.vendit.actio.C.de act.emp.& Alex.conſ* 5.*&* 95.*lib.*4.

§.Qui mandatam.1.

Delegatus non habet Iuriſdictionem propriam, ſed fungitur officio vice delegantis, etiamſi habent modicam coercitionem. ¶An delegatus iuriſdictionem propriam habere poſſit, vide primo gloſſam, hic poſtea Bart.*in l.a iudice.in pr.ff.de re iudic.& in l.fi.C.eo.Bald.hic.* ¶An imperium merum poſſit delegari, declarat hic Bald. ¶More maiorum, Sic *in l.more maiorum. D.de iuriſd.om.iud.& in l.pœna. D.de pœn.ſeruitu.*

¶Adde huic legi quædam ex repetition. 6.*fol.*571.*num.*37. *&* 1 *fol.*319.*nu.*150.*&* 5.*fol.*350.*num.*150.

l.Mandata.2.

Loriottus *de iuriſd.axiom.*31. Vacca hic. Iacobus de Nigris.

¶Iu-

¶ Iuriſdictione à præſide alicuius prouinciæ mandata, is cui mandatur conſilium exercere non poteſt. ¶ Quid autem eſſet conſilium, ignorat hoc loco Accurſ. qua de re vide Vlpian. in Frag. Theophil.

¶ Adde Alciat. *lib. 2. paradox. cap. 1. vlt. in col.*

¶ Adde ex repetitionum. 1. *fol. 308. n. 23. & f. l. 314. n. 40.*

§. Si tutores. 1.

Delegari non poteſt venditio rerum minoris, quod intelligendum eſt, niſi præſes abeſſe debet, vt notat hic Albericus, quod autem tutor vendere poſſit, ſine decreto rem minoris, cum ei à teſtatore permiſſa eſt alienatio, vide Ang. *conſ. 185.*

l. Etſi prætor. 3.

Vacca hic. Iacobus de Nigris.

Quamuis delegatus fuerit, aliàs iudex ordinarius, in cauſa delegata fungitur vice delegantis.

¶ Quomodo autem hæc lex intelligenda ſit, optimè in additionibus.

l. Cognitio. 4.

In hanc legem vide Robert. *d. cap. 22.* Loriotum *d. axiom. 31.* Gillotum. *D. lib. 2. cap. 23.* Vaccam hic, & Cuiacium *in parati. pag. 22.* & Iacobum de Nigris: Vaconium in lib. *6. declarat. 80.*

¶ Innuit hac lege I.C. Macer, quod ſuſpecti tutoris cognitio delegari poſſit, ita vt proconſul cognoſcere poſſit, de ſuſpecto tutore, vt legato ſuo cognitionem eam delegare poſſit, quamuis tutores dare non ſit iuriſdictionis, ſed commiſſionis factæ per legem, *vt notat hic. Bald.*

¶ An confirmatio tutoris poſſit delegari, anque delegatus ad cauſam poſſit dare minori curatorem, declarat hic Bald.

¶ Adde gloſſa §. ſi verò *in verb. iudex in auth. de exhib. & introduc. reis & Bar. in l. 4. §. ſi intra de damno infect. & in l. iubere cauere. de iuriſdict. omnium iudic.*

§. Vt poſſeſſio. 1.

Theodorus Streimannus *Harmonia. 283.* Vaconius *lib. 6. declar. 80.*

Hoc. §. continentur quinque caſus, quorum cognitiones aliis delegari poſſunt?

l. Mandatam. 5.

In hanc legem ſcripſerunt Robertus *cap. d. 22.* Bellonus *d. cap. 6.* Gillotus *D. cap. 30.* Vaconius *lib. 6. declar. 84.* Vacca hic Iacobus de Nigris. Sebaſtian. Sapia. ¶ Iudex delegatus delegare non poteſt, licet modicam coercitionem habeat: ita vt ex hac lege manifeſtè concludere poſſimus, delegatum delegare non poſſe, vt pluribus declarat hic gloſſa prima.

¶ *Adde fol. 316. n. 91. Repetitionum. 1.*

§. Mandata. 1.

Si alicui cauſa delegetur, merum imperium aut mixtum ei ſanè non delegatur, verum modica tantum coercitio. ¶ De materia huius legis, vide gloſſ. *in cap. ex literis. ex. de off. de lega.* & Angelum in *l. Magiſtratib. D. 1. de iuriſ. om. iud.* vbi copioſè declarat in quo non conſiſtat modica caſtigatio. & quod iuriſdictio ſine modica coercitione nulla eſt. ¶ Ad eius declarationem, vide Panorm. *in cap. cum contingat. ex. de foro compet.*

Tit. 22. De officio adſeſſorum.

In hunc titulum vide Briſſonium *lib. 1. ſelect. cap. 12.* Menoch. *de arbit. iud. caſu. 253.* Vaccam hic. Iacobum de Nigris, Marcum Mantuam, Sebaſtianum Sapiam. ¶ Adſeſſor eſt, quem ſibi iudex ad deciſionem cauſarum aſſociat.

¶ Siue autem ſcribatur per D. ſiue per duplex. S S. parum refert: verū cōmunius tamen ſcribitur per D. habita ratione ſignificationis. Quapropter aſſeſſor, præſidis pars videtur eſſe. *l. omnis. Cod. Theod. de his qui adm. vel off. pu. ger. trad. ſit.* vnde ſic ait Cicero primo de Diuinatio. & pro Cluētio, namque & Athenienſes omnibus ſemper publicis conſiliis, diuinos quoſdā ſacerdotes, quos Mari rex vocant adhibuerunt & Lacedemonij regis ſuis augurem, aſſeſſorem dederunt. ¶ An aſſeſſor dicatur habere dignitatem. Aſſeſſor quis, vide hic Alciatum. In iure verò aſſeſſor minorem iudicem ſignificat, quos in conſiliis adhibere ſolebant, *vt videre eſt in l. penul. & vlt. huius tit. & l. 1. C. eod.* quique cauſas delegare poterant, quos neſcio an aliquando pedanei appellati fuerint, à quorum ordine nihil differre dicuntur. *Nouell. 60.* quamuis pedaneos datos aut delegatos iudices ſignificare exiſtimem, ad vnam atque alteram cauſam. ¶ Aſſeſſores perpetuos ſuis præſidibus illis totum ſeruire, quibus cauſæ partem Iuſtinianus committi permittit. & *Nou. 82.*

l. Omne officium. 1.

In hanc legem Cuiacius *lib. 7. obſ. cap. 25.* Vacca hoc Titulo. Iacobus de Nigris. Hac autem lege declarat I.C. quod ſit aſſeſſoris officium. Ac primo cōſiſtit in cognitionibus cauſarum, tam ciuilium quàm criminalium. Secundo in poſtulationibus, vt ſcilicet videat, an ſit infamis, is qui poſtulat, necne. Tertio in libellis conuentionalibus recipiendis. ſi bene concipiantur necne. Nam ſi male conceptus fuerit, iudex poteſt eum reſpuere, imò etiam diſcindere, parte etiam non petente, *vt notat gloſ. in l. 2. Cod. vt nemo priuatus.* Ratio quoniam liber de re illicita factus, ſeu rem illicitam continens, non eſt à iudice recipiendus. Quarto in edictis generalibus, in communi totius ciuitatis, & in omnium perſonis. Quinto in decretis ſpecialibus, vt ſcilicet permittatur cauſa vna, vel non. Poſtremo in epiſtolis iudicibus alterius ac longinquæ prouinciæ mittēdis pro exequēdis ſentētiis & teſtimoniis audiēdis.

¶ An aſſeſſores iudicare poſſint, in cauſa aſſidere dicantur, vide hic Bart. *ad* adde Bald. *in Auth. ad hæc. Cod. de iudic.* immo eſt ab ipſo lacerandus, *vt not. gloſſ. in l. 1. D. ſi menſ. fal. mod. dixer.* Poteſt etiam iudex libellum ineptum lacerare, vt notat Bald. *conſ. 106. & conſ. 182.*

l. Liberti. 2.

Iacobus de Nigris. Liberti adſidere, aduocare ac poſtulare poſſunt, verum quamuis infames non prohibeantur legibus adſidere, at tamē non poſſunt adſeſſoris officio fungi. *l. 2. atque. C. de dignit.* quamuis reuera arbitri eſſe poſſint. *vt l. 7. infra de arbit.*

l. Si eadem. 3.

Briſſonius *d. cap. 12.* & Iacobus de Nigris.

¶ Huius legis intellectus facilis erit, ſi ita ponamus exemplum, Gallia & Anglia in duas prouincias ſuit diuiſa. i. ſub duobus præſidibus cōſtituta, quamuis reuera olim ab initio, vna eadē terra ac prouincia eſſet. certè is qui natus erit in Anglia, adſidere poterit in Gallia, & è cōtra etiam ſi quis in ſua prouincia non poſſit adſidere, niſi cum priuilegio ac permiſſione principis.

¶ Ad id quod dicit ibi gloſſ. tu vide Riminald. in rubr. *ſoluto matr. char. 40.*

l. Diem functo. 4.

¶ Pro intellectu huius legis conſule Charondam *lib. 1. veriſimilium cap. 5.* & Forcat. *dial. 62. per totum*, diſputans contra Alciatum *lib. 4. diſpunct. cap. 20.* Menoc. *de arbit. iud. c. ſ 254.* Martreſium *in notu. cap. 2.* Iohan. Bap. Caccialup. Marcum Mantua, Iacobum de Nigris, Sebaſtian. Sapia, Hieron. Cagno.

¶ Si præſes prouinciæ decedat, qui habuerit adſeſſorem, ſanè is ſit aſſeſſor ſalarium totius temporis petere poterit, etiam ſi non completum tempus. Ratio autem eſt quoniam tempus pro completo habetur, quod impleri per nos non ſtat.

¶ Legato Cæſaris. Legatum Cæſaris accipit hic Contius pro præſide, quæ quidem interpretatio deſumpta eſt, *l. penul. ff. de off. præſ.*

¶ Præſtitum. Malè ac perperam, & contra Latinè loquentium conſuetudinem exiſtimat Accurſius, præſtandum legendum eſſe, malumque itaque præſtitum vt id ad tempus referatur.

Vide Alciat. qui legit præſtitutum, non præſtitum, & totam l. de ſalariantem, *in l. 4. cap. 2. diſpunct.* ¶ Principalis intentio iſtius l. eſt, v. defuncto legato Cæſaris, nondum expleto officio eius, quod ſalarium debeatur communitatibus reſidui temporis, nec eſt verum quod Doct. dicunt, quòd legatis præſtitum eſt, hoc præſtandum, quia eſt violare tex. Nam illa non fuit intentio I.C. patet in *l. diem functo ff. locati. vbi loquitur per verb. præſtandum.* Præterea non eſt facienda vis in illis verbis, quia ſunt verba narratiua, & veniunt in conſequentiam præcedentium.

l. Conſiliarij 5.

Iacobus de Nigris.

Aſſeſſor poſtulare non debet in ea cauſa in qua fuit aſſeſſor. vide tamen Alciat. *lib. 4. diſpunct. cap. 20.* vbi diſputat an conſiliarius pro aſſeſſore, & vice verſa aſſeſſor pro conſiliario ſumi poſſit.

l. In conſilium. 6.

Aſſeſſor quis & procurator ſimul in terra ſua, eſſe poteſt.

¶ Curatoris Reipublicæ. Falſò ac mendoſè curator Reipublicæ hic ab Accurſio pro Cæſaris procuratore ſeu rationali ſumitur. cum potius ſit curator ciuitatis & municipij. qua de re tractat Corraſ. *3. miſcell. 6.* & Antonius Vacca *hic.* ¶ Præterea male hic Reſpublica & fiſcus pro eodem ſumuntur: ſed de hac re nihil ad hunc locum. vide Pyrrhum *in l. 1. Cod. de iure fiſci.*

LIBER II.

Tit. 1. De Iuriſdictione omnium iudicum.

EOrum qui de Iuriſdictione antea ſcripſerant ſententias confutauit, Lōgouallius, edito copioſo tractatu Lōgouallij. Gillot^{9}. Gilloti, Loriottus: Loriotti, Baro: Baronis Gouean^{9}, & Duarenus Goueano pro Barono reſpondit Eduardus Henriconus. Scripſit etiā Charondas ea de re tractatū. Multa quoque Vaconius *lib. 6. declara. 78.* Māſit res per ſe ſatis aperta incertior quā antea, ſæpe nimirum litigando veritas amittitur. ¶ Quod autem ad inſcriptionem huius tituli attinet quidam legunt ſimpliciter de Iuriſdictione. Vulgata eſt de Iuriſdictione omnium iudicum. ¶ In hanc Rubricam etiam ſcripſit Sebaſtianus Sapia.

¶ Malè Cuiacium in paratitlis definire iuriſdictionem quidam exiſtimāt: ſed re proprius ac diligentius conſiderata non rectius, quàm alij.

l. Ius dicentis officium. 1.

In hanc legem reſcripſerunt Vacca. Duarenus *lib. 1. diſput. cap. 53.* Iohan Robert. *lib. 4. recept. ſent. cap. 22.* Bellonus *lib. 1. ſupput. cap. 7. &* 8 Corraſi^{9} *lib. 3. miſcell. cap. 18.* Corraſius *epiſtol. quæſt. cap. 2. & cap. 9.* Iacobus Concenat. *lib. 1 quæſt. cap. 4.* Anto. Guibertus *lib. quæſt. cap. 10.* Vvaltherus *lib. 1. miſcell. cap. 1.* Prateius *ſententia. cap. 6.* Sebaſtian. Sapia. Zaſius, Alciatus *fol. 315. numero. 64. Repetitionum. 1.*

Iuriſdictio quid. ¶ An dare bonorū poſſeſſionem, hodie ſit mixti imperij.

¶ An iudicem delegare ſit iuriſdictionis. ¶ An officium iudicis & iuriſdictio ſint idem, & in quo differat à iuriſdictione. ¶ An & quotuplex ſit officium iudicis. an iuriſdictio cohæreat territorio: declarat hic Bart. & Zaſius.

¶ Si iudex iniquè iudicet, an dicatur ius. ¶ Officium iudicis quidquam latum, mercenariū, & nobile quid. ¶ Sētentia quo iudicis officio feratur & exequatur. ¶ An iudicare ſit munus publicū: Territoriū quid, vide hic Zaſ.

l. Cui. 2.

Supradicti authores omnes in hanc legē etiā ſcripſerūt, & præſertim Zaſ.

¶ Conceſſo vno, omnia videntur conceſſa, per quæ deuenitur ad illud. *Adde Marſ ſing.176 conceſſo.* Felin. *ad cap. præterea. colum. pen. D. de off. deleg. n.4* Bald. *ad l.1. col. penul. nu.9. Cod. ſi rector prouinciæ.* Sed quando conſequens eſt, maius non videtur concedi ei cui permittitur antecedens, quod eſt minus. Bart. *hic* Rom. *ad l. illud. D. de adquir. hered.* Iaſo *ad l. properandum. §. & ſi quidē. col.3 nu.9 in fin. Cod. de iudiciis.* Cotta *in memor. in verbo conceſſione,* & vide quæ habes *ad l. rem mobilem. D. de procurat.*

An delegatus, citare verbo & re, & mittere in poſſeſſionem ex primo decreto poſſit, tradit hic Bart.

l.Imperium.3.

Præter citatos ad Rubricam & ad l.1 *iuncta l.2.* adde Bellonum *lib.3. ſup. cap.4 & 5.* Prateum *ſenten. cap.7.* Marreſium *in notis cap.3.* Corraſium *lib.3. miſcell. cap.17.* Couarruuiam *lib.1. reſolut. var. cap.20.* Vvaltherū *lib.1. miſcell. cap.2.* Ferrandum *lib.2. explicat. cap.11.* Cuiac. *in parat. hic & lib.4. obſ. cap.15.* Vaccā hic Viglium. *§. Inſt. quib. non eſt perm. fac. teſtam.* Optimè Bartholomeus Faius *in præfatione, ad opera Connani.*

¶ De gladij poteſtate nonnulla Turnebus *lib.12. aduerſ. cap.6.*

¶ Copioſe repetiit hanc legem Hippolytus de Riminaldus, vltra quæ latiſſime ponunt omnes ſcribentes, de materia Imperij, & an hic ſit differentia, vide Alciat. *lib.2. parad.7. & 8.* & ad hunc textum vide Plautpero *in repet. l.1. D. de offic. eius cui mand. eſt iuriſd. num.78.*

¶ Quæ ſunt meri & mixti imperij, delegari non poſſunt, vt hic not. gloſ. adde Socin. *reg.84. delegari.* ¶ Præter ſupradictos adde Cuiacium *lib.21. obſ. cap.30.* qui hanc l. omnium copioſiſſime explicat.

¶ An delegatus ſubdelegare poſſit iuriſdictio in genere ſumpta, quid & vnde dicatur: an imperium merum & mixtum comprehendantur, ſub iuriſdictione: an & quare dicatur merum imperium, quid ſit, quibus iudicibus competat, an poſſit delegari Alciat. hic mixtum imperium, quare ſic appelletur, quid ſit, quibus, quotuplex cōpetat, quot eius ſint gradus: Iuriſdictio ſtricte ſumpta quid, quot eius ſint gradus: hæ omnes quæſtiones fuſiſſimè tractantur à Bart. hic. Alciato & Zaſio.

¶ An ſententia & merum imperium opponantur, vt ſpecies: an notare aliquem infamia ſit meri imperij: an ſententia lata in cauſis ſummariis, ſit diffinitiua mera: an conceſſa iuriſdi. generaliter veniat merum imperium: an corporis coercitio modica, ſit meri imperij: an accuſatio ſit ius diſtinctum, ab officio iudicis, & ab actione: an ſolus princeps & dux habeat merum imperium: an populus Romanus, præfectus prætorio poſſit facere legem.

¶ An mutilatio membri, ſit pœna capitalis: an miſſio in carcerem, vt leuis ſit mulcta meri imperij: an ſit ius mulctandi, tranſeat in delegatū. *Alciat hic.*

¶ An & quæ ſit iudicum differentia. ¶ Quis poſſit interponere authoritatem in arrogatione. ¶ An facultas creandi tabelliones, ſit reſeruata ſoli principi. ¶ An præfectus prætorio poſſit ſententiam nullam confirmare.

¶ An reſtitutio in integrum de iure digeſtorum, vel de iure Codicis.

¶ An miſſio in poſſeſſionem ex primo vel ſecundo decreto poſſit delegari: vide hic Alciatum. ¶ Imperium variè ſumptum. Gladij poteſtas in quibus conſiſtat Magnum, maius, maximum, paruum, minus imperium merum: magnū mediocre, paruum, mixtum imperium. Iuriſdictio maior magna, parua quid. ¶ An & cuius ſit imperij tortura, incarceratio, excommunicatio, crimen ciuiliter intentatum.

¶ An & quid iuriſdictio importet. Zaſius hic.

l.iubere cauere.4.

Vacca hic.

¶ In poſſeſſionem mittere & iubere caueri imperij eſt, non iuriſdictionis, ſed quo ſenſu, an comparate, id eſt, an quia iuſſus ille imperij eſt, & iuriſdictionis, magis tamen imperij quàm iuriſdictionis, vt vult Accurſ. an potius electiuè, vt iuſſus ille ſit imperij mixti, non iuriſdictionis, vt dicit Bart.

¶ Circa materiam huius legis, vide Bapt. Caccialup. in ſua repet.

l.More maiorum.5.

Bellonus *lib.1. ſuppu. cap.11.* Loriot. *de morte axiom.16.* Vacca *lib.6. declarat. 84.* Menoch. *de arbit. iud. lib.1. quæſt.68.* Vacca hic.

¶ Delegatus delegare non poteſt, etiam ſi principis vel populi delegatus, ordinarium & delegatus proconſulis deleget. Ratio eſt, quoniam is demum iuriſdictionem mandare poteſt, qui eam ſuo iure ordinario non alieno beneficio habet.

More maiorum. ¶ Quod hic dicitur more maiorum, alibi dicitur moribus. *l.1. §.1. D. de offi. eius cui mand. eſt iuriſd. l. pæna. 9. D. de parricid.*

¶ An & per quem iuriſdictio ordinario detur. ¶ An, quot & qui ſint vicem gerentes. ¶ An & qualem habeant conſeruatores iuriſdictionem.

¶ An delegatus ſubdeleget. ¶ An, quotupliciter & quibus modis detur. vide hic Zaſium.

¶ Verum morte principis extinguatur delegatio facta à principe.

¶ An & quis det iuriſdictionem ordinariam, & delegatam. vide hic Bart. Adde huic legi, ex repetitionum. 6 *fol.571. n.29.*

l.Et quia.6.

Limitat Socin. in reg.154.

¶ Princeps dat iuriſdictionem ordinariam, quinque modis. Lege oraculo, priuilegio, cōſuetudine, & vetuſtate, de quibus modis, vide Gloſſam hic, & textum, in quo hi quinque modi coniuncti in can. conquæſtus. 9. q.3.

Adde *fol.317. n.108.* Repetitionum 1 & *fol.534. n.113.* Repetitionum.3.

l.ſi quis.7.

Corraſius *lib.4. miſcell. cap.6.* Menoch. *de arbit. iud. caſ.281.* Forner *lib.1. ſelect. cap.24.* Cuiacius *lib.10. obſ.10.* Duarenus *lib.5. diſput. cap.48.* Hotoman. *lib.1. obſ in.* [illegible] *cap.14.* Vacca hic. His adde Cuiacium *lib.21. obſ. cap.24.*

In hac lege continetur edictum Prætoris, de albo corrupto.

§.ſerui quoque.1.

§.Quod ſi dum.2.

§.in ſeruos.3.

Vide Ariſtot. lib.5. *Hecatonomon.* & Xenopho. *apomnem.*

§.Doli mali.4.

§.Hoc verò edicto.5.

l.Adeo quidem.8.

l.ſi familia.9.

Zaſius *lib.2. intellect. cap.28.* Charondas *lib.2. veriſim. cap 3.* Cuiac. *lib.8. obſ.c.20.* Alciat. *lib.2. parad. cap.16.*

Familia quid, vide hic *Alciatum leg.4. in f. l.146 195 196. D. de verb. ſig.*

l.Qui iuriſdictioni.10.

Duarenus *lib.1. Diſput. cap.51.* Loriot. *de conſang. axiom.33.* Vacca hic Vldaricus Zaſius.

Recuſationum materia tractatur hac lege, quemadmodum ſit, ſcilicet recuſentur iudices ſuſpecti, in qua quidem materia regula eſt, neminem eſſe idoneum, vt in ſua cauſa ius dicat, quæ tamen regula varias recipit exceptiones. Et qui in principe, in ſua ipſe cauſa cognoſcat ac iudicet. *l. proximè. D. de iis quæ in teſtam. delent.*

¶ An filius poſſit eſſe arbiter in cauſa patris, declarat hic Bart. Pater an & quādo pater filij ſit iudex. ¶ An & quando vindicare ſe liceat Zaſius hic.

l.ſi idem cum.11.

Charondas *dicto loco.* Vacca *hic* Vldaricus Zaſius.

De Coacervatione debitorum, hac lege tractatur, ita vt huius legis talis fingi poſſit quæſtio, in variarum ſummarum deductarum in iudicium fieri debeat coaceruatio, quod quidem aſſerit hæc lex in principio. Negat autem reſponſum primum huius eiuſdem legis, quod vt concilies, tres diſtinguendi caſus. Primus quum vna quidem eſt actio, ſed communis plurium, quo caſu fieri ſeparatio non poteſt, *vt hac eadem l. §. vlt.* Secundus cum vna eſt quidem actio, & vnius propria, ſed varia habens capita, ſeu varias ſpecies, quo caſu fieri etiam ſeparatio poteſt. *l. ſi cui ad. §.1. D. de appell.* Tertius quum actiones plures ad diuerſas cauſas pertinentes, eidem contra eundem competunt, quo caſu ſequere diſtinctionem Bartoli.

§.ſed & ſi mutuæ.1.

De mutuis petitionibus hoc paragrapho tractatur; cuius quidem § tres hic aſferuntur ab Accurſio intellectus, quos vide. Obſeruandum eſt tamen duos priores, licet prima fronte veri videantur, non explicare mentem huius §. ita vt ſolus tertius conueniat.

§.ſi vna.2.

§.Magiſtratibus.12.

Vacca hic.

Magiſtratus ſimpliciter ſumptus quos contineat. ¶ An confeſſio coram inferiore iudice facta, coram ſuperiore præiudicet, vide hic Zaſium.

l.Eum qui.13.

Menoch. *de arbit. iud. lib.1. quæſt.2.* Vacca hic.

Pro intell. vide Dec. *in l.1. numer.27.* Contrarium tamen dicunt Fulgo *D. de offic. eius cui.* vide Socin. *in l.1. D. quis & à quo. col.7. ver. contra iſtam concl.* vide Gl. in ver. qui magiſt. *in prin. D. quod quiſque iur.*

An iudex ordinarius, quiſquis ille ſit, delegare poſſit, quæque ad delegationem requirantur, vide hic Zaſium.

§.Magiſtratus autem.1.

l.Eſt receptum.14.

Zaſius *lib.2. ſing. reſponſ.19.*

De prorogatione iuriſdictionis, hic tractari poteſt, de qua, & quid ſi prorogatio iuriſdictionis, quidue operetur, vide Gloſſam. *1. l. 2. C. hoc tit.* An & qui poſſint iudicare in cauſa propria, vide hic Zaſium.

l.Si per errorem.15.

Vldaricus Zaſius hic. Corraſius *lib.4 miſcel. cap.11. & epiſt. quæſt. cap.16* Cuiacius *1. obſ 32.* ¶ Loco autem præſidis, præſentem reponit, Cuiac. dicto loco.

¶ Vide Socin. regul. 212.

Prorogatio in quibus fiat: declarat Zaſius *initio huius legis.*

l.ſolet.16.

Vacca hic.

An ſit differentia inter eum cui delegata eſt vniuerſa iuriſdictio, & illum cui delegata eſt ſpecies iuriſdictionis. ¶ Delegare vnam ſpeciem quid ſit.

¶ An ille cui delegantur cauſæ caſtri, vel illæ poſſit eas ſubdelegare.

¶ An delegatus dicatur habere aliquam iuriſdictionem, copioſe Bart. hic.

¶ An & quotuplex ſit delegatio cauſarum. vniuerſale & generale quomodo differant. ¶ An poſſit recuſari iudex familiaris aduocato, explicat hic Zaſius.

l.Prætor ſicut.17.

Pileus quæſt.96. & 124.

l.ſi conuenerit.18.

Couarruuias ad *cap. quamuis parte.1. & 4. n.7. de pact. lib.6.*

¶ Hanc

by Google

¶ Hanc legem quemadmodum cæteras omnes Affricani, elegantiſſimè & optime explicat Cuiacius, edito commentario ad omnes Affricani leges. Vide Guretium *reſolut. pass.* 1. c. 28. & Vldaricum Zaſium.

¶ Quando locum habeat hæc lex, vide deciſ. 48. Ioſſ. edi & *repetitio.* 6. *fol.* 207. *n.* 5.

Pacto de litigando coram iudice, non ſuo quis ſtare non cogitur, vltra ſcrib. hic, de intellect. per Alciat. *lib.* 2. *par. cap.* 17. Corraſ. *lib.* 4. *miſcell. cap.* 5. Sapia. *ad l.* 2. *n.* 16. *D. de iudicijs.* Bald. *deciſ.* 48. Goz. d. *ad leg. Si quis in conſcribendo. nu.* 5. *Cod. de pact.* per Decium *ad cap.* 1. *ex. de iudic. n.* 92. *vbi* Rip. *n.* 48. Gondi Villa *in tract. de leg. q.* 8. *nu.* 35. 14. *volu. tract.* ¶ Nemo videtur inueniſſe veram rationem decidendi ad hunc textum, *vt ibi per eos.* Dic tamen conſiderada eſſe hæc ſequentia, quòd prorogatio ſit odioſa *not. ad cap.* 1. *&* 2. *de reſcrip. in* 6. Item quod etiam videtur no omnino eſſe cepta iuriſdictio, donec iudex qui prorogatur non acceptauit. Abbas *ad cap.* 1. *de iudic.* Nam ſi litigatores ipſos ſpectes, verum eſt eam perfici. Non tamen ibi negatur, non requiri conſenſum iuriſdic. Vnde locus eſt pœnitentiæ, ante litem conteſtatam, Ratio dubitandi procedit ex materia fauorabili, non in odioſa.

¶ Vide Math. *ſing* 106. *n.* 4. *fol.* 259. *&* *col.* 3. *fol* 34. *Conuer.*

l. Cum quædam. 19.

Zaſius *lib.* 2. *intellect. cap.* 18 Loriottus. *de Tutelis axiom.* 51. Prateius. *in verſ.* 2. *&* *geminat. cap.* 97. Sebaſtianus Sapia.

¶ Vide gloſſ. *Inſtit. de patria poteſt. in verbo, indiuiduam. & quod ibi Aret.*

¶ De præuentione facta ante mutationem fori, & domicilij, hic à quibuſdam tractatur.

§. Quoties. 1.

Vide Romanum *ſing.* 40.

l. Extra territorium. 20.

Vide ad hanc legem repetitionem Hippolyti de Marſiliis. Corraſ. *lib.* 4. *miſcell. cap.* 4. Vaccam hic: Sebaſtianum Sapiam & Vldaricum Zaſium: & quibus adde Gothof. hic qui pluribus hanc explicat.

¶ Adde & l. ſi quis ex aliena. D. de iudi. Marc. Mant. fol. 842. & c. ſtatuto. §. 1. *de conſt. in* 6. Marc. Mant. *ſing.* 141. Marc. Mant. *ſing.* 671. *n.* 1. *fol.* 946.

Tit. 2. quod quiſque iuris.

In hunc tit. extant Corraſij commentaria dicto loco, & *Vacca hic.*

¶ Hic autem titulus appendix eſt tituli, de Iuriſdictione omnium iudicum, qui quidem materiam difficilem, & ſubtilem continet, vt teſtantur Bartolus & Zaſius *hic*, ita vt commendabilis ſit, de iure naturali, diuino, humano, & ab ipſa æquitate.

l. Hoc edictum. 1.

In hanc legem vide Duarenum *lib.* 1. *diſput. cap.* 49. Ferrandum, *lib.* 1. *explicat. cap.* 11. Cuiacium *in paratit. pag.* 15. Loriottum *de iure axiom.* 44. Vaccam hic Alciatus.

An ſtatutum magiſtratus iniquum retorqueatur contra ſubditos: An ſtatuta ſtatuentes ligent, vide hic *Zaſium.*

§. qui magiſtratum. 1.

§. Hæc autem verba. 2.

Cuiacius *lib.* 8. *obſeru. cap.* 21.

Verba futuri ſubiunctiui, quando veniant ſub præterito vel futuro: An & quando conatus puniatur. *Zaſius hic.*

l. Hoc edicto. 2.

Vacca hic.

An & quare in poteſtate requiratur dolus, & non in aſſeſſore, *vide hic Bar.*

¶ Iudex doloſe ius iniquum pronuntians, ad quid teneatur, Zaſius hic.

l. Si quis iniquum. 3.

Loriottus *de priuilegijs axiom.* 3. Cuiacius *dicto loco.* Vacca hic.

¶ Vide Gloſſ. *in l. ſi quis non dicam rapere. C. de Epiſcop. & Cler.* in gloſſ. *quæ citat hanc l. & tollit contrarium, de quo ibi in gloſſ. in verb. licet vſus non ſit.*

¶ Pœna debita ex cauſa iniquæ impetrationis, non euitatur, licèt ei renuncietur, de quo per *Innoc. in cap. ex conqueſtione, de reſtit. ſpoliat. ex.*

¶ An & in quem retorquutio habeat locum, De iure nouo & quomodo retorqueatur, An & quando proprius motus non expreſſus, intelligatur expreſſus, *Zaſius hic.*

§. ſi procurator. 1.

An procurator ſemper obliget dominum ſi delinquat. An procurator iuri pro domino impetrato, vti poſſit. *Zaſius hic.*

§. Hæc pœna. 2.

§. ſi quis. 3.

§. ſi filius. 4.

§. quod autem. 5.

§. Illud quoque. 6.

§. Ex cauſa. 7.

Solutum repeti non poteſt, vbi ſubeſt cauſa naturalis obligationis.

l. Illud eleganter. 7.

Tit. 3. ſi quis ius dicenti non. &c.

Ad Rubricam & leg. 1. huius tituli vide Zaſium *in Gloſſa tom.* 5. *& lib.* 1. *intellect. cap.* 2. Duarenum. *lib.* 1. *diſput. cap.* 50. Auguſtinum. *lib.* 3. *emend. cap.* 7. Iohan Robertum. *lib.* 2. *recep. ſent. cap* 8. *D. lib.* 4. *cap.* 21. *&* 22. Cuiaciũ *in paratit. pag.* 16. Menoch. *de retin. poſſ. remed.* 1. *n.* 84 Camillum Plautium, Vldaricum Zaſium, Hippolytum de Marſi.

l. Omnibus. 1.

Vide ſupradictos Doctores: *Tractatuum.* 2. *fol* 198. *n.* 198.

Gratiæ dominicæ perdendæ pœna quæ. ¶ Duumuiri qui & quomodo punient, *Zaſius hic.*

§. is videtur. 1.

Vide Zaſium. 1. *Intellect.* 2. Duarenum. 1 *diſp. c.* 50. Olendorp. 1. *claſ.* 2. Robert. 4. *ſent.* 21. Alciatum *hic pag.* 214 Cuiacium. *lib* 24. *obſ. cap.* 25. *& c.* 31.

¶ An vt quis dicatur inobediens, requirantur tria edicta. Bartol. hic.

¶ An & quando iuriſdictio offendi dicatur: An & quotupliciter contumacia conſideretur: An & quot modis extremum dicatur: An & quæ contumacia puniatur, vide hic Zaſium.

§. ſi procurator. 2.

An & quandò contumacia procuratoris noceat domino, Zaſius hic.

§. Non ſolum. 3.

§. Hoc iudicium. 4.

Menochius *de arbit. iud. caſ.* 153. *&* 280.

Tit. 4. De in ius vocando.

In hunc titulum vide Duaren. *lib.* 1. *diſput. cap.* 1. Gouean. *lib.* 1. *diſput. cap.* 47. Iohan Robert. *lib.* 3 *ſent. iur. cap.* 1. Iohan. Vandum *lib.* 2 *Variar. quaeſt. quaeſt.* 26. Nannium *lib.* 10. *miſcel. cap.* 1. Cuiac. *lib.* 10. *obſ. cap.* 10. Ex quibus diſces quid ſit in ius vocare, & quomodo id olim fiebat, Ræuardum *tit. ad leg.* 12. *tab. cap.* 5.

¶ Ad hunc titulum vide Prateium *lib.* 1. *catapodiſmat.*

An & quando citatio ſit de proceſſu iudicij, Zaſius hic.

l. in ius vocare. 1.

Præter hic à D. Godofredo copiosè dicta vide ſupradictos ſcriptores omnes præſertim Duarenum *lib.* 1. *diſput. cap.* 1. & Robert. 3. *ſent.*

¶ An offerre libellum ſit vocare in ius: An iudicium, ſine citatione procedat. Bart. hic.

¶ Vocare in ius quid, an citatio ſemper ſit neceſſaria: an teſtis ad teſtificandum citari debeat, Zaſius hic.

¶ In ius autem vocare nihil aliud eſt, quàm ad eum vocare, qui ius dicturus ſit, hoc eſt ad iudicem. ego tamen exiſtimo prætorem has duas voces *In ius* accepiſſe *metonimicos* pro loco, in quo ius reddi ſolet, *vt & in l. penul. verſ. vlt. D. de iuſt. & iur.* Sed vt vocari, quis poteſt ad varia, & varia occaſione, atque effectus varios. Sic etiam citandi verbum, accommodatur variè pro variis, cauſa, occaſione, ſcopo, ſiue vocatione. Citatur enim teſtis, hoc eſt, vocatur in ius, non quidem iuris experiundi cauſa, hoc eſt, vt ipſe ius experiatur: ſed teſtimonij dicendi cauſa, vt teſtetur *in l. teſtimonium. D. de teſtibus* ſicut apud Liuium. *lib.* 1 Senatores citat Rex ad ſe non quidem iuris experiundi cauſa, vt in hac lege: ſed tãtum vt ſeſe apud ipſum ſiſtant, coramque eo ad quidpiam reſpondeant, conuenit etiam huc illud Plauti *in Curculione ſcena quarta*, vbi verbum citandi vſurpat pro in ius vocare, ſub eis quidem verbis allegoricis, vbi tu es, qui me veneno libello citaſti &c.

l. in ius vocari. 2.

Corraſius *lib.* 1. *miſcel. cap.* 10. 11. *&* 12. Iohan. Robert. *d. cap.* 1. ¶ Quod ad hic vocẽ remouere, diuerſimode legitur, primo enim Reuardus *lib.* 1. *variat. cap.* 6. reponit ſemoueri, quod reprehendit Cuiacius lib. 13. *obſ. cap.* 29.

¶ In cauſa publica, Ingenioſe Ræuardus. *lib.* 1. *variar. cap.* 15 reponit in capitolium: ſed ſequor Cuiacium dicto *cap.* 29 Reuard. pro tribu. *cap.* 9. his adde Cuiacium *lib.* 21. *obſ.* 9.

An incarceratus poſſit recommendari. ¶ An funeſti poſſint in ius vocari.

¶ An & quod conſul imperium habeat, Zaſius hic.

l. Vel qui. 3.

l. quique litigandi. 4.

§.Prætor ait.1.

§.Parentem.2.

§.Parentes.3.

l.Quia ſemper.5.

Mercerius *lib.2.opinion.cap.18.*

l.Parentes.6.

l.Patris adoptiui.7.

l.Adoptiuum.8.

¶An parentis nomine veniat adoptiuus, optimè hic D.Gothof.

§.Patronum.1.

In ius vocari non poſſunt patroni, & hi qui habentur pro patronis. Nomine enim patroni continentur quicunque habentur pro patronis. Patronus autem idem eſt, quod defenſor ſiue orator. Sed hic dicitur qui ex iuſta ſeruitute manumiſit. ¶Tamen patronus quis eſſe poteſt ſine effectu iuris patronatus. *l.ſi quis tutor.3. D.de iure patron.*

§.ſed etſi ad.2.

Gileuarra in *Topic.Cicero fol.70.*

l.Is quoque.9.

In ius vocari non debet is, qui ex cauſa fideicommiſſi manumittit.

l.ſed ſi hac.10.

An mora tollat ius patronatus, declarat hic Baldus & Zaſius.

§.Patronum.2.

Menoch. *de arbit.iud.caſ.201.*

Obreptionem. ¶An vbi eſt obreptio, priuilegium ingenuitatis eſſe poſſit, anque ea reddat actum nullum, declarat hic Bald.

§.ſed etſi ius.3.

Ius annulorum donare quid eſſet apud antiquos, ſatis conſtat, ita vt exiſtimari poſſit, idem eſſe quod hodie equitem facere. ¶Natalibus autem reſtituere hodie idem eſt quod nobilitare. Hinc nobilitationem natalium reſtitutionem vocamus, & vice verſa.

§.Qui manumittitur.4.

Vniuerſitas quid. ¶An res vniuerſitatis ſint ſingulorum. ¶An & quomodo ſeruus vniuerſitatis manumittendus. ¶An & quomodo ſinguli vniuerſitatis teſtimonium pro vel contra vniuerſitatem ferant. ¶An & quando teſtimonium in re propria recipiatur, vide hic Zaſium.

¶An priuilegium patriæ conceſſum ſingulis dicatur prodeſſe, declarat hic Bald.

§.Liberos, Parentes.5.

Liberi qui. ¶Deportatio quid, vide hic Zaſium.

§.ſed etſi per.6.

Ioan.Robert.*lib.3.ſent.c.9.* Briſſonius *lib.1.ſelect.c.13.*

An deportatus perdat honorem, & an banniti redintegrentur in eorum bonis etiam venditis, cum à principe reſtituerentur, vide Bald.hic.

§.Parentes.7.

§.ſi filius.8.

§.Liberos autem.9.

Idem extat in lege liberorum.220. *D.de verb.ſign.*

§.ſi liberta.10.

An vaſſallus vaſſalli ſui quis eſſe poſſit, vide hic Bald.

§.ſin autem.11.

§.Prætor ait.12.

Pudorem ſuggillat. ¶Quid eſſet pudorem ſuggillare, non intellexit Accurſius hic: quamuis verbum hoc ſæpiſſimè in iure noſtro repeiatur. hinc fit vt quidam ſigillare legendum eſſe putent. Verùm ſuggillare propriè de facie dicitur, cùm contuſa facies liuidis maculis dehoneſtata eſt, qua de re Plinius *lib.31.cap.9.* hinc metaphoricè pro inuſta infamiæ nota ponitur. Plin.*lib.2.c.45* *Tertul.in Apolog.* ita vt ſuggillare idem ſit quod pudorem & exiſtimationem lædere: vt ſuggillatio in actatis *Lenam tit.8.*

¶An & vbi cognitio cauſæ neceſſaria, declarat hic Zaſius,

§.ſemper.13.

An magiſtratus fiſcum ſine venia in ius vocare poſſit, vide Gloſſam ſingularem *in l. benè à Zenone. in verbo Iuſtiane. Cod. de quadriennij præſcriptione.* Roman.*ſing.10.*

l.Quamuis.11.

An & quotuplex ſit cauſæ cognitio, vide hic Zaſium.

l.ſi libertus.12.

l.Generaliter.13.

In ius vocare non poſſumus generaliter eas perſonas, quibus reuerentiam præſtare debemus ſine iuſſu & mandato prætoris. vt exempli gratia, ſenibus exhibenda eſt reuerentia: nec eos igitur in ius vocare poſſumus.

¶Quæ autem ſint perſonæ illæ, quæ in ius vocari non poſſint, vide hic Zaſium. ¶Et an diſcipulus præceptorem in ius vocare poſſit, ibid.

l.Libertus.14.

¶Quis dicatur actor, an exceptio compenſationis ſit meræ defenſio. An poſſit compenſare iurans non opponere, vide hic Bald.

l.Libertus.15.

¶An oblatio libelli habeat vim citationis, vide hic Bald.& Spec. *in tit.de lit.conteſt.§.ſequitur.verſ.item dicunt quidam.*

l.Quæſitum.16.

Libertus alieno nomine Patronum in ius vocare poteſt ſine venia, hoc eſt, ſine permiſſo prætoris, vt ait hæc lex. ¶Cui obſtat *l.ſi manumiſſor.Cod.de obſeq.patro.praeſt.* vbi dicitur quod patronum in ius vocare libertus ſine venia non poteſt. Quo loco notanda etiam ſunt hæc, quòd ſcilicet libertus aduerſus patronum litigare ſine atrocitate verborum tenetur, hoc eſt, audaciam, ſiue atrocitatem in patronum exercere non debet. patronis enim debitum honorem præſtare debet libertus, *vt ait l.initer tit.5.C.de oper libert.*

¶Obſtat præterea lex 1.*C.ſi tutor vel curat.* cuius hæc ſpecies, libertus erat tutor alicuius pupilli, & habuit contutorem patronum ſuum, patronus malè egit, fuit ſuſpectus, certè libertus non poteſt eum in ius vocare accuſando, vel famoſam actionem inſtituẽdo, licèt ſit tutor pupilli, & alieno nomine agat: ſed aliis poſtulantibus, quæ vt ſoluendo ſint, ambigunt nonnulli. Accurſius enim frigidè admodum ſoluit, verùm dicemus libertum actionem famoſam, ne alieno quidẽ nomine, inſtituere poſſe aduerſus patronum: ſed alias actiones ciuiles, quæ non infamant patronum.

l.Eum pro quo.17.

In hanc legem Loriottus *de patt.axiom.356.*

¶Quod quis apud acta, hoc eſt coram iudice, ſiue coram notario actore & cauſæ, vt mauult Zaſius, promiſit, adimplere cogitur. Ratio autem eſt, quòd promiſſio in iudicio facta vim confeſſionis obtineat. Reſponſum autem hoc, ideo ſub hoc titulo collocatum fuit, quoniam qui in ius vocabatur non ſemper ibat, ſed cauebat *infra titulo in ius voc. vt eant.* Docet igitur quomodo agatur cum eo qui cauit nomine in iudicio vocati, vide Loriott. *d.loco.*

¶An in criminalibus quis ſit, fideiuſſoribus committendus, declarat Bald. hic, qua de re vide Alex.conſ.179.

¶Vide Aret. *Inſt.de inutilib.ſtipul.§.alteri in gloſſ.1.in prin.* Vide etiam Soc. *in l.1.D.ſi quis in ius vocat.non ier.n.14.char.38.*

l.Plerique.18.

Ioan.Robert.*d.lib.3.cap.1.* Tiraq.*de retract.lign.gloſſ.3 nu.88.* Cæpola *ad legē nequeʒ ab iis ſolutam. D.de verb.ſign.* vt per Bal *in addit.ad Specul.tit.de citat.2. col.verſ.an nuncius.* per Hippol.de Marſil. *in ſuo ſing.148. in dicto mulierem.* per Iaſ.*in l.ſtipulationes.* poſt Bald.quem alleg.*in vlt.col. D.de verb.oblig.*

Nemo inuitus poteſt extrahi de domo ſua: quod limita, ſi eſſet ſuſpectus de fuga, *vt per Iaſ. in l.vinum.nu.4. D.ſi cert.pet.* quod ampliat etiam ad eccleſiam, de quo vide etiam ibi per Doc. *adde Capol.cant 51.* Hippol.*not.189.* Mod. Ancon.*in tract.de mercat.in tit.de nom.2 parte no.5.* Rim. *Inſt.per quas perſ.§.ad nobis.nu.30.* Dec.*ad l.nemo de domo ſua. D.de reg.iur.* Ferrat.*cant.22.14.* lat..ſſimè per Philip.Port.*in ſuis concluſ.& reg.lib.3.concluſ.20.* vbi ponit, ampliat, & 18. limitat. Marſil.*ſing.189.* Petr.Duen.*reg.288.* Chaſſan.*in conſuet.Burg.Tit.des iuſtices.Rubr.1.* Ratio autem huius legis eſt, quoniã domus tutiſſimum cuique refugium ac receptaculum: præterea vim inferre videtur, qui aliquem de domo ſua in ius vocat. iniuriarum etenim tenetur, qui inuitum ex ſua domo extrahit, vt notat Mynſing.*4.obſ.69.* verùm citari quidẽ in domo poteſt: ſed non inde extrahi: citari, inquã, verbaliter, non autem realiter. quòd ſi quis in agro, vinea, vel in itinere repetiatur, certè poterit in ius vocari non ſolùm verbaliter, ſed etiam realiter.

¶An inquilinus capi poſſit in domo conducta. Et an capi poſſit quis in domo affinis, ipſo affine inuito & prohibito. ¶An poſſit quis citari in hoſpitio, & in eo capi. ¶An mulier pro cauſa criminali poſſit extrahi de domo, vide hic Bart.

¶An quis poſſit in eccleſia citari, aut in palatio dominorum, an & quo caſu debitor extrahi poſſit de domo ſua, pro debito pecuniario. declarat hic Bald.in vtraque lectura.

¶Intelligi debet in caſu dubio, vt procedat, quando quis extraheretur ex cauſa odioſa, non ſi ex cauſa fauorabili. Marc.Mant ſing.118.n.2 *f. 357.*

¶De domo cum loquitur, an habeat locum in naui *79.num.83.* Tir qu. *l. de retractu.*

15.d

Digitized by Google

l.ſed etiam.20.

Vide Cuiacium *lib.2.obſ.cap.38.*

l.ſed etſi.21.

Ad faciliorem huius legis intellectum conſule Rober.*d.c.1.* Cuiacium *lib. 7.obſ.c.15.* Ræuard.*pro tribun.c.3.* Myſing.*4.obſ.69.prima parte.*

¶Aduerſari videtur hæc lex legi, plerique, cum ait, è domo in ius vocari poſſe, & contrarium aſſerat lex plerique. Sed hæc lex intelligenda eſt, ſi ex publico conſpicitur, vel ſi præſtet aditum.

¶An materfamilias in ius vocari poſſit, declarat hic Accur. *& facit l.1.C. de offic.diuerſ.iud.*

l.Neque impuberes.22.

¶Impubes (qui conſtitutus eſt in patris poteſtate) citari non poteſt.

¶Citari etiam non poſſunt impuberes puellæ, filiæfamilias etiam cum venia, ſed ſi puellæ ſui iuris impuberes ſint, citari quidem poſſunt.

l.Communis libertus.23.

l.in eum.24.

l.ſi ſine.25.

§.Qui in ius.1.

Tit.5. Si quis in ius vocatus non ierit, ſiue quis eum vocauerit, quem ex edicto non debuerit.

Omnia verba quæ vulgò in hac Rubrica ſequuntur, præcedenti rubricæ addi debuiſſe contendit Cuiacius *in paratitlu pag.16.* vt vocationi in ius ſua conſtet vis & authoritas, prodita ſunt à prætoribus edicta, quibus ſub comminatione multæ neceſſitas parendi vocato imponitur. hic autem proponitur edictum.

l.ſi quis in.1.

Loquitur hæc lex de fideiuſſore, & in ſumma vult eum nõ videri fideiuſſorem dediſſe, qui eũ dedit qui fori priuilegio tutus ſit, niſi ei renuntiauerit.

Specialiter renuntiauerit. ¶Specialiter quis priuilegio ſuo renuntiare poteſt, ſpecialiter inquam: generalis enim renuntiatio non valet: *vt l.vlt.Co. quando mul.tutel.offic fung. poteſt.* Gloſ.*in l.4.§.quæſitum, de cautionib.* Ferrarienſ. *in forma contra plures reos debendi.39.in verbis aliiſque omnibus legibus.* Maſuerus *tit.de obligat.& renunt.num.20.*

¶An priuilegij renuntiatio faciat idoneum eum qui talis nõ eſſet, an priuilegio ipſi facto renuntiare poſſit, vide hic Bald.

l.Ex quacunque.2.

Pro intellectu huius legis vide Benedictum, Capram *in reg.concluſ.9.* Petrum de bella Pertica, Anton. Gallum *1.obſ.48.*

Citatus in termino debet comparere: alias mulctabitur, niſi ex cauſa excuſetur, vel non interfuerit actoris ipſum in termino comparere. adde huic materiæ, ſi aduerſarius opponat, quòd iudex non eſt competens ex eo, quòd rei de qua agitur, non eſt ibi ſita, an iudex de eo priùs cognoſcere debeat, quàm de principali, Tiraq.*l.de retract.l.§.8.gloſſ.5.num.17.*

¶Item an iudex poſſit pronuntiare procedendum in cauſa, reſeruata cognitione exceptionis, ſi in ea tractetur de incompetentia iudicis, quòd non, vide per Grammat.*deciſione 65.collat.penult.vbi.* ¶Si vnus fuit citatus ab vno iudice, alter non citatus, an debeat comparere, etiam ſub ſecundo, & ſi non compareat, ſit contumax, vide Innocen. *in cap.cum parati.extra de app.* Guid. Papæ *quæſt.276.*

¶An appellari poſſit à ſententia, qua quis pronuntiauit ſe eſſe iudicem, vel non eſſe, vide hic Bart.

§.ſi quis.1.

Si vocatus in ius non venerit, punitur, niſi ſit ruſticus: Nam ruſtico pœna remittitur. ¶Citatus etiam die feriato, impunè etiam poteſt non comparere, quoniam citari ad diem feriatum nõ poſſumus, niſi de ea re agatur, quæ die etiam feriato expediri ſolet. ¶An ruſticitati parcendum ſit, vide Menoch.*2.de arbit.iud.199.*

¶An & quis videatur mulctandus, declarat hic Gothofr. & quot requirantur, ac neceſſaria ſint, vt quis poſſit mulctari, vide hic Bart.

l.Cum quis.3.

¶In obligatione facti poſt moram ſuccedit obligatio & actio ad id quod intereſt. ¶An obligatio ad intereſſe ſuccedat in promiſſionibus facti, ſi pœna non inſeratur, vide hic Bald.

Tit.6. In ius vocati aut eant, aut ſatis vel cautum dent.

In hunc titulum vide Cuiacium *lib.7.obſ.c.16.& lib.10.cap.10.*

Satiſdare iudicio ſiſti quid ſit, optimè declarat Cuiacius in paratitlis.

¶Satiſdare & cautum dare quid ſit, dilucidè explicat Bart.hic. ¶Hodiè autem neceſſarium eſt vt vocatus in ius perſonaliter compareat. olim enim hoc non erat neceſſarium: nã mittebant alios quoſdã qui ſatiſdabant ſiſtere.

l.Edicto.1.

Ad hanc legem ſcripſit Corraſius *lib.4.Miſcell.cap.10.*

Fideiuſſor iudicio ſiſti locuples eſſe debet, conſiderata rei qualitate.

¶An & qualis fideiuſſor eſſe debeat, declarat hic Bald.

l.item pro.2.

Patronum pro liberto fideiubere poſſe conſtat ex hac lege, & econtrà libertum pro patrono.

l.Quoniam.3.

¶Fideiuſſor pro locuplete in neceſſariis perſonis accipitur.

l.Qui duos.4.

Aulus Gellius *lib.2.c.14.* adde textum *in cap.deſiect promotor. cum Gloſſ.de reg.iur.ex.*

Ex promiſſione non videtur eos ſtetiſſe. ¶Stitiſſe legendum eſſe quidam exiſtimant authoritate Gellij, ſupra dicto loco, quamuis apud Ciceronem pro Quintio ſtetiſſe, vbique legatur. Plaut.in Curculio.*act.1 ſcen.vlt.*

Tit.7. Ne quis eum qui in ius voc. vi exim.

¶An & quis dicatur eximere, optimè declarat hic Vveſemb. quẽ conſule.

¶De pœna eximentis, ſecundum qualitatem perſonarum, vide Alexand. *conſ.35.in 2.vol.*

An pœna hoc edicto locum habeat, quando quis vocatur in ius per delegatum, *vide Bart.in cap.1.ex.de off.deleg.*

Quod eximens nõ teneatur creditori ſoluere id quod exemptus debebat, vt ſi pro eo fideiuſſiſſet, *vide Cepol.conſ.9.*

l.Hoc edictum.1.

Boſſius *tit.de captur.num.7.*

¶Huius edicti quæ ſit ratio, maximè ex initio huius legis conſtat. propoſuit enim prætor edictum hoc, vt vnius pœna metus eſſet multorum, hoc eſt, vt compeſceret eos qui in ius vocatos vi eximerent.

¶De hoc edicto vide quæ dicat Rom.*conſ.320.*

¶An teneantur domini ex ſeruorum & familiarium delictis. ¶An & quot modis citatio conſideretur, vide hic Bald.

¶Quot & qui ſint caſus quibus non licet quem trahere in ius, enumerantur hic à Bart.*num.2.* qua de re vide Alex.*in l.ſi.C.de in ius voc.* Cæpol.*conſ.69.*

§.Denique.1.

§.Ofilius putat.2.

Ofilius exiſtimat hic eum hoc edicto non teneri, qui non dolo aliquem eximit. Ofilij autem ratio eſt, quoniam ſi deliquit qui vocat, non deliquit qui eximit. in pari etenim delicto potior eſt cauſa defendentis.

l.Nam cum.2.

Deteriore tamen loco. Delictum vbi eſt ex parte vtriuſque actoris ſcilicet & rei deterior eſt conditio petentis. Sed quod ad textum attinet, notandum eſt eum non videri vi eximi, cui ſit ius ibi non conueniri.

¶Repetit.*5.fol.37.num.245.*

l.Quod ſi ſeruum.3.

Edictum propoſitum in hac Rubrica ceſſat, quando quis ſeruum exiſtimat in ius vocatum. ratio eſt, quoniam perſona non eſt quæ in ius vocari potuerit.

Repetit.*1.fol.30.nu.31.*

l.ſed eximendi.4.

Quid differant inter ſe eximere, & eripere ſatis ex hac lege colligere licet. Differunt enim, vt genus & ſpecies: quoniam Eximendi verbum generale eſt, vt ſignificet quoquomodo auferre, vt putà ſi quis non rapuerit quem, ſed morã fecerit, quominus in ius veniret, vt actionis dies exiſteret, vel res tem-

Digitized by Google

pore amitteretur, is exemiſſe videtur, at eripere eſt de manibus auferre per raptum. ¶Præterea is dicitur aliquem eripere qui in itinere aliquem capit, quemadmodum rapere is dicitur mulierem qui eam de itinere trahit. Eximere autem ſæpiſſimè in iure vſurpatur: *vt in l.ſed & ſi.D.ex quib.cauſ.maior.* vbi iudex actionem eximere dicitur, cum per dilationem eius effectum eſt, vt iam agi lege non poſſit, & actio exempta cum iam deſit agi poſſe. ſic etiã dicimus, Diem eximere, & eximere crimini, hoc eſt, eximere ex reis, & abolere delationem, aut crimen impactum.

§.item ſi quis.1.

Hoc edicto non tenetur is qui per calumniam in ius vocatum exemerit: hoc eſt, eximens habentem priuilegium ſpeciale ne vocetur, non tenetur hoc edicto.

§.Prætor ait.2.

Eximi quis poteſt ſine dolo malo, veluti cum iuſta cauſa eſt exemptionis.

l.ſi per alium.5.

Hoc edicto tenetur, ſiue per ſe, ſiue per alium quis in ius vocatũ exemerit, quaſi diceret, æquè tenetur is qui mandat fieri ac ipſe faciens, vt optimè notat hic Bartolus.

§.in eum.1.

An & qualiter rei æſtimatio fiat, declarat hic Bart.
¶An ſolutio eximentis liberet reum principalem, vide hic Bald.

§.Docere.2.

Vt condemnatio ſequi poſſit, probationes neceſſariò concludere debent.
¶In hunc autem §. vide Alex. *conſ.94.in 4.volum.*
¶An negatiua probata ſit ex eo quod contrarium probatum non ſit, vide *Bald.conſ.263.*
Verba ſunt. ¶Ex hoc loco notanda eſt regula, verba cum effectu accipienda eſſe. cui congruit *l.1 §.1.D.quod quiſque iur.*

§.Hoc iudicium.3.

Pœna præſtita ab vno nõ liberat alium: quia totum eſt pœna tam ex parte rei quàm actoris, non idem tamen eſt in edicto de eo per quem factum erit: quoniam ſi vnus ibi præſtiterit, cæteri liberantur.

§.Heredibus.4.

l.Is qui.6.

Ad intellectum huius legis, vide Bart. in *l.quoties, D.ſi fam.furt.fec.dicat.*

Tit.8 Qui ſatiſdare cogantur, vel iuratò promittant, vel ſuæ promiſsioni committantur.

In hunc titulum Præteius *lib.1.Catapediſmatum.*
¶An in caſu in quo quis tenetur ſatiſdare, ſi ſit euidentiſſimè idoneus, releuetur ab onere ſatiſdandi, vide Bart. & Alex. *in addit.l.quicumque.C.de fund.patrim.lib.11.* faciunt quæ ſcripſit Bartolus *in l.ſciendum.in pr.3.co.* & vide Aret. *in l.ſi quis ſtipulatus.§.1.de verb.oblig.* vbi etiam ponit, quod ſi aliquis eſſet non ſoluendo facultatibus, tamen ſoleret eſſe obſeruator fidei, & promiſſorum, an eſſet idoneus, vt per eum.

l.ſatiſdatio.1.

Idem eſt ſatiſdatio, quod ſatisfactio. Nam ſatisfacere dicimur ei cuius deſiderium implemus, ita ſatiſdare dicimur aduerſario noſtro quum pro eo quod à nobis petiit, ita cauit, vt eum hoc nomine ſecurum faciamus, datis fideiuſſoribus, ita vt hinc neceſſariò quis inferre poſſit, ſatiſdationes requirere fideiuſſores.
An liberetur promittens ſatisfacere ſub pœna, dando fideiuſſorem, & an ſecuritatis verbum intelligatur, datis fideiuſſoribus, declara vt per Bal.hic.

l.Fideiuſſor.2.

Pro intellectu huius legis, vide Aulum Gellium *lib.10.cap.5.*
¶Qualis debeat eſſe fideiuſſor iudicio ſiſti, ſatis ex initio huius legis conſtat: debet enim eſſe locuples, non ſolùm in facultatibus, ſed & in conueniendi facilitate. ¶Qualiter autem intelligatur hæc conueniendi facilitas, optimè demonſtrat hic Baldus.

§.ſi quis his.1.

Satiſdatio iudicio ſiſti duobus caſibus non valet. Primò ſi præſtita fuerit ei qui in iudicio eſſe non poteſt. Secundò ſi ab eo qui non poteſt ſe obligare: & ita ſatiſdatio non tenet, vbi non tenet iudicium. ¶An autem filiusfamilias ſine conſenſu patris poſſit eſſe fideiuſſor contractus, & fideiuſſor iudicij, hoc pulchrè à Baldo hic declaratur.

§.Prætor ait.2.

Corraſius *lib.5.miſcellan.cap.10. & lib.2.cap.2.* Cuiacius *lib.7.obſer.cap.11.* & Loriottus *de eo quod intereſt axiom.10.*
¶An qualiſcumque fideiuſſor datus inter coniunctos valeat, dic vt docet Baldus hic.

§.Quod ait.3.

Nunc hic ordine explicantur verba edicti: & primùm hæc verba Liberóſve ſuos. Quæ vt intelligi debeant, vide hic textum.
Et filius fideiuſſor. ¶Filius fideiuſſor pro patre eſſe poteſt, etiamſi in ulterius poteſtate ſit: vtputà ſi pater accuſatus ſit, filius fideiubere pro eo poteſt, eſtque fideiuſſor idoneus, vt notat hic Bal. & poſt eũ Raphael Comanus.

§.Quod ait prætor.4.

§.in fideiuſſorem.5.

Pro intellectu huius §. conſule Loriottum *de eo quod intereſt axiom.10.* Corraſium *lib.2.miſcell.c.2.* hoc autem vult hic §. quod fideiuſſor iudicio ſiſti teneatur ad verum intereſſe, niſi in certam quantitatem interceſſerit.
¶An fideiuſſor iudicio ſiſti propriè ſit fideiuſſor, declara vt per Bar.hic.

l.ſiue in duplum.3.

¶Fideiuſſor iudicis ad quid teneatur, declarat hic Bald.

l.ſi deceſſerit,4.

Loriottus *de morte axiom.9.* Cuiacius *19.obſ.19.* Huius legis talis poteſt effingi ſpecies. Fideiuſſit quis pro aliquo, vt eum ſiſteret: is autem moritur, & tunc præcipit iudex, vt eum exhibeat. Sanè tale præceptum non valet, nec tenetur is, ſi non exhibuerit. mõ enim reus principalis liberat fideiuſſorem à neceſſitate ſiſtendi: vide Soz.in *reg.131.*
Ex hoc loco colligere facile eſt, quomodo æquiparentur inter ſe mors naturalis & ciuilis, qua de re facit *l.1.§.pen. D.de bon.poſſ.contra tab.* Bal.*in auth.ſi qua mulier.C.de epiſc.& cler.can.placuit.16.q.1.in gloſſ.* & Bald.hic.
¶An & quo tempore debitor incipiat eſſe in mora, an & quo modo obligatio pœnalis tollatur, declarat hic Bald. An appellatione mortis veniat ciuilis, vide Oldrad.*conſ.274.* Pet.de Anchar.*conſ.347.*

l.ſi verò.5.

Hæc lex idem repetit, quod ſuperior: verùm addit quod fideiuſſor quantitatis non liberatur reo ciuiliter vel naturaliter mortuo.
Pro condemnato. Bartolus ait quoſdam legere, non pro condemnato.
¶An ſententia lata contra reum liberet fideiuſſorem: An fideiuſſio iudicio ſiſti præſtetur ante litem conteſtatam: An fideiuſſorem dare poſſit condemnatus de capitali crimine: An confiſcatio criminalis tollat naturales obligationes, vide hic Bal. ¶An fideiuſſor iudicio ſiſti liberetur bannito vel deportato reo.

§.Qui pro.1.

In hunc locum Ioannes Robertus *lib.3.recept.ſent.cap.1.*
Hoc vult hic §. quod ſcilicet actione iniuriarum teneatur is qui recuſat idoneum accipere fideiuſſorem.
Euidentiſſimè. ¶Ex hoc loco conſtat quod probatione ea non indigent, quę notoria ſunt: qua de re vide Corſet. *in ſing. notorium.* paria autem ſunt notorium & ſententia iudicis. qua de re Bald.hic.
Non quælibet iniuria. ¶Id eſt, non parua, non vulgaris: qua de re Ant. Auguſt.*lib.2.emend.cap.1.*
¶An & cui incumbat onus probandi, vel ei qui dicit aliquem eſſe diuitem, vel ei qui negat eſſe pauperem. ¶An & quomodo paupertas probari poſſit, dilucidè ſatis explicat hic Bart.

l.Quotiens,6.

Satiſdatio non valet ſi non ſit idoneus, vt putà ſi quis fœminam in fideiuſſorem dederit, paria ſunt non fieri, & malefieri, & ita qui vitioſè ſatiſdat, ſatiſdare non videtur.
An & quo caſu filiusfamilias æquiparetur ſeruo, declarat hic Bald.

l.ſi fideiuſſor,7.

Sumpta eſt hæc lex ex tit.de petit.heredit. vbi de ſatiſdatione agitur, & fideiuſſione.
Fideiuſſor iudicio ſiſti idoneus non eſt qui habet fori præſcriptionem, & exempli gratia, quidam clericus pro fideiuſſore datus fuit, ſanè non tenetur dominus eum recipere, quòd ſi non poſſit alio modo ſatiſdare, denuntiare poterit illi fideiuſſori, & ſi fortè accipiatur, non poſſit vti fori præſcriptione. renuntiare etenim licet priuilegio ſuo.

§.Si ne-

Digitized by Google

§.ſi neceſſaria.1.

Fauetur ei qui eſt in neceſſitate, ſi quis ſe in eam non poſuerit. ex hoc autem loco notatur differentia inter ſatiſdationem voluntariam, neceſſariam, & iudicialem.

An & quæ dicatur neceſſaria ſatiſdatio, vide Fran. *conſ.87.* & quod magis ſuccuratur ei qui in neceſſitate poſitus eſt, vide Iaſon. *in repetit.l. admonendi. D. de iureiur.*

§.ſi ſatiſdatum.2.

Ioan. Robert. *d. cap. 22. lib. 3.* Menoch. *de arbit. iud. lib. 2. cap. 87.*

In materia ſequeſtri vltra Bartolum, hic adde, quod ſequeſtratio regulariter prohibita eſt, & ſi fiat ſine cauſæ cognitione, & partis citatione eſt ipſo iure nulla, vide Decium *conſ.366.* pro declaratione, adde quod ſequeſtrum præſtita cautione reuocatur. Bart. hic. fallentias vide per Felin. *ad cap. examinata. de iudiciis.*

Res de qua litigatur ſequeſtrari poteſt, quoties perſona ſuſpecta eſt: præterea tollitur ſequeſtrum dato fideiuſſore vel etiam lite finita: An quot, & quæ faciunt aliquem ſuſpectum, vide hic Bart.

¶In ſequeſtro quid permitti debeat: An ſequeſtrum factum in prima cauſa durat in cauſa appellationis: An ſequeſtrum factum ex mora rei reuocetur ex mora actorum. An ſequeſter fructus vendere poſſit, vide Bald.

l.De die.8.

Actori potius quàm reo fauemus in his quæ pertinent ad litis ordinationem, & aduerſus hanc regulam communem, vide quæ ſcripſit Iaſon ad *l. amicabi. C. de procurat.* Repetit. *l. 6. fol. 467. num. 93. & 127.*

¶Iudex vtrum poſſit moderari dilationes, vide quæ habentur per Felin. *in cap. perſonas. de appell.* An iudex poſſit breuiorem terminum præſcriptionis aſſignare. An & cui in iudicio magis fauendum ſit, an actori, an reo, declarat hic Baldus.

Moderato ſpatio de hoc à iudice reſtituendo.

In hunc locum vide Cuiacium *lib. 22. obſ. cap. 26.*

§.Qui mulierem.1.

Antonius Queſada *lib. 1. quaſt. iur. cap. 14.* ¶Fideiuſſores idonei non ſunt mulier & miles, niſi in rem ſuam, quibus adiungi poteſt minor & clericus. præter hic dicta ab Accurſio, vide Romanum *ſing. 121.*

Niſi hæc perſonæ in rem. ¶Minor habens curatorem poteſt ſine eo ſe obligare fideiubendo pro ſuo procuratore, Ang. Fulg. & Paul. de Caſtro hic, & ſequitur Ludouic. Rom. hic, & Iaſon.

Ad verſ. Quidam. ¶An ſententia lata contra maritum ſuper re dotali noceat vxori necne: vide hic Bald.

§.ſi ſeruus.2.

Cuiacius *lib. 14. obſ. c. 39.* ¶Fideiuſſor idoneus non eſt ſeruus, ideo debet de nouo caueri, quod & in minore & muliere etiã locum habet. minor etenim & mulier æquiparantur inter ſe in iudiciis, & par fauor impenditur iis. *l. vlt. C. de iuris & facti ignor.*

§.ſi fideiuſſor.3.

Si fideiuſſoris datio euaneſcit, de nouo cauendum eſt, quaſi diceret ſi ſtipulatio confuſa ex accidenti, à capite renouari debet.

§.Tutor.4.

Satiſdationes neceſſariæ dicuntur, quæ ex neceſſitate præſtantur, vt rem pupilli ſaluam fore, de reſtituenda proprietate finito vſufructu, de reſtituendis legatis hæredi euicta hæreditate, aut eo quod amplius quàm per legem Falcidiam liceat, acceptum erit: de legato poſt diei & conditionis euentum legatariis præſtando.

¶An remitti quis poſſit ad eum locum, ad quem ſemel declinauit, declarat hic Bald.

Ad verſic. planè. Circa hunc verſiculum vide ſingularem ponderationem Alex. *in l. ſi finita. §. Iulianus. D. de dam. infect.*

§.iubetur.6.

¶Hoc §. ponitur forma qua iurare de calumnia debet, qui petit remiſſionem in municipium. ¶An & quomodo periurium facilè committatur, vide hic Bald.

§.Hoc autem.7.

Culpa facit perdere beneficium reuocandi in municipium.

l.Arbitro.9.

De vero ſenſu iſtius legis, vide Iaſon. *in l. nemo poteſt. de lega. 1. in lect. 2. nu. 67. fol. 90.*

In hanc legem ſcripſerunt Ioann. Vandus *lib. 1. quaſtio. iur. cap. 14.* Notabilis ſanè hæc lex, quæ diuerſimode legitur pro diuerſitate lectionum, quæ hic citãtur à Bart. in ſumma vult hæc lex, quod appellari poſſit à ſententia delegatio vel reprobantis fideiuſſorem: appellari autem a ſententia arbitri non poſſit: Imò poteſt, verùm non poteſt niſi certis caſibus, Viuia. *2. com. concluſ. 18.* poteſt tamen iudicis officium implorari aduerſus iniquam arbitri ſententiam: ſed & doli exceptio opponi. *l. non diſtinguemus. §. cum quidam. D. de arbit.* Speculat. *titulo de compromiſ. in verbo liceat appellare.* Alij putant appellari poſſe à ſententia arbitri neceſſitate legis, vel ſtatuto electi à iudice, vel parte: non ab eo qui electus eſt voluntate partium. Mynſing. *4. obſ. 69.* Lanfra. *in prax. c. 3. num. 209.*

¶An pendente appellatione ab interlocutoria, poſſit procedi in principali negotio. An appellatio ab interlocutoria poſſit iuſtificari ex noua allegatione vel probatione, vide hic Bald.

l.ſi ab arbitro.10.

Fideiuſſor videtur idoneus ſi ab arbitro fuerit approbatus. Hæc autẽ lex pertinet ad ſtipulationes prætorias, quæ ſatiſdationem exigunt. Satiſdatio eſt datio fideiuſſorum: quotiens autem à promiſſore ſtipulatori offeruntur fideiuſſores, plerũque non ſolet eos niſi probatos ſtipulator accipere, & probatos quidem ab arbitro in eam rem à prætore dato qui veluti quidam in ea re ſpecialis iudex eſſe videtur, cùm & ab eo ſi iniquum eius arbitrium eſſe dicatur appellari poſſit tanquam à iudice. *l. vlt. qui & à quib. appel.* vel vt quibuſdam videtur, ſine appellatione, arbitrium eius prætor qui eum dedit, corrigere poteſt, ſi ad eum huiuſce vel querela deferatur appellatione vel querela opus eſt: alioquin ab eo probati fideiuſſores pro idoneis, pro aſſiduis, & locupletibus habentur, vt initio huius legis declarat Paulus.

§.Qui ex cauſa.1.

Fideiuſſor videtur etiam idoneus, ſi ſpõte à parte fuerit acceptus, niſi inopia ſuperuenerit. habet. n. quod ſibi imputet. *l. 1. §. illud ſciendum. D. de ſeparat.*

l.Iulianus ait.11.

Hæc lex ſatis eſt in ſe difficilis. hoc autem in ſumma vult, quod ſatiſdationem non perimat mutatio contingens ex parte actoris.

¶An & quomodo ſatiſdatio firmetur. Quomodo procurator efficiatur dominus inſtantiæ abſque mandato. An primæ cauſæ ſtipulatio porrigatur ad cauſam appellationis, declara vt per Bald. hic.

l.inter omnes.12.

Ad huius legis intellectum facit quod notat Menoch. *de recuper. poſſ. remed. 9. num. 235.* cauetur indiſtinctè pro debito ſub conditione ex vltima voluntate: alias non, niſi cauſa cognita.

Conditione poſſidentem hæreditatem. Ex hoc loco notandum eſt quod hæreditatem inuadens pendente conditione, non perdit ius ſuum, conditione adueniente, licèt occupauerit propria authoritate.

¶An pro relictis in vltima voluntate ante diem vel conditionem, indiſtinctè debeat præſtari cautio, notat hic Bart.

l.ſed & ſi plures.13.

Singulis cauendum eſt, etiamſi plures ſubſtituti fuerint, *vt l. 3. D. de legat. ſeruand. cau.* Hæc autem lex pertinet ſpecialiter ad ſtipulationem prætoriam, quam heres inſtitutus ſub conditione, qui interim conditione pẽdente agnouit bonorum poſſeſſionem ſecundùm tabulas, vt poteſt *l. 5. & 6. D. de bon. poſ. ſec. tab.* ſubſtituto præſtat de hereditate non deminuenda: & committitur hæc ſtipulatio ſi heres inſtitutus deficiente conditione inſtitutionis inuenia:ur aliquid in eã hereditate feciſſe deterius, & tunc bonorum poſſeſſio ei præmaturè, vt videtur à prætore data ſiue re conſtituitur, ſiue effectu, ſiue ad irritum recidit. *l. 12. h. t.*

l.Filiusfamilias.14.

In hanc legem Ioann. Rober. *d. c. 21.* Loriott. *de conſang. axiom. 41.*

¶Si filius patrem defendat, vice verſa pater filium vterque tenetur ſatiſdare iudicatum ſolui.

l.ſciendum.15.

Cum no. 53. vulgò de exhib. & introd. reis *fol. 34.* & Connanus.

Ad eius limitationem vide gloſ. *in prin. ſolut. matr.* quam ponderat ibi Bart. *in vlt. col. poſt prin.* & Socin. 55. Cogita ſi ad id quod allegat gloſſ. *huius l. penult.* poſſet etiam allegari glo. *§. cum autem, in verbo, ſetigit. Inſti. de hereditat. quæ ab inteſtato defer. repet. 5 fol. 350. nu. 156. n. 23. pag. 342. & fol 343.* Suares *conſiliorum.*

Ad faciliorem huius legis intellectum, vide Rauar. *ad leges 12. t. b. pag. 18.* Robert. *d. c. 21.* Immobilia poſſidens non tenetur ſatiſdare iudicio ſiſti: ſecus autem eſt ſi non poſſideat. hanc autem regulam limita, vt per Alexan. *in l. qui bona. §. ſi quis. D. de damn. infect.* quod etiam hoc non procedit in illuſtribus. Vide *l. quotiens.* & ibi Bart. *Cod. de dignit. lib. 12.*

¶An poſſeſſor modicorum immobilium ſatiſdet vti mobilium poſſeſſor, vide Curtium *tract. de ſequeſtratio. cap. 2. num. 36. & ſeq.*

De fideiuſſione iudicio ſiſti, de qua loquitur hæc lex, vt & de fideiuſſione iudicatum ſolui. qualiter quis teneatur eam præſtare, ſiue conueniatur proprio nomine, ſiue pro alio intercedat, vide Alex. *in conſ. 160. vol. 5.*

¶An idoneus ſit fideiuſſor qui nõ poſſidet, declara vt per Bart. hic. An poſſeſſio patris proſit filio. An & quis dicatur immobilium poſſeſſor, vide hic Bal.

§.Poſſeſſor autem.1.

Ad hanc legem refer Molinæum *ad conſuet. Pariſ. tit. 2. in rub. nu. 28.* Quoniã autem initio legis de poſſeſſore immobilium locutus eſt Iuriſcõſultus, ideo hoc §. declarat quis dicatur poſſeſſor, quo ad euitandam ſatiſdationem.

§.Creditor.2.

Poſſeſſor vetus nõ eſt creditor qui pignus accepit, quamuis poſſeſſionem

habeat,aut ſibi traditam,aut precario debitori conceſſam,quaſi diceret creditor non habet poſſeſſionem rei ſibi pignoratæ, etiam ſi eam conceſſerit precario ſuo debitori. præterea creditor pignus poſſidere dicitur, quo ad quædam, contra etiam ad quædam non poſſidet,quorundam opinione poſſidet quidem,Zaſius 2.*reſp*.38.

§.ſi fundus.3.

Poſſeſſores intelliguntur vxor & maritus, ſi fundus in dotem datus ſit, propter poſſeſſionem eius fundi, ita vt ſatiſdare non cogantur: rem enim dotalem maritus & vxor ſimul poſſidere dicuntur,& notant plerique in *l.in ſer.11. D.de lib.& poſthum.*

§.Diuerſa cauſa.4.

Aliud eſt in eo qui fundi petitionem perſonalem habet. nam enim duo non poſſident: *vt §.ſuperiori*:ſed vnus tantùm.

§.Tutores.5.

Si tutor nomine pupilli conueniatur, excuſatur à ſatiſdatione, ſi poſſidet fundum ipſe tutor,vel pupillus.

¶An ſi tutor conueniatur nomine proprio, poſſeſſio pupilli ſufficiat,declara vt per Bart.*in l.1.§.imperator. D.de oper.noui nunt.l.poſt mortem.D.quando ex fact.tut.l.procuratorem qui. D.de procur.* Inno.*in c.quod quibuſdam.de fideiuſſ.*

§.ſi fundum.6.

In hanc legem Anton.Queſada *lib.1.quæſt.iur.c.14.*

Poſſeſſorem ab onere ſatiſdandi releuat poſſeſſio, res quæ eſt in controuerſia,& hoc quantum ad alium qui de ea re controuerſiam nō facit, ſecus autem in eo qui controuerſiam facit.

§.Poſſeſſor autem.7.

Vt quis poſſideat immobilia,inſpicitur tempus cautionis præſtandæ,non autem tempus præcedens,aut ſequens.

l.Qui iurato.16.

Couarruuias *ad c.quamuis.parte 1.§.3.nu.10.de pact.in 6.*

¶Peieraſſe non videtur,qui iurato promiſit iudicatum ſolui:ſi ex conceſſa cauſa hoc deſeruerit:in omni etenim iuramento intelligitur excepta authoritas legis, & ſuperioris, vt facit *l.ſi.in pr. D.ad municip.*qualiter autē conſideranda ſit authoritas ſuperioris,vide latè & pulchrè Alexan.*conſ.*24.

¶An periurus repellatur iuramento honoris, & oneris,à beneficio, teſtimonio,& an admittatur agendum pro eccleſia ſua, declara vt per Bald.hic.

Tit.9.Si ex noxali cauſa agatur,quemadmodum caueatur.

Ad faciliorem totius tituli intellectum, ſciendum eſt, quid ſit noxalis actio: dicitur autem quoties ſeruus noxiam,id eſt damnū dat,qui etiam propterea, quod noxiam committit, noxia appellatur, vt paſſim toto titulo videbimus.

l.ſi quis eum.1.

Hac tota l.infra proponitur edictū,& poſtea explicātur eius verba ordine.

§.in eadem.1.

¶Quid ſit in eadem cauſa ſiſtere,diſce ex hoc §.videtur enim quis ſiſtere in eadem cauſa,quando ius actoris deterius non facit.

Verſ.ſed & ſi noxæ. ¶Ex hoc verſ.nota,quod caput noxa ſequitur.

l.ſed alio iure.2.

¶Quibus cauſis non liberetur quis noxæ deditus,declara hic in textu.

§.ſi abſens.1.

Difficilis ſanè eſt hic §.pro varietate lectionum,ita vt facilè ſummari non poſſit,quem ſanè optimè repetit hic Bart.

¶An contumax,qui non comparuit,ſit denuò citandus ad audiendum interponi primum decretum. An reo abſente amici ſint citandi, qui inter ſe coniuncti ſint ſaltem in genere. An miſſus ex primo decreto lucretur fructus.An expulſus ex primo decreto habet aliquod interdictum.An interdicto vti poſſidetis interponi poſſit primum vel ſecundum decretum. An exceptio peremptoria opponi poſſit per ſecundum decretum, & an in ſecundo decreto appelletur,vide has omnes quæſtiones fuſiſſimè tractatas Bal.hic.

l.ſi cum vſufructuario.3.

Vſufructuario non defendente ſeruum in noxali cauſa, denegatur perſecutio fructus.

vide Rim.in l.4.§.Cato.12.col.& ſi.cum ſeq.de verb.oblig.

¶An ex contumacia procuratoris interponatur ſecundùm decretum cōtra dominum,declara vt per Bald.hic.

l.ſi cum vno.4.

Qui alium ex neceſſitate defendit, videtur ſuo nomine eſſe in iudicio: quod enim commune eſt,meum eſt.§.*præterea, vt notat gloſſ.in l.1.§.1.de leg.& in l.illud.46.infra de ritu nup.* defenſio hominis eſt indiuidua,& quod diuiduum eſt,non poteſt diuerſo iure cenſeri.

l.ſi ſeruum.5.

Cuiacius *lib.10.obſer.cap.22.*Gilbertus Regius *lib.2.enantioph.cap.51.*præterea ad intellectum huius legis,vide Bal.*in l.obſeruare. §.proficiſci.D.de offic. proconſul.& leg.*vide Benedict.de Plum.*in l.ſi ſtatuliber.ff.de ſtatulib.in pr.*Bartolus *in l.omnes populi. D.de iuſtitia & iure.& in l.1.ff.de pœnis.* Hæc autem lex non pugnat cum *l.1. infra de pœnis.* quod enim hic, *Aliter de ſeruo*,dicitur,referendum eſt non tam ad genus pœnæ, quàm ad cognitionis ordinem & rationem:ob genus etenim pœnæ ius auctoris non ſit deterius.certum autem eſt aliam eſſe formam cognitionis,cùm liber homo,quàm cum ſeruus accuſatur.*l.2.D.de cuſt.reor.l.Domitianus.ff.ad Turpil.& toto tit.D.de quæſt.*vide tamē hic Duarenum & Cuiacium,ſupra allegato loco.

Qualiter de ſeruo ſupplicium. Punitur ſeruus in delictis grauiùs quàm liber in pecuniariis cauſis, cōcordat text.in *l.in ſeruorū.D.de pœn.in l.Pedius. D.de incend.rui.nauf.&* l.3.§.1.*D.ad l. Cornel.de ſicar.* idem etiam dicitur de ignobili,quia plus punitur quàm nobilis. Bald.*in l.quidam.D.de pœn.*Bart.in *l.omnes.C.de ſum.trinit.Gloſſ.in cap.non cogantur.diſtinct.41.*

l.ſed ſi ſtatuliberum.6.

Non agitur hac lege de pœna ſtatuliberi, an ſcilicet puniatur, vt ſeruus, an vt liber(vt quidam exiſtimarunt)& ita in contrarium non facit *l.ſtatuliberi. D.de ſtatuliberis.* verùm huius legis quæſtio eſt, an qui promiſit ſtatuliberum ſiſti, promiſſioni ſteuiſſe, & ſatisfeciſſe videatur, ſi liberum ſteterit, & ſanè videtur cum non promiſit, quod non potuit facere ne ſtatuliber ad libertatem perueniat,quę ſtatuto tempore omnibus inuitis illi competit,nec ſtipulator quoque id à fideiuſſore ſtipulatus videtur, cum ſciret libertatem eius impediri non poſſe.

Tit.10.De eo per quem factum erit,quominus quis in iudicio ſiſtat.

Hic titulus coercet dolum eius qui impedit aliquem iudicio ſiſti. quid autem differat hic titulus à ſuperiori, ne quis eum qui in ius vocatus fuerit vi eximat, quatuor ſunt inſignes differentiæ, quas explicat hic Accurſius, quem conſule.

l.Aequiſsimum.1.

Actio ad intereſſe datur in eum cuius dolo factum eſt quominus quis in iudicio ſiſtat. æquiſſimum enim eſt,vt ait Iuriſconſultus, dolum eius coercere qui impedit aliquem iudicio ſiſti.

§.1.Feciſſe autem.1.

¶Quis dicatur dolo malo facere,diſce ex hoc §.

§.Dolum autem.2.

¶Franciſcus Sarmientus *lib.2.ſelect.cap.9.* Dolus autem malus quomodo hic accipiatur,declara vt per gloſſ.hic.

§.ſi reus.3.

Non videtur intereſſe eius qui aduerſus obligationē tutus eſt exceptione.

Non ſteterit.Stiterit legit Gell.*lib.2.noct.Atticar.cap.*14.& infra hoc titulo ſæpè ſtitit pro ſtetit,vide quæ notaui in *l.qui duos 4.ff.de in ius vocan.*

§.ſi plures.4.

Si plures teneantur ad intereſſe,vnius ſolutio liberat alium.

Omnes tenentur. Sanè ex edicto omnes tenentur inſolidum, quia omnes deliquerunt *l.ſi ita vulneratus. D.ad l.Aquil.* actor tamen vna exactione contentus eſſe debet,quando quanti ſua intereſt agit, non in pœnam,vt hic cōtra ſi pœnale ſit vtrinque iudicium non aduerſus ſingulos inſolidum experietur *l.ſi quis id quod. D.de iuriſd.& l.item Mela.infra ad leg.Aquil.*vide hic Equinarium Baronem.

§.ſerui.5.

§.Et heredi.6.

l.ſi actoris.2.

Dominus tenetur ſciens in ſolidum ex facto ſerui aliàs noxaliter.

l.Ex

Digitized by Google

l.Ex hoc edicto.3.

¶An per ſolam citationem perpetuentur actiones, vide hic Bart.

§.Planè.1.

§.ſi & ſtipulator.2.

Actio quæ ex hoc edicto datur, competere poteſt ſimul contra diuerſos actori, ſcilicet & etiam reo. Concordat cum hoc textu *l. viro atque vxore. l. cum mulier. D. ſol. matr. & c. intelleximus ex. de adulter.* facit gloſſ. *in c. cupientes. in verbo Malignantiam. de elect. in 6.* per Doct. *in c. ſicut. de iureiur.*

§.ſi & ſtipulator.3.

Dolus cum dolo compenſatur, compenſatio etiam fit doli, delicti, negligentiæ, pœnæ. Vide Dyn. *in c. 1. de reg. iur. in 6.*

¶An poſſit vnus opponere alteri exceptionem non ſolutæ gabellæ, vide hic Baldum & Petrum de Anch. *conſ. 412.*

§.ſi à fideiuſſore.4.

Ex hoc §. notandum eſt, quòd ſolutio vnius liberat alium, quando plures tenentur ad vnum intereſſe ex diuerſis cauſis.

¶An reus ſoluendo liberet delinquentem: An fideiuſſor ſoluendo habeat regreſſum contra delinquentem, declara, vt per Bald. hic.

Tit.11. Si quis Cautionibus in iudicio ſiſtendi cauſa factis non obtemperauerit.

Multa de cautionibus Menochius *de arbit. iud. lib. 2. caſ. 140. cum ſeq.*

l.Vicena Millia.1.

In hanc legem Menochius *lib. 2. de arbit. iud. cent. 1. caſ. 2. num. 11.* Corraſius *epiſt. quæſt. cap. 15.*

Dies termini nõ computatur in termino, not. Spec. *in tit. de appell. §. reſtat. ver. vnumquid.* Bal. *ad l. eos. §. 5 in anté. C. de appell.* Socin. *Reg. 91. dies.* Aliquid per Felinum *ad cap. 1 de præſcript. 2. col. verſ.* & cum iſte textus, & *ad c. quoad conſultationem. col. pen. de re iud.* Corn. *conſ 210. in hac col. 2. vol. 4.*

¶An dies dati termini computetur in termino. Quantum ſpatium faciat vnum miliare, declarat Bartolus hic. An Vltima dies ſit de termino: An habens dilationem octo dierum poſſit in qualibet parte termini comparere, vel facere quod ſibi incumbit: An & quę dicatur prima dies dilationis, vide hic Baldum.

l.Non exigimus.2.

Pro intellectu huius legis, vide Pet. Fab. *1. ſemeſt. 14.* Hoc autẽ vult lex: quod ſcilicet liberatio de iudicio ſiſti, contingat per tranſactionem à cautione.

¶An tranſactio facta in principali videatur facta in acceſſorio, vide Bald. hic.

¶Hæc autem lex deſumpta eſt ex tract. de exceptio. & coniungenda cum *l. 2. D. de tranſact.* vide Duarenum hic.

§.ſi quis.1.

Impeditus in impedimento publico ac neceſſario non incidit in pœnam.

¶An citatus in vno tribunali teneatur comparere in alio.

¶An & cui citatio coram duobus iudicibus qui æquales ſint, comparere debeat.

§.ſimili modo.2.

In hunc §. Ioannes Politianus *Miſcell. c. 41.* Cotta *in voce ...* Rauardus *ad l. ... pag. 24.* Cuiacius *lib. 3. obſer. cap. 40. & lib. 11. cap. 18.* Corraſius *epiſt. quæſt. cap 34.*

¶Similiter in pœnam non incidit, ſi quis ad teſtimonium deſideratus non occurrit ad iudicium, vt puta impedimento publico ac neceſſario impeditus.

§.ſi quis.3.

Si quis non venerit ad iudicium propter tempeſtatem, vel vim fluminis, vel propter infirmitatem, excuſabitur.

Morbo ſontico. ¶Quid ſit morbus ſonticus, ſatis conſtat: eſt enim morbus nocens cuilibet rei, quam quis agere vult, qui dicitur interuallatus, & furor interuallatus eſt, morbus ſonticus. Plinius vocat morbum ſonticum, cum ait, Agathem lapidem deprehendere morbum ſonticum. *l. quæſitum. D. re iud. l. 113. D. de verb. ſign. l. vlt. D. de ædilit. edict.* differit etiam Cæcilius I.C. apud Gell. *lib. 20. cap. 1. noct. Attic.* præterea hic morbus eius eſt ingenij, vt non ſinat eum quem corripuit rebus ſuis præeſſe. De morbo ſontico, vide eſt *pag.* 180.

Eſſe Diffiſum. ¶Diffiſum, id eſt, prolatum, & rectè vt in *l. 27. & l. 33. D. de recep. arb.* Budæus tamen mauult legere diffuſum, vt ita dicatur dies diffuſus, vinum diffuſum, quod ex dolio in aliud vas transfunditur, cui etiamſi adſtipuletur doctiſſimus Hottomanus, ego tamen nihil mutandum cenſeo: ita enim Iuriſconſultorum more dixit Horatius.

Nihil hinc diffindere poſſum.

Hac autem de re conſule Politianum Miſcellan. *cap. 41.* Gell. *lib. 20. cap. 1. lib. 14. cap. 2.* Cuiac. *3. obſ. vlt. lib. 12. cap. 18.*

§.ſi non.4.

Si mulier in iudicium non ſteterit, vt puta quia grauida erat, excuſatur.

§.idem eſt.5.

Furioſus ſi citatus in iudicium non comparuerit, excuſatur, & habet exceptionem: ratio autem eſt, quoniam qui furore impeditur, valetudine impeditur.

§.Quod diximus.6.

Quoniam ſuperiori §. dixerat, ſuccurri ei qui tempeſtate aut vi fluminis prohibitus in ius vocatus non venit, ideo nunc declarat quam tempeſtatem intelligere debeamus. impedimentum enim non dicitur niſi ſit efficax.

§.vis fluminis.7.

Quomodo vis fluminis accipienda ſit, hic declarat Iuriſconſultus.

§.ſi quis tamen.8.

¶Proponitur nunc alia I.C.ti ſpecies, an ſcil. excuſetur is qui vim fluminis & tempeſtatem allegat ſi potuerit opportuno tempore nauigare, & tempeſtatem effugere, dic vt *in textu & ibi in glaſſa l. 7. § qui neceſſaria. D. qui ſatiſd. cog. l. 21. in §. quod met. cau. l. 3. §. ſubuenit. D. ad Syllan.* quo loco obiter notandum eſt, quod non ſuccurritur ei, qui ſe in neceſſitatem poſuit: præterea impedimentum voluntarium aut culpa propria ſuſceptum, non excuſat impeditum, hoc facit gloſſ. *in l. 9. in prin. in verbo Auguſtiæ. D. de dam. inf.*

¶An impedimentum probari poſſit per iuramentum, vide hic Bald.

§.ſimili modo.9.

Excuſatur is qui comparere non potuit propter fluminis inundationem; vide alias cauſas ſupra allegatas, cui adiungitur hæc, ſi ſcilicet à magiſtratu principaliter fuerit detentus.

Repet. 6. fol. 192. nu. 102.

l.ſed actio.3.

l.ſed & ſi quis.4.

In hanc legem ſcripſit Auguſt. *lib. 3. emend. cap. 6.* Hoc autem vult inſtitui, hoc quod ſcilicet iuſta cauſa in iudicio non ſiſtendi ſit capitalis condemnatio, vel relegatio.

§.illud ſciendum.1.

Iuſta cauſa in iudicio non ſiſtendi non eſt ſi quis citatus ſit, vel accuſatus ex cauſa capitali.

§.Præterea.2.

Si quis funere domeſtico impeditus ita fuerit, vt in iudicio comparere non potuerit: dari ei exceptionem, notat hic I.C. Vlpianus.

§.item ſi quis.3.

Exceptione adiuuari debet, ſi quis in ſeruitute fuerit, ac per hoc in iudicio non ſteterit.

§.Quæſitum.4.

Ad faciliorem intellectum huius §. vide Alciat. *lib. 2. parerg. cap 27.* quem reprehendit Corraſ. *lib. 1. Miſcell. c. 10.* vide Molin. *de eo quod intereſt. nu. 190* & Cuiac. *lib. 14. obſ. c. 7.* Guterium *reſolut. parte 1. c. 24* Menoch. *de arbit. iud. caſ 30. lib. 2.* Innuit autem hic locus, quod renuntiatio generalis omnium caſuum fortuitorum non valet in iudiciis, niſi ſpecialiter exprimantur.

An poſſit conueniri. ¶Ex hoc loco nota, quod confeſſio facta in iudicio præſumitur facta ſponte, non per vim, idem renũtiationes quæ faciunt malefactoribus in iudicio valeret ita vult ac declarat Dynus *in reg. quod ſemel. D. de reg. iur. in 6.* ¶An & qui caſus cenſeantur comprehenſi in generalitate, latè Felin. *in cap. ſedes. de reſcrip.* Alex. *conſ. 28.* An in extraiudicialibus valeat renuntiatio generalis: An renuntians exceptioni videatur renunciare actioni: An poſſit renuntiari exceptioni præſcriptionis: vt & plures alias quæſtiones, tractat hic Bald. quem conſule.

§.item quæritur.5.

Promiſſio [illegible]

¶In dubio verum præſumatur error, an certa ſcientia, vide hic Bald.

Plures quàm ſtatutum eſt. Statutum eſt, vt fideiuſſor in veram quantitatem teneatur, niſi pro certa quantitate acceſſerit. *l.2.§.vlt.D.qui ſatiſd.cog.l.1.C.de ſent.quæ pro eo quod inter.* id eſt, ſupra duplum in caſu certo.

l.ſi duo res.5.

In hanc legem Menoch. *de recup.poſſeſſ.rem.3.num.*580. Culpa vnius ex reis credendi in adquirendo, nocet alteri, quod intelligendum eſt, ſi ſint ſocij.

§.item ſi duo.1.

Duo rei promittendi. Vt putà pater & filius ab vno, rei ab alio intereſſe petit non poteſt, pater enim & filius, quaſi rei ſunt.

§.Aequè ſi à.2.

l.ſi is qui.6.

Exceptio ſuperueniẽs reo prodeſt fideiuſſori, hoc eſt quod reo prodeſt eius fideiuſſori eſt vtile. *l.a.D.de liber.legat.*

l.ſi quis ſeruum.7.

Quicumque pro ſeruo fideiuſſit, eas exceptiones habet, quas haberet, ſi pro libero fideiuſſiſſet, excepto quod ſeruus Reipu. cauſa abeſſe non poteſt, *l.omnes.D.de excep.l.ex perſona.D.de fideiuſ.* & rurſus quibus exceptionibus fideiuſſores vti poſſunt, ſi pro libero homine, vel patrefamilias iudicio ſiſti adpromiſerit, iiſdem etiam vti licet ſi pro ſeruo aut filiofamilias iidem adpromiſerint ſeruum iudicio ſiſti, filiumfamilias iudicio ſiſti.

l.Et ſi poſt tres.8.

In hanc legem vide Ioan.Robert. *li.2.recept.ſent.c.18.* Mora rei in iudiciis purgari poteſt, *Repet.6.fol.405.nu.13.& 25.Repet.6.fol.450.nu.54.& 68.*

¶An ante diem certum tacita conditio naſcatur: An tacita conditio impediat natiuitatem obligationis & actionis: An tacita vel expreſſa conditio interpellet ſicut dies: An dies incerta interpellet: An & ad quid committatur ſtipulatio ratione moræ: An mora purgari poſſit, vide hic Bald. *Repetit.6.fol.424.nu.52.& 39.& 91.& 93.& 114.& 158.*

l.ſi ſeruus.9.

Si rei principalis obligatio nulla ſit, ſimiliter fideiuſſoris obligatio nulla erit. regula etenim eſt in iure frequens, quòd vbi non tenet principale, nec acceſſorium.

§.ſi plurium.1.

Pro intellectu huius legis facit Cæpola ad *l. Labeo ſcripſit. §.idem ait.nu.2. D.de edilit.edict.* Alciat. *ad l.4.§ Cato.D.de verbor.obligation.numero 195.& ſeq. num.140 vſque 147.* Crot. *num.99.& ſeq.in 2.repetit.num.53.* Lancell.Galla. *nu.78.* Ruin. *nu.72.* Soc.Iun. *num.202.& ſeq.* Bologn. *num 167.* Hoc in ſumma vult quod ſi quis duos ſeruos in iudicio ſiſtere promittat copulatiuè, & hoc ſub pœna, ſi vnum ſiſtat aut alterum, non de rigore iuris tenetur inſolidum, at de æquitate pro parte tantùm. *fol.284.num.72.& num.ſeq.& 74.Repetitionum 6.& fol.260.numero 53.fol.253.num.99.fol.240.numero 140.& 144.145.& 147. Repetitionum 6 fol.361.num.167.fol.221.num.165.& num.ſeq. vſque ad num.168. Repetitionum 6.*

l.ſi cum.10.

Permittitur aliquid ratione dubitationis, quòd aliàs non permitteretur.

§.Homo.1.

Pœna ante diem nunquam peti poteſt, hoc eſt, vbi dies eſt, & conditio, expectatur dies, licet conditio euenerit.

§.Qui iniuriarum.2.

Actio acceſſoria eiuſdem eſt naturæ cuius principalis, *vide Alex.in l.2.§.item ſi in facto.in pen.coll.in ſi.cum ſeq.de verbor.obligat.* & Doct. in locis ibi per eos allegatis.

¶An actio iniuriarum tempore finiatur ipſo iure ſicut morte, vel pacto, declarat hic Bald.

l.ſi quis.11.

Hominem promiſſum quis ſiſtere debet in eadem cauſa, quoad forum, non quoad facultatem.

l.Qui autem.12.

Loriot. *de eo quod intereſt.axiom.48.*

¶An valeat ſententia lata contra priuilegium, vide hic Bald.

§.illud tenendum eſt.1.

Sufficit ab initio intereſſe, licèt deſinat ex poſt facto.

l.Quotiens ſeruus.13.

Non tenetur qui promiſit eum ſiſtere, qui non poteſt eſſe in iudicio.

l.ſi procurator.14.

l.ſi tutor.15.

Stipulatio euaneſcit, ſi promittens iudicio ſiſti deſiit poſſe conueniri.

Tit.12. De feriis, & dilationibus, & diuerſis temporibus earum, & ex quibus cauſis feriæ non impediuntur.

Sunt quæ huc pertinent, non pauca in calendario Romano, quod Manutius edidit in orthographia Aldi.

¶Feriæ autem ſunt, quæ ad hoc deputantur vt homines quieſcant, & diuinis vel aliis rebus neceſſariis intenti ſint: dictæ à feriendis, id eſt, à mactãdis victimis, quæ diebus feſtiuis offerebãtur: vel à ferendis hoſtiis, quòd his diebus citari ſolet. Vnde ipſæ hoſtiæ feriæ dicantur Gel. *li.4.c.6.noct.Att.lib.10.c.1.* niſi malimus per Antiphraſim dicere, quòd tũc nullæ res inde feriãtur.

l.Ne quis.1.

Pileus *quæſt.123.* Briſſon *lib.1.ſelect.cap.16.* In ius venire compellitur nemo tempore vindemiarum vel meſſium, ratio eſt quoniam occupari in rem ruſticam in forum compellendi non ſunt: limita vt per Soz. *Reg.91.*

§.ſed ſi prætor.1.

Si quis vindemiarum aut meſſium tempore in ius vocatus fuerit, & ſponte venerit, & litigauerit, lata ſententia tenet, lata verò contra non comparentem nulla erit.

¶An per partes poſſit renuntiari iuramento teſtis: An ſententia nulla poſſit conſenſu partium confirmari: declarat hic Gloſſa iuncta ibi Bar. An feriis renuntiari poſſit Alex. *conſ.36.lib.2.*

Neque enim prætoris factum iuri derogare oportet. ¶Hic obiter nota, quòd prætor iudicando nihil iuri derogare potuit: ſed eum oportuit ex iure ſtatuere: propoſuit tamen edicta, quibus interpretatus eſt, ac suppleuit quæ deſiderabantur in iure ciuili, & quibuſdam articulis ei derogauit. *l.im autem, & ſeq.D.de iuſtitia & iure. §.2.Inſt.de bon.poſſeſſ.* deinde ea edicta à populo in honorem prætoris ſunt recepta, itaque magis auctoritate populi, quàm prætoris valuerunt. *l.2.ff.de origine iuris.* vide autem Ioann.Robert. *lib.4.recept.lect.cap.23.*

§.ſed excipiuntur.2.

Ioann.Robert. *lib.4.recept.ſent.c.23.* Enumerantur in hoc §. multi caſus in quibus non obſtant feriæ, vbi notandum obiter eſt, quod quando conceditur aliquid ratione neceſſitatis, eatenus conceditur, quatenus neceſſitas eſt, & non vltra, vide Decium in *l.non aliàs.§.ſed ſi poſtulatur.D.de iudic.*

l.Eadem.2.

De iſtis caſibus enumeratis hic, vide Barto. in *l.quod ad ſtatum.ff.de pœnis.* & quando iudex profert ſententiam contra ius commune, non expreſſa cauſa ſufficit, quòd poſſit hoc verificari in vno tantùm caſu, & ſententia erit valida.

l.ſolet.3.

Enumerantur adhuc hic caſus quidam, in quibus non obſtant feriæ. nota autem hic, quod feriæ non habeant locum in criminali cauſa, vt notat hic Bartolus.

§.Liberalia.1.

Iudicia liberalia omni tempore finiuntur.

§.item in eum.2.

l.Præſides prouinciæ.4.

Hoc innuit hæc lex, quod ſcilicet præſides prouinciarum ex conſuetudine cuiuſque loci tempus vindemiarum & meſſium conſtituere debeant, & præterea in feriis indicendis conſuetudo loci ſeruanda eſt.

l.Pridie calendas.5.

Magiſtratuum dies extremus quis fuerit, declarat hic Gloſſa.

l.Si fe-

l.ſi feriatis.6.

Sententia diebus feriatis lata non valet, nec ei obtemperare cogitur, quod tamen verum eſt, niſi aliter partes ſtatuant, ſecundùm *l.pa. la conuenta, D.de pactis.*

Iudicatum facere cogat Id eſt ſententiæ ſatisfacere, non ſolùm ſi in faciendo ſit, vt vult Accurſius hic verùm etiamſi in dando ſit accipietur. *l.aſi. D.de noxal. actione.*

l.Oratione.7.

In hanc legem Nicolaus Vigelius *paradox. 6.* Aulus Gellius *lib. 3. cap. 2.* Macrob. *lib. 1 Saturn. cap. 3.* Hoc vult hæc lex quod in cauſa ciuili, vna tantùm datur dilatio, gratia, ſcilicet inſtrumentorum exhibendorum. coniunge autem cum *h.t. l. not. enem. D.de ver. ſign. ſi.* & alterã ex altera interpretare: Agell. dictis locis. Hinc notandum eſt quod dilationis ſecundæ conceſſio fieri debet cum cauſę cognitione, qua de re vide Alex *in l.fin.h.tit.* adde quod dicit Bal. in *l.1. §. ſi quis cautionem in ſua interpretation. Co.*

l.More Romano.8.

¶ Pro intellectu huius legis conſule Cottam in voce *Diem.* Ferran. *lib. 1. explicat. cap. 13.* Auguſtin. *lib. 2. emend. cap. 13.* Iohan. Robert. *lib. 1. recep. ſent. cap. 1.* Cuia. *lib. 15. obſ. cap. 32.* Gellius *2. cap. 3.* Plutarch. *problem. Rom. 81.* Quando incipiat, ac finiatur dies, explicat hoc loco Paulus, de die naturali & artificiali, Macrob. *1. Saturn 3.* Gell. *lib. 3. cap. 2.*

¶ An ſententia de die an de nocte ferri poſſit, Gloſſ. *Nou. de iudicib. 82. ca. 3.* vide quæ ibi notauit D Gothof. gloſ. *in l. non mouerem. 20. Cod. de tranſ.* adde Socin. *reg. 359.* Balbum *deciſ. 422.* Oldendorp. *tract. de Senten. c. ſi nocte iudicatum ſit.*

l.Diuus Traianus.9.

Huius legis quæſtio eſt, an diebus feriatis quis militare poſſit, & reſpondetur poſſe, cauſæ verò iis diebus agitari non debent, hac de re vide Bald. in *l.3. Cod. de epiſcop. audient.*

l.in pecuniariis.10.

Pro intellectu legis vide Petrum de Bella pertica hic.

Vide quæ refert Alex in *l. die. num. 2. qui ſatiſdare cogan.* vbi limitat hanc legem ex mente Bald. & Odofred.

¶ An ſimpliciter verum ſit, quod quælibet dilatio probatoria ſit peremptoria. An valeat dilatio data non petenti, an valeat probatio ſine termino, an dilatio data ad probandum mutari ac reuocari poſſit, vide quæ notat hic Bald. an & quare dentur plures dilationes in cauſa criminali, quàm in ciuili, tradit hic Bart. n.15.

Tit.13 De edendo.

De hoc edicto Cuiacius *lib. 10. obſ. cap. 14* Ræuard. pro trib. *cap. 4.*

¶ Quantum ad hãc edendi vocem. Edere eſt actionem vel cauſam in iudicio publico demonſtrare. æquiſſimum enim eſt, eum qui acturus eſt edere actionem, vt inde ſcire poſſit, reus an contendere, an verò cedere debeat, quod ſi contendendum putat, veniat ad agendum paratus & inſtructus. præterea edere eſt etiam copiam deſcribendi facere.

¶ Libellus quæ continere debeat: an & quomodo ſententia libelli formanda, Zaſius *hic.*

¶ Quæret autem fortaſſe aliquis, cur de edendo potius quàm de editione hic titulus inſcriptus ſit: verùm huius rei ratio eſt, vt facilius conſtet neceſſitatem eſſe impoſitam edere debenti, hoc eſt, iuriſconſultum hic non tractare de editione, ſed de actu edendi.

l.Quia quiſque.1.

Petrus de Bella pertica, Vldaricus Zaſius. hoc autem vult textus, quod ſcilicet actor actionem edere debeat, vt poſſit reus deliberare, an cõtẽdere, an verò cedere debeat. Huius edicti interpretationem pete ex. *l.j. D.de excepti. & Labeonis. D.de oblig. & action.* & de vera eius lectione vide Duar. *diſp. lib. 1. cap. 13.* Iohan. Rober. *lib. 3. ſent. iur. cap. 13.* Forcatulo *Cupidine. Iuriſperit. cap. 17.* Cuiac *lib. 8. cap. 15.* Politianus denique in miſcellaneis.

¶ An cauſa & actio ſint idem: an quis habeat neceſſe exprimere nomen actionis. Bart. hic.

¶ An & qualiter libellus ſit concipiendus, & quæ ſint de ſubſtantia tabellionum, quæque continere debeant, vide gloſſ. *in Nouel. de exhib. reis. 53. cap. 3. in verbo libellum.* Vbi plura notatu digna ſcripſit D. Gothof. ad eã gloſſ. *in l.5. §. qui nuntiat. D.de oper. noui nunt.* an & qualiter res debeat in libello deduci.

Nam æquiſſimum: Super hoc verbo deficit vna gloſſa, de qua meminit Boleg. hic in ſuis interpretationibus. quem vide.

§.Edere.1.

Alciati interpretationem in hunc §. refellit Duarenus *lib. 1. diſput. cap. 13.* ſed eam defendit Iohan. Robert. *lib. 1. recept. ſent. cap. 15.* Forcatulus autem in *cupidine iuriſperit. cap. 17.* legit perducat, ſed id contra Alciatum exponit *ex l. ſi quid infra eod.* vide Cuiac. *lib. 8. obſ. cap. 15.* Politianum *in miſcel. cap. 82.* Cotta in voce *Edere.*

Ad album. Quid eſſet album, neſciuit omnino Accurſius, ita vt meritò tota hæc gloſſa delenda ſit, perperam etiam putauit in *l.1. Cod. de interdict.* librum prętoris, perperam quoque *in l. ſi quid in quod. D. de iuriſdict.* aliquid in muro dealbatum ſcriptũ eſſe, cum id tolli poſſe dicatur *d. l. 7.* & apud Paulum *1 ſen. 13.* album videtur fuiſſe quid muro adpenſum, quo ea quæ incidebant ſcribebantur *d. l 7.* id eſt vt interpretor interdicta *d. l. 1.* non ea quæ iuriſdictionis erant perpetuæ *d. l. 7. l. §. 3.*

§.Editiones.2.

Pro intellectu huius §. vide Cuiac. *lib. 3 obſ. cap 7.* Hoc autem vult hic §. quod inſtrumenta ſine die & conſule edi poſſint, non autem rationes. Ratio eſt, quoniam accepta & data non aliàs poſſunt apparere niſi dies & conſul fuerit additus.

¶ Vt inſtrumentum dicatur publicum, quot & quæ requirantur, vide hic Bald.

¶ An & quo iure quis compellatur edere, Bart. hic.

¶ An & quomodo inſtrumenta edenda: Tempus in diſpoſitionibus additum, quomodo intelligendum: acta iudiciaria & inſtrumenta, quare & quomodo edantur, Zaſius hic.

¶ Ne quid excogitetur die. Quaſi diceret ne ex editione diei & conſulis naſcatur occaſio fraudis alicuius excogitandæ, vt fortè diei repetendæ. *l. repetita. ff. de fide inſt.* vbi quod Repetita die, hic prælato diem dicitur, pro quo alij malè perlato, alij etiam prolato legunt.

§.Edenda ſunt.3.

Quænam edenda ſint diſce ex hoc §. omnia enim edenda ſunt, quæ quis apud iudicem editurus eſt, non tamen, vt & inſtrumenta, quibus quis vſurus non eſt, compellatur edere.

¶ An & quando inſtrumenta edenda ſint, an publicatis atteſtationibus produci poſſint inſtrumenta, declarat per Bald. hic. præterea an & quando fieri debeat editio, vide Bart. hic.

§.Edere.4.

Edere is non videtur, qui ſtipulationem totam non edit: perfecta etenim editio & integra eſſe debet, vide Ang. *conſ. 150. incip. rem ciuitatis.*

§.Eis qui ob ætatem.5.

Subuenitur eis qui ob ætatem, ob ruſticitatem, vel ob ſexum lapſi non ediderunt, hoc eſt minor, ruſticus, miles, & mulier excuſantur à pœna præcepti ſpreti.

l.ſi legatum.2.

Quicumque petit legatum ex teſtamento, non tenetur edere teſtamentum hæredi.

¶ An inueſtitura domini per vaſſallum neceſſariò ſit edenda, declarat Zaſius hic.

l.ſenatus.3.

Aliàs incipit hæc lex, Nec quiſquã innuit hæc lex, quod fiſco eduntur inſtrumenta, ad intentionem fundandam ad cauſam, nempe facientia, & non ad impertinentia. De materia autẽ huius legis vide Alex. *conſ. 112. l. prætor ait. §. etiam. infra h. t.* vide Iaſon. *in l. 1. verſ. 5 Cod. eod.* præterea an hæc lex procedat in dote, vide Rom. *in l. 1. infra ſolut. matrim.* & ibi per Alexand.

l.Prætor ait.4.

Argentarius rationes edere tenetur cum die & conſule, his ad quæ pertinet, ita vt initio huius legis contineatur prætoris edictum.

Ad id quod dicit gloſſ. de argentario *l. Prætor. in prin. de edend.* vid. Alciat. *lib. diſpunct. vlt. & penul.*

¶ Argentarij qui & quomodo rationes edant: an & quomodo notarius inſtrumenta publica faciat: an filiusfamilias ex ſuis contractibus obligetur, explicat hic Zaſius.

§.Huius edicti.1.

Commendatur hoc §. prætoris edictum.

¶ An notarius qui conficit inſtrumentum rogatus eſſe debeat ab ambabus partibus, vide Bald. *conſ. 52.* vbi ponit an ſi creditor confiteatur abſente debitore ſibi ſatisfactum, & præſente fideiuſſore poſſit rogare notarium, vt de illa confeſſione conficiat inſtrumentum.

§.ſed & filiusfamilias.2.

Filiusfamilias edere etiam cogitur, ſed an etiam pater, quęritur hic.

Cum patri quæſtum refert. Collige ex hoc loco, vt etiam notat Bal. quod pater tenetur ex facto filij, quãdo ex eius commodo ſentit commodum aliquod, vel lucrum.

§.ſed ſi ſeruus.3.

Si ſeruus argentaria faciat, dominum compellere poteſt, vt edat.

§.Etiam is.4.

Ad editionem etiam compellitur is qui argentariam facere deſiit hoc argumento, quod ſcilicet ille qui deſiit exercere vſuras, ita compellitur ad

reſtitutionem ſicut exercens. De vſurariis vide Bald. *conſ.* 113. præterea obligatio vel quaſi obligatio contracta ratione cuiuſdam officij nõ finitur puncto officio.

§. ſed ibi quis. 5.

Vbi & quo loco quis edere cogatur, collige ex hoc §. facit etiam quamlibet rationem tenetur quis edere, vbi eam adminiſtrauit, quo loco obiter notabis rationibus reddendis omnes adminiſtratores obnoxios eſſe, qua de re vide Rol. à Valle 1. *conſ.* 49.

l. Spatiúmque. 5.

Spatium aliquod ad perferendas rationes omnibus tribuendum eſſe ait hac lege Paulus.

l. ſiquis ex. 6.

Perducere, Donatus in Terentium interpretatur initium ducere. vide Forcat *d. cap.* 17.

¶ Vel in horreo. Hoc ideo dixit Iuriſconſultus, quoniam in eo pretioſiſſima quæque reponebantur *l. pen. §. effractore. D. de off. præf. in gl.*

¶ Adde *fol.* 282. *num.* 43. *& ſequent. repetitionum 6. fol.* 127. *num.* 17. *& num. ſeq. repetitionum* 7.

§. Cogentur. 1.

Hæredes ſiue ſucceſſores argẽtarij rationes edere coguntur, ſiue ſint duo, ſiue plures.

Pro intellectu huius §. vide Bart. *in l. 4 §. Cato. D. de verb. oblig.*

An & quomodo teſtis leuis opinionis ſoluetur: an & quomodo infamis à teſtimonio repellatur: an notarius malè verſatus in officio, illo amplius fungi poſſit, Zaſius hic.

§. Legitur autem. 2.

Editionem qui petit, iurare debet de calumnia.

§. Rationem autem. 3.

Ratio quomodo accipienda, declaratur hoc loco. eſt enim ſcriptura dati & accepti.

¶ Ratio quid: an generalitas ad materiam ſubiectam reſtringatur, declarat hic Zaſius.

§. Ex hoc edicto. 4.

Contra non edentem datur actio in factum, hoc vult hic §.

¶ An & hoc iure petatur editio, vide hic Bart.

§. Vnde apparet. 5.

Rationes ad aliquem pertinere dicuntur, quando eo mandante, vel eius procuratore confectæ ſunt, & ideo tã ei quàm procuratori ſuo edendæ ſunt.

¶ An ſcriptura facta me abſente, nemine pro me mandante, vel recipiente probet, vide hic Bald.

§. Si initium. 6.

Ad intellectum huius §. vide Menoch. *de arbitra. iudic. libro 2. cap.* 64. Notabilis ſanè eſt textus hic, licèt videatur communis & vulgaris, quod ſcilicet dies in principio poſita, in ſequentibus repetita tacitè intelligatur: hunc etiam §. elegantiſſimè repetiit Bart.

§. Edi autem. 7.

Edere rationes eſt vel dictare, vel tradere libellum, vel codicem proferre coniunge *l. 1. §. edere. ſ. h. t.*

§. Prætor ait. 8.

Continentur hoc §. alia prætorij edicti verba.

§. Prohibent. 9.

Argentario non ſit rationum alia editio, niſi probet quod rationes quæ apud ipſum remanſerunt, perdidit caſu fortuito, vel niſi ſubſit alia iuſta cauſa.

§. An nec hæredi. 10.

¶ Res perdita eſſe quomodo probetur, & quibus probationibus vtendum ſit, an & quæ dicantur manifeſta in probãda amiſſione rei, declarat hic Bart.

§. Nec iterum. 11.

Poſtulanti iterum edi prætor iubet, niſi ex cauſa. ¶ Hoc autem loco nota quòd qui ſemel inſtrumentum habuit & amiſit, non poteſt petere à notario, vt iterum ſibi edat, niſi cum licentia & authoritate iudicis.

l. Veluti ſi. 7.

§. Hæc vox. 1.

Vox iterum poſita in edicto *l. 6. & 7. ſ. hoc tit.* quas & quot ſignificationes habeat, diſce ex hoc §.

l. Vbi exigitur. 8.

Argentarius tenetur de dolo vel lata culpa, ſi non edat rationes.

Dolo malo. Dolo malo non edit & qui malitioſè edidit, & qui in totum non edidit.

§. Is autem qui. 1.

Loriottus *de eo quod intereſt axiom.* 47. Nota autem hoc §. quod intereſſe non venit ex mora, ſed ex ſententia.

l. Quædam ſunt. 9.

Vbi competit actio, non competit iudicis officium, vel ſi malis, vbi competit ordinarium remedium, ceſſat extraordinarium.

Vide Dec. diuerſimode loquentem circa illam *l. in c. 2.* 350. *col. verſ. veruntamen opinio. & 36. verſ.* Adde tamen *ext. de probationibus*. Et ad dicta ibi per Bar. *circa quaſt. de vſurario*, vide Abb. *in d. cap. in 3. col.* Et Dec. *in l. 1. col. fin. C. de edendo. declarantem circa med.*

Repet. 7 *fol.* 16. *num.* 14.

§. Nihil intereſt. 1

Bellonus *lib. 4 ſupput. cap.* 18. Hoc vult hic §. quod ſcilicet ſucceſſor argentarij cogitur ad edendum, licèt non ſit eiuſdem profeſſionis, quis autem ſucceſſoris nomine intelligatur, declara, vt per Bald. hic, vide quid per iſtum textum dicat Felinus *in c. fi. in 1. not. D. de probat.*

Succeſſoris appellatione an & quis contineatur, & an hæredis appellatione contineatur is qui propriè hæres vel ſucceſſor eſt, Bald. hic.

¶ Verſis autem cui. Notarius protocollum, ſiue abbreuiationem ſuam vendere poteſt, vt not. hic Bald.

§. Nummularios. 2.

Nummularij & argentarij pari paſſu ambulant: vtrique enim tenentur rationes edere.

¶ An valeat ſtatutum vt libris mercatorum detur fides, Bald. in deciſione reliquit, *conſ.* 475. 4. *volum.*

§. Cæterum. 3.

§. Ad nos. 4.

l. Argentarius. 10.

Pro intellectu huius legis vide Cuiac. *lib. 10. obſ. c.* 14. Nannius *lib. 1. miſcel. c.* 9. hic autem obiter notandum eſt, quod argentarij & omnes qui gerunt officium publicum, tenentur rationes ſuas edere.

¶ Quærit præterea hic gloſſa, vtrum tabelliones cogantur edere, qua de re vide Felin. *in c. quoniam contra. de probat. in pr. 2. col.*

¶ An tabellio pro confectione inſtrumenti poſſit pecuniam accipere.

¶ An iudex in ſalarij taxatione committere poſſit vicem alteri tabellioni.

¶ Argentarius §. *edi. D. de edendo. fol.* 31. *num.* 307. *repet.* 3.

§. Ideo autem. 1.

Redditur hic ratio, quare ſcilicet argentarij, & omnes qui gerunt officium publicum, teneantur rationes ſuas edere.

§. Edi autem. 2.

Quod ratio reddi debeat à capite, concordat *gloſſ. 2. in c. ſedes. de reſcript.* & vide quæ notat Alexand. *in rub. D. ſol. mat.* Abb. *conſ.* 25 *volum.* 1.

§. Cum autem. 3.

Ad hunc §. ſcripſit Duarenus *de in lit. iur. nu.* 55 vbi hunc §. conciliat cum *l. ſemper. §. in hoc interdicto. ſ. vnde vi. l. qui tabulas. ſ. de furtis.*

Pro intellectu huius §. vide quæ not. Pau. de Leaza. *in c. conſtitutus. de elect. in clemen.* Petrum de bellapertica *hic.*

L. Argentarius. §. cum autem. *D. de edendo*, ad illum textum iuncta ibi not. per Bart. in 4. not. vide textum *in l. ſi quando. C. vnde vi.* quomodo illum intelligit gloſſ. *in §. fi. in verbo probare, Inſt. de verb. oblig.*

Quo iure ſuccurratur contra iudicem, qui probationes non curauit, vide hic Bart.

l. Exempla. 11.

¶ An ſubſcriptio ſiue præſentia partis ſit de ſubſtantia inſtrumenti, tractat hic Iuriſ. Modeſtinus.

l. Fœminæ. 12.

Fœminæ remotæ ſunt ab omnibus officiis publicis, vt ait *l. fœmina. 2. D. de reg. iur.* & conſequenter ab officio argentarij, vt vult hoc loco Calliſtratus.

l. Hæc

Digitized by Google

l.Hæc actio.13.

Tit.14. De pactis.

Scripſit in hunc titulum plurima præclara Duarenus, & nonnulla etiam *lib.2.diſput.c.*8. Scripſere præterea eſt, Aemilius Ferretus *qui deſinit in l.7.* Sed poſtea addidit. §.*pactum ne peteret.l.ſi vnus.*& optimè Cuiacius, qui præter ea quid iſte titulus,cum præcedentibus commune habeat, docet *lib.*10. *obſ.cap.*30.

l.Huius edicti.1.

Ad faciliorem huius legis intellectum conſule Charondam *lib.*1. *veriſim. cap.*4. Iohan Robert.*lib.*2 *ſent.iuris cap.*1. Hotoman. *volu.*1. *varior. diſputat.cap.*7. Fortunius Garſia.

Quòd hic non ponatur definitio pacti,ſed quædam deſcriptio, vide Iacob.de Nigr.ad Rub.*de verb.oblig.n.*54.

Appellatione pacti non venire tacitum pactum poſt alios,de quib. ibi tenet Decius *ad Rub.C.de pact.num.*3.*&* 4.vbi etiam dicit ſe conſuluiſſe. & eſt *in conſilio*245. tamen communis eſt contra eum,vt per moder.*ad l.Rogaſti.§. ſi tibi.D.ſi cert.pet.Ripa.ad Rub.de verb.oblig.n.*21.

Cicero lib.2.de inuentione pactum, inquit,eſt quod inter aliquos conuenit,quod iam ita iuſtum putatur,vt iuri præſtare dicatur, Bald.*in. l.*1.*hoc tit. & in tract.de pact.n.*2.

§.Pactum autem.1.

Hic continetur etymologia pacti,de qua vide hic Accurſium,vide etiam Ilp.de S.Seuerin dicentem, quod pactum dicitur à percuſſione palmarum,vt notat etiā hic Gloſſa,& male ſane,ſed potius à verbo antiquo paco.

§.Et eſt pactio.2.

Quod ad definitionem pacti hic, ab Vlpiano traditam,duplex eſt lectio. Quidam enim *duorum pluriumve in idē placitum cōſenſus.* Alij *duorum pluriumve in idem placitum & conſenſus* legunt, & hęc eſt vulgata lectio, quam retinendam eſſe cenſeo.

§.Conuentionis verbum.3.

Conuentionis verbum ita generale eſt,vt ad omnia pacta contractus & diſtractus,referri poſſit.

§.Sed conuentionum.4.

Propoſita ſuperioris §.conuentionis generali ſignificatione meritò,nunc eius diuiſionem ſubijcit, quod ſcilicet quædam ſint nominatæ, quædam innominatæ. Adde tractatum *in fol.*170.*n.*2.

l.Labeo ait.2.

Vide in hanc legem Fortunium Garſiam. Explicat autem hic I.C. aliam conuentionum diuiſionem, quod ſcilicet quædam ſint tacitæ, quædam expreſſæ. Repetitionum 1.*fol* 384.*n.*2.

Pactum & donatio cauſa mortis,quomodo inter abſentes fieri poſſit.

¶ An & quomodo pactum exceptionem doli pariat,Bald.hic.

¶ Vide de hoc text.& ſimilibus loquentibus, de inſtrum. reſtit. pro ipſo debito. *Bart.in l.ſi is qui pro empto.n.*65.*de vſucap.*

§.Et ideo ſi.1.

Pro intellectu huius §.adde textum *in cap.eccleſia.*2.*in fin.vt lite pendent.& ibi gloſſ.* ¶ Hoc innuit hic §. quod redditio inſtrumenti, vim pacti obtineat,quamuis pignoris remiſſio non inducat præſumptam remiſſionem debiti principalis.

Differentiam pignoris & inſtrumenti,vide hic apud Bartolum.

l.Poſtquàm.3.

¶ An acceſſorium tollat principale, an inſtrumenti redactio inducat debiti remiſſionem:an ſolutio debiti vim habeat cancellationis,vide hic Bald.

Ad illum text.cum vno,quod ibi dicit Bald.*in fin. verſ.*vide Socin.*reg.*193.

l.Item quia.4.

Vide in hanc legem,Fortunium Garſiam. Iuriſconſultus materiam eandem perſequens,hoc eſt de tacita conuentione, ait quod inuecta in domū conductam, ſunt tacite obligata pro penſione,quæritur autem hic, an hoc locum habeat in pupillo,cum res ipſius non poſſint obligari ſine decreto, qua de re,vide Bart.hic.

§.Secundum.1.

Mutus paciſci poteſt, quoniam etiam ſi non poſſit loqui, ſignis tamen demonſtrare poteſt,& expreſſum dicitur,quod ex ſignis colligi poteſt, vide gloſ.*in l.*20.*§.*2.*in verbo expreſſum. D.de oper.nou.nunt.gloſ.in l.*1.*§.ſi quis ita. D.de verb.oblig.*

§.Huius rei argumentum.1.

In ſtipulatione tacita conditio ineſt, ſi ſcilicet matrimonium ſequatur, coniunge *l.*21.*D.de iure dot.*vide Alexan.*conſ.*4.*vol.*4 *conſ.*3.*eod.vol.*

§.Ex facto etiam.3.

Quæ in præfationibus dicuntur,in ſequentibus repetita intelliguntur, hoc innuit hic.*F.*Aug.*conſ.*61.*Rom.conſ.*233.*&* 202.

l.Conuentionum.5.

Hanc legem explicuit Ræuard.*lib.*4 .*Variar.cap.*1. Cuiac.*lib.*15.*obſ.c.*5. & 33.perſequitur autem hic Iuriſconſultus conuentionis alias ſpecies; quod ſcilicet conuentio, aut ſit publica,aut priuata, aut legitima; aut iuris gentium.

¶ An præfectus militiæ poſſit facere pacem,Bart.hic.

§.Publica.1.

Conuentio publica eſt, quæ fit per pacem, quotiens inter ſe duces belli quædam paciſcuntur.

l.Legitima.6.

Ad intellectum huius legis faciunt,quæ ſcribit Bellon. *lib.*3.*ſuppu.cap.*7. Gouean.*lib.*2.*variar.lect.cap.*26. Fortunius Garzia. Cum autem ſuperior lege dixerit,quę dicatur publica conuentio,iuſto rectóque ordine tradit nunc quæ dicatur legitima.

¶ Vide Ioan.Fab. *inſtit.de oblig.in* 4.*col.verſ.ego credo.*Alex.*in conſ.*75. *vol.*7 *in fin.*1.*vo.*cuius verba retuli,in rubric.incip.legitimam.

Ad eius intelligentiam, quare ibi fiat differentia inter conuentiones nudas & veſtitas,vide Socin.*in Rub.de verb.oblig.col.*2.*verſ.*4.*concludo.*

Ad intelligentiam etiam gloſſ. in. §. ſed cùm nulla. in verb. igitur. vide Ruin.*in l.*1.*§.ſi quis ita.chart.*2.*de verb.oblig.*

Et ad intellectum §.quod ferè.vide eund.*in eo loco.*& vide omninò,quomodo inducat illum.*Ioan.*Petr.de Bella Pert. *Inſtit.de action.& reſpondo.*

Et ad §.igitur vide Socin.*in d.Rub.colum.*5.*in princ.*

Ad princ.vide Iohan.Fabr. *Inſt.de oblig.in verſ.ego credo.& ad reg.§ ſed cùm nulla.cum ſeq.§.vide Bart.in l. Ariſto.§.ſi.in verſ. Ariſto.& quod ibi per eum.de donat.* Et ad gloſſam magn.ibi circa med. vide Iaſ. *inſtit.de actio.§. actionum; in gloſ.in verb.ex permutat.in prima concluſ.*& quod ibi per Gomeſ.*in antepenult. col.*& ad §.quinimò.vide Alciat.*lib.*5.*paradox.cap.*1.

l.Iuriſgentium.7.

In hanc legem ſcripſere Connan.*lib.*6.*comment.cap.*2.*& fere toto libro* Forcat.*dial.l.*97.*num* 5.Hilbertus Conſtanus *lib.*1.*quæſt.cor.cap.*8. Charond. *lib.*12 *veriſ.cap.*8.Corraſ.*lib.*1.*miſcel.cap.*1.Alciat.*lib.* 5. *prætermiſſ.*Forcat. *dial.* 69.*n.* 1.Cuiacius *lib.*2.*cap.*85.Auton.Cont. *lib.*4.*d.ſſ.cap.*13. Hoc autem initium vult quod iuriſgentium conuentiones aliæ pariunt actionem,aliæ exceptionem, *fol.*227.*n.*19.*repet.*7.

An & quare permutatio non dicatur contractus nominatus,ſi do rem,vt aliam mihi des,declarat Bart.hic.an donatio ſit contractus nominatus, vel innominatus,vide Bald.hic.

§.Quæ pariunt.1.

Conuentiones quæ pariunt actiones,in ſuo nomine non ſtant, ſed tranſeunt in proprium nomen contractus,vt emptio,venditio.&c.

§.Sed et ſi.2.

Connan.*in l.naturalis.D.de præſcrip.verbis.*ſed per *tot.*4.*deinceps.*

§.ſi ob maleficium.3.

Turpis inepta,vel iniuſta cauſa non veſtit pactum.

¶ An & quotuplex turpitudo. An & quæ donationes inſinuationem requirant,an qualibet cauſa, vt puta iuramentum veſtiat pactum. Nudum pactum quid,& quomodo intelligatur,quod pariat actionem.

§.ſi cum nulla.4.

Vbi non ſubeſt cauſa ciuilis,neque obligatio,neque actio naſcitur,hic autem notabis in fine regulam,quod nuda pactio actionem non pariat, ſed exceptionem.

Actio ex pacto nudo nō oritur,*vt hic & §.quinimò & §.Marcellus.&.d.l.*7.*ſi l.legem.C.de pact.*not glo.& ibi latiſſime Iaſon *ad §.in perſonam. Inſt.de actio.* poſt Iaſonem hic late,vide per Socin.*in reg.*9.*ac Phi Decio.ad Rub. D. de verb. obl.*Forcat.*dialo.*69.*n.*1.

¶ Pactum nudum quidam ex pacto nudo oriatur actio,tam de iure ciuili quàm canonico,vide Bart.hic.

¶ An pactum nudum ſine aliqua cauſa valeat,Bald.hic.

Latiſſimè & melius quæ alibi Felin.*in cap.*1.*ex.de pact.*

§.Quinimo.5.

Pro intellectu huius §. conſule Corraſ.*lib.*3.*miſcell. cap.* 10. Charondas,

Digitized by Google

decl. lib. 2. ca. 9. Forcat. *dialo 89. n. 1. & 5.* Vacon. *lib. 1. declar. 23.* Merce. *opin. lib. 2. cap. 16.* Bulg. *ad l. petens. C. de pact. nu. 10.* Betreng. Ferna. *ad l. pacta conuenta ff. de contrah. empt. cap. 2. n. 19.* Cuiacius. *3. obſ. 15.*

Quæ in ingreſſu contractus. Non ſignificet ab initio ſed dum contractus ingreditur, & ambulat, id eſt dum contrahitur, dicitur enim contractus ambulare. *l. ſed ubi ff. de min.* qua de re vide Alciat. *2. parerg. cap. 19.*

An & quot modis veſtiatur pactum nudum & quomodo contractus innominati dicantur veſtiri: an ratione pacti non ſeruati competat rei vindicatio, vide hic Bald. An & quis contractus dicatur Feudum, & quæ actio oriatur, vide Bal. *in l. 1. ff. de condict. ex lege.*

§. Adeo autem. 6.

Loriottus *de hered. inſtit. axiom. 4.* Cuiac. *lib. 2. obſ. cap. 15.* quem reprehendit Raeuardus *lib. 1. Varior. cap. 13.*

§. Ait prætor. 7.

Hoc §. continetur prætoris edictum, qua de re Forcat. *dial. 69. num. 2. & 4.* Vacon. *lib. 5. declar. cap. 67.* prætor itaque ait quod pacta ſeruabit, modo dans exceptionem, modo actionem, modo formans actionem, modo negans actionem, tot enim ſunt vires & effectus pacti, & ſignificationes verbi ſeruare, vt *l. 10. C. h. t. l. 44. §. 1. fam. ercij. l. 41. ff. de acquir. rer. dom.*

Pacta, an & quando ſeruari debeant, declara vt per Bal. hic.

§. Pactorum. 8.

Charõdas. *d. cap. 8.* Mercerius *d. cap. 16.* Hoc autem vult hic §. quòd pactum in dubio præſumitur reale, & tranſitorium ad hæredes.

Non minus ex verbis quàm ex mente. Duarenus ait huiuſmodi *pſeudologias* vſitatiſſimas eſſe iuriſconſultis, aliiſque Latinis authoribus, Vlpianus *l. 3. §. Labeo. ff. de incend. ruin. nauf. l. 3. §. ſi emancipatus. ff. de bonor. poſſeſſ. contr. tab.* Seneca *de tranquillitate vitæ, lib. 1. cap. 8.* vide & Charondam *dicto proximo loco,* & Mercerium *eodem.*

§. Dolo malo. 9.

Cum ſuperioribus duobus. §§. poſuerit I. C. edicti prætoris vtilia, nunc ad eorum explicationem accedit, & primo ait quid ſit dolus malus, & quid ſit paciſci dolo malo, nempe alterius circumueniendi cauſa, cum ſæpe aliud agitur, aliud ſimulatur, de dolo malo, v. de *l. 1. §. dolum. D. de dolo.*

§. ſed ſi fraudandi. 10.

Huius §. quæſtio eſt, vtrum de fraude paciſci liceat, quoniam edicti verba nullam de fraude mentionem faciunt, verum optimè Labeo ait pactum, ita conceptum iniquum eſſe, præterea fraus eſt ſpecies doli, & ineſt dolo, ſicut ſpecies ineſt generi, & eo remoto, remouentur etiam eius ſpecies.

Ineſt enim dolus & fraus. Vide Alciat. *in l. aliud eſt fraus. D. de verb. ſig.*

¶ An & in quo differat dolus à fraude, Bart. hic.

§. ſiue autem ab. 11.

Exceptionem doli parit, ſiue dolus committatur ab initio contractus, ſiue ex poſt facto.

§. Quod ferè. 12.

Stipulatio eſſe præſumitur, ſi præcedat interrogatio, & ſequatur reſponſio, niſi in contrarium probetur, id eſt factum, contra ius commune, non eſt igitur hic locus contrarius *l. 27. §. in ſumma infra eod.*

§. ſi paciſcar ne. 13.

Pactum valet ſi paciſcar ne pro iudicati, vel incenſarum ædium agatur, ex culpa ſcilicet ad duplum. nam conſulto factum incendium morte puniebatur. *Pau. 5. ſent. 3. l. capitalium. §. incendiarij. D. de pæn. l. qui ædes. l. pen. D. de incend. ruin. nauf. l. ſi quis dolo. ff. ad leg. Corn. de ſic.* & hæc eſt quæ incenſarũ ædiũ actio dicitur *in l. 1. Cod. de leg. Aquil.*

§. ſi paciſcar ne. 14.

¶ Cuiac. *lib. 10. obſ. cap. 10.* ¶ An pactum valeat ſi paciſcar, ne operis noui nuntiationem exequar, magna hic dubitatio eſt, qua de re optimè hic Labeo.

¶ An nuntiatio noui operis, pacto remitti poſſit: an pactum factum contra rem publicam, vel priuatam vtilitatem valeat, necne, declarat hic Bald.

Nam & de furto paciſci. De furto paciſci licere conſtat ex hoc loco, quamuis in contrarium multæ extant leges, & præcipuè *l. tranſigere. Cod. de tranſact.* verum hoc intelligendum eſt de furto facto. *l. 17. §. 1. h. t.* ſecus de futuro. *l. 27. §. 4. D. eod. tit.*

§. Sed & ſi quis. 15.

Pactum valet, ſi quis paciſcatur, ne depoſiti agat.

§. Et generaliter. 16.

Ad intellectũ huius. §. vide Cuia. *lib. 1. obſ. c. 24.* à quo reprehẽditur lectio Duareni, qui in hoc. §. definit. De huius §. lectione non nulla etiam Petrus Matthæus *in l. veteribus. §. eod. tit. fol. 21.* Quod pactum à iure communi remotum ſeruari, minimè debeat, declarat his iuriſconſ. præterea nec iuramento nec ſtipulatione firmari poteſt, & multò minus legari.

§. ſi ante. 17.

Pactum valiturum eſt, ſi ante hæreditatem aditam paciſcatur quis, cum creditoribus vt minus ſoluatur.

¶ Repetitionum *7. fol. 215. num. 30.*

§. ſed ſi ſeruus. 18.

In vulgata editione hæc erat lex octaua, & ſumma hoc autem vult lex, quod in his quæ ſunt communia, & ſingulis quod fit à maiori parte, præiudicat aliis fauore liberationis.

¶ Hinc etiam collige, quod maior pars creditorum præiudicare poteſt minori, quod tamen limita, vt per Rom. *ſing. 101. Cre. ſing. 22.*

§. Hodie tamen. 19.

¶ Pactum per maiorem partem factum cum herede futuro, de parte debiti remittenda, omnibus creditoribus legem imponit, & eſt ab omnibus obſeruandum.

¶ An factum à maiore parte dicatur factum communis, vide Rom. *conſil. 511.*

Maioris partis voluntatem. Ex his verbis colligere poſſumus, numerum perſonarum præualere dignitati, quod facit *l. fin. Cod. de bon. auct. iud. poſſ.* quod intelligendum eſt, quando de commodo pecuniario tractatur, ſecus ſi de fide vel probatione veritatis, ſecundum Iaſonem hic. quem vide.

¶ Vide Bart. & poſt eum cæteros. *in l. 4. §. Cato. vlt. q. de verb. oblig.*

l. Maiorem. 8.

l. ſi plures. 9.

Innuit hæc lex, quòd ſi duo ſint argentarij, vel rei ſtipulandi, habentur tantum loco vnius.

¶ Plures an & quo caſu loco vnius habeantur: an vnus duas voces habere poſſit: an voluntatis maioris partis ſtandum ſit, declara, vt per Bald. hic.

§. Cumulum. 1.

Cumulum debiti, hic non tantum ad ſortem, ſed etiam ad vſuras ejus refertur, at non ſit cumulatio ſummarum in caſu *l. 11. ſup. de iuriſdict.*

§. Summæ. 2.

l. Reſcriptum. 10.

Abſentes tenentur ſtare pacto, per maiorem partem præſentem, etiamſi abſentes perſonalia priuilegia habeant, dum non habeant hypothecam. *fol. 353. n. 49. Repet. 6. & fol. 478. n. 209. eadem repet.*

§. ſi pacto. 1.

Petrus Aluarottus, Petrus Salernus, in hunc. §. ſcripſere.

Si tamen ex cauſa pacti. Coniunge cum hoc. §. *l. 17. Cod. de tranſact. l. penult. infra eod. l. 122. D. de verb. oblig.*

§. Plerumque. 2.

Doli exceptio ſubſidium eſt exceptionis pacti.

l. quia. 11.

l. Nam & nocere. 12.

In hanc l. Bellon. *q. 23.*

¶ An, quot, & quibus caſibus procuratoris pactum noceat domino, declarat hic Bald.

l. ſed ſi tantum. 13.

Sic mutauit Taurellius, in editione Florentina, cum in archetypo Florent. eſſet Vlpianus, teſte Ant. Auguſt. *lib. 3. emend. cap. 1.*

§. ſed ſi in rem. 1.

Procurator in rem ſuam, paciſcendo domino obeſſe poteſt, vt ait hic Gloſſa finalis.

l. Item magiſtri. 14.

¶ Quæſtio huius legis: an pacta facta ab iis qui præſunt corporibus, vel collegiis proſint, vel noceant collegio, quæ vtilis eſt, & de hac vide Roman. *conſ. 63.*

Magi-

Magiſtri ſocietatum. Magiſtri hi appellantur, cui præcipua cura rerum incumbit, & qui magis quàm cæteri diligentiam, & ſollicitudinem in rebus quibus præſunt, adhibere debent, ita appellati à monendo, ſiue à monſtrando, ſic etiam dicuntur magiſtri vniuerſitatis, & venditionis bonorum præpoſiti *l.9.D.rem rat.hab.* nautũ *l.1.§.1.D.de exercit.act.* equitum *l.2.§.19. D.de orig.iur.* Officiorum, *vt toto tit.Cod.de magiſt.officior.* ſunt & plures alij quos recenſet.D.Gothof.hic.

l.tutoris quoque.15.

Pactum tutoris pupillo prodeſt, & non nocet.
¶ Pactum tutoris, vtrum noceat pupillo, declarat hic Bart.

l.ſi cum emptore.16.

Pactum factum cum habente vtiles actiones, præiudicat habẽti directas, & hoc eſt quod innuit hic textus.
¶ An pactum cedentis noceat ceſſionario. Paul.de Caſt.*conſ.47.& ſeq. per Ang.conſ.*150 An exceptio compenſationis quæ obiici poteſt cedenti, poſſit etiam obiici ceſſionario, vide Bald.*conſ.*487.*&* 207.

§.ſed ſi inter.1.

Pactum eius cui ſunt cedendæ actiones, nocet ei qui eas habet, & cedere debet.

l.ſi tibi decem.17.

Ad intellectum huius legis faciunt quæ notauit Duarenus. *de pactis, fol.*35. ¶ Hoc autem vult hæc lex, quod obligatio quæ re cõtrahitur, trahi non poteſt vltra quàm peruenit, quæ quidem lex optimè commendatur à Bartolo.

§.Quædam actiones.1.

Pactum tollit actiones deſcendentes ex maleficiis, coniungẽ autem *l. ſi vnus.§.pactus,ne peteret.D.de pactis.*
¶ An iniuriam remittens, videatur damnum remittere. An vniuerſitatis ſindicus damna ſingulorum ciuium remittere poſſit: an in teſtamento pax fieri poſſit, & an pœnitentiam recipiens, videatur remittere iniurias, declara vt per Bald.hic.

§.De pignore.2.

Pignus de iure prætorio ſolo conſenſu contrahitur: ſed tamen ſolo conſenſu non tollitur.
¶ An hypothecaria ſit actio merè realis, vide hic Bald.

§.ſi quis paciſcatur.3.

Ad hunc.§.Ioh.Robert.*lib.4.recept.ſent.cap.15.* quod pactum perſonale perſonam nõ egrediatur, declarat hic §.hoc eſt perſonalia pacta hæredibus nõ proſunt, vt pluribus declarat hic Accur. & quæ ſit ratio huius rei, vide *l.idem in duobus.25.§.1.perſonale.D.de pactis.*

§.ſi Pactus ſim.4.

¶ Paciſci quis non poteſt extraneo filio, nec confirmatur pactum, licet poſtea ille extraneus ſuccedat paciſcenti.
An pactum patris proſit & filio: an doli exceptio quæratur extraneo, vide hic Bald.
Vide Rom. in *l.Gallus.§.1 in* 28.*char.de lib.& poſthu.* & ad ibi dicta per Bar. *in verſ.ex hoc edicto.* vide Abb.*in c.in præſentia.coll.10.n.27.de probat.*
Et ad illum tex.vide Aret. *Inſtit.de inutilibus ſtipulationibus.§.ꝯ.cauæ.1.not.*

§.Pactum conuentum.5.

Perſonale pactum ad ſucceſſorem in rem etiam porrigitur, viuo paciſcente, & quæ ſit ratio huius §. j. vide tres rationes quas adfert hic Accurſ. *in gloſſa.*
Et in emptorem. In emptore potius legendũ eſſe puto latinitatis ratione.

§.Cum poſſeſſor.6.

Concordat textus in *l.ſi actionem. Cod.h.t.* innuit hic §. quod pactum poſſeſſoris non prodeſt, neque nocet vero hæredi.
Neque nocere, neque prodeſſe. Quidam tamen aiunt prodeſſe, iuxta *l.22. de conſt.pecun.* ita vt antinomiam quandã hic eſſe quidam exiſtimauerint, verùm tamen eam ſic ſolue, vt dicas in *l.22.* I.C. ex ſua perſona loqui hic aliorum ſententiam referre.
¶ Repetitionum.7.*fol* 194.*n.*4.

§.Filius.7.

Filius paciſcitur, quandoque directo patri, quandoque directo ſibi.

l.ſiue de eo.18.

l.Adquirent.19.

§.item ſi filiusfam.1.

Perſonale pactum filij tranſit ad patrem & ad hæredẽ eius, viuo filio, quo loco obiter notandum eſt, pactum quod prodeſt patri, proſit etiam filio.

l.Vel de in rem verſo.20.

Ex hac lege inferunt quidam quod pater non cogitur præcisè filium defendere.

l.Et heredi.21.

Si filius paciſcatur, ne à ſe petatur, ipſi filio & patri proderit pactum, ſi pater conueniatur de peculio.

§.Quod ſi ſeruus.1.

Huius §.ſententia hæc eſt. Si ſeruus paciſcatur, ne à ſe ſeruo petatur, nõ valet pactũ. Sed ſi ſeruus realiter paciſcatur acquiritur, tunc exceptio præſcriptis verbis, ſi in perſonam pactum conferatur.

§.Nos autem his.2.

Si pater paciſcatur, ne à filio ſuo petatur, iſtud pactum filio ſuo non prodeſt, quo ad pacti exceptionem, ſed exceptio doli datur filio.
¶ Quando dicatur pater ſtipulari filio vt filio, & quando filio vt hæredi, vide quod dicit Bald.*in cap.1.in princ.an agnat.uel fil.res here.poſſ.*
Ne à Titio. A filio potius legendum eſſe, doctè ſanè emendat Cuiacius.

§.Filiafamil.3.

Pactum factum à filiofamilias tempore patriæ poteſtatis, nocet ei tempore exiſtentiæ ſui iuris.

§.item filiusfam.4.

Filiusfamilias rectè paciſcitur, de eo quod ſub conditione legatum eſt; paria enim ſunt fieri tempore congruo, vel in illud tempus conferri. concord.*text.in arg.l.in tempus.D.de hered.inſt.text.in l.quod ſponſa.Cod. de donat. ante nupt.*

§.in his.5.

Pactum rei prodeſt fideiuſſori, niſi ſit perſonale pactum. Nam perſonale perſonam non egreditur.

l.Niſi hoc actum.22.

In hac lege obiter notandum eſt, quod pactum ſimpliciter factum, reo porrigitur ad fideiuſſorem, quod tamen ſecus eſt, ſimpliciter factum, propriæ perſonæ.

l.Fideiuſſoris.23.

Pactum fideiuſſoris non prodeſſe reo, negat hæc lex. Verùm in contrarium facit *l.duobus.§.à fideiuſſore.D.de iureiuran.* quam antinomiam ſolue, vt per Bart.hic.

l.ſed ſi fideiuſſor.24.

Ex hac lege colligi poteſt materia, quæ in vſu & foro eſt vſitatiſſima, nempe quod licet quis, vt fideiuſſor accipiatur, tamen in veritate eſt principalis, & vt de principali eſt iudicandum. quod vt in praxi vſitatum, ſit nemine dubiũ eſſe puto, hodie enim non cõuenitur principalis, ſed fideiuſſor, vnde manauit prouerbium hoc, qui fideiubet, ſoluit.

l.idem in.25.

Ad intellectum huius legis, vide Cuiac.22.*obſ.cap.6.* Ratio dubitandi huius legis eſt an pactum factum, vni ex duobus reis debẽdi, proſit alij, quam quæſtionem optimè examinat hic gloſſa, Bart.& Bal.

§.perſonale.1.

Pactum perſonale ad alios non pertinere, immo etiam nec ad hæredem ſatis ſuperque declarauit ſuperioribus §§.

§.ſed quamuis.2.

Regulariter fideiuſſoris pactum, reo non prodeſt.

l.Videlicet.26.

Dictio videlicet non ſolum declarat: ſed etiam aliquando reſtringit, qua de re vide *l.cum quidam.§.2.de vſur.* notat Bart.in l.1.*D.ad leg. Aquiliam.*

Google

l.ſi vnus.27.

Hæc lex eſt ſubtilis & difficilis.ideo ad eius intellectũ,vide Iohan.Rober. *lib.1 ſent.recept.cap.25.* Paleum *quæſt.209.* Charond.*lib.2.veriſim.cap.21.* Cuiac. *11.obſ.cap.6.* Roman.*conſ.ſen.209.*

§.Si cum reo.1.

Pactum factum ad tempus,non prodeſt poſt tempus,& poteſt principalis paciſci fideiuſſori,licet non paciſcatur ſibi.

§.Pactus ne peteret.2.

Scribit in hunc §.Ferretus Vide Zaſ.*lib.1 ſing.reſponſ.cap.5.* Charond.*lib.2. veriſ.cap.4.* Reuard.*lib.2.variar.cap.6.* Cor.*lib.2. miſcell.cap.16.* Bello.*lib.1.ſupput.cap.1.& 9* Alciat.*lib 1. parad.cap.vlti.* Molinæum *in labyrinth. de diuidui & indiuiduis,in princip.n.10* Hotom.*vol.1.variar diſpu.cap.7.poſt tract.de pactis.*& obiter Duaren.*ad tit.de in lit.iuran.n.16. & de pactis fol.38.* Vaconium. *lib.1. declarat.cap.20.* Prat.*ſenten.cap.3.* Rep.*6.fol.118.n.40.*

¶ Quod pactum nudum,non tollat actus ipſo iure,nota hoc non procedere quando fit ante contractum perfectum,qua de re vide Cremens.*ſin.49.*

¶ De intellectu huius textus doctores hic late. Adde Fortunium Garſiam hic *col.7.* Moder.Sabin.*lib.1.declar.iur.civ.cap.36. & ſeq.* nouiſſimi noſtri *ad principium Inſt.de oblig.n.17.* Croit.*in rep. ad l.ſi is qui pro emptore.n.* 110. *D. de vſuc.* ¶ De viribus pactorum vide Bald.*in l. cum quis.Cod.de iuris & fact.ignor. & in l.pacta quæ contra leges.Cod.eod.*

¶ Tu conſidera pro intellectu huius textus, quod ſecunda ſtipulatio formatur ſuper verbis,quæ continent omnem & totam obligationem. Sed in pacto verba non percutiunt totum contractum,& totam obligationem, vnde non tollit vniuerſaliter præcedentem obligationem. & hoc colligitur in *textu hic.* ¶ Mulier contrahens cum viro, qualiter obligari poſſit, vide Bart.in *l.Mania.§.1.D ſolut.matrim.*

¶ Quod in pactis factum verſetur,eſt contrarius textus in *l fin.ibi, aliquid fieri vel pacif.i.C.de pact.* vide ibi Deci.n.12.*& vide Doct.ad dict Rub. de verb. oblig.* ¶ An vna acceptilatio tolli poſſit per aliam. An ex pollicitatione oriatur obligatio naturalis: an pactum temporale tollat obligationem naturalem an renuntiatio tollat obligationem naturalem & ciuilem, vide hic Bald.

§.illud nulla.3.

¶ Loquitur hic §.de dolo,an autem de culpa intelligi poſſit, dubitant doctores,an ſcilicet culpa futura remitti poſſit, vide de hac materia Alex. *con.6.vol.2.ad fin.* Iaſon. *in l.actione. Cod. de tranſact.* ¶ Item an regula huius §. procedat in dolo præſumpto,vide Paulum de Caſtro hic.

Dolus futurus poteſt remitti.ſecus in præterito.de quo vide Cagno.*ad l.contractus.n.80 de reg.iur* vide Lud.à Sard.*in tract.de nat.lib.2.part.prin.§. de legit. per reſcrip.n.24.in 6.volu.tract.* Deci.*conſ.278,in tanſa.n.3.& conſ.192. & conſ. 88. viſo,ad finem,& ad l.contractus. D.de reg.iur.* Alex 5.*conſ.152.*quod adeo verũ eſt, vt nec à teſtatore remitti poſſit, Menoch.2.*de arbitr.caſ.337.* multa ſpecialia quæ permittuntur propter delictum futurum euitandum ponit Bart. *conſ.94.vol.1.*vide Rom.*conſ.94.& conſ.90.alias 60.tract.6.fol.357.n.34.* Cagno *lin de regul.*

§.Pacta quæ turpem.4.

Cuiac.*lib.1.obſ.cap.25.*& Menoch.*de recup.poſſ.rem.1.n.192.*

A re priuata. Cuiacius emendat publica,qua tamen ratione, neſcio, nam Florentinam vulgatámque lectionem ita ſuſtinere poſſumus, vt dicamus à re priuata,id eſt,ſi non ſpectet priuatorum vtilitatem.

Verſ.Ante omnia.5.

¶ Pactum factum in vna re, non porrigitur ad aliam,adde Dec.*conſ.360. & præſertim & conſ.625.viſum.*

¶ Pactum plurium reſpectu tertij nõ nocet,quod ad ipſos plures.Dec.*conſ. 374.in caſu propoſito.*

¶ In materia,vide trad.per doctor.*ad l.ſi is cum §.chriſogonus.D.de verb.oblig. & ad l.2.Cod.de tranſact.* Socin.Iunior.*conſ.6.viſo puncto col.7.*

§.ſi cum decem.5.

Repetitionum *6.fol.180.n.11.& ſeq.*

Minor ſumma ineſt maiori.

§.ſed ſi ſtipulatus.6.

§.ſed ſi generaliter.7.

§.item ſi pactus.8.

Qui promiſit non petere tantum,remouetur à petitione cuiuſlibet partis eius.

§.ſi acceptilatio.9.

Inutilis acceptilatio valet, vt pactum ſimplex,hoc eſt, paria ſunt inutilis acceptilatio & pactum ſimplex, in contrarium facit *l.1.D. de acceptilatione,* vbi dicam.

§.ſeruus hæredi.10.

Vide Forcat.*dial.5.n.3.* Molinæum *ad l.1.§.ſi quis.n.45.D.de verb.oblig.*

l.contra. 28.

Pupillus paciſcendo conditionem ſuam deteriorem facere non poteſt,ſed meliorem,pupillus enim nõ poteſt ſibi præiudicare,ſine tutoris auctoritate. Tractatuum.*9.fol.151.n.18.*

§.ſi curator furioſi.1.

Curator paciſci poteſt pro domino,non autem contra dominum.

§.ſi filius.2.

Paciſci non poteſt filius in præiudicium patris,ſuper iure acquiſito, niſi ex iuſta cauſa in acquirendis autem paciſci poteſt.

l.ſin autem.29.

l.in perſona.30.

Pro intellectu huius legis, vide Duare. *lib.2.diſput.cap.11.* ¶ Nota autem ex hac lege,quod filius concordiam facere non poteſt, de iniuria ſibi facta in præiudicium patris, immò verò pater remiſſionem facere poteſt de iniuria facta filio,qua de re vide Bald.*in l.ſed ſi vnus.§.ſiue.D.de iniur.*

§.Qui pecuniam.1.

Cuiac.*lib.8.obſ.cap.11.*

§.ſi ſub conditione.2.

l.Paciſci.31.

Per pactum poteſt quis legis beneficio derogare:ſed non ipſi legi,hoc eſt, derogare poteſt ſui voluntati:ſed non legis authoritati.

¶ Quomodo autem intelligatur,quod pacta contra legem non valeant, vide Bart.in l.pacta quæ contra.Cod.de pactis.

l.Quod dictum.32.

Hoc vult hæc lex quòd ceſſante ratione legis,ceſſat & ipſa lex:vide quod notat Decius in *l.ex hoc iure.D.de iuſt.& iure.* Angel.hic.

l.Auus neptis.33.

Cuiac.*19.obſ.29.* Exceptio pacti conferri poſſit, & acquiri, ita tamen vni ex pluribus heredibus,declarat hic iuriſconſultus.quod repetitur in *l. auus, infra de pactis dotalibus,*quæ ex hac lege emendanda eſt.

l.Ius adgnationis.34.

Cotta *in voce liberum.* ¶ Vult autem hæc lex, quod adgnationis ius pacto repudiari non poteſt,hoc eſt ius naturale, quod ex inſtinctu naturæ introductum eſt,per pactum tolli non poteſt.

l.Tres fratres.35.

Generalis remiſſio reſtringitur,ne dolus alicui patrocinetur.

¶ Marc.Mant.ſing.*642.fol.362.*

Vide Iaſ.in *l.qui Romæ.§.duo fratres,in 2.col.poſt med.nu.32. D. de verb.oblig.* vide Bald.in *tract.de duob.fratribus.*qui ponitur inter tractatus Bart.*in 2.quæſt. in 5.volum.*

Vide Bar.in *l.5.§.ſtipul.de verb.obl.in fin.*vide Alex. *in loco vbi ſup. Iaſ.in 1.col.*

¶ An & qui fratrum appellatione contineantur,vide Bald.hic,& Paul.de Caſtro *conſ.358.l.Lucius.§.quæſitum.ff.de leg.3.l.Lucius.§. Mania.* vbi gloſ. & Bart.*& l. fin.vbi gloſſa.ff.ad Trebel.* & quod fratris appellatione ſoror contineatur,declarãt ſupradicti textus.quod tamen verum eſt, in conſuetudinibus,ſtatutis,priuilegiis,contractibus,& omnibus diſpoſitionibus humanis, idque propter arctiſſimum nexum,ſanguinis & affinitatis, niſi materia ſubiecta,aut ſermo aliud exigat,Bart.*conſ.229.*

l.ſi cum fundum.36.

In hanc legem Couarruuias *lib.1.variar.reſolut.cap.14.* ¶ Huius autem legis quæſtio eſt,an in pacto quod tendit ad liberandum locum habeat pœnitentia,& ad hoc hæc lex ſingularis.

Repetitionum.*1.fol.409.n.106.*

l.imperatores.37.

Reipublicæ adminiſtratores,quem liberare pacto gratuito non poſſunt, conſtitutione imperatorum Antonini & Veri.

l.ius priuatorum.38.

Vide Cuiacium *lib.11.obſ.cap.29.* continetur autem hac lege regula quæ fixa memoriæ noſtræ inhærere debet, quod ſcilicet publicum ius priuatorum pactis,mutari non poſſit.

l.veteribus.39.

Ad intellectum huius legis Duar.de pact.fol.36.& Forne.ſelect.lib.2.cap.18. Ex profeſſo ſcripſit ad hanc legem elegantem libellum Petrus Martefius editum Pariſiis,anno 1551 Cuiac.1.obſ.10 Declara autem,vt per Alciat.in l. inter Procul.in gloſſ.in verb.in id.D.de verb ſign & ibi Bart.in l.1.& 2.D.locati.

¶Ambiguã conuentionem interpretamur cõtra profeſſentem,vide ad declarationem huius legis quando aliquid dicatur eſſe obſcurum;Alex.conſ.33. Viſo.col.ſi.vol.2. Dec. ad reg.ſemper in obſcu.ad fin.D.de reg.iur. & ibi Cagno.nu.6.vbi enumerat.Idem Decius ad l.in contrahendo.nu.2.de reg.iur. & in conſ.201.& 4.Iaſon ad l.ſtipulatio iſta.§.in ſtipulatio nu.3.D.de verb.oblig.

¶Limita hoc non procedere in mandatis, quia tunc ſecundum mentem mandantis fit interpretatio,vt not.gloſſ.ad cap.per tu.de procur.

Secundò limita quando vtitur aliquo termino certo frequẽtioris vſus,Gerard.ſing. 97 limit. vbi ratione colligitur contraria mẽs Dec.ad conſ.41. aliàs limitat.vide per Iaſ.vbi ſ.& in conſ.39.tota.lib.2. Corn.conſ.116.col.2.verſ.facit & quinto lib.1.Bellon.conſ.80.nu.10.Rom.ad prin.Inſt.de donat.nu.450.& 675. Alciat.ad l.inter Proculo.D.de verb.oblig.Cep.ad Rub.D.de verb.oblig.num.152.

Limita hanc legem procedere in contractibus, Bart.ad l. libertum. col.5.de verb.ſign. Niger in repet.ad Rub.D.de leg.2.nu.43.limit. vt non procedat quando qualitas aut natura actus aliud ſuaderet.Cran.in rep.ad Rub.de leg.1.n.152.

¶An & quæ ſit differentia inter obſcuritatem & ambiguitatem, declarat hic Bartolus.

Pacta poſſidentis obſcurant ¶Coniunge l.ſi quis ſeruitium.D.de iud.l.ſi imponens.D.de contrah.emp.l.cum qui.D.de verb.oblig.

l.Tale pactum.40.

In hanc legẽm Cuia.18.obſ.2.hoc autem vult hæc lex,quod confeſſio ſine cauſa,etiam extra iudicium ad liberandum,diſpoſitionem inducit:proponit autem Papinianus exemplum pacti in rem, quod vocat generale pactum, quod non coarctatur perſona paciſcentium.

¶An confeſſio cauſa donationis exigat inſinuationem,declarat hic Bald.

Profiteor. ¶Profiteor, plus eſt quàm confiteor, Cicero pro M.Marcello, hic ego, inquit, non ſolùm confiteor,ſed etiam profiteor. idem in oratione pro Cæcinna. Ita confitetur,vt non ſolùm fateri, ſed etiam profiteri videatur.de confeſſione igitur fruſtra hic diſputant interpretes, quoniam profeſſio plus eſt quàm confeſſio.

§.Qui prouocauit.1.

Vide in hunc locum Cuia.20.obſ.36. Hieron.Ver.ad Rub.de ver.obl.nu.584. Iacob.Nig.ad l.1.num.94.eo.tit.de verb.oblig. eſt & repet.Ang.de peruſio,ſuper hoc §.fol.48.nu.18.& 186.repet.vit.fol.166.nu.44.repetit.

Ad Gloſſam magnam hic in verbo ſequitur vbicumque fuerit,vide Iaſon. ad l.ſi conuenerit,in ſi.D.de re iud.optimè hanc legem repetiit Bald.hic.

§.Poſt diuiſionem.2.

Pro intellectu huius §.vide Coniunct.in conſ.8.incip.duo erant fratres fin.

§.Pater qui.3.

Molinæus de donationibus factis, videlicet confirmatis in contract.matrim.num.6.

Ad hunc textum,& ad gloſſam finalem, in fine, vide Tiraq.ad l.ſi vnquam. C.de reuocan.donat.in præfat.nu.56.Claud.de Seiſel.ad l.Gallus.§.& quid ſi tantum.D.de lib.& poſth.col.3.in ſi.Socin.Iun.conſ.128.num.87.lib 1.Natta Aſten.ad l.hac conſultiſſima.§.ex imperfecto.C.de teſtam.nu.209. Fab.Acoramb.ad l.heredes mei.§.cum ita.D.ad Trebell.num.39.faciunt quæ adſio infra ad l.quidam cum filium.C.de poſthu.hered.inſti.

¶Cum regulam huius §.quod ſcilicet ſtatutum in vno caſu, intelligatur ſtatutum in alio, in quo veriſimiliter ſtatuentes, idem ſtatuiſſent, ſi fuiſſent interrogati,vide Ang in conſ.24.in 4. vol.& conſ.54.vide etiam Iaſon.in l.Barbarius.D.de offic.prætor.

l.intra illum diem.41.

Aliàs hæc lex incipit,ſi intra diem.

Pactum de liberando in futurum producit exceptionem in præſenti, vt hic notat Bart.& Angel.

l.inter debitorem.42.

Vide iſtam legem allegatam per Felinum, in cap. cum ex officij.extra de præſcript.

l.in emptionibus.43.

Ad faciliorem huius legis intellectum,vide Cuiac.lib.11.obſeruat.cap.24. In hac autem lege Florentini ita ſcriptum habent, & perperam. In emptionibus ſcimus quid præſtare debitor debeat, vulgò rectius quid præſtare venditor debeat, quaſi diceret hic Iuriſconſultus, ſcimus quid debeat præſtare venditor quidque emptor viciſſim: ſed ſi quid in contrahendo exceptum fuerit pacto conuento ex his quæ iure venditi & empti continentur, id,inquit,ſeruari debet, Vlpian.in l.contractus.23. D.de reg.iur. id ſeruatur,inquit, quod ab initio conuenit: legem enim contractus dedit, ſi quid exceptum fuerit. qua ratione fortè etiã hæc pacta dicuntur exceptiones in l.iuri gentium. §.adeo.D.h.t.vt autẽ in Florentinis perperam hoc loco ſcriptum eſt,Deb tor pro venditor,ita contraria ratione in l.ſi quis doloſ.§.1.D.de re iud,vidimus pro debitore ſimiliter malè in Florẽntinis in l.18.de furtis. emo debitore; & vulgò rectius eum emptore.

l.cum in eo.44.

Corraſius lib.3.miſcell.cap 4. Ad hoc allegatur quotidie hæc lex, quod ſcilicet in eo quod quis æquum putat in perſona aliorum, in perſona propria id etiam obſeruare debeat.

¶An creditor vel debitor poſſit eſſe teſtamentarius tutor: An filius creditor patris poſſit eſſe curator,vide Bald.hic.& Roman.ſing.563.

l.Diuiſionis.45.

Hæc lex vult, quod ex nudo pacto diuiſionis non oritur actio; & in hoc eſt ſingularis.

l.Pactum inter.46.

Contrahentes bifines renuntiare poſſunt iuribus pro ſe introductis,vnde notatur renunciare reſtitutioni in integrum minorẽ non poſſe,& poſt Bald. tradit Menoch.2.de arbit.iud.caſ 168.

l.Emptor prædij.47.

Molinæus ad Rub.de verb.oblig.num.86.

Emptor prædij. Contractus qui ſolo conſenſu perficitur, etiam ſolo conſenſu diſſoluitur re integra,l.ſicut.C.de actio.& oblig.l.nihil tam naturale.D.de reg.iur.facit text.c.2.de ſponſal.Repetitionum 6 fol.70.nu.249.

§.Lucius Titius.1.

Clauſula generalis per præcedentia reſtringitur ad ea ad quæ præcedentia adaptantur.vide Franc.Are.in l.qui Romæ.D.de verb.oblig.

l.in traditionibus.48.

In hanc legem ſcripſit Ioan.Robert.lib.3.recep.ſent.cap.24.

¶Pactum in rei traditione appoſitum valet & veſtitur cohærentia traditionis, concordat textus in l.legem.C.eo.& in l.cabus.D.de rer.permut.per Bald. & alios in l.ſi intra.3.eod.

Ad gloſſ.ibi,vide quæ dicit Dec.poſt Soc.in l.ſingularia.in 3.not.ſi certũ pet.

l.ſi quis crediderit.49.

Pactum ne quis conueniatur,vltra quàm facere poſſit,etiam ſi aliàs teneretur inſolidum valet.coniunge l.2.D.ſolut.matr.& l.8.D.de reg.iur.

l.Non impoſſibile.50.

Coniunge l.ſi ita quis.31.D.de miſſ.quæ eſt eiuſdem inſcriptionis. l.13.D.de prod.verba.l.26.D.de verb.oblig.l.174.D.de verb.ſig.l.32.D.de reg.iur. hoc autem innuit hæc lex, quod quæ fiunt per legem, per pactum fieri poſſunt. adde l.domini.C.de agric.& cenſit.contra etiam lege fieri poteſt quod pacto poteſt l.vlt.C.de fideiuſſ.dot.l.nam ſunt.§.& ſi.D.quemad.ſeruit.amit.

l.ſi eum te.51.

Pactum per errorem factum,cauſæ actionem in effectu non perimit. Debeo paciſci.Verbum hoc,Debere,ſuperuacuum eſſe quidam putant.

§.idem eodem.1.

l.Epiſtola.52.

Menoch.de arbit.iud.lib.2.caſ.94.An autem per epiſtolam quæratur alicui ius ſuccedendi huius legis quæſtio eſt,& de intellectu huius legis vide Iaſo. in l.ex hac ſcriptura.circa fin.D.de donat.

§.ſi inter debitorem.1.

Hoc innuit hic §. quod pactum ſimplex ſeruari debeat etiam ab hærede.

§.Pactum.2.

§.De inofficioſo.3.

Quod pactũ perſonale non etiam extẽditur ad hæredem, nota ex hoc §.

l.ſumptus.53.

Hanc legem optimè emendat Anton.Auguſt.lib.4.emend.cap.11.& ad eius intellectum hic.vide D.Gothof.hic.

l.ſi pactus.54.

Non eſt in mora qui poteſt legitima exceptione ſe tueri.

Digitized by Google

l.Si debitor.55.

Fructuarius ſeruus acquirit fructuario exceptionem & replicationem, & ad hoc allegatur quotidie hæc lex.

l.ſi conuenerit.56.

l.Qui in futurum.57.

§.ſi ex altera parte.1.

l.Ab emptione.58.

Tractat hæc lex de reſolutione contractuum.

Contractus qui ſolo conſenſu celebrantur, ſolo conſenſu diſſoluuntur re integra, non niſi actus retro ſimilis interceſſerit. circa hanc materiam vide Crauet.*conſ.83.num.1.*

An conſ. uſus eius qui requiritur in contractu, requiratur & in diſtractu, vide Affl.&.*deciſ.254.*

¶An per conſtitutum creditor liberetur à traditione poſſeſſionis, latè per Guid.Pap.*deciſ.101.& 109.* Iaſ.*ad §.actionum.nu.148.Inſt.de act.*& latè per Tiraq.*in tract.de retr.conſt.poſſ nu.7.& ſeq.1.part.*

l.Per quos.59.

Qui ius & poteſtatem habet adquirêdi alteri per ſtipulationem: ita etiam poteſtatem habet adquirendi alteri per pactum: ita & colligere hanc regulam poſſumus, quod qui ſtipulari nobis poteſt, idem poſſit & paciſci.

l.Imperator.60.

l.Nemo paciſcendo.61.

In hanc legem Ioan.Robert.*d.c.24* Forcat.*in Cupid.Iuriſp.c.13.* nota autem hic, quod pactum de non alienando rem propriam non valet.

l.ſi reus.62.

Pactum non valet, ſi paciſcar tecum ne vendam fundum meum, vel ne faciam locum meum religioſum, vel quocumque alio modo paciſcar, adde Roman.*ſing.183.*

Extorqueri non poſſe. Imò poſſe aiunt alij, iuxta *l.27.§.pactus.D.eo.* ſed huius argumenti ſolutio facilis eſt: dicemus etenim cum reus ſolus pactus eſt, vt petere liceat vtilitatem prioris pacti ſemel quæſitam fideiuſſori non auferri: vt hic quod ſi ipſi quoque fideiuſſor factus ſit eius exceptio explicatione doli eliditur, quo in caſu loquitur.*d.l.27.*

¶Quod pactum ex negligentia principalis non noceat fideiuſſori, cui iã erat quæſita defenſio, vide hic Bart.*in l.item quæritur.§.qui impetra.D.loc.*

¶Circa regulam huius legis, vide Iaſ.*in l.3.§ ſi is pro quo.D.quod quiſque iur.* Dec *conſ.91.*

Tit.15.De tranſactio.

Ferretus ſcripſit in hunc titulum, vſque ad l.9. Cuiacius ad totum, multa tradit Loriottus *in tract.de pact.*& Prateius *lib.2.catapod.fin.*

¶De ſignificatione verbi tranſactionis, vide repetitionem Dom.del Rio *in l.tranſigere.C.de tranſact.*

l.Qui tranſigit.1.

Lite incerta neque finita. Ideo hæc addidit Iuriſconſultus, quoniam lis quandiu pendet, facit rem dubiam atque incertam, & præterea euentus litis & iudicioſi incertus eſt.*l.quod debetur.D.de pec.* vnde ſuper eo quod in quæſtione verſitur, fieri poteſt tranſactio, & ideo dicitur lite nondũ finita, nam ſi iudicatum eſſet, nec appellari poſſet, nec aliquo remedio ſententia retractari: ita quod de ſententia nõ dubitaretur, certè tranſactio non valeret. Verùm quod tranſactio de cõſenſu partium poſſit fieri de re certa, vide Bar.*in l.quod tamen.D.de arbit.*& an tranſactio fieri poſſit ſuper re certa. Rom.462.& an ſi tranſactio non valeat, vt tranſactio valeat, vt pactum, vide Ang.*conſ.94.*

l.Tranſactum.2.

Ad intellectum huius legis faciunt quæ notat Petrus Faber 2. *Semeſtr.14.* nota autem hic, quòd duobus modis fit tranſactio, per Aquilianam ſtipulationem, ſiue Aquiliana ſtipulatione, & limita hanc legem, vt per Iaſonem *in l.1.C.eod.*

l.Imperatores.3.

¶Huius legis quæſtio eſt, an tranſactio facta inter hæredem ſcriptum & legitimum præiudicet legatariis, qui in agendo ſcriptum hæredem conuenerunt, & rectè dicit I.C. non nocere, nec præiudicare.

¶An tranſactio & compromiſſum æquiparentur, vide hic Bald.

§.Cum tranſactio.1.

Ad hunc §.ſcripſit Cuiacius *lib.10.obſeruat.cap.30.* & Labithus, *in vſu indicis ſui. fol.6.* hoc autem vult, quod tranſactio non porrigatur ad codicillos poſtea repertos.

¶Codicilli reperti ſunt. Nota hic, quod tranſactio, licèt generalis, non porrigitur ad codicillos poſtea repertos.

§.Debitor.2.

¶Tranſactio facta cum putatiuo hærede non porrigitur ad hæredem.

l.Aquiliana ſtipulatio.4.

Obligationes omnes per Aquilianam ſtipulationem tolli, ſi hic actum ſit, declarat hic Iuriſconſultus: ſed in dubio nõ tolluntur, niſi illæ, de quibus cogitatum eſt.

l.Cum Aquiliana.5.

An iuramentum extendatur ad incognita, vide *c.venitus.& ibi gloſſ.ext.de iureiur.* Hæc autem lex in hoc notanda eſt, quod vult verba reſtringi ad cogitatum: hoc eſt, generalis tranſactio non extenditur ad ea, de quibus non eſt cogitatum, expreſsè vel tacitè, vt hic & *l.qui cum tutoris.in fi.eo.c.dilecti.D.de maior.& obed.c.ex multiplici.ex.de deci.c.audacia.ex. de reſtit.ſpoliat. c.veniens.c.clericus, vbi gloſſ.de iureiur.c.ſuper eo.D.de off.deleg.*

Liberalitatem enim captioſam. ¶Nam ſi lites de quibus non eſt cogitatum, remitterentur, nullo accepto, liberalitas eſſet eáque captioſa: quia verba voluntati anteponimus.*arg.l.contra legem.cum ſeq.D.de legib.* non eſt autẽ æquum id auferri, de quo cogitatum non eſt, vide hic Ferretum & Prateium *lib.2.Catapod.*

l.De his.6.

Ad hanc legem faciunt Labit.*d.lib.f.l.7.* Menoch.*de adipiſ.poſſ.rem.4.num 109.* Guterius 3.*parte.reſolut.c.2.* Cuiac.*lib.3.obſ.c.37.*

Super dependentibus ex vltima voluntate non poteſt tranſigi, niſi veritate reperta per inſpectionẽ vel cognitionem vltimæ voluntatis. Socin. Iun.*conſ. 116.num.66.& 74.lib.1.& conſ. 129.num.33.35.58. & 63.eod.lib.1.* & vltra dicta hic per Bar. adde quod habet locum in omnibus conuentionibus, Alex.*conſ. 114.nu.10.lib.7.*& procedit etiam ſi eius beneficio cum iuramento renuntiatum ſit, Pariſ.*conſ.120.tranſact.nu.81.lib.2.* Natta.*conſ.145.nu.6.* & nouiſſi.per Cachera.*deciſ.112.nu.2.6.8.10.& 13* vbi nõ habeat locum in teſtamento nuncupatiuo. fallit in hæredibus tranſigentibus ſuper cõtentis in teſtamẽto, Iaſ. *ad l.ſi cum te.num.2.de pact.* Iuramento autem renuntiari poteſt, Dec.*conſ.345. viſis.coll.3.& conſ.630.in cauſa.circa finem.*

¶Ad hunc textum quomodo procedat, Soc. Iun.*conſ.98.num.31.& 13.lib.2.* Pariſ.*conſ.15.num.77.lib.2.* Gerard.Mazzol.*inter conſ.* Socin.Iun.*conſ.144.num. 35.volum.3.*

l.Et poſt rem.7.

Tranſigi poteſt, ſi de viribus ſententiæ dubitetur, & ad hoc allegatur ſemper hæc lex.

§.ſi fideiuſſor.2.

Colligitur Regula ex hoc §.quod deſtructo fundamento, deſtruitur etiam quidquid ex eo dependet.

§.Vſque adeo.2.

Solutũ ex cauſa tranſactionis inualidæ in debiti ſolutionem conuertitur.

l.Cum hi.8.

In hanc legem Forcat.*in penu.iur.cap.28.* Menoch.*de arbit.iud.lib.2.caſ.170.* Briſſon.*lib.1.ſelect.cap.16.* Ponitur autem hic conſtitutio Imperatoris, qua cauetur, ne poſſit tranſigi ſuper alimentis futuris, ſine licentia & authoritate Imperatoris.

§.Eiuſdem.1.

Ioan.Robert.*lib.4.recep.ſent.c.19.*

§.Hæc oratio.2.

Dicitur hic, quod quocunque modo alimenta alicui relinquantur, tranſigi non poteſt ſine prætore.

Vel codicillis fuerit relicta. Vt voluntas teſtatoris ſeruetur, quem veriſimile eſt legatario conſulum voluiſſe, quæ ratio ceſſat in his, quæ ex contractu debentur. nam obligatio ex conſenſu contrahentium orta eorundem conſenſu rectiſſime diſſoluitur. *l.prout. D.de ſolut. l.nihil tam naturale. D. de reg. iur.*

§.ſiue igitur in.3.

In quocunque tempore relinquantur alimenta, tranſigi non poterit ſine authoritate & iuſſu prætoris.

§.Si in-

§.ſi integra.4.

§.ſed & ſi.5.

Quoniam ſuperioribus §§.dictum fuit, quod alimentarius tranſigere nõ poſſit ſine prætore, illud verum nunc ait eſſe, quando ſperamus alimentarium deteriorem ſuam conditionem facturum. Si autem meliorem faciat alimentarius tranſigere poterit. qualiter autem conditionem ſuam meliorem facere poterit, declara vt in textu.

§.Eam tranſactionem.6.

Idem repetit hic §.quod ſuperiori loco dixit.

¶An tutor relictus filiis infantibus poſſit ſe immiſcere hæreditati paternæ: an datus in teſtamento imperfecto, & confirmatus dicatur teſtamentarius. *Bald.hic.*

¶Quia meliorem. Quod alimentarius ſine prætore poſſit meliorem ſuã conditionem facere, limita ſingulariter, vt per Bart.*in §.ſi prætor infra eod.l.*

§.Nihil autem.7.

Alimentarius tranſigere poteſt, ſiue ſit libertinus, ſiue ingenuus, ſiue ſit pauper, ſiue diues.

§.Vult igitur oratio.8.

¶Prætor inquirere debet cauſam, propter quam quis tranſigere velit, qua de re ponuntur hic exempla plura.

¶Quando alimenta relinquuntur, vtrum debeat fieri ſolutio ſemel pro toto anno, an in ſingulis menſibus, vel qualiter, quærit hic Bart.

§.in cauſa.9.

Prætor in primis inquirere debet, quæ cauſa ſit tranſigendi. nemo enim ſine cauſa tranſigere poteſt.

§.Modus.10.

Præterea prætor inquiret, quantum velit dare hæres ipſi alimẽtario. plus enim iuueni quàm ſeni dandum eſt, quo loco obiter notabis, quod in alimentis attenditur ætas alimentarij.

§.ſed & perſonarum.11.

In hunc §.vide Cuiacium *obſer.1.cap 3* Duaren.2.*diſput.31.* Forner.2.*ſelect.cap.5.* ¶An autem hic ſequioris, an ſegnitioris legendum ſit, non ſatis conſtat. Verùm Muretus *in annot.in Teren.um.* Sequius(ait) idem valerè quod minus benè. Liuius *lib.2.* Inuitus quod ſequius ſit de meis ciuibus loquor. Afranius *apud Cariſium.* Si id quod nõ ſpero ratio talis ſequius ceciderit, vnde ſequior pro deterior, quę vox apud Apuleium, Ammianum & alios inuenitur, vnde fit vt aſſentiar Budæo, Alciato, & Cuiacio *lib.1.obſ.cap.3.* ſequioris retinentibus, licèt Duaren.*lib.2.diſput.cap.31.* Segnioris &c. ſecundum Alciat. *in lib.4.de verb.ſig.in pen.coll.in pr.* qui per I.C. debet intelligi de his, qui ſibi ipſis alimenta ſuppeditare nequeunt, ſed de alienis laboribus pendent. Illud quod ſolet dici *per §.ſi prætor.* Limita vt per Alex.*in Auth.ex cauſa.in 3.col.circa med.C.de lib.præterit.*

§.Qui tranſigit.12.

Tranſactio alimentorum facta ſimpliciter non porrigitur ad habitationẽ & veſtiarium.

§.ſed & ſi quis.13.

Is qui de alimentis tranſigit, non cogetur de habitatione, vel cæteris inuitus tranſigere.

§.De calciario.14.

De calciario, itidem arbitrio prætoris tranſigendum eſt.

§.ſi vni.15.

Quod Prætoris authoritas requiratur in alienatione, vel diuiſione fundi ob alimenta relicti, declarat hic §.qua de re vide Bart in *l.qui Romæ.§.duo fratres.in 10.q.D.de verb.oblig.*

§.Arbitratu.16.

Tranſigere licet arbitratu prætoris, vel de vniuerſis alimentis, vel de parte eorum, totius etenim & partis ratio eadem eſt.

§.ſi prætor.17.

Decretum ſine cauſæ cognitione interpoſitum eſt ipſo iure nullum, & habetur pro omiſſo.

§.ſed nec mandare.18.

§.Tranſactiones.19.

Alimentorum tranſactiones fieri poſſunt à procuratore Cæſaris, ſi à fiſco ſcilicet petantur alimenta.

§.ſi cum his.20.

Tranſigi non poteſt inconſulto prætore de lite mota ſuper alimentis.

§.ſi eidem.21.

§.ſi quis.22.

§.ſi in annos.23.

Trãſigere ſine prætore licet ſuper annuo legato, dummodò relictum non fuerit contemplatione alimentorum.

§.ſi cui nummus.24.

§.ſi ad habitationem.25.

l.Qui cum tutoribus.9.

Tranſactio quantumcumque generaliſſima non obſtat agenti ex alia re, vel cauſa, quàm illa ſuper qua eſt tranſactum.

Vide in hanc legem Petrum de Bella pertica.

Tranſactio nõ porrigitur ad ius de nouo ab inteſtato proueniẽs ad gloſſ. 2. ibi, actiuè & paſſiuè. adde Bal.*conſ.79.col.1.lib.1.* latè Doct.*ad l.qui Romæ.§.duo fratres.D.de verb.oblig.* vbi Iaſ.*nu.45.ad fi.* Alex.*num.35.ante fi.* Crot.*num.30.& ſequen.*

§.Tranſactio.1.

Tranſactio nõ porrigitur ad ea de quibus cogitatum non fuit. facit ad hoc gloſſ.*in c.1.ex.eo.tit.*

§.Qui per fallaciam.2.

Quidam libri habent Fallaciam. hoc autem vult quod tranſactio non porrigitur ad ea quæ dolo alterius partis celantur.

§.Ei qui nondum.3.

Tranſactio generalis porrigitur ad ea de quibus actum eſſe per excipientem probatur.

l.De re filiorum.10.

Nota in hac lege regulam, quod ſcilicet tranſactio patris non nocet filio, & hac de re vide Alex.*conſ.314.ante finem.*

l.Poſt rem.11.

l.Non eſt ferendus.12.

Tranſactio facta ſuper teſtamento refertur ad quamlibet partem teſtamenti, non autem ad codicillos poſtea repertos.

l.Nulli procuratorum.13.

Tranſigere nulli licet procuratorum principis inconſulto principe.

l.Controuerſia.14.

In hanc legem Mach.*ſing.4 fol.183.*

l.Pacto conuento.15.

Quoniam ſolo pacto actio non tollitur, ideo pacto ſubiici poteſt Aquiliana ſtipulatio & acceptilatio ſic enim tollitur actio.*l.3.& l.4.C.de tranſact.* conſultius eſt etiam his omnibus addere pœnalem ſtipulationem, & ſi fortè quomodo pacti rumpatur fides, ſuperſit petitio pœnæ. *l. vbi pactum.l.ſi quis maior.C.de tranſ.l.qui fide.ſ.eod.*

l.Qui fidem.16.

In hanc legem Guterius *parte 1.reſolut.cap.60 à nu.2.* facit ad hanc legem gloſſ.*ſuper verbo, Biennium.in cap.vlt.ex.de emp.& vend.*

l.Venditor.17.

Vide ad hanc legem quod notat Innoc.*in cap.cum inter.ſ.ſeiicium de elect.*

Digitized by Google

LIBER III.

Tit.1. De poſtulando.

l.1.

AN reſtitutio famæ peti poſſit per procuratorem, *Bald. hic.*

§.2.

An aduocatus literas ſcire debeat, vide Bart. *in l. ſtatutis, poſt gloſſ. de ſentent. ex breui. recit.* & Bart. *in l.1. §. aduocatos. D. de variis & extraord. cognit.* vbi annotabis quod aduocatus illiteratus eſſe poteſt, dummodo conſuetudinem & peritiam aduocandi nouerit.

§.initium.3.

Doctor quis eſſe poteſt 17 anno. de quo vide Bart. & Alexand. *hic.* hoc autem innuit hic §. quod minor 17. annis, vel *ſurdus*, non poteſt pro ſe, vel pro alio poſtulare.

An annus cœptus hic habeatur pro completo, vide hic D. God. minor 25. annis non eſt idoneus defenſor.

§.Ait prætor.4.

Prætor dat non inuenienti aduocatum, & ad hoc eſt notandus hic §.

§.ſecundo loco.5.

De Carfania vide Alciat. *lib. 2. parerg. c. 37.* Alij Afrania: idem tradit Tiraq. *de legib. connub.* ex Valer. Maxim. *lib. 8. c. 3.* & P. Fab. *ad l. fœmina. 2. D. de reg. iur. pag.* 14. Cotuſium *vide lib. 4. miſcel. c. 21.* Ioan. Robert. *lib. 3. recept. ſent. c. 13.* Curſium Bargenſ. *lib. 3. epiſtol. ad fratrem c. 40.* Declarantur autem hoc §. hi qui per ſe poſtulare poſſunt, licèt non pro aliis.

In hunc §. Verſ. caſum. Duar. *lib. 1. diſput. c. 23.* Briſſon. *lib. 3. ſelect. c. 14. & 15.*

§.Remouet autem.6.

Tractat. 4. fol. 191. num. 9.

§.Vt initio.7.

§.Ait prætor.8.

§.De qua autem.10.

An populus per ſtatutum poſſit quem reſtituere famæ, vide hic Bartol. *& in l. f. §. f. C. de ſenten. paſſ.*

§.Deinde.11.

l.Fatuo.2.

l.Cui eorum.3.

An infamis poſſit eſſe tutor, quærit hic Bartol. tutelarum genera quot & quæ, *Bald. hic.*

§.Adfinitates.1.

Affinitates quomodo accipere debeamus, declarat hoc §. Vlpianus: non enim intelliguntur eæ, quæ quòdam fuerunt, ſed præſentes. §. *affinitatis. Inſt. de nuptiis.* Affinitas enim non intelligitur, niſi donec durat matrimonium. Bald. *in fi. in prin. D. de verb. ſign.*

§.item Pomponius.2.

Mutum accipe eum qui intellectu prorſus caret: *mutus enim intelligens non omnia agere poteſt.*

An mutus & ſurdus ſemper egeant curatore, vide hic apud Bart. Quid in mente capto & fatuo, vide Bar. *in l. Furioſi. C. de nuptiis.*

l.item quibus.4.

l.Et qui.5.

l.Puto autem.6.

Ratione officij neceſſarij licet aliquid, quod aliàs non liceret, vide Innoc. *in c. cum bone. ex. de æta. & qualit.*

§.ſi quis aduocationem.1.

Ex quibus cauſis aduocationibus interdicendum, vide Socratem *apud Ariſtot. lib. 7. Hecatonomiarum.* ¶ An prohibitio in dubio cenſeatur perpetua, vide hic Bald.

l.Quos prohibet.7.

Eos patiatur poſtulare. Si confirmanda electio à ſuperiore eſt, ſuper hoc poteſt ex officio exquirere de modo & forma electionis, & de moribus electi, & ſententia: licet electo nihil obiiciatur. *Glo. ſuper verbo ex officio. in c. cum nobis. ex. de electio.*

l.Imperator Titius.8.

Ad hoc allegatur hæc lex, quod prohibitum ad tempus, poſt tempus videtur eſſe permiſſum.

l.Ex ea cauſa.9.

Alciatus *libro 8. parerg. cap. 10.* Inter genera pœnarum hoc quoque receptum eſt, & ex cauſa calumniæ aduocationibus, & poſtulationibus interdici, id eſt, vt prohibeatur calumniator pro aliis poſtulare, & adeſſe litigatoribus *l. moris. D. de pœn.* quod eſt ſilentium irrogare aduocato, *in l. 8. hoc tit. pœna ſilentij.*

¶De prouinciis eiuſdem nominis vide Alciat. *d. loco.*

l.Hi qui fiſci.10.

§.Decuriones.1.

l.A principe.11.

§.Qui autem.1.

Tit.2. De his qui notantur infamia.

Ad hunc Titulum ſcripſit Chriſtophorus Hegendorphinus. ¶Continetur hoc titulo infamiarum enumeratio, quo obiter notabis, quòd infamis generaliter dicitur is, quem vel S.C. vel decretum principis, vel edictum prætoris ex cauſa aliqua turpi notauit, vt ignominioſum. ¶ Hoc autē vocabulo promiſcuè Iuriſconſulti vtuntur pro ignominia. *l. pen. §. pen. D. de var. & extraor. cogni.* hócque vocabulo Cicero ſæpiſſimè vſus eſt, vt in *lib. 2. de finib.* De infamia facti & iuris paſſim in hoc titulo dicemus. ¶An iure canonico crimen omne infamet, vide Bar. *in tract. differentiarum inter ius ciuile & canonicum*: An & quando actio iniuriarum infamet, vide Fel. *in cap. cum te. ext. de re iud.* An & quando periurus ſit infamis, Felin. latè *in c. teſtimonium. ex. de teſtib.*

l.Prætoris verba.1.

Ad intellectum huius legis vide Loriottum *de exiſtimation. axiom. 4.* Mercerium *lib. 2. opinio. cap. 10.* Corral. *lib. 1. miſcell. cap. 19.* Ariſtot. *problem. 29. parte. problem. 2.* Vide Alciat. *lib. 2. parerg. cap. 50.* Molin. *ad princip. l. 2. de verbor. obligat. numero 70.*

¶ An condemnatus condictione furtiua ſit infamis: An infames dicantur capite minui, vide hic Bart.

l.Quod ait prætor.2.

In hanc legem Briſſonius *lib. 2. ſelect. cap. 5.*

§.Exercitum.1.

§.ignominiæ.2.

Petrus Faber j. *Semeſt. 17.*

¶Ad hunc locum vide Ant. Aug. *lib. ſing. ad Modeſtinum c. 8.*

¶Paria ſunt aliquem grauari facto, & per miſericordiam, *concordat tex. in l. ſi quis prouocatio. D. de appellat.*

¶Auctorare idem eſt quod obligare, & auctorati milites dicuntur ſacramento adſtricti, & quaſi obærati: hoc eſt, ære ſtipendiario obſtricti, ac iā non ſui arbitrij, cuius exempla multa apud Liuium, & alios. Cicero 1 *offic.* Tranquillus *in Tyber. c. 7.* Inde exauctorare, quod eſt auctoratum & adſtrictum dimittere, & abire ſinere, & ſuo arbitrio reddere. Liuius *lib. 8. cap. 6. de bello Macedonico.* Lampridius *in Alexandro.* Herodianus *lib. 2.* Tranquillus *in Auguſto.* hinc exauctoratæ legiones. qua de re Lampridius in Alexandro.

§.Miles qui.3.

¶An condemnatus de adulterio puniatur capite, vide hic Bart.

§.ignominia.4.

§.Ait prætor.5.

l.Qui autem.3.

In hanc legem Marcus Vertranius, *De iure liberorum. cap. 11.*

l.Athle-

tized by Googl

l.Athletas.4.

De vocabulis in hac lege occurrentibus, Alciat.*lib.2.prætorm. & 6.parerg.* *c.5.* & melius Budæus hic, peius autem Alex. ab Alex. *lib.Genial.dier.* Optimè de nonnullis, Cotta *in voce xyſtici, & in voce deſignatores,* Cotraſ. *lib.4.Miſcel.* *c.24.* Briſſon. *lib.1.ſelect.c.10* Ræuard. *lib.5.varior.cap.20.*

Agitatores & pantomimi quæ perſonæ ſunt, vide Pet.Fab. *j.ſemeſt.10.*

¶Xyſtici erant Athletæ qui in ampla porticu per hyberna tempora ſub tecto exercebantur, teſte Vitruuio, & Cœlio Rodigino *lib.11.c.52.*

§.Deſignatores.1.

Brabeutæ erant qui Gymnicis agonibus præerant, qui diſtribuebant ſymbola, & præmia victoriæ.

§.Ait prætor.2.

§.Pomponius.3.

An leno puniatur grauius, quàm meretrix, vide *hic D.Gothofr.*

§.Calumniator.4.

Loriottus de exiſtimat. *axiom.4.*

¶An & quis dicatur calumniator, ſiue præuaricator: An & quæ ſit pœna calumniæ: An eo ipſo, quod quis non probat, præſumatur calumniator, vide *hic Bart. & conſ.1.quem.§.notandum.à q.3.* An & quomodo infamia probetur, vide hic Bald.

§.item ſi qui.5.

¶Si quis condemnatus ſit de furto, quod in veritate non fecit, an ſit infamis. Bartol. hic.

¶An ſit licitum dare pecuniam pro pace, vide hic Ang. & Bald. *in l.non infamis.C.quod met.cau. & in l.fi.C.de condict.ob turp.cau.*

l.Quoniam confiteri.5.

Crimen confiteri intelligitur, qui paciſcitur, *vide Rom.ſing.302.*

Confeſſio ficta an infamet, vide hic Dom. Alexand. & Imol. *in l.iſtam ſiſiam, & ibi Bart.eod.*

l.Furti.6.

Loriottus in dicto tractatu *axiom.5.*

§.ſed ſi fures.1.

Quando appellatio tollat vel ſuſpendat effectum ſententiæ, vide Alex. *in l.ſi cauſa cognita.C.de tranſact.* vide Socin. *in reg.202.*

§.ſi quis alieno.2.

Non infamatur damnatus alieno nomine, nec etiam is quem defendit.

¶Et quando quis dicatur conueniri nomine alieno, adde Bart. *in l.Lelia.in prin.D.ſolut.matrim. & in l.fi.C.de obſeq.patr.præſt.*

§.Pactúſve.3.

¶In grauioribus delictis an ius ſuperioris excuſet, declarat hic D.Goth.

¶An iuſſus delegati iudicis & arbitri excuſet, vide hic Bart.

§.ſed & ſi.4.

§.Mandati.5.

Bellonus *lib.2.ſuppu. cap.19.* Nota autem hic caſum in quo actio mandati contraria infamat.

§.illud planè.6.

An ſocietatis damnatus fiat infamis, vide hic D.Gothof.

§.Contrario iudicio.7.

Infamis non efficitur contrario iudicio damnatus.

l.in actionibus.7.

l.Genero.8.

Legitimum tempus. ¶Olim quidem decem menſium, Cicero *pro Cluen.* Ouid. *1.Faſtor.* hodie verò duodecim menſium *l.2.C.de ſecun.nup.*

l.Vxores viri.9.

Ad hanc legem vide ex parte vna Emanuelem Zoez. *lib.1.obſeruat.cap.32.* & contra eam Cuiacium *lib.9.obſ.c.17.* ¶Dicitur autem hic, quod viri vxores lugere non coguntur, ſic etiam ſponſa ſponſum lugere non tenetur.

§.ſponſi nullus.1.

l.ſolet.10.

Vide Cuiac. *lib.6.obſ.cap.32.*

§.Quæ virum eluget.1.

l.Liberorum.11.

Ræuardus *lib.1.varior.cap.20.*

An ſtatim poſt partum mulier poſſit nubere, vide Bart. hic, & Felinum *in proœmio Decretali.* & gloſſ. *in Auth.de nupt.§.fi.* & Bald. *in l.1.Cod.de ſecun.nup.*

¶An vidua quæ peperit primo menſe poſſit poſtea legitimè nubere intra annum, vide hic Bart.

§.Etſi talis.1.

* Ad hoc allegatur hic §. quotidie, quòd quādo aliquid prohibetur, propter plures rationes, ſufficit quod vna ratio prohibens vrgeat, licèt aliæ ceſſent, Ratio eſt, quoniam illa ſola reſeruat prohibitionis effectum.

§.Pomponius eam.2.

Mulier nubere poterit, ſi intra annum pariat: vnde obiter notabis mulierem nubere poſſe iure canonico, ſtatim mortuo marito, nulla conſideratione habita anni luctus. *cap.pen.ex.de ſecund.nup.*

§.Non ſolet autem.3.

De transfugis vide Cuiacium *lib.6.obſ.c.26. & lib.25.c.34.*

§.Notatur.4.

l.Qui iuſſu.12.

Non notatur infamia, qui iuſſu patris mulierem duxit, quamuis liberatus patria poteſtate eam retinuit.

l.Quid ergo ſi.13.

Nota in hac lege, quod ratihabitio non trahitur retro, qua de re *Felin.in cap.ſicut.de ſimo.*

§.ſi quid alieno.1.

Molinæus *ad prin.l.2.de verb.oblig.nu.70. & 71.*

§.Quod ait prætor.2.

Vide Molinæum *dicto ſuperiori loco.*

¶Eodem tempore. Tempus ſi eſt de ſubſtantia pœnæ, vel delicti, alio tempore factum vel ratum habitum, non punitur. concor. *quod no.C.de petit.hered.l.ſi poſt mortem.l.cum actum.D.de neg.geſt.*

§.item ſi alteri.3.

§.Cum autem.4.

§.Ex compromiſſo.5.

Sententia arbitri non infamat, qua de re Felin *in cap.fi.ex.de re iud.*

§.Quantum ad infamiam.6.

§.Pœna grauior.7.

Iudici ex cauſa licet leges tranſgredi, Grammaticus *decis.36.à nu.3.* Hunc autem §. optimè repetiere Bart. & [illegible].

¶Qua pœna puniatur iudex, qui ſine cauſa auget vel minuit pœnam, vide Rom. *ſing.28. & ſing.697.* & circa deminutionem pœnæ, vide *Capol.caut.131.* Rom. *conſil.419.*

§.Crimen ſtellionatus.8.

Ioan.Robert. *lib.4.recep.ſent.c.17.* Cuiac. *lib.10.obſ.c.26.* Duaren. *lib.1.diſput.* *c.22.* Gilbertus *lib.1.enantioph.c.3.*

l.ſeruus.14.

Mutatione perſonæ licèt procuratoris annulletur ſatiſdatio, *vt l.ſi autem.*

Digitized by Google

D.iudic.at.ſol. cum ibi notatis,aliud tamen eſt quando interuenit,& eſt actio famoſa.

l.Notatur.15.

l.Cum non prægnans.16.

l.Debuit.17.

l.Ea quæ.18.

l.Non alia autem.19.

Patri ſuam interdũ patientiam nocere notat hic D.Goth. quem conſule.

l.Ob hæc.20.

Iudices plerumque non eſſe, ſed videri pronuntiabat Briſſon. *lib.2.ſelect.cap.3.* Reuardus *pro tribun cap.21.*
Non enim qui exhortatur mandatoris opera fungitur. ¶Huic legi videtur contraria *l.1.§.perſuadere. D.de ſer.corrupt.* ſed non eſt ita.Exhortare enim, & perſuadere diuerſa prorſus ſunt, & maximè eo ſenſu quo perſuadere accipitur *d.§.perſuadere.*

l.Lucius Titius.21.

l.ictus fuſtium.22.

Corraſius *lib.2.miſ.cl.c.16.*Menoch.*lib.1.de arbit.iudi q.7.nu.65.* Ioan.Igno. *in repet.§.non alias l.neceſſaria.D.ad Sylanianum.nu.291.*

l.Parentes.23.

l.Imperator.24.

l.Exhæredatum.25.

§.ſi quis in bello.1.

Tit.3.De procuratoribus & defenſoribus.

Cũ deffenſores à procuratoribus ipſa inſcriptione ſecernantur,par nobis eſt idem diſcrimen retinere: etenim latiùs patet appellatio procuratoris quàm defenſoris: quoniam procurator tam eſt actoris, quàm rei, & tam in iudicio,quàm extra iudicium interuenire dicitur:verùm defenſor in iudicio tantummodò appellatur is qui citra expreſſum mandatum ad defendendum venit.

De procuratoribus. Procurare eſt pro alio aliquid curare: & procurator eodem modo dicitur, quod & proconſul & protutor, & ſi qua ſint ſimilia: in quibus propoſitio ſignificat aliquid pro alio ſeu alieno nomine adminiſtrare:*procurator igitur eſt,qui mandato domini aliena negotia adminiſtrat.* Diuiſiones,ſiue procuratorum genera paſſim notantur hoc tit.

Defenſoribus. Defendere eſt iudicium rei nomine accipere, & eandem vicem obtinere quàm reus ſubiturus eſſet,*l.ſed & hae.35.§.defendere.l.filiusfamilias.8.in prin.l.minor.51 h.t l.rectè.63. D.de iudic.*

l.Procurator eſt.1.

Hic procuratoris definitio continetur:de qua dixi in Rubrica: verùm hic notabis procuratorem in rem ſuam propriè non dici procuratorem.

§.Procurator autem.1.

Declarat hic Vlpianus ad quæ procurator conſtitui poſſit.
An cedens teſtis eſſe poſſit pro ceſſionario, & an minor poſſit eſſe procurator,declara hoc vt per Bald.hic.

§.Vſus autem.2.

Ad quid vtilis ſit procurator, diſce ex hoc §. eſt enim perquàm neceſſarius, vt qui rebus aut cauſis ſuis ipſi ſupereſſe vel nolunt, vel non poſſunt, per alios poſſint vel agere,vel cõueniri,quo loco notabimus regulam nempe procuratorem noſtrum ea omnia facere poſſe,quæ ipſi faceremus.

§.Dari autem.3.

Procurator & abſens dari poteſt: aliud tamen eſt in curatore ad lites.*l.qui habet.l.pen.D.de tutelis.*

l.Dummodò.2.

Idem ait hæc lex quod §.ſuperior,quod ſcilicet procurator fieri poſſit inter abſentes: ſed hoc addit dummodo ille abſens qui procurator conſtituitur,certus ſit & ratum habeat.*l.124.D.de reg.iur.*

§.Furioſus.1.

Furioſus habetur neque loco abſentis eſt,neque loco præſentis: ſed loco mortui,quoniam diſcretionem non habet.
Quod furioſus loco abſentis habendus ſit,notat hic D.Gothof.

l.Litem & ad.3.

Quod procurator dari poſſit ad litem futuram, & in diem, & ſub conditione,declarat hic Iuriſconſultus.
An procurator ſimpliciter conſtitutus videatur, conſtitutus ad futura, *notat hic Bal.*

l.Et in perpetuum.4.

Procurator dari poteſt in perpetuum.

l.Præſens.5.

In hanc legem Briſſonius *lib.3.ſelect.cap.13.* Prateius *lib.1. Catapodiſmatum.* Præſens quis dicatur, notat hæc lex, & de multiplici genere abſentiæ vide in *l.abſentem.D.de ver.ſig.* An quis præſumatur abſens. *Spec.de act.5.poſtquam.*

l.Et in foro.6.

Præſens etiam dicitur qui in foro, & qui in vrbe, & in continentibus ædificiis eſt.

l.Et ideo.7.

l.Filiusfamilias.8.

Dicitur hic quod filiusfamilias ordinare poteſt procuratorem, qui filij nomine agat,ſiue in caſtrenſi vel quaſi, vel actione iniuriarum, vel ſi pater eſt abſens,& procurator patris defendit filium,vide Innocen.*in c.3.& 4 de re iud.& c.indecorum.de etate & qualit.*

§.Veterani.2.

An veteranus & miles poſſint eſſe procuratores,dubitatur hic: ¶Quis autem dicatur veteranus,declarat,vt per Accur.hic.

§.Procuratorem.3.

Item ſi dignitas.Hunc textum allegat Rom.*in ſuis ſing.fol.4.ſing.100.* in cuius deciſione concordat & facit textus *in l.licet.in ſi ſ.de arbit.*

l.Aut ſi.9.

Pro intellectu huius legis vide Cuiacium *lib.23.obſ.c.36.*

l.Vel hæreditas.10.

Nota hic, quod quis facta ſua pro factis alienis non tenetur dimittere, qua de re *Bald.hic.*

l.ſi tamen.11.

l.ſed etiam ex his.12.

l.ſed hæc.13.

Qui agit pro alio vt coniuncta perſona, tenetur in cauſa reconuentionis defendere,vide Marſ.*ſing.133* Rom.*ſing.227. & 619.* Mantua *in pract.cod.caſ.85.*Emanuel.*de claro ajo.ſing.20* Cotta *in verbo coniuncto perſona.* Bett.*q.132.* contra quem Ferretus *conſ.64.& 66.* Crot.*ad l.ſi conſtante.2.repet.num.123 & ſeq.D.ſolut.mat.*Straphil.*in tract.de litteris.* Grat.*in 4.parte de vi & effect.cia-ſa verſ.ſucceſſiuè.nu.29.& ſeq.*& vide quæ notaui ad legem *Exigen.C.eod.* adde Pet.Duco.*reg.123.Conimbl.*

l.ſi poſt datum.14.

Concordat cum hac lege gloſſ.*in c.ex parte de.ar. ſuper verb.propter ſufficientem.in prin.de reſcrip.*

l.ſi defunctus.15.

Hanc legem optimè repetiit Bart.& Bald.hic.ad hanc autem legem adde *l.ſi pecuniam.& quod ibi notat Bart.circa prin.C de condict.c.m.dat.* & Bald.*in l.ſi ante acceptam.D.iudic.ſol.& in l.mand.atũ.C.de mandat.* vid. Bart.*in l.2 §.ſed ſi*

Digitized by Google

quis ff. de donat fol.89.n.99.repetitionum 5.

§. Qui ad communi.1.

l. Ante litem.16.

Hoc ait hæc lex cum octo ſequentibus, quod procurator ante litem conteſtatam liberè à domino reuocari poteſt, poſtea verò non niſi cauſa cognita, & facit *cap.in conſti.in vlt.gloſ.ex.de electione.*

l. Poſt litem.17.

Vel in ciuitate manente. Ex hoc loco innuit I.C. quod procuratore bannito, reuocatum videri mandatum Sed an poſt litem conteſtatam reuocari poſſit procurator rei deffendens ſine mandato, vide Bart. *in l.ſi dote.D.iudic.ſol.* An & quæ ſint cauſæ reuocandi & an in reuocatione, requiratur ſolemnitas iudiciorum, vide Roman *ſing.321.*

§. Non ſolùm.1.

§. in cauſæ.2.

l. Aut religionis.18.

In vulgatis editionibus incipit *lex & religionis.*

An excommunicatio ſuperueniens, reuocet mandatum procuratoris? vide Alex. de Immola *in l.cum qui.§.qui ſibi.ff.de verb.obl ig.& in l.rogaſti.§.fin. D.ſi cert.pet.& in l.ſi quis ſuo.de ſolut.*

l. item.ſi.19.

An ſuſpicionis cauſa probari debeat, declara vt per Bart. hic.

l. Vel iud.30.20.

l. Vel exilio.21.

l. Aut affinitate.22.

An affinis contra affinem cogatur eſſe procurator, vel aduocatus, vel teſtis, vide hic Bart Alex *conſ.19.vol.4.& conſ.13.eod.vol.4.& conſ.18.eod.vol.* & quod non ſit idoneus teſtis, vide Alex *conſ.134.n.5.volum.*

l. Aut longa.23.

l. Mutari.22.

Nota hic quod poſt litem conteſtatam, procurator cogitur præciſè peragere iudicium, quod apparet, quia non poteſt mutari, niſi cauſa cognita, & ipſo poſtulante. quid autè ſi dominus comparet, an acta ſint nulla, vide Cæpol. *cau.132.* Paul. de Caſtr. *in hac lege.* An & qualiter fiat mutatio, & litis tranſlatio, vide aliquid per Felin. *in cap.præſentata.ext.de teſt.* Alex. *in l.1.in prin.D.ad Trebell.fol.63.n.109 Tract.3.* vide Bart. *in repet.l.barbarius.in 2.col. verſ.oppono ad l.not.de offic.prato.*

l. Quæ omnia.25.

Iohan. Kurpachius, *lib.1.ſingul.allegat.cap.24.*

§. ſed ſi aduerſarius.1.

Vide ad iſtum textum Alexan. *in l.Turpia.in.2.notab.de leg.1* Felin. *in cap.dilecta.ex.de exception.*

l. Niſi dominus.26.

l. in cauſæ.27.

Hanc legem optimè repetiit hic *Bald.*

§. ſi ex parte.1.

Actio vtilis vt directa an & quomodo transferatur in dominum, *vide Bar. qui plenè declarat in l.1.Cod.de ſententiis*

l. ſi procurator.28.

Repetitionum.6.*fol.527.nu.10.*

An actio vtilis in iudiciis ſine ceſſione acquiratur, an præferatur directæ vide hic Bald.

l. ſi actor.29.

Nota ex hac lege, licere vnicuique conuenire quem velit, quam optimè declarat hic Bart. quæ licet paucis verbis comprehendatur, habet tamen materiam vtilem, & difficillimam.

Contra iſtam l. valet argumentum de actore ad reum, & conſequenter etiam de procuratore actoris ad procuratorem rei, ad quod *l.non debet.d. reg. iur.* Sed cur non item dixit I.C. in procuratore rei, qui pro ſe ſententiam obtinuerit, vt repetat expenſas ab aduerſariis, domino litis exiſtente non ſoluendo, cog.tabis, quia forte debet ſuppleri.

Secundo, contra text. facit. Nam procuratoris officium eſt gratioſum, vt Azo definit. Cùm igitur ita ſit, non videtur, quod quis procurator teneatur expendere de ſuo, etiam cum animo repetendi. Nam ſatis eſt vel in paucis amici labore & opera frui, vt dicit text. *in l.tutoris.C.de neg.geſt.* Melius eſt enim nõ ſoluere, quã ſolutũ repetere. *iuxta text.in ſimili in l.fin.C.in quib.cauſ. in integ.reſtit.non eſt neceſ.in l.fin.* Si igitur non tenetur de ſuo expendere, ſequitur quòd ſi expendit, conſultò videtur donare, *iuxta l.cuius per errorem.D. de reg.iur.* Igitur non poteſt repetere *l.poſt perfectam de reuo.donat.* Solutio facilis illa enim contraria loquitur, quando alia coniectura capi non poteſt, quam donationis. ſed hic capi poteſt alia coniectura, quid illas fecerit gratia producendi litem ad exitum, animo tamen repetendi, quia nemo præſumitur velle donare de ſuo. *Det ibi.*

Tertiò, contra text. facit, quia dicit, quòd competat actio iudicati. Contrà imò videtur. quod ex ſententia actio oriatur in factum. *l. actori C. de tutela.* vbi vocat actionem in factum. *& l.cum antea.C.de arbit.* vbi ex arbitrali ſententia oritur actio in factum, & eſt communis opinio Gloſ. vbique. Solutio imò iſta magis eſt vera & communis ſententia, quæ appellatur iudicati per multos text. ſimiles noſtros, quos citat Bart. *in l.nullus.§.* *de re iudic.*

Quartò, facit contra text. quia dicit text. quòd dominus litis non eſt ſoluendo & intelligitur de ſuo principali actore, cuius erat procurator is qui iudicati agere vult: ſed certe non poteſt appellari dominus litis, imò ipſe procurator eſt dominus litis *l.procurator rem.l ſeq.C.de procurat.* Solutio, quòd intelligitur hoc cùm impropriè pro domino actionis & iuris ſiue cauſæ. vere enim non eſt dominus litis. Ad idem *l.1 cet.C.de procurat.& ibi Paul. Caſtr* vltimò ſi hic procurator vicit. Quare dominus ? idemque actor non debet eſſe ſoluendo. Cõdemnatus etenim reus fuit ad damnum aliquid, poteſt ſolui, quod potuit condemnari ad factum vel ad aliquid aliud, quod ſapiebat pecuniarium intereſſe.

l. Actoris procurator.30.

Procurator, licèt non poſſit agere iudicati, niſi ſit ei mandatum poteſt tamen petere, vt ſententia executioni mandetur, vſque ad quantitatem per eum in cauſa expoſitam, ſi dominus non eſt ſoluendo.

l. ſi quis.31.

Notandus eſt in hac lege modus condemnandi procuratorem, ſcilicet, condemno te procuratorio nomine Titij. Franc. Cre *ſing.114.fol.489.*

§. Vnius litis.1.

Quod vnius litis, plurium perſonarum, plures dari poſſint procuratores, ait hæc lex. Immo illis neceſſarium eſt vnum procuratorem dare, *l.1.§ penult. iudic.ſolu.* has duas leges conciliat Accur. hic in gloſ. quem vide.

§. Iulianus.2.

Si duo procuratores dati ſint, dato poſteriori, prior reuocatur.

¶ An idem in tutela ſit dubitatur. Verùm optimè notat Gloſſa, idem non eſſe ratio eſt, quoniam tutore in codicillo dato, non intelligatur reuocatus tutor teſtamento datus, *vel l.& ſi à patre.Cod.de teſtament.tut.*

l. Pluribus.32.

Pro explicatione huius l. vide Loriotum *in tract.de tute axiom.33*

Hic præ cæteris notandum eſt, occupantis meliorem eſſe conditionem pluribus procuratoribus inſolidum ſimul datis, ideo ait *l.ſi quis à multis. D de noxal.action.* quæ tamen clauſula nullam habet vim aduerſario contradicente vel abſente.

l. ſeruum quoque.33.

De mente ac ſententia huius legis, Ioh. Robert. *lib.2.recept.ſenten.cap.3.*

An ſeruus procuratorem conſtituere poſſit, vt ait hæc lex dubitant quidam Verum optimè ait Gothofredus, hoc intelligendum eſſe, de ſeruo ad negotia, non autem ad iudicia, *vt a.l.15.D.ex quibus.cau.maior.*

§. Publice vtile eſt.2.

Ad intellectum huius §. Vide Menoch. *de arbit.iudic.caſ.264.* adde Marant *in tract.de ord.iudic.4.part.& diſtinct.n.42.* vide etiam ea quæ dixi *ad leg.penul. §.ad crimen.D.de publ.iud.* Thom. Docci. *conſ.76 n.3.inter conſ.diuerſ.ad cau. crimin vol.1.* hic optime explicatur à Baldo. hic.

Repetitionum.6 *fol.536.num.38.* Repetitionum.1.*fol.454.nu.7.& 9.vſque ad numer.13 & 17.*

Digitized by Google

Vide Socin. in regul. 322. *fol.* 531. *n.* 23. *Repet.* 6.

§. AEquum prætori viſum eſt. 4.

Concordat cum hoc. §. textus *cap. in iudiciis, & cap. non licet. de reg. iur. in* 6. *& cap. dilectis. de iudic. ex.* & pro intellectu huius §. vide Benedictum Capram in *reg. conclus.* 62.

§. ſi quis in rem. 5.

An appellatione procuratoris propriè veniat procurator in rem ſuam, vide gloſ. *in l.* 1. *C. eod.* & pro hoc optimè facit textus *in l. quæ omnia.* 2. *verſ. plane.* 3. *eod.* vbi procurator qui factus non præſumitur in rem ſuam, niſi probetur.

l. ſi quis in rem. 34.

l. Sed & hæc. 35.

¶ Coniunctæ perſonæ quæ dicantur, & quod hic dicit Vlpianus, de affinitate intelligendum eſt, cauſa affinitatis durante, non ceſſante: nam cauſa ceſſante, ceſſat ipſa affinitas, qua de re vide Bald. hic.

¶ Quot & quibus caſibus procurator defendere teneatur, declarat hic pluribus gloſſa.

¶ Tract. 8. *fol.* 134. *n.* 18.

§. Patronus. 1.

Procurator quando admittatur nécne hoc loco dubitatur, verùm hac Bartoli adhibita diſtinctione res fiet dilucidior, hoc pacto quando cauſa ſtatus agitur, ciuiliter admittitur procurator: quando agitur criminaliter non admittitur.

§. Non ſolum. 2.

Quid ſit deffendere, optimè explicat hic Iuriſconſultus.

l. vel in operis. 36.

In hanc legem Cuiac. *lib.* 12. *obſ. cap.* 26.

l. Omnium autem. 37.

Rei procurator, vel in vnam rem deffendere poteſt.

l. Non tamen. 38.

l. Non ſolum autem. 39.

An procurator ante litis conteſtationem, teneatur reſpondere interrogationibus. ¶ An poſſit petere dilationem, vt certificetur à domino quid reſpondeat, tradit hic Bart.

§. qui alieno nomine. 1.

Tacita hic videtur repetitio eius quod dictum eſt ſuprà *in l. ſeruum.* §. *ait prætor in ſecundo reſponſo*, vide igitur ea quæ ibi dixi.

An & qualiter probetur mandatum, Bart. hic.

§. quæritur, 2.

Hæc verba, is ad quem ea res pertinet, ad quid referantur dubium, hic eſt, verum referuntur ad dominum & hæredem eius, non autem ad creditorem.

An pater dicatur legitimus adminiſtrator in actione de dote, declara vt per Bart. *hic.*

§. ſi pater filij nomine. 4.

Cautio de rato ceſſat, ſi pater filij nomine iniuriarum agat: cùm duæ ſint actiones, vna patris, altera filij.

An pater in criminalibus cauſis, legitimus ſit filij ſui adminiſtrator, vide hic Bald.

§. item ait. 7.

Ibi nominatim de procuratorib. vide *Bart. in l. filiusfam. D. de donat.* Repetitionum. 6. *fol.* 543. *n.* 16.

l. Pomponius ſcribit. 40.

Enumerantur hic cauſæ quædam, quæ requirunt ſpeciale mandatum, vide Rom. *conſ.* 383. Rom. *ſing.* 470.

§. ſi ſtipuletur. 1.

Procurator ſi ſtipuletur damni infecti, vel legatorum, debebit de rato cauere, & ratio huius rei petenda eſt *ex l.* 20. *D. rem rat. hab.*

§. ſed & is qui. 2.

De rato cauere debet, qui alium defendit in actione reali.

¶ Nota autem ex hoc textu, quod argumentum à contrario ſenſu locum etiam habet in ſententiis affirmatiuis, vt declarat Roman. *conſ.* 115.

¶ Nam cum iudicatur rem meam eſſe, ſimul iudicatur illius non eſſe. Et hoc fit per quandam conſequentiam, concordat *c. 1. in gloſ. ſuper verbo, prohibetur. 1. diſtinct.*

§. Ratihabitionis. 5.

Quod procuratoris exceptiones, opponi debeant ante litem conteſtatam, notat hoc loco Iuriſconſultus, ratio autem eſt, quoniam exceptiones iſtæ ſint dilatoriæ.

§. In his autem. 4.

An coniuncta perſona agere poſſit contra mandatum, dubitatur hic, quod tamen fallit, ſi proprium interesse agentis verteretur *l.* 1. 2. *&* 3. *D. de liber. cau.* facit *l. non tantum. D. de appel.* & Bart. *in l. ſi conſtante, in* 10. *q.* 2. *ſolu. matr.*

l. Fœminas. 41.

An mulier cum agit debeat renuntiare Velleiano, declarat hic, vt per Bar.

l. Licèt in popularibus. 42.

Ex hac lege deſumpta eſt *l.* 5. *&* 2. *D. de popular. actio*, vt optimè notat hic Duarenus.

§. Ad actionem. 1.

Pro intellectu huius §. vide Robertum *lib.* 4 *ſenten. cap.* 40.

§. Ea obligatio. 2.

Loriottus *de pactis actiom.* 2. Vaconius *lit. declarat.* 90. Mattreſius *in notis c.* 43.

§. Reo latitante. 7.

Fideiuſſor rei eſt eius procurator, & poteſt eum deffendere, etiam per procuratorem.

l. Mutus & ſurdus. 43.

§. Cùm quæretur. 1.

Concordat huic. §. *can. ad queſtiones, cum gloſ. ſuper verbo inhibitum. ex de ver. permutat.*

¶ Prohibitorium eſt, Bart. ait in exemplari ducis Biturigum, addi rationem, quia ſcilicet quòd non eſt nominatim prohibitum, videtur eſſe permiſſum.

§. Pœna non. 4.

Pœna non defendentis procuratoris hæc eſt, vt denegetur ei actio, vt *l.* 30. *Cod. hoc titulo.*

l. vel ſi longinquo. 44.

l. Non cogendum. 45.

Pro intellectu huius legis, vide Benedict. Cape *dicto loco conclus.* 63.

§. Qui ita de. 1.

¶ Ad hunc. §. ſcripſit Cuiac. *lib.* 22. *obſ. cap.* 12.

§. ſi procuratori. 2.

Vide Bened. *Cap. ſupradicto loco conc.* 60. concordat autem cum hoc. §. textus *in l. de pupillo.* §. *qui remiſſionem. D. de nou. oper. nunciat.* & textus *in l. ſi pupillus.* §. *defendere infra de priuileg. credit.* vbi vide quæ dixi.

l. Qui proprio nomine. 46.

Vide Socin. *in rep.* 23.

§. Ei qui defendit. 1.

Qui ſponte defendit, poteſt vnam cauſam tantum defendere.

§. Qui alium. 2.

Regulam hanc, quod nemo ſit idoneus defenſor alterius, ſine ſatiſdatione amplia & limita, vt per Lilon. *in l. filiusfamil. D. qui ſatiſd. cog.*

§. item quæritur. 3.

Hic. §. optimè explicatur, *hic* à Bald.

l. Qui duos. 47.

In contrarium facit *l. ſi plures. de teſtam. tut. ſolut.* vt per Bart. *in d. l. qui duos.* item oppoſitio de dictis omniũ poſita in textu, quæ eſt vniuerſ. *l.* 1. *in de leg.* 3.

l. Itaque

Litſque.48.

Eadem inſcriptio legis. 46. & huius oſtendit vtramque eſſe coniungendam, & addendum ex Iuliano.l.47.vt alter mandatariorum ab altero petere poſſit,ei oportere ſpecialiter mandatum eſſe.

l.Ignorantis nomine.49.

Quo: & quibus caſibus procurator, ignorantis domini conditionem deteriorem facere poſſit,declarat hic Gloſſa. Hanc autem legem optimè explicat Cuiacius *lib.24.obſ.cap.15.*

l.Quacunque ratione.50.

Reges 6.fol.153.nu.46.

l.Minor.51.

Benedict Capra *in paratg.concluſ.61.* ¶ Duo autem nota in hac lege, primo quod non eſt idoneus defenſor qui poteſt in integrum reſtitui,ſecundo quod reſtitutio principalis prodeſt fideiuſſori.

An minor poſſit eſſe procurator,vide Iohan. de Ana. *conſ.30.* declarat etiam optimè hic gloſſa primam an ſi minor non vult reſtitui, fideiuſſor reſtitui poſſit,*vide Bald.hic.*

§.Quoniam.1.

Nota hic quod defenſor repræſentat per omnia vicē eius quem defendit quod ſane quomodo intelligendum ſit,notat hic Bart.

l.Etſi conſularis 52.

l.Non videtur.53.

l.Neque fœmina.54.

Enumerantur hic quidam,qui idonei defenſores non ſunt,hoc eſt, perſonæ quædam inhabiles ad defendendum,& quæ officium procurationis & defenſionis ſuſcipere nō poſſunt:vt primo fœmina,licèt certis caſibus procurator eſſe poſſit. Secundò,miles armatæ militiæ. Tertiò, qui Reipublicæ cauſa abſens eſt. Quartò, qui morbo perpetuò tenetur. Quintò,qui magiſtratum initurus eſt. Sextò & vltimò qui inuitus iudicium pati non poteſt.

§.Tutores.1.

Tutores eo loco defendi debent,quo adminiſtrauerunt.

l.Procuratore.55.

Tota hæc lex ad hæc duo verba refertur, quod ſcilicet actio vtilis præſtatur directæ,*vide de hoc per Bald.in l.2.§.fin.D.de lege commiſ.*

l.Ad rem.56.

Qui vult conſequens,tenetur velle omne neceſſarium antecedens, quod procedit in his quæ dependent à mera voluntate diſponentis,ſecus in aliis de quo vide Bart.*in Auth.ſi quis in aliquo. Cod.de edend.* Crot. *conſ.134.num.45.* Iaſ.*ad l.ceterum.num.38.D.de vulgar.& pup.* Decius *ad Rub.Cod.qui admitti. n.75.*Bart.*ad leg.in aduerſo.§.1.D de rei vind.* vide etiam Euerardum *in loco à conceſſione antecedentis,ad conceſſionē conſequentis*,item *in loco à conceſſione conſequentis,ad conceſſionem antecedentis:*& circa iſtam regulam,vide omnino quæ habes apud Barto.*in l.2.D.de iuriſd.om.iud.*quam limita,vt per Bald.*in l.fin.in 16.opp.Cod.de hæred.inſt.*vt per Panor.*in cap.ſi parte.3.an.de dec.* & eam latè examinat Iaſ.*in l.2.ſupra de iuriſd.om.iud.*Iunio.*conſ.33.*

l.Qui procuratorem.57.

In hanc legem vide Menoch.*de arbit.iudic.lib.1.q.37* Benedict. Capra *dicto, loco concluſ.64.* ad intellectum autem & limitationem huius legis, vide Rom.*conſ.466.*

¶ An ſi quis deleget cauſam iudici vt cognoſcat poſſit ſententiari, & an ei committitur executio, videatur committi cognitio, declara vt per Bart.hic.

§.Si quis.1.

Nota hic quod ille qui renunciat exceptioni,non poteſt poſtea ipſam opponere de nouo, nec perſequi eam oppoſitam, quoniam ſemel ſit ſibi renunciatũ.

l.Procurator.58.

Tantum operatur generale mandatum cum libera quantum ſpeciale, vide Iaſo.*ad l.ſi quis ini quitatem.§.ſi procurator,nu.13.D.quod cuiuſ.vniu.* Bald.*deciſ.52.* Cotta *in verbo procurator,cum libera.*vult autē hæc lex,quod procurator omnia facere poſſit, quæ ipſe dominus faceret, ſi liberam adminiſtrationem haberet.

l.Sed & id.59.

l.Mandato.60.

Decidendi loco.Cuiacius legit Deminuendi,*in not.Inſt.de rer.diuiſion. ad finem.*Beroius *quæſt.33.*

Procurator cui rerum omnium adminiſtratio mandata eſt, transfigere poteſt.*l.proſes.Cod.de tranſact.* Sed ſine libera non poteſt.

¶ An habens generale mandatum cum libera, fide iubere poſſit,collige ex *l.ſeruus inſcio.ff.& Bald.in l.in perſonam.§.1.ſupra de pactis.*

l.Plautius ait.61.

In hanc legem Cuiac. *lib.14.obſ.cap.30.* ¶ Quid autem ſibi velit inſcriptio ad Plautium,vide Ant.Aug.*lib.1.cap.6.*

l.Ad legatum.62.

Ad limitationem huius legis,vide Romanum *conſ.466.*

l.Procurator.63.

l.Is cuius.64.

In hanc legem vide Cuiac.*lib.22.obſ.cap.10.*

l.Si procuratorem.65.

De materia iſtius legis,vide Bart.*in l.1.Cod.de ſatiſdando.*optimè etiam explicauit hanc legem Bal.

An & quando literis procuratoriam continentibus credatur, vide Paul. de Lazzar.*in cap.tertio loco,ex de probat.* An mandatum poſſit probari per teſtes,*vide per Bart.in l.2.ſupra eod.*

l.Si is qui.66.

Electio per procuratorem facta valet Bald.vnum adde quod etiam voluit Bart.hic,& *in l.ſi ita ſtipulatus fuero.ff.de verb.oblig.*& Fulg. *in l.1.ff qui admitt. ad bonor.poſſeſſ.*

¶ An ſigillum apponens ſcripturæ alienæ, præſumatur illi conſentire,vide Antonium Gabrielum,*com.opin.tit.de præſumpt.concluſ.4.*

l.Procurator.67.

Pro intellectu huius legis,vide Robertum *lib.2.recep. ſent.cap.8.* Molinæũ *ad Rubricam.ff.de verb.oblig.num.38.* ¶ Nota autem hic quòd finita negotiorum adminiſtratione, non ſoluitur obligatio procuratoris. Sed ſi quid eius nomine ſoluerit contraria actione mandati recuperabit *l.ſi ornam.ff.mand.*tutoris verò obligatio finito officio ſoluitur, quoniā finita tutela, ſi quid poſtea ſoluerit, experiri non poſſit.*l.vlt.ff.ſi quis caut.*

l.Quod procurator.68.

l.Paulus reſpondit.69.

l.Pater filio.70.

*Nou.72.cap.2.*vetitum eſt,nec creditores pupilli ad tutelam accedant.

l.Abſens.71.

Ineſficatia legitima abſentia, ad hoc vt non poſſit procedi, quod tamen verificatur in Ciuilibus, in quibus procedit contra abſentes iure vulgato.*l. properandum.§.1.& Auth.qui ſemel & l.conſentaneum.C. quomodo & quando iudex.*Sed non verificatur in Criminalibus,in quibus quælibet abſentia impedit proceſſum ad pœnas.*Doct.l.abſentem.*

l.Per procuratorem.72.

l.Reus.73.

Iudex ordinarius poteſt abſoluere reum ab obſeruantia iudicij, de quo vide Bald.*in l.conſentaneum.in 2.gidam.C.quom.& quan.* de quo vide plene interpretat.hic Bolon. Ad hoc autem allegatur hæc lex quod qui paratus eſt ſoluere, non cogitur iudicium ſuſcipere, optime hanc legem enodauit Bald.hic.

Reges.6.fol.458.n.129.

l.Nec ciuitatis.74.

Digitized by Google

l.Qui abſentem.75.

Repet.5.fol.10.n.391.

l.Titius.76.

Pileus Quæſtione.92.

l.Omnis.77.

l.Et ideo.78.

Cuiacius.6.ad Africam.

§.Ad duas res.1.

Vide Cuiac.ſupra dicto loco.6.ad Africa.cap.3.

Tit.4. Quod cuiuſcunque vniuerſitatis nomine, vel contra eam agatur.

Tractatur hoc titulo, de actoribus ſeu Syndicis vniuerſitatum, qui vice procuratorum funguntur. vt dicemus in l.6.infra eod. De materia iſtius tit. vi. cap.1.§ ne ſide ...

¶ Vniuerſitas dicitur hominum in ciuili ſocietate, viuentium ſocietas, qualis eſt in oppidis & pagis, & notant Ant. Faber. & alij in. §. vniuerſitatis. Inſt. de rer. diu. ſ. cuius tria genera facit Bart. col. 189. incip. prima quæritur in prin.

An ſtatutum loquens de perſonis, verificetur in vniuerſitate, vide quæ habet in Bertach. in verbo vniuerſitas.29.prope.

l.Neque ſocietas.1.

Collegium, ſocietatem, & huiuſmodi corpus, paſſim habere, omnibus non conceditur.

¶ An & quæ ſit inter collegium, ſocietatem, & vniuerſitatem differentia, vide hic Bart. An & quæ collegia ſint approbata de iure.

¶ Collegia dicta eſſe Varro ſcribit a ſimul legendo, quia plures in vnum corpus colliguntur, nec enim vnus conſtituit collegium quamuis retineat, l.neat.7.h.t. ſed plures & non pauciores quam tres. l. Neratius.85. D. de verb. ſig. diſtat autem ab vniuerſitate, quo pars à toto: nam non totius vniuerſitatis, ſed partis eſt.

§.Quibus autem.1.

§.Quod ſi nemo.2.

¶ An & quomodo collectæ imponantur An, & quando, & quæ res acquirūtur vniuerſitati, & qualiter diuidantur inter ſingulos, vide hic Bald.

¶ An pro neceſſitatibus vniuerſitatis collecta imponi poſſit, vide Felin. in cap. cum omnes. ex. de conſt. Alex. conſ.124. in prin. in 4. vol. Abbas. conſ.61. in 2. vol. Bart. conſ.175. An contra vniuerſitatem procedatur ad ſecundum decretum, vide l. ſi finita. §. Iulia. D. de dam. inf.

§.Etſi.3.

l.ſi municipes 2.

In ſumma nota in hac lege, quòd actor vniuerſitatis non dicitur actor ſingulorum, & is præcipue cogitur ciuitatem totam defendere, ſic etiam vaſſallus vniuerſitatis, non dicitur vaſſallus ſingulorum: quoniam vniuerſitas vna perſona cenſetur, vt notat hic Bald. nec habetur loco perſonarum ſingularium, Bart. in l. aut facta. §. fin. n.1. col. D. de pœn. vnde notant, quod teſtis in cauſa vniuerſitatis, is etiam eſſe poſſit, qui eſt ex ipſa vniuerſitate, qua de re vide. Lauſac. in prax. cap.8. de teſtib. num.70. Socin. reg.408.

l.Nulli.3.

Concordat cum hac lege Gloſ. ſuper verbo non inſtituitur. in cap.2. ex. de tranſlat. epiſcop.

Cum duæ partes, vt actus valeat, quot & quæ neceſſaria ſint, vide Cap. in cauſ. in 1. q. vid. Felin. in c. quum omnes. ex. de conſt. & in cap. cum te, verſ. actus. ex de reſcript. & alia in materia, vide Bart. in l. quod maior. D. ad municip. Frāciſcus Marcus Decision. quæſt.167. fol. 95. n.3.

¶ An agens contra communitatem, petere poſſit, vt ciuitati conſtituatur ſyndicus, & cogatur ad hoc, vt ſententia valeat, vide Bart. in l.1. Cod. lib. 11. de iure Reip. An, quando, & qualiter Syndicus dicatur rectè conſtitutus, vide gloſ. in l. aliud. §. refertur. ff. de reg. iur. an & cui æquiparetur vniuerſitas, vide hic Bartol.

l.Placet vt 4.

Colligē ex hac lege, quòd electus numeratur in numero eligentium: atqui ſeipſum nemo eligere poteſt, vt optime notat hic Gothof. Sed ad huius argumenti ſolutionē, vide Bart. in l. ab omnibus. §. 1. ff. de leg. 1. Guil. de Cug. in l. fin. ſup. de off. præſid. Roman. ſing.44 hanc etiam quæſtionem optimè Albericus explicat hic.

l.Illud notandum.5.

Vocem interponere poteſt pater pro filio, & frater pro fratre. ratio eſt quoniam patria poteſtas non attenditur.

¶ An etiam patronus poſſit ſeipſum præſentare, vel filium, vide Abbat. conſ.96. ¶ Huius autem legis ratio eſt, quoniam in priuatis negotiis, pater filium, vel filius patrem iudicem habere poteſt, & ait. l. in priuatis.77. ff. de iudic. in. vbi dicemus.

¶ Suffragium dicitur illa ſcriptura, quam quis facit cum de aliquo eligendo conſentit, vt optimè notat hic Accurſius, fiebat etiam voce ſuffragium, & hoc erat magnificentius porro referatur ſuffragia, voce nuncupata, aut tabella occultari, diſputat pluribus iſque elegantiſſimis Tull. lib. 3. de legib. quæ res fuit olim ſeditionibus popularibus iactata vexataque.

¶ An præſtet electionem fieri ſorte, an ſuffragiis, diſputatur pluribus altercationibus inter N. Epium & Heluidium Priſcum apud Cornelium Tacitum. lib.20. ¶ Et ſuffragiorum author quis fuerit, vide hiſtoriam fori Romani lib.5. cap.8.

l.Item eorum 6.

¶ Municipij perpetua conſuetudo appellatur, id eſt, conſuetudo ſpecialis, quæ vincit legem eo loci in quo recepta eſt, ſic etiam generalis generalem vincit legem.

§.ſi decuriones.1.

Ait hoc §. Paulus decuriones eligere poſſe, vel etiam alij electionem committere, vnde quod fit ab eo qui habet authoritatem, videtur factum ab eo qui conceſſit authoritatem, quod notat Ioh. Andr. in c. ſi ... de præben. in 6. adde quod voluit Rom. conſ.116. an & qui ſint, qui poſſint committere, vide hic Bart.

¶ Perperam notat hic Accurſ. Duumviros minorem gerere honorem quam decuriones, hoc enim falſum eſt. Nam duūviri in municipiis id erant quod Romæ conſules: Decuriones vero erant quaſi ſenatores. ¶ Præterea in fine huius §. notabis paria eſſe per ſe facere, & alteri committere. & facit ad hoc l. cum eſſent. §. fin. ff. de ſeruit. ruſtic. præd.

¶ An decretum iudicis cadere ſuper certo debeat, & quare actor dari nō poſſit ad lites futuras, vide hic Bald.

¶ Actor conſtitutus ſimpliciter ad lites, intelligitur ad præſentes, non ad futuras.

§.Quid ſi actor.2.

Decretum reuocari poteſt per contrarium decretum, ſiue per prohibitionem, vt notat hic Bald. ¶ Vnde notabis quod non ſufficit factum niſi duret factum. ¶ An autem actor conſtitutus à tutore cum conſenſu pupilli, poſſit per ſolum tutorem reuocari, vide Iul. in l. ſi quis mancipiu. §. ſi impubes. D. de inſtit. hac de re plenè notat Bart. in l.1. D. rem rat. hab. ver. ſed iuxta prædicta. ¶ Comparatur autem decretum ſententiæ, non per omnia tamen, vt notat hic Albericus. ¶ Differt etiam decretum principis à decreto magiſtratus. nam principis decretum cauſam quocumque tempore exortam dirimit at magiſtratus decretum eam tantum de qua agitur, ac interdum ne eam quidem ſi interceſſerit appellatio. ¶ Præterea decretum ſic definitur, vt ſit ſententia principis inter duas partes, de quarum ipſe cauſa cognoſcit, & iudicat pronunciata

§.Actor vniuerſitatis.3.

¶ Dicitur autem hic, quod actor vniuerſitatis defendere tenetur, ſed non de rato cauere, niſi dubitetur de mandato: ratio eſt, quoniam actor vniuerſitatis experitur tantum pro eo qui mandauit, id eſt, pro ipſa vniuerſitate: ſed actor tutoris experitur contra eum à quo non habet mandatum, hoc eſt, à nomine pupilli. ¶ An & quis iuret de calumnia. An actor cauere debeat iudicatum ſolui, præter hic dicta à Bartolo, vide Specul. in t. de ſatiſdat. §. expedito. verſ. actor. & quod not. Gloſ. in §. ſin autem. in verbo qui uſ ... Inſtit. de ſatiſdatio. ¶ Si contentio eſt inter vniuerſitatem, & rectorem, an & qualiter conſtituatur hic Syndicus. ¶ Et an nomina conſtituentium inſeri debeant in mandato, ſeu in inſtrumento Syndicatus, declarat hic Bart.

l.ſicut municipum.7.

Quid negotium publicū. Publicum impropriè dicitur, quod eſt alterius ciuitatis quā Romanæ: qua de re vide l. eum qui vectigal. 6. & ſeq. ff. de verb. ſig.

¶ An ſinguli de vniuerſitate conueniri poſſint pro debito vniuerſitatis, vide Innoc. in c. humilis. ex. de maior. & obed. ¶ An iuriſdictio in ſingulos poſſit exerceri, vide Inno. in c. dilectus. ex. de capel.

¶ An ad mandata directa collegiis poſſint ſinguli compelli, vide c. cum te. ex. de reſcript.

¶ An vniuerſitas teneatur ex delicto præſidentium, vel adminiſtratorum, notat Old. conſ.66.

§.ſi quid.1.

Si quid debeatur vniuerſitati, ſingulis non debetur, ſic etiam quod debet vniuerſitas, ſinguli non debent.

¶ An autem & quomodo vniuerſitas teneatur ex delicto ſingulorum, adde præter gloſſam hic Albericum in l. metum. §. animaduertendum ... Bart. in l. aut facta. ff. de pœnis.

Digitized by Google

¶ Separata autem ſunt ea quæ vniuerſitatis ſunt à publicis, quamuis & hæc ipſa vniuerſitatis ſint *l.1. D.de rer diuiſ.* nimirum, quia publica non ſunt in patrimonio populi *l.14. D.de adquir.rer.domin.* vniuerſitatis auté quæ ſunt in patrimonio populi habentur, vtraque tamen ſunt in vſu publico, & ſeparanda ſunt ab his quæ ſunt in patrimonio fiſci, quæ non ſunt in vſu publico *l.poſtea.§.vlt. D.de contrah.emp.* ac præterea publica communia ſunt, omniũ hominum: vniuerſitatis vero communia tantum ciuitatium, illa iure gentium vſibus omnium, hæc iure ciuili vſibus ciuitati deſeruiunt. *l. 2.§.2. D.ne quid in loco pub.* & de his optime Cuiac. *in initio tit. Inſt.de rer.diuiſ.*

§.In decurionibus.2.

Vniuerſitas ſemper remanet, licèt perſonæ mutentur, vt optimè notat *l.85. D.de verb ſig.* & quod magis eſt, ſi vnus ſolus ex vniuerſitate remaneat ius & nomen vniuerſitatis conſeruat: vniuerſitatis nomen in vno retinetur, licèt per vnum ab initio conſtitui non potuerit, ſed per tres: Hinc conſtat vniuerſitatem ſolui ſi nullus ex vniuerſitate remanſerit, ſecus ſi vnus.

¶ Cum ius omnium in vnum recidere. Facit ad hoc Gloſ *in verbo pauciores. in cap.2. ex de poſtul. prel.* quæ Gloſſa ad hoc allegat hanc legem.

¶ Ex quot conſtituatur populus, vide Gloſſam *in cap.1. ex. de elect.*

¶ Quot homines gentem faciant, & an collegium remaneat in vno, vt vniuerſitas præter hic dicta à Bart. vide Inno. *in cap. cum inuentio. D.de oper. nou.nunt.* & adde Bart *in l.ſi grege. D de leg 1.*

¶ An vnus ſolus qui remanſit, conſtituere poſſit Syndicum, & quid ſi nullus remanſit: declara vt per Bar. hic: facit initi. §. ad quæſtiones, de quibus per doctores in *l.ſi grege. D.de legat.1.*

l.An ciuitates.8.

¶ An quando quis vult citare vniuerſitatem, cogatur citare Syndicum, & qui ſint modi citandæ vniuerſitatis, declara. Bart. *in l.non poteſt. D.de reg.iur.*

¶ An cogi poſſit vniuerſitas ad conſtituendum Syndicum, vel procuratorem, *vide hic Bald.*

¶ Nota hic, quòd ſi non reperiuntur res mobiles & immobiles, peruenitur ad nomina debitorum, hoc eſt, ad actiones debitorũ, ſic etiam nomina debitorum omnium rerum quæ vſu tolluntur, vel minuuntur appellatione rerum, *l 3 D.de vſuf.ear.rer.quæ vſu conſum.*

¶ Vniuerſitas quemadmodum & quo ordine cogatur iudicatum facere, & in eam fiat ſententiæ executio, vide *l.à diuo Pio.§.in venditione.ff.de re iudic.*

l.ſi tibi.9.

Hoc vult hæc lex, quod contra ciuitatem, vel municipium agi poteſt diuiſorio iudicio, vt optimè notat hic Bald.

¶ Vnde collige hic quod vniuerſitas teneri poteſt iudicio familiæ erciſcundæ communi diuidundo, & aquæ pluuiæ arcendæ.

¶ Cum municipibus. Propriè municipes dicebantur, qui in ciuitatem Romanam recepti munerum participes fiebant. Municeps eſt, vt ait *Aelius Gallus* is qui in municipio liber natus eſt, item qui ex alieno genere hominum minus functus eſt, item qui in municipio à ſeruitute ſe liberauit à municipe. Municipes etiam erant, qui ex aliis ciuitatibus Romam veniſſent, quibus non licebat magiſtratum capere, ſed tantum muneris partem, dicuntur autem municipes quod munera ciuilia capiant, vnde dicti quo vna munus fungi debeãt, *vt teſtatur Varro l.5. de Ling. Lat.* hinc abuſiue municipes dicimus, ſuos cuiuſcunque ciuitatis ciues, vt teſtatur Vlpian. *in l.1. D.ad municip.* vbi plura dicemus.

l.Conſtitui.10.

Tit.5.De negotiis geſtis.

De materia iſtius textus & de forma libelli, vide Iaſo. *in §.actionum. Inſtit. de action.*

¶ An ſi negotium ſit commune plurium, & negotiorum geſtor non gerat, niſi contemplatione aliquorum, an, inquam, aliqua competat actio negotiorum geſtorum, vide Ang. *conſ.229. Rom conſ.436.*

¶ Quod negotiorum geſtor repetat expenſas, licet in geſta ſortiar malum finem, modo fuerit bene cepta. vid. Barb. *latè conſ.46. vol.4. in.1.dub. & conſ.71.in 4.vol.* Harmo. *lib.5 tit 11.* Paul. *1.ſenten.tit.4.*

l.Hoc edictum.1.

In hanc legem Vitalis *lib.1.Variar.lect. cap.10.*

l.ſi quis abſentis.2.

¶ Vide Ioh.Fabr. *aſſig.ration.ad illum textũ.§.illud.inſtit.de ſociet. Alex.conſ.8*

l.Ait prætor.3.

Actio negotiorum geſtorum eſt prætoria, licèt quidam contradicant, qua de re *in.4.ſed iſta. Inſt.de action.* Ioh in. Andreas *in arbore actionum,* Roffredus *in libello,* ciuilem eſſe ait, Iacob. de Rauen. Pet. Cynus.

§.Hæc verba.1.

§.Negotia.2.

Negotia accipe, ſiue vnum ſit negotium, ſiue ſint plura, pluralis enim ſermo reducitur ad ſingularem, qua de re plenius, vide hic Albericum, *l. pluralis locutio.40.ex de reg.iur.l.qui concub.na.§.ſi Stichus. D de leg 2.* adde Ang. *Aret. Inſt.de iure perſon.in princ.* ... *in l.te in omnes l.* ... *in princip.*

¶ Nota autem hic quod quando aliquid per ſtatutum inducitur, propter legem, putà opinum delictum vel pœna, verificatur etiam in ficto, & eleganter ait Iohan. And *in cap.fin.ex de conſuet.*

¶ Quod verba ſtatutorum intelligantur largè, & in propria ſignificatione, quando ſtatutum eſt fauorabile, licet ſit ſtricti iuris, vide Iaſ. *in ... ſi patrin. Cod. vnde liberi,* vide eundem *in l.vnus ... de in iur voc.* verum quando ſtatutum pœnale eſt, extendi etiam poteſt, quoniam fauorabile eſt, *vt in.l.2.§.parentes. D.de in ius voc.*

¶ Quod ſtatuta non trahantur ad caſum fictum, & quomodo, vide Aret. *in.l.lege Cornelia.in.2 notab. infra de teſtam.*

¶ Vide aliquas quæſtiones circa hoc *in l Gallus. §.quid ſi is. D.de lib. & poſt.*

¶ Denique quod ſtatuta ſtrictè interpretari oporteat, vide Cæpo. *in conſ. 24.ad finem.* ſunt & aliæ plurimæ quæſtiones, quæ hic paſſim à doctoribus explicantur, quas breuitatis cauſa omitto.

§.Alterius.3.

In hunc §.vide Cuiac. *lib.12.obſ.cap.7.*

§.pupillus.4.

Ad intellectum huius §.vide Cuiac. *24.obſ.7.*

¶ Obiter autem notabis hic, quod ſi pupillus negotia geſſerit poſt reſcriptum diui Pij, conuenitur etiã poſſe in id quod factus eſt locupletior, & ſi quid dolo fecerit, in reſcripto hoc Diui Pij continetur *in l 3. D.commodat.*

¶ An autem locupletari cum aliena iactura, & dolum admittere paria ſint, quærit hoc loco gloſſa. ſed de hac re vide *l.1 §.an in pupillum. D.depoſiti. l.reſcriptum.12.§.1.ſi aliena res. C.de diſtract.pign.*

¶ De hac regula quod locupletari nemo debeat, videnda lex locupletari. *47.ex.de reg iur.* qua de re optime Dynus in illa regula.

¶ Quòd autem locupletari cum aliena iactura non videatur, qui cauſam lucratiuam habet, optime Dynus *in l. Ratum 9. D.de reg.iur.num.12.* & locupletiorem quem factum fuiſſe ex aliena iactura probare quis debet, vt optimè notat Bald *in l.1.Cod ſi aduerſus credit. & in.l.prædiorum. Cod.de præd.minor.* ſic etiam locupletari proprietarius cum damno fructuarij non debet, vt ait lex *vel inutilium.99. D.de vſufructu.*

§.Et furioſi.5.

§.Hæc verba.6.

In hunc §.Vitalis *lib 1.variar cap.1.*

¶ Statuta verè & propriè ſumenda ſunt, non autem fictè, ſeu impropriè, aut ad caſum fictum extendenda.

§.Hæc autem actio.7.

Actio negotiorum geſtorum. cum ex negotio geſto oriatur, datur hæredi & in hæredem, *vt Cod.h.t l.curatorem 6.*

§.ſi executor.8.

Vitalis. *d.loco.c.12.* Executor tenetur in ratione doli in exequẽdo cõmiſſi.

¶ Executor an & quo caſu teneatur vtili negotiorum geſtorum actione.

¶ An executores qui delinquunt in officio, puniri poſſint à iudice ex eius officio. ¶ An & quo caſu executor litem ſuam faciat, vide hic Bald.

§.Interdum.9.

In negotiorum geſtorum actione dolum ſolummodo verſari, quod optimè tractant Doctores noſtri in *l.Quod Nerua. D.dep.ſ.*

§.Hac actione.10.

Actione negotiorum geſtorum tenetur, non ſolum is qui ſponte & nulla neceſſitate cogente immiſcuit ſe negotiis alienis, & ea geſſit, verum etiam is qui aliqua neceſſitate vrgente vel neceſſitatis ſuſpicione geſſit, vnde quæritur hic, vtrũ hic qui putat ſe tutorem, & non eſt, gerendo tamen, teneatur actione negotiorum geſtorum, *qua de re vide l.armatæ, & ibi Gloſ Cod. qui dari tut.poſſ.*

§.Apud Marcellum.11.

Huius §. quæſtio eſt, an actio negotiorum geſtorum, ſimul cum actione mandati concurrere poſſit, & reſpondet Marcellus nos vtraque actione vti poſſe, *cui coniunge l.ſi negotium.16. Cod.h.t.* vbi eadem eſt quæſtio.

l.ſed videamus.4.

Fideiuſſor negotiorum geſtorum agere poteſt, niſi donandi animo fideiuſſerit nota tamen hic fideiubere ſine mandato licere, quod debitoribus fraudi eſſe poteſt, quorum intereſt nõ vexari ab huiuſmodi fideiuſſionibus.

Digitized by Google

l.item ſi.5.

Quia tam re quàm voluntate geritur negotium, error non omnino infirmat quod geritur vtiliter *tit.de lega. Inſt.* §.*ſi rem.* cùm alioqui quod ex ſolo animo pendeat, falſa opinione vitietur *l.ſi qui. D.de acquir.hær.*

§.ſed etſi.1.

Si cum putaui Titij negotia eſſe, cum eſſent Sempronij geſſi: ſolus Sempronius mihi actione negotiorum geſtorum tenetur, vnde nota hic quòd negotium alicuius dicitur cura & ſolicitudine, vt optimè notat hic Gloſ.

l.ſi pupilli.6.

In hanc legem vide *repet.doct.fol.77.num* 54. nota hic quòd negotia geſſs aliena mandatu alterius mandantem ſibi obligatum habet, nó negotiorum geſtorum actione, ſed mandati.

§.item ſi procuratori.1.

An procurator qui per ſtipulationem promiſit, teneatur actione negotiorum geſtorum, an quando aliquis contrahit nomine alieno, vel ad alterius vtilitatem, obligetur ipſe contrahens tantùm, an dominus tantùm, an vterque.

§.ſed & ſi quis.3.

In hunc §.vide Molinæum *in conſuet.Pariſ.* §.*1.in gloſſ.nu.*89.

§.ſed etſi ego.6.

Ad intellectum huius §.1.videatur Benedictus Capra *in reg.concluſ.54.* & *ad* §.10. mox Ioannes Robertus *recept.ſent.lib.2.cap.6.*

§.item quæritur.9.

Actio negotiorum geſtorum vnde oriatur, quando, & quot eorum genera, vide hic apud Bart.

§.Idem ait.10.

Ioannes Robertus *lib.2.recept.ſent.c.6.*

l.Quia tantum.7.

Allegatur quotidie hæc lex, propterea quod ponitur ratio hic, quare veniant vſuræ ex mora.

l.ſi autem is.8.

l.Pomponius.9.

Difficilis ſanè exiſtimatur hæc lex, ideo optimè eam explicat Bart.hic.

l.ſed an vltro.10.

Cuia.*lib.17.obſ.c.39.*

l.ſi negotia.11.

Gabriel Mudæus *in l.qui admitti.nu.9.D.pro ſocio.*
Quando procedat hæc lex, Cagnolus *de reg.iur.nu.2.fol.*117.

l.ſucceſſori.12.

l.Debitor.13.

Curator datur hæreditati iacenti.concor.& facit textus in *l.ſi quis inſtituetur. D.de hered.inſtit.* Datur etiam curator bonis abſentis *l.cum ab hoſtibus.*

l.ſi filiusfamilias.14.

In hanc l.Cuia 13.*obſ.7.* Contra iſtam *l.oppo.d.l.3.* §. *ſed ſi filius.de pecul.* vbi Iuriſconſul.facit differentiam inter filium ex vna, & ſeruum ex altera, quando obligentur extra cauſam peculiarem: hic autem parificantur. Secundò oppo *d.l.1.* ponderando verba edicti *de peculio*, quæ non conueniunt legi noſtræ, quoniam is, cuius negotia geſta ſunt, non geſſit aliquis cum filio vel ſeruo.

l.Pomponius.15.

Explicatur hæc lex à Bart.& Bald.hic.

l.ſed & cum.16.

Vide Iaſ.*Inſt.de act.*§.*omnium.in 1.col.in fi.cum ſeq.*

l.Eum actum.17.

Vide ſimilem textum *ex.de ſpon.cap.ſacris.* vide etiam Innocen.*in c.de hæred.* *cap.fraternitatis.*

l.Proculus.18.

l.Atquin.19.

§.Cum me abſente.3.

Ad hunc §.Cuiac.13.*obſ.cap.16.* ſingulare autem eſt, vt ad vſucapiendum non ſufficiat ab initio bona fides, niſi perſeueret dum cōpleatur longa poſſeſſio *l.vn.C.de vſuc.transform.* quia vtiliter gerere non videtur qui vſucapionem non impedit, vt qui à ſeipſo non exigit *l.5.in fi.ſ.eod.*

l.ſin autem.20.

Vitalis *lib.1.variar.lection.cap.13.*

l.Nam & Seruius.21.

De obſidibus vide gloſſ.not.*ex.de iureiur.cap.ex reſcripto.*
¶Quomodo intell.*nu.*110.*fol.*117.Cagnol.*de reg.iur.*

§.Qui negotia.1.

Actio ſemel adquiſita contra hereditatem non mutatur poſtea ob conditionem heredis.

l.ſiue hæreditaria.22.

Culpa dicitur eſſe vitium, & ſic nō ſolùm dolus eſt vitium, ſed & ipſa culpa: hoc addito, quòd male facere eſt culpa *l.fi.*& ibi Bald.*C.mand.*

l.ſi quis negotia.23.

l.ſi ego.24.

Gilbertus Regius *lib.3.enantiopha.cap.*20. vide Caſtrenſ.poſt Gloſſ.& Bar. *in l.qui mihi donatum.de donat.*

l.ſi quis.25.

l.Cum alicui.26.

Loriottus de tutelis *axiom.35.*& *39.*

l.Ea duobus.27.

Coniunge *l.tres fratres.D.de pact.* quod autem ſequitur ſuę ætatis, deſignat maiorem 25.annis, pro quo tamen reponunt alij iuſtæ ætatis, vide Briſſon. *lib.3.ſelect.antiq.c.2.*Cuiac.*lib.6.obſ.cap.3.* vide Bart.in *Auth.hoc ita.in 6.quaeſt.* *in prin.in 3.q.*

l.ſi quis mandatu.28.

l.Cum pater.29.

l.De facto.30.

Loriottus *de tutelis axiom.*31.

l.Liberto.31.

Pro intellectu huius legis, vide omnino quæ notat Inno.*ex.de fideiuſ.c.quod quibuſdam.* Congruit autem cum hoc reſponſo. *l.vlt.Co.de inſtit.actio.l.actori.* *C.de reb.credit.l.ſi cui.*§.*quæri.D.vt in poſſ.leg.*.1.

¶Actio inſtitoria, vel quaſi inſtitoria dicitur adiectio, ſiue appellatio, quæ cuilibet accommodatur actioni legitimæ & honorariæ, vt inſtitoria actio mandati, inſtitoria actio ex empto, & in hoc propoſito actio, vel quaſi inſtitoria negotiorum geſtorum *l.pen.in prin.C.de inſt.act.*

§.inter negotia.1.

Huius reſponſi ratio hæc eſt in gerendis negotiis, Sempronij etiam negotium Titij geſſi ignorans, quod fortè permixtum erat rebus Sempronij, ſed putaui tantùm me gerere negotia Sempronij, cùm partim eſſent Titij, quæritur hic an Sempronio tenear actione negotiorum geſtorum, non tantùm ſui, ſed etiam Titiani negotij nomine? & ſane Titio teneor, quamuis non eius contēplatione negotium geſſerim, quoniam reipſa negotium eius geſſi teneor, inquam, Titio vtili actione, ne ſcilicet in dāno Titius verſetur, & vice verſa etiam mihi tenetur Titius actione vtili negotiorum geſtorum. quia æquum eſt ne verſer in damno, qui reipſa negotium Titij geſſi. quod ſi Titio teneor, conſequens eſt & viciſſim, vbi cauſa ſubeſt Titium mihi teneri eadem actione, idem etiam eſt in *l.6.*§.*ſi Titij ſeruum.h.t.*

§.Litem

Digitized by Google

§.Litem.2.

Si reus litem conteſtatam deſerat, neque edictis, aut iudicis litteris vocatus ad iudicium adit, peracto iſto ordine edictorum, vel literarum, vel denuntiationum, quibus denuntiatus, & euocatus eſt, ſi non pareat, ſi non adit iudicio, contumax dicitur, quòd contemnat authoritatem iudicis, quem ſemel adierat, & apud quem litem inchoauerat, vt loquitur Iuriſconſultus in *l. contumacia. §. 1. D. de re iudic.* qui fruſtrator hoc loco dicitur à Papiniano, id eſt, contumax, quia fruſtrandi tantùm actoris gratia iudicio abeſt, ne ſcilicet poſſit actor litem ad exitum perducere, *l. vl. ff. de procurat.* putat enim litem non poſſe ad exitum perduci, niſi vtraque parte præſente, vt cauetur lege duodecim tabularum, ne cuiquam lis addicatur niſi vtraque parte præſente.

§.Qui aliena.3.

In hunc §. Cuiacius *l. b. 11. obſ. cap. 9.* Ex hoc autem §. tantùm intelligimus negotiorum geſtorē debere vſuras pecuniæ debitæ ob cauſam adminiſtrationis, quas percepit, vel percipere potuit. Eam verò duntaxat pecuniam deberi, ac proinde tantum eius pecuniæ vſuras præſtari, quæ deductis neceſſariis impenſis ſupereſt, quos negotiorum geſtor fecit in rem alienam, quòd eſt Papiniano hoc loco, purgatis neceſſariis ſumptibus, id eſt, purgatis rationibus, vt in *l. pen. C. de bonis proſcript.* & apud Suetonium in Caligula, decimo quoque die ſe rationes purgare dicebat. verùm addo purgari etiam debere ſumptuum vſuras, quoniam hæ etiam veniunt in iudicium contrarium negotiorum geſtorum, *l. ob hoc negotium. C. h. t.*

§.Libertos.4.

Papinianus hoc §. ponit, libertorum tutorem rogaſſe hæredem per fideicommiſſum dare ducenta libertis ſuis ad ſumptum extruendū monumenti, libertos autem impēdiſſe trecenta, quod fortè minori ſumma extrui non poſſet monumētum pro dignitate patroni. Quæritur nunc, an id quod amplius expenderunt, recuperare ab hærede poſſint actione negotiorum geſtorum, veluti hæreditatis negotio geſto. *vt l. hæreditas. in fi. D. de petit. hæred.* & ait libertos neque iudicio negotiorum geſtorum petere poſſe, quod amplius erogarunt id extruendo monumento, neque iure fideicommiſſi.

De iure fideicommiſſi. Omnes alij libri habent rectè, Nec iure fideicommiſſi. Florentini malè, De iure fideicommiſſi, cum dicat, ſi quid amplius fuerit erogatum, iudicio negotiorum geſtorum ab hærede, non rectè petetur, nec iure fideicommiſſi, rationémque addit quæ communis eſt, id eſt, quę vtramque actionem excludit, & negotiorum geſtorum, & fideicommiſſi, quoniam ſcilicet voluntas teſtatoris finem erogationis fecit.

§.Tutoris.5.

Huius §. quæſtio eſt tutor pupilli qui hæres extiterat patris qui quidem pater tutelam cuiuſdam pupilli cum moreretur, adminiſtrabat: is, inquam, tutor non tantùm negotia pupilli ſui geſſit, ſed etiam eius negotia, cuius tutelam pater pupilli ſui cum moreretur, adminiſtrabat. Quæritur an ex hoc facto tutoris pupillus paterno pupillo teneatur, qua in re reſpondet Papinianus eum non teneri: ratio eſt, quoniam pupillus paterno pupillo non tenetur: ſed ſolus tutor qui geſſit ſuo nomine, tenetur iudicio negotiorum geſtorum, non pupilli ſui nomine, quia pupillus ipſe nihil geſſit in rebus pupilli paterni, nec gerere quidquam potuit, aut debuit, atque adeo nec explicare potuit, aut debuit, quæ pater inchoauerat, in rebus pupilli ſui *l. 1. de fideicommiſſ. tut.* quod pupillus ipſe explicare non debuit, ergo nec tutor eius nomine debet, vt cum non ſe obligauit.

§.Quanquam.6.

Fœmina nec ſui filij impuberis tutor aut curator eſſe poteſt, niſi hoc ſpecialiter à principe impetrauerit. *l. vlt. de tutelis.* vel niſi certis conditionibus: hodie ex conſtitutione Valentiniani. *l. 2. Cod. quando mul. tut. offic. fungi poſſ.* at regulariter mater nec filij ſui tutor eſſe poteſt, negotia tamen eius adminiſtrare non prohibetur. negotia eius adminiſtrare poteſt, non tamen temerè aut paſſim, ſed ſi fortè pater ea ex teſtamento commendauerit, aut commiſerit matri, vt fit plerumque pietatis maternæ fiducia, at tutorem aut curatorem teſtamento dare pater non poteſt, negotia tamen filij communis ei committere & iniungere potuit, alioqui mater non habet ius adminiſtrationis in rebus filij ſui impuberis *l. filia. in fi. D. de ſolut.* ſed ex ſuprema voluntate patris habet ius adminiſtrationis rerum filij, denique inter matrem & filium non poteſt eſſe iudicium tutelæ vel curationis.

§.Vno defendente.7.

Huius §. vltimi ſpecies hæc eſt, lis eſt de ſeruitute aquæ hauriēdę, vel ducendæ, quæ eſt communis mihi & tibi, quia debetur fundo communi mihi & tibi, tu eam litem defendiſti ſolus aduerſus vicinum, & affinem qui negabat eam ſeruitutem deberi, & cauſam obtinuiſti, tu igitur negotium commune geſſiſti, quæritur an ſumptus in litem factos, neceſſariò & probabiliter à me repetere poſſis, pro parte negotiorum geſtorum iudicio. nam in hac actione veniunt tantùm ſumptus neceſſarij & probabiles, vt vidimus ſ. in §. qui aliena, at videntur in hac ſpecie non venire ſumptus quos tu in eā litem feciſti, quia ſententia dicta eſt tibi, qui cum litem feciſti, id eſt, defendiſti. non mihi qui ceſſaui: ergo non videris geſſiſſe rem cōmunem: ſed hoc Papinianus negat, quia non dicta eſt tibi ſententia: ſed fundo communi, cui debebatur ſeruitus aquæ, non tibi, vel mihi, & ratione fundi viciſti, non minùs mihi quàm tibi viciſti. *l. eas. §. ſi fund. D. ſi ſer. vin.* ergo æquū eſt litis ſumptus eſſe communes, quia victoria eſt eorum.

l.Fideiuſſor.32.

Libellus dicitur fruſtratorius, quando actio ineptè eſt propoſita, & ex tali libello non rite concepto debet ſequi ſententia abſolutoria. adde *l. 3. C. de interdict.*

l.Hæres.33.

l.Neſennius.34.

Is fuit Iuriſconſulto Paulo familiaris. *l. Neſennius. D. de re iud.*

l.Diuortio facto.35.

l.ſi liber homo.36.

Liber homo qui mihi bona fide ſeruiebat, cùm rem meam agerēt, mutuam pecuniam ſumpſit ſuo nomine, eámque vertit in rem meam, quæritur cognita conditione ſua, ſtatu ſuo, ſi vindicauerit ſe in libertatem quâ actione eam pecuniam ei reddere debeam quam ipſe debet creditori: neque enim teneri eo nomine videor actione contraria negotiorum geſtorum, quamuis eam verterit in negotia mea, quia non quaſi amici, vt ait, vt procurator voluntarius, qui & amicus voluntarius dicitur à Cicerone pro Cecinna, cui propriè competit actio negotiorum geſtorum, non, inquam, quaſi amici: ſed quaſi domini negotium geſſit, non ſua ſponte omnino. ſed quaſi ex neceſſitate ſeruili, ideóque videbatur ei non eſſe danda actio negotiorum geſtorum, at nihilominus Paulus cenſet dandam ei eſſe actionem negotiorum geſtorum, ſi non directam, attamen vtilem, vt rectè Odofredus ſentit hic, qua ſcilicet eam pecuniam recipiat, cuius nomine obligatus eſt creditori, à quo mutuatus eſt non ſolui. Adde Bartolum in *l. ſoluam. verſ. nomine. ff. de pignorat.*

Quaſi amici. Amici noſtri quidam plerumque ſunt, qui vltro nobis abſentibus & ignorantibus ad negotia noſtra accedunt, eáque vtiliter & fideliter adminiſtrant. *l. liberto. 31. §. pen. h. t.*

l.Litis.37.

l.Qui ſine.38.

Maximis vſuris. Vſuræ maximæ ſecūdùm Theophilum appellantur centeſimæ. *Inſt. de act. §. plus.*

l.ſoluendo.39.

l.ſi communes.40.

Ad *not. per Bart. ibi, vide eum in l. 4. §. rato. in 12. & 13. de verb. oblig.*

l.Qui ſeruum.41.

l.ſi ſeruus mei.42.

l.Cum pecuniam.43.

l.is qui amicitia.44.

Si quis extraneus amicitia paterna ductus, quam ſcilicet exercuit cum patre pupillorum, aliquid impenderit in petēdis tutoribus, vel curatoribus datis ſuſpectis poſtulandis. nā & hæc lex non agitur ſine ſumptibus, & ad hanc litem admittuntur quilibet extranei, qui ducuntur pietatis affectione. *l. 6. C. de ſuſp. tut.* & amici parentum defunctorum. vt ait *l. 2. D. qui pet. tut.* an igitur, ſi quid extraneus amicus parentum, vt pupillis de tutela proſpiceret aliquid impenderit. in id ab eis repeter, quaſi negotio eorum geſto? minimè, quia id geſſit non repetendi animo: ſed amicitiæ & pietatis cauſa, & ita hæc lex debet declarari conſtitutione Diui Seueri, id eſt *d. l. 1. C. eo.* ex quo apparet *in d. l. 1.* affectionem domeſticam accipi etiam pro ea quam extranei habent erga familiam, vel domum aliquam.

l.Quæ vtiliter.45.

l.Mandaſti.46.

l.Actio.47.

Ad ibi dicta per Gloſſam, vide aliam gloſſam ſimilem, & ibi Bart qui eam reprobat *in l. curatoris. C. de neg. geſt. vide gloſſ. in l. ex legato nominum. C. de leg.* & per Iaſ. *Inſt. de act. in §. præiudiciales. in 12. col. nu. 45.*

l.ignorare.48.

l.ſi rem.49.

Digitized by Google

Tit.6.De calumniatoribus.

In hunc titulum ſcripſit Turnebus *lib.8.aduerſ.cap.22.* de qua materia vide Archidiaconum *3.q.1.cap.fin.* Paul.*1.ſent.*

l.in eum.1.

Pro his verbis, CALVMNIAE CAVSA NEGOTIVM FACERET, Græci breuiter ita ſcripſerunt, calumniandi cauſa: nam ſic Paulus 1.ſententiarum definit calumnioſum, qui ſciens prudens negotium alicui comparat, hoc eſt, calumniator eſt, non tantùm qui criminali, ſed etiam ciuili iudicio negotium alteri ſciens dolo malo comparat.

§.Hoc autem iudicium.1.

Calumniator variis pœnis tenetur, hoc eſt, vel edicto de calumniatoribus, vel lege Iulia repetundarum, vel falſi, vel concuſſionis, vel lege Remmia.

§.Qui autem.2.

Qui accepit pecuniam, ſiue ante iudicium, ſiue poſt iudicium acceptum, tenetur edicto de calumniatoribus.

§.ſed & conſtitutio.3.

Cuius meminit Vlp. *in l.2. D.de condict.ob turp.cau.* vult autem hic §.quod qui corrumpit iudicem, vel aduerſarium, litem perdere debet, quod tamen fallit ſi bona fide tranſigat.

Imperatoris noſtri. Antonini ſcilicet *in l.2.C.de pœna iudicis, qui malè iudicauit*, cuius inſcriptio hinc emendanda eſt.

Pecuniam dare. Si quis pecuniam, vel quid aliud iudici offerat, perdit litem ex ſupradicta cõſtitutione Iuſtiniani, qua de re vide Imol. *in l. Diuus. D. de re iud.* An autem liceat mihi aduerſarium meum corrumpere, vide Bar. *in l.1.Cod.de pœna iudic.qui ma.iud.* An quando quis dedit iudici pecuniam vtrũ lis pereatur ipſo iure, vel ſit neceſſaria ſententia: An quando procurator fuit corruptus, ſuccurratur domino etiam contra ipſum procuratorem, & quid in corrumpente aduocatum dicendum ſit, vide hic Bart. An in cauſis criminalibus liceat corrumpere aduerſarium, & an pecuniæ poſſint repeti, præter hic dicta à Bart vide Bald. *in l.2. C.de abol. & in l.ſerui.C.de adult.*

§.Pecuniam autem.4.

De pecuniæ verbo, & an latiſſimum ſit, præter hic ab Accurſio dicta, adde Gloſſ. *in l.1. in verbo* TVTELAM OCCVPASSE. *ſ.de off.praef.vrb. & in §.ſed ſi quis, in verbo* REMITTITVR. *Inſt.de ſuſpect.tutor.* vide Bal. *in l.2.C.de condict.ob turp.cauſ. & in Auth.nouo iure.de pœn.iud.qui malè iud.*

l.Quinetiam.2.

Nota hic quod ille qui liberat aliquem gratis, videtur donare, ita vt hæc donatio debeat inſinuari, facit *l.ſi quis obligatus.D.de reg.iur.*

l.Et generaliter.3.

§.ſi igitur.1.

Vide Forcatulum *dial.57.nu.4.*

¶Iudex qui recipit pecuniam, vt bararetet, (ita enim loquuntur barbarè barbari interpretes) punitur, etiamſi pœniteat, & vera barataria eſt, quando aliquid datur iudici ne fiat iuſtitia, de quo vide Romanum *ſing.318.*

Siue non fecit. Conſtat ex hoc loco puniri propoſitum, licet non ſequatur effectus, hoc eſt, voluntatem etiam ſine effectu puniri, quod verum eſt quando lex ſolum affectum ſine effectu conſiderat, vide Bart. *in l.ſi quis legatum.de falſ.* vide & illud optimè quæritur, an qui occidendi animo hominem vulnerauit damnandus ſit lege Cornelia pro ſicario, damnandum ſanè ſcripſit Adrianus *in l.1.§.diuus.* quod ratione quadam nititur, nimirum quia res eſt ad actum conſummationi proximum deducta præterea qui vulnerauit, occidendi animo id feciſſe præſumitur, & delictum præſertim in atrocioribus pro completo haberi debet, vt notat Baldus *in l.1. numero 3. Cod.de adult.* Quamuis autem Salicetus exiſtimet, quod quando lex aliquem conatum punit ſicut effectũ, tunc poſſe iudicem ex poteſtate ſibi à lege conceſſa mitigare pœnam: ſed ad id non compelli, tamen in hac ſpecie ſemper in ea fui ſententia, & ſecundùm quam ſæpiſſimè iudicatum ſcio, vt exiſtimem non eſſe boni prouidique hominis, aut iudicis eum qui tantùm vulnerauit pro homicida damnare.

§.Hoc edicto.2.

Depectus is dicitur, qui turpiter pactus eſt, quaſi diceretur, tenetur edicto de calumniatoribus is qui depectus eſt.

§.illud erit notandum.3.

Sed ei dabitur petitio. Aliás repetitio, quod confirmatur libro *Baſilicω.* vbi interpretatur Græcus interpres actionem in factum, vt *l.7.eod.*

l.Hæc actio.4.

l.in hæredem.5.

Pro intellectu huius legis vide Ioannem Autpachum *lib.2.epiſt.cap.5.* collige autem ex hac lege quod actio de calumniatoribus datur contra hæredem quatenus ad eum peruenit: conſtitutum etenim eſt turpia lucra hæredibus extorqueri, licèt crimina extinguantur: cõcordat cum hac lege *Gaium. D.ad S.C.Syllan.* in ſumma vult hæc lex, quod ex turpitudine defuncti hæres lucrari non debet, & ſicut hæres non obligatur ad pœnam ex delicto defuncti: ita pariter ex delicto defuncti lucrari non debet, & ideo tenetur de eo quod ad eum peruenit: *vt h.t. & l.hæredi mĩ de dolo.* idem ait textus *in l.quod diximus. §.fin. in l.quod aut. D.quod met.cau.* idèm etiam in pupillo dicere poſſumus, qui ſicut non obligatur abſque authoritate tutoris: ita pariter lucrari non debet, vnde etiam tenetur de eo, quod ad eum peruenit *l.1.§.1. D.de autor tut. l.ſi.C.de vſucap.pro emp. §.ſin autem. Inſt.quib.alie.lic.* idem eſt etiam in eccleſia, & in bonæ fidei poſſeſſore, & quamplurimis aliis.

§.ſed etiam.1.

In hunc § vide Ioann. Autpachum *lib.2.epiſt.cap.5.* ad cuius §.intellectum ſciendum eſt actionem de calumniatoribus quantum ad ſimplum concurrere, cum condictionem ob turpẽ cauſam, & vnam per aliam tolli, vnde notabis, quod interdum condictio ob turpem cauſam competit cum actione in factum ex hoc edicto, & tunc quæritur vtrum ob condictionẽ ob cauſam tollatur actio in factum, hoc eſt, an tollatur in totum, an in parte, an in ſimplo, an in nihilo, vt in furto.

l.Annus autem.6.

In hanc legem Grammaticus *deciſion.52.* ¶Diſcendum ex hac lege quod annus in actione de calumniatoribus computatur à die ſcientiæ, actionis autem quod metus cauſa annus ab initio vtilis eſt (vnde non currit ignoranti, qui experiundi poteſtatẽ non habet) in ædilitiis verò actionibus ſex menſes omnino & paſſim vtiles, vt notant hic Cynus & Raimundus, immo & hic & illic annus in totum vtilis, vt Iacobus de Rauenna exiſtimat.

Quia hic neſcit. Nota hic, quòd donationes inſinuandę ſunt intra certum tempus, facit etiam hæc lex ad ſtatutum de Syndicis, vt maleficia intra certum terminum denuntient, de quo per Bald. hic, quod ſi donatio facta fuerit præſenti, ſtatim currit tempus: ſed abſenti aliquo recipiente pro eo, currit à die ſcientiæ, idem etiam in inſinuatione teſtamentorum dicemus: vt ſupra dixi, vide de hac materia *can.anteriorum.2.q.6.*

l.ſi quis.7.

Actio de calumniatoribus competit danti non turpiter, & ei etiam ob cuius negotium datum eſt, licet ipſe non dederit.

Licet miſericordiæ cauſa. Notandum hic eſt aliquando repeti, quod pietatis cauſa datum eſt, ſi vel delictum, vel nulla beneficij ratio in accipienti fuit, *l.6.C.de nuptiis.*

§.ſi vt filiofamilias.1.

Huius §.ſpecies eſt. Dedi Seio decem, vt Sempronii filiumfamilias accuſaret. Dicitur hic quòd patri Sempronij datur actio in factum in Seium, dicit etiam quod ſi Titius filiusfamilias accipiat pecuniam, vt alij negotium faciat, quod ipſe filiusfamilias tenetur.

§.Cum publicanus.2.

Publicanus is dicitur qui publico fruitur, hoc eſt, qui tributa vel pedagia publica colligit, emptores gabellorum publicanos appellat hic Bald.

l.ſi ab eo.8.

Actione de calumniatoribus tenetur, qui pecuniam accipit, vt deſiſtat ab accuſatione calumnioſa crimine non probato, vnde notat hic Bar. quòd iudex qui cognoſcit de crimine, ciuiliter eo competo poteſt ex officio ſuo punire criminaliter, facit pro hoc *l. Diuus. D.de re iud. & ſimil.*

l.de ſeruo.8. Et vltima.

Ad hoc allegatur quotidie hæc lex, quod ſeparatorum ſeparata debeat eſſe ratio, qua de re vide Euerardum in loco à ſeparatis. Limita autem hanc legem non habere locum in ſeparatis correlatiuis, ita Franc. Aretin. *in l.cum ei condictio. §.quoniam, in ſi. D.ſi cert.pet.* ſic in *l.ſi maritus.C.de d.n.inter vir.*

Hactenus liber 3.

l.De ſeruo.8.& vltima.

l.ſi ab eo.8.

LIBER QVARTVS.

De reſtitutionibus in integrum tractat hic liber, quæ competunt vel iure actionis, vel officio iudicis, vel ex edicto: Iure actionis, vt titulo de eo quod metus cauſa geſtũ eſſe dicetur, & titulo de dolo malo: Officio iudicis, vt reſtitutio quæ datur ratione ætatis, qua de re datur titulus, de minoribus viginti quinque annis, & de capitis deminutione: Ex edicto, vt edicto de alienatione iudicij mutandi cauſa facta.

Tit.1. De in integrum reſtitutionibus.

IN hunc titulum ſcripſit elegantiſſimè Cuiacius: in vulgata autem editione legitur, de reſtitutione in integrum. Reſtitutio autem in integrum eſt prioris ſtatus mutatio, qua de re vide gloſſam *in cap. quia de elect. eo lib.* reſtituere enim eſt aliquid reddere, & in priſtinum ſtatum reponere. *l.75 reſtituere. D. de verb. ſig. l. prætor. l.20. l. quæ reſtituere. 68. D. de rei vindic. l.2. §.27. D. de quod. mino sub.* Paulus *1 ſentent. cap.7.* Di nouis *l. pecca. ex ext. de regulam.* An autem reſtitutio in integrum concedi poſſit motu proprio iudicis, vide Rom. *ſing.465.* & vide etiam quæ notat Bart. in *Rub. D. de min.*

¶Reſtituere tamen aliquando ſumitur pro exhibere: vt *Inſt. de off. iud. §. ſi ad exhibendum.* & eſt apud Paul. *l. ſi reo. §. ſi raſta. D. ad exhib.* reſtitutionis autem & reſtituendi verbo quid contineatur vide Harmenop. *lib.1. tit.12. §.78.* *l. non ſolum. 6. D. de reſt. in integ. l. vlt. §. vlt. D. de verb. & rer. ſig.* & *l. reſtituere. 30. §4. & ſeqq. eis.*

l. Vtilitas. 1.

¶Commendatur hic vtilitas huius edicti, quæ multifaria eſt: prætor enim hoc edicto ſubuenit hominibus, vel lapſis, vel circumſcriptis, ſiue metu, ſiue calliditate, ſiue ætate, ſiue abſentia inciderunt in captionem.

Circumſcriptis. Circumſcriptio adoleſcentium lege Lætoria puniebatur, qua de re Cicero 3. *officior.*

¶Quæritur autem hic, an ratione erroris competat hæc in integrum reſtitutio, qua in re diſtinguendum eſt, aut enim error eſt communis, aut ſingularis: ſi ſit communis, ſine dubio conceditur in integrum reſtitutio. *l. quæſitum. D. quando actio de peculio ſit ann.* Sed ſi ſit error ſingularis, tunc iterum diſtinguendum eſt, nam aut eſt error partis, aut iudicis. Si ſit error partis, tunc non conceditur in integrum reſtitutio: ſed ſi ſit iudicis error, tunc diſtinguitur: aut enim error eſt affectatus, & conceditur in integrum reſtitutio, aut nõ eſt affectatus error, & tunc non conceditur in integrum reſtitutio: ſed læſus appellat ſi vult, alias ſtabitur ſententiæ.

l. ſiue per ſtatus. 2.

Reſtitutio quandoque fit per ſtatus mutationem, aut iuſtum errorem. reſtitutio autem ex iuſto errore quando detur, vide exemplum *in l.7. in fin. ſ. eo. & in l. pen. ſ. de conf.* quaſi diceret hoc loco Paulus reſtitui eos qui per ſtatus permutationem, vel iuſtum errorem capti fraudatiue ſunt.

Status mutationem. ¶Status permutatio eſt capitis minutio *l.1. D. de cap. min.* at per cauſam ſolius capitis minutionis, non is qui capite minutus eſt reſtituitur: ſed creditori in debitorẽ capite deminutũ actio reſtituitur, videlicet ſi minima fuerit capitis minutio *l.* hæc enim in eos qui maximam, aut mediã capitis deminutionẽ paſſi ſunt, actiones reſtitui poſſunt: verum ob iuſtum errorem datæ reſtitutionis exemplum eſt in *§. ſi quis ag. Inſt. de act.*

¶An autem reſtitutio locum habeat aduerſus libertatem, pluribus declarat hic Gl. dum tandem concludit nõ habere locum, ratio eſt, quoniam cum ſes mutat ſtatum, nullus reſtitutioni locus eſt. *& in l. ſi ex cauſa. §. Papinianus. D. de minorib.*

l. Omnes in. 3.

Reſtitutio in integrum conceditur cognita cauſa, an iuſta ſit & vera: hinc igitur colligere poſſumus reſtitutionis cauſam iuſtam, ac veram eſſe debere.

Cauſa cognita. ¶His verbis oſtendit Iuriſconſultus neceſſariam eſſe partis præſentiam, vel vt ſit contumax *in l. au cauſa §. cauſa cognita. D. de mino.* dicitur autem hic, quod reſtitutionis concedendæ cauſa debet eſſe vera & iuſta copulatiue non disiunctiue, vt hic poſt Buttigarium ſcribit Albericus aduerſus hanc Gloſſam.

¶An cauſa vera poſſit eſſe non iuſta, quærit hic Gloſſ. & Bart. An quis reſtitutionem petit cauſam allegare & probare debeat, declarat hic Bald. ſed de his plura vide apud Socin. *conſ.247.*

¶An in poſſeſſorio lis conteſtari debeat, Bald. hic.

A prætore. ¶Quoniam magiſtratibus municipalibus ſuo iure non competit ſine ipſo mandato præſidis. *l.26. §.1. D. ad municip.*

l. Scio. 4.

In hanc legem Forcatulus *miarij cap.21.* Dicitur autem hic reſti[illegible] propter minimum non dari, *l. ſcio. D. de in integ. reſt. i. fol.193. nu.88. repet.5. & fol.253 num.60. repet.2.*

¶Pro modica læſione non datur reſtitutio. De intellectu huius textus, latè contra communem per D. *in ad cap. de appellat. exib. coll. pen. ext. de appella.* Gomeſ. *Inſt. in. de act. ad §. penulti. 2. col. in ſ.* Annibal de Cano. *ad l. poſt contractum nu.88. D. de donat.* Corraſ. *ad l. per liberati. 1. parte nu.6. D. de ritu nup.* Petr. Immo. *lib.3. concluſ. & reg. iter. iur. concluſ.30.*

l. Nemo videtur. 5.

Hoc vult hæc lex, quod nemo videatur excluſus quem prætor in integrũ reſtituturum pollicetur, quia in re conuenit. *l. Labeo. 14. §.1. rem an. reſſ. D. de verb. ſign.* rem enim non amiſit qui actionem habet ad eam recuperandam, vel vt hic dicitur, cui actio à prætore reſtitui poteſt.

¶An in integrũ reſtitutio concedi poſſit motu proprio iudicis, vide Rom. *ſing.465.* quædam etiam notat Bart. in *Rub. ſ. de minor.*

l. Non ſolùm. 6.

Vide Bartol. *in l.1. de conſtit. princip.* ibi Specul. ad hanc ſolutionem col.2. & illo habes pulchram doctrinam *in verſ. priuil. gie.* Nota hic quod beneficium reſtitutionis ad hæredes, & cæteros vniuerſales ſucceſſores tranſit, quod tamen declara vt per Bart. in *l. paterfamilias. ſ. de priuileg. cred.* Hæc tamen lex fallit in caſu ſingulari *legis primæ. Cod. de ſent. aduer. ſiſc. lat.* & ad intellectum huius legis, vide Ang. *in §. ſi quis. verſ. ſin. Inſt. de action.* Paulum de Caſtro *in l. Pantonium. D. de acquir. hæred. & in l. ſi infanti. C. de iure delib.* vnde notat Dynus quod vbicumque quis iuris ſucceſſor efficitur, ibi beneficium reſtitutionis in integrum in eum tranſeat.

Vt Iulianus. lib.3. Alias citatur *l.2. Iulianus.* vt Bart. hic. Obiter autem notabis hic minorem ætatem ingratitudinis vitium non excuſare.

¶An conſenſus in principali ad acceſſorium porrigatur: An omnis terminus legalis officium ſuum operetur: An iura ſint tranſmiſſibilia: Fiſcus ſuccedens ex delicto an & quare non teneatur vltra vires bonorum. An ex priuilegio oriatur actio, vide Bald. hic Roman. *ſing.98.*

l. Diuus Antoninus. 7.

Et ob hoc more, alias & de more &c. de quo vide Duarenum *lib.1. diſputat. cap.7.* Ræuardum *pro tribunali cap.2.* Hæc autem lex ſingularis ſanè eſt, quæ interpretes noſtros in varias partes traxit, circa quam vide quæ notat Angelus hic.

Comparens poſt ſententiam latam, an & quomodo reſtituatur: An comparens per dolum aduerſarij appellare poſſit, vide hic Bald. An ſolemnitatis omiſſio vitiet actum: An cum petitur reſtitutio in integrum neceſſariò ſit libellus, litis conteſtatio, & ſimilia: ſignanter notat Bartolus hic. In fine tandem notabis (quoniam hic de contumace loquitur) duplicem eſſe contumacem, verum aut fictum. verus contumax dicitur qui nuntio extra iudicium dixit ſe nolle venire, fictus verò qui non inuentus fuit, cui opponitur veriſſimus, qui inuentus negat ſe venturum. Quis autem contumax teſtari poſſit, dubitatur. Ioannes enim putat verum, at Azo fictum, & male, vt optime notat hic Bart.

§. Nec intra has. 1.

Deceptis ſine culpa, maximè ſi fraus ab aduerſario interuenerit, ſuccurri oportet. nota præterea quod boni prætoris eſt, litem reſtituere potius, vt & ratio & æquitas poſtulat, quàm actionem famoſam inſtituere, ad quam ſanè tunc demum deſcendendum eſt, cùm remedio locus eſſe non poteſt.

¶Actionem famoſam inſtituere. Vide Ciceronem *pro Quintio*, veriſimile eſt omnes alias actiones prius moturum fuiſſe, quàm ad actionem famoſam peruenturum.

l. Inter minores. 8.

Pro intellectu huius legis vide Dopeanum *lib. ſ. ſelect. c.43. & 44.* & eſt melius Ræuardus *lib.5. varior. c.8.* Ad ibi dicta per *gl. in fin. verb. verum contumacem.* vide Aret. *in l. qui Romam* [illegible] *de verb. oblig.*

Notatur autem hic differentia inter minores viginti quinque annis, & eos qui Reipublicæ cauſa abſint, quam vide.

¶An & quot ſint abſentiarum genera, notatur hic à Bartolo, qua de re vide Felinum *in cap. cum Bertholdus. extra de re iudicata.* An & qualiter ſubueniatur abſenti ex cauſa probabili ac neceſſaria, plene vide Innoc. & Doctor. *in cap.2. ex. de probat.*

Tit.2. Quod metus cauſa geſtum erit.

Vulgatæ editiones habent. De eo quod metus cauſa.

¶In hunc titulum ſcripſit Cuiacius, vbi de metu nonnulla: Verum hoc titulo de ea ſpecie tractatur, cum quis reſtitui in integrum petit, quia vi metuve coactus ſit aliquid facere.

Metus cauſa. ¶Quod metus cauſa geſtum eſt, prætor ratum non habet: metus autem eſt inſtantis periculi vel futuri cauſa mentis trepidatio, vt in *l.1.* Videbimus: nec eſt neceſſarium periculum eſſe præſens, dummodò metus ſit præſens de futuro periculo, de quo alio loco dicemus. ¶Quis dicatur iuſtus metus, & an ſufficiat terror armorum, vide Alex. *conſ.266.* An metus allegari poſſit per eum qui dedit cauſam metus, vt [illegible] *cap. cum* [illegible] *ex. de emp.*

l. Ait prætor 1.

Pro hac lege intelligenda, vide Me[illegible] *lib. 2. [illegible] ſ. 135. cum ſeq.* Continetur autem hac lege [illegible] hoc modo conceptum. Quod metus cauſa geſtum erit ratum non habebo, cuius etiam edicti mentio fit in *l. interpoſitas. 13. C. de tranſact.* Quamuis autem Rubrica hæc [illegible] mentionem facit, hæc tamen [illegible] definitionem vis [illegible] ponit eiuſque [illegible] enumerantur hic à Gloſſa [illegible] quæ imponit neceſſitatem contrariam voluntati [illegible] quod non faceret, ſi eſſet liberi arbitrij: Aut expulſiua quæ inducit interdictum vnde vi, aut ablatiua quæ inducit actionem vi bonorum raptorum: *vt l. 1. § 4. D. de vi & vi arm.* Aut turbatiua quæ inducit interdictum vti poſſidetis: Aut inquietatiua quæ inducit interdictum quod vi aut clam. ¶ Metus an & qualiter purgetur per tacitum conſenſum, vide Innoc. *ex. [illegible] de reg.*

l. Vis autem. 2.

Vis definitur hic maioris rei impetus qui repelli non poteſt: aliter tamen legitur in Paul. *recept. ſent. lib. 1. tit. 7. § 7.* Ariſtot 3. *Ethi.* Quomodo autem definiatur hic vis, vide Gloſſ. cui conſonum eſt quod initio legis, *Si ex re. 31. D. de act. empt.* dicitur nempe aduerſus vim partam cuſtodiā proficere, vis enim non ſolum eſt torquere, & in carcerem detrudere: verum & præter animi ſententiam quempiam cùm maxime propter ætatis fragile, ac infirmum cōſilium voluntatis ſuæ dominus non eſt, ad contractum hortari & impellere, *l. qui in carcerem. 22. D. h. t. & l. 1. § perſuadere. D. de ſeruo cor.* De vi déque eius diuiſione. vide Cuiac. *lib. 1. obſ. 10.* quot modis committatur, vide Dec. *in l. quo tu te. §. vi factum. de reg. iur.* vnde dicta, vide Al[illegible] *lib. 1. parer. c. 28.* & quot iure accipiatur, vi de eundem *d. l. 1. parerg. c. 33.*

l. Continet. 3.

Dicit hoc loco Iuriſconſultus edicto prætoris, vim & metum contineri, quamuis in eo nulla de vi mentio fiat, ita vt ſi quis vi compulſus fuerit hoc edicto reſtituatur. ¶ Quæritur autem hic, an in maleficiis licita ſit compoſitio, qua de re Guillel. hic.

§. ſed vim. 1.

Quotieſcunque de vi loquimur, intelligimus de atroci, & de ea quæ aduerſus bonos mores fit, non autem de ea quam magiſtratus recte infert iure licito: in atroci autem vi ineſt dolus: *vt l. 1 §. atrocem. D. de vi & vi arm.*

Iure licito. Nota hic quod iniuriam quis non infert, qui ius exequitur. *l. iniuriarum. D. de iniur.*

l. Ego puto. 4.

In hæc & ſequētia reſponſa recte Ariſtot. *lib. 3. Ethic. c. 6. 7. & 8.* vbi copioſe diſſerit, quarum rerum metus ſit admittendus, vel non.

l. Metum. 5.

Ad intellectum huius legis Sarmientus *lib. 1. ſelect. cap. 2.* Zoannetus *rerum quotid. cap. 44.*

Quarum rerum metus admittendus ſit, vel non: vide Ariſtotelem *lib. 3. Ethicor. cap. 6. 7. 8.*

Metus intelligitur, qui cadit in conſtantem virum, adde *cap. ad audientiam. & cap. cum dilectus, & per totum ti. ex. his quæ met. cau.* Ad cuius declarationem vide Marſil. *ad l. 1. § præterea colum. 3. cum duabus ſequent. ff. de quæſt.* Tiraqu. *ad leges connub. parte 9. numero 160.* Fortuni Garſ. *in tractatu de vltimo fine vtriuſque iuris, num. 472.*

Verbo Malitatis vſus eſt Labeo loco calamitatis, perantiquo quidem & inuſitato, apto tamen ad ſignificandam energiam maioris mali.

l. Metum autem. 6.

Non de quolibet metu loquitur edictum hoc: ſed de eo tantùm qui in conſtantem virum cadere poteſt.

In hominem conſtantiſſimum. Florentini Pandectę, In homine conſtantiſſimo. de reliquo vide Sarmient. *lib. 1. ſelect. c. 2.* Zoann. *rer. quotid. c. 44.*

l. Nec timorem. 7.

In hanc legem Fornerius *lib. 2. ſelect. c. 11.*

§. Proinde. 1.

Pœnæ metus variæ ſunt: interdum enim metus illatus punitur ex ſententia, & verbis huius edicti, interdum ex ſententia tantùm, interdum ex conſtitutionibus, interdum ex reſponſis prudentum.

l. Iſti quidem. 8.

Rem ſignificari Proculus ait. Res in hac lege pro ſubſtantia accipitur, vt optime notat hîc Alciat.

l. Rei. 5.

In hanc legem Corraſ. *ad l. naturaliter. §. nihil commune. pag. 197. ſup. de acq. poſſeſ.* Rei appellationem latiorem eſſe quàm pecuniæ ait, qua de re in l. pecuniæ verbum, 178. in h. t. dicemus: ſed obiter notabis, quod pecuniæ ſignificatio ad ea refertur, quæ in patrimonio noſtro ſunt.

Quæ in patrimonio. Hæc eſt differentia pecuniæ, & rei quoniam pecunia dicitur mea quæ eſt in patrimonio meo, res verò mea quæ eſt, etiam extra meum patrimonium, ſic res mea dicitur (vt teſtatur Horatius) cum vicini paries ardet. patrimonij autem appellatione continētur ea, quæ continentur bonorum appellatione.

§. Opere. 1.

Quidam C. habent Legato: ſed quoquo modo legatur, nihil refert, huius autem legis ſenſus hic eſt, quod operis faciendi debitor, niſi perfectionem operi addiderit, non liberatur, vt & patris præſtatione. nam obligatio facti indiuidua eſt *l. 139. in fi. inf. eo* interdum tamen operis vocabulo cœptū, non perfectum intelligitur. Quid autem ſit *apoteleſma* & *ergon*, optimè explicat hîc Alciatus.

l. Nominis. 6.

Nominis appellatione continetur quodlibet nomen, id eſt, debitum, rei verò nomine ſignificatur etiam nomen, complectuntur etiam hæc verba quodlibet debitum, & quamlibet obligationem. coniunge autem hanc legem cum *l. 4. nominis. h. t.* vnde Horat. Epiſt. *lib. 2.*

Centos nominibus certis expendere nummos.

Quid & quot ſignificationes habeat verbum Nomen, vide hîc Alciat.

Et rei. An ſpeciali ſignificatione, res aliquando ſit accipienda, an iura contineantur rebus meis legatis, declarat hîc Alciat.

§. Verbum. 1.

Verbum ex legibus accipiendum eſſe, ait hoc loco I.C. tam de verbis legum, quàm de ſententia, id eſt, ex legibus eſt, non tantum quod eſt ex verbis: ſed & quod eſt ex ſententia, vt non tantum actio directa eſt ex legibus ſed etiā actio vtilis, huius rei exemplum deſumi poteſt, *ex l. 2. D. de iuriſdic. om. iud.* vbi ſi quis edictum prætoris publicè propoſitum corraſit, tenetur actione populari albi corrupti ex verbis edicti. quod ſi edictū propemodum corraſit, & ait illa lex ex ſententia edicti, hoc eſſe, vt teneatur etiam ex edicto, quod ex ſententia legis eſt. Quintil. 3. *Inſt. 6. & 7. c. 7.*

Quid differat mens, ſententia & ratio legis, vide hîc Alciat. num. 12.

l. Sponſio. 7.

Sponſio non tantum appellatur, quæ fit per ſponſum. i. quæ fit hoc verbo ſpondeo, ſanè non loquitur de ſponſalibus, hoc eſt, de promiſſionibus nuptiarum: ſed de ea ſpōſione quæ fit hoc verbo ſpōdeo, & propriè ſpōſio eſt quæ fit ita, verum etiam ſpōſionem eſſe ſi fiat alio quolibet verbo, vt fideipromittis, fideipromitto, fideiubes fideiubeo: quæ tamen ſi proprietatem ſpectes, diſtinguenda ſunt in lib. ſent. Paul. tit. de fideiuſſ. & ſponſo, denique ſponſor eſt quocúmque verbo interrogetur, etiam ſi d.[illegible] ſpondeo.

Spondere eſt dicere ſpondeo à ſponte. nam id valet, & à voluntate, vnde ſpondet qui dicit ſua ſponte, ſpondeo, ſpondet etiam ſponſor qui idem, vt faciat obligatur.

Per ſponſi interrogationem ſit. Ex hoc loco ſatis conſtat ſponſionem tantum de ſtipulatione dici.

l. Verbum. 8.

Quidam, oportet, legendum eſſe exiſtimāt, quod probatur à quibuſdam, ſed ſi ita ſit, obſtat *l. 76. §. 1. & l. 125. D. de verb. oblig.* vt exēpli gratia finge locari colono prædium in quinquennium, poſt triennium egi cum eo ex locato, hoc modo quidquid te mihi dare, facere oportet his verbis, id tantum in actionem deducitur, quod præſenti die debebatur, futura obligatio non deducitur, niſi adiiciatur, verbum oportebit. Verbum ergo oportet præſens tantum tempus ſignificat non futurum: idem etiam dicendū eſt de verbo erit, & verbo abſtulerum de verbo peruenerit, *v. l. 40. in fi. & l. 83. D. de leg. 3.*

§. Actionis 1.

Quod actionis verbo non cōtineatur exceptio, obſtat l. 1. §. ait prætor. D. de dolo, cuius edicti verba hæc ſunt: Si alia actio nō erit de dolo, iudicium dabo. quod ſi nō ſit actio, ſed exceptio ſit, qua quis ſe tueri uſque ſibi ſuum ſaluum ſeruare poſſit, nō dabitur iudicium de dolo. edicto igitur illo actionis verbo cōtinetur iudicium de dolo. ſic etiam in edicto de edendo actionis verbo non continetur exceptio. actor enim ſolus edit actionem, reus exceptionem allegat.

l. Marcellus. 9.

Verbo Periiſſe. ¶ Alij legunt Rupiſſe, alij Rapuiſſe, Florēt. periiſſe. quod confirmauit Baſilica, eſt etiam vitiata hæc inſcriptio, non eſt enim ex libro 5. Vlpiani ad edictum, ſed ex xv. vt & in pluribus locis paſſim in iure, verè hic res periiſſe dicuntur, quæ ſciſſæ, vel fractæ, vel colliſæ, vel vſtæ, vel corruptæ ſunt, vel quoquo modo ſublatæ à rerum natura, dubitatur autem an res diſtractæ verbo periiſſe contineantur, qua de re doctores paſſim in iure.

l. Creditore. 10.

Creditorum loco non haberi, ait hæc lex, quibus natura tantū debetur, & contra in tit. de conſtit. pecun. creditorum loco habentur, quibus natura debetur, vel natura deberi ſufficit, vt cōſtitui poſſet, *l. 1. ff. de conſt. pec.* ſic etiā in tit. de fideiuſſoribus creditorū loco accipiuntur, quibus natura debetur. nam vt fideiuſſor accedat vtiliter ſufficit: ſi vel præcedat, vel ſequatur naturalis obligatio tantum, *l. 7. ff. de fideiuſſ.* Sed hoc dicitur per quandam abuſionem, creditorum autem loco accipiūtur hi, qui exceptione tēporali repelli poſſunt, veluti pacti conuenti temporalis, creditores etiam eos ſic definit, *Harmenop. lib. 3. tit. 5. §. 61.* quem vide Alciat. *in tit. ff. ſi cert. pet. num. 7. l. creditores. & l. creditoris, de verb. ſign.* iſta lex intellig. loqui abſolutè de cred. quæ comprehend. qui eſt creditor propriè & impropriè, vide Iohan. Campeg. in artic. ille verum cred. dicatur, ille cui ex delict. & leg. aliquid debetur, in 5. arg. in fi. vide doct. *in l. 1. in pen. col. ff. ſi cert. pet. in contr.* Similiter etiā text. poteſt pōderari, vt tex. in l. creditorū appellatione. videlicet, quòd illa verba creditores accipiendos eſſe, cōſtat, eos, quibus debetur ex quacunque actione, vel perſecutione intelligūtur, de impropriis credit. quia alias ſequeretur, quòd ille qui purè eſt creditor, & numerauit pecuniam, alicuius impropriè eſſet creditor. quod non eſt dicendum contra omnes in *l. 1. D. ſi cert. petat.* Creditor ergò in diem vel ſub conditione dicitur propriè creditor, cum requirantur illa verba, ſiue purè ſiue in diem, vel ſub cōditione ex illis verbis creditores accipiendos eſſe conſtat. ſed reſponde quòd tex. in d. l. ſi creditores, & in hac l. creditores. loquitur, tam de proprio quàm de improprio, & ſic illa verba creditorum, & creditores generaliter de proprio & improprio intelligi debent.

l. Credi-

Digitized by Google

l.Creditorum.11.

Probat iſte textus quòd creditor dicitur ille, & propriè, cui debetur ex delicto vel ex legato, conſiderando illa verba in primis creditorum appellatione, quæ de proprio creditore intelliguntur, per verba ſequentia, qui pecuniam crediderunt, quia alias ſequeretur, quod ille qui mutuat pecuniam impropriè, diceretur creditor, quod non eſt dicendum, intelligendo illa verba creditor appellatione de improprio creditore. Cùm ergo text. ille loquatur de proprio creditore, & in fi. dicat omnes quibus ex qualibet cauſa debetur, appellatione creditorum accipiendos eſſe. Ergo & propriè hi quibus ex cauſa delicti vel legati debetur, propriè creditores dicuntur.

Nunc videamus quis ſit propriè creditor, & certè eſt tex. clarus & apertus in l. creditor autem eſt 11. *D. de verb. ſign.* non dicitur ille, qui exceptione perpetua ſubmoueri non poteſt. Sed iſta deſcriptio creditoris propriè cadit in illo, cui debetur ex cauſa delicti, & ex cauſa legati. Ergo propriè dicuntur creditores. Et quod tex. in d. l. creditor autem is eſt: loquatur de proprio, puro & vero creditore, probo. Nam conſidero, quod in l. præcedenti, I.C. declarauerat, qui eſſent conditionales creditores, qui certè dicuntur impropriè creditores, vt tenent communiter Doct. *in l. 1. D. ſi cert. pet.* & dicuntur hi, dicit tex quibus nondum competit actio. Eſt autẽ competitura, & qui ſpeciem habent, vt competat. Et ſic in l. præcedenti expoſuerat I.C. creditor. Conditionales & impropriè ſubſequitur in l. ſeq. I.C. exponere, qui eſſet purus & propriè creditor, dicens creditor autem is eſt. Nam conſidera dictionem illam, aut quæ ponitur aduerſatiuè ad præcedentia. h.e. ſentit contrarium præcedentis clauſulæ. Tex. eſt cum gloſſ. & ibi not. Bar. in l. hoc amplius. § de his autem de damn. infect. ſed præcedentia locuta fuerunt, de improprio credit. ſequitur ergò quòd ſequentia loquantur de proprio.

l.Vt ſi cui.12.

Creditores accipimus eos quibus iure ciuili debetur, veluti ex ſtipulatu exempla locati, conducto, mutuo, vt iure honorario vel actione de conſtituta pecunia, *l. 2. §. vlt. D. de conſt. pec.*

Quod ſi ex populari actione. Malè Græci legunt pupillari pro populari, quã de re vide Cuiac. *lib. 11. obſ. c. 12.*

§.Minus.1.

Hoc pertinet ad verbum creditoris vt ſcilicet intelligatur. eum cui ſolidum ſolutum eſt creditorem manere ſi tardius ſolutum ſit, quod ſuperſit ex eo quod intereſt actio, hoc igitur ſignificat creditorem manere, cui integra ſors ſoluta eſt: ſed tardius, ideo inter vſurij petitionem ſupereſſe, quaſi ſolido non ſoluto, *l. Iulianus. 9. 1. ff. de verb. obl.* ſi igitur minus ſoluit, qui tardiùs ſoluit, rectè dicemus eum nõdum ſolidum ſoluiſſe. etiam ſi ſortem integram ſoluerit, & hoc eſt quod ait, *l. ſolidum. D. de ſolut.* ſolidum ſoluitur, non minus quantitate quàm die, id eſt, minus intelligi, non tantùm à ſumma: ſed etiam à die.

l.Mulieris.13.

Ad faciliorem totius huius legis intellectum, vide Forcat. *Necyom. dial. 21.*

Vide Alciat. hic late, vide Rip. *ad l. 2. § ſi ſpenſamu. 19. D. de priu. credit.* Stepha Forcat. *in Necyom. inr. dial. 21. nu.* 4. dicitur autem hic, quod mulieris appellatione etiam virgo viripotens continetur. Verum mulier quot & quibus modis dicatur, præter hic dicta ab Accurſio, vide Bart. in *l. ſeruis legatis. D. de leg.* 3. adde etiam gloſſ. *in can. mulier. c. 32. q. 2.*

§.Res.1.

In hac lege Briſſon. *lib. 4. ſelect. c. 23.* Conſtat autem eam rem abeſſe, quæ deperiit, & in rerum natura eſſe deſiit, ſed abeſſe etiam videtur domino ea quæ redditur domino. ſi corrupta ſit reddita, vel transformata veluti veſtis ſciſſa, vel ſcyphi colliſi, vel tabula raſa, pictura pretioſiſſima, prope enim eſt, vt videatur Res periiſſe cuius forma mutata eſt, *l. Iulianus. §. ſi quis rem. D. ad exhib.* ſic Harmen. *lib. 6. tit. 3. §. 2.* in rebus autem humanis non ſunt quatum pretium abeſt, l. ſeq. ſic etiam abeſt is, qui eo loci non eſt, quo petitur. *l. 199. inf. eod.* vel qui extra continentiã vrbis eſt.

Si corruptæ redditæ ſint. Res abeſſe dicitur, quando redditur corrupta, vel transfigurata, corruptio etenim & transfiguratio formam rei mutat, & res petita non videtur exhiberi forma mutata, *vt l. 9. § 3. ff. ad exhib.* ſic etiã reddi debitum aut depoſitum non poteſt, niſi eadem cauſa reddatur. & generaliter de hac voce Abeſſe, vide Hotoman. in tit. de verb. ſig.

Quoniam plerunque. Perperam Hotomannus emẽdat, Quanquam contra fidem omnium librorum.

Manus pretio. Vide Eraſm. Chil. *cent. 9. prouerb. 53.* vnde Virgil.

Artificum manus inter ſe operumque labores miratur.

§.Deſinere.2.

Res deſinere abeſſe tunc videtur, cum ſic redit in poteſtatem, ne amittere eius poſſeſſionem poſſimus, ſic in *l. Sequitur. 4. §. 6. quod autem. ff. de vſucap. l. qui fundum. 7. §. 7. furtiuam res. ff. pro empt.* Gell. *lib. 17.*

§.Ob hoc.3.

Res dicitur abeſſe, quæ furto ſubtracta eſt vel rapina, quod eſt furtũ improbius, ſicut *in l. ſi quis. D. de petit. hered.* periiſſe videtur res furto, quæ etiã rapta à fure abiiſſe, ſcilicet videtur res quæ furto ſubſtracta eſt, licet redierit in poteſtatem domini, ſi modo non tanquam res mea redierit, & ſic eã res abeſſe dicitur, cui pretium.

l.Labeo.14.

Scyphi colliſi. Scyphus eſt vaſis potorij genus, quo veteres vſi ſunt in cõuiuiis, qua de re Cicero 6. Verr. Plin. *lib. 33. cap. 11.* Plutarchus tamẽ in Antonio ſtatim in ipſo principio ſcyphum poſuiſſe videtur pro eo vaſe, quo vulgo Baſin dicimus, Macrob. *lib. 5. ſaturn. cap. 21.* vnde Virgilius & Sacer. impleuit dextram ſcyphus.

§.Rem.1.

Rem amiſiſſe videtur, qui aduerſus nullam eius perſequendæ actionem habet, & vnde conſtat quod qui actionem habet, ad rem recuperãdam eam amiſiſſe non dicitur, vel cui actio à prætore reſtitui poteſt.

l.Bona.15.

Bona publica propriè ſunt populi Romani, & abuſiuè bona ſunt ciuitatis, cuiuſlibet, quia in vſu publico habentur vt viæ publicæ, theatra, amphytheatra, ſtadia, loca ſacra, vel religioſa, ſed bona publica ſunt ciuitatum.

l.Eum qui.16.

Fornerius *lib. 2. ſelect. c. 22.* Coniunge autem cum hac lege *l. 12. ff. de public.* vbi definitur quis dicatur publicanus publicanum etenim hic definit Gaius, qui vectigal populi Romani cõductum habet, horum autem ordinem & numero ampliſſimum, & perſonarum dignitate potentiſſimum fuiſſe conſtat, vt ait Cicero pro Plancio.

Nam publica appellatio, Reſpublica propriè dicitur ipſius ciuitatis Romanæ, vt notat gloſſa *in cap. 2. in §. item nec de elect. in prog. ſanct. in verb.* Reipub. adde gloſſ. in 10 Authent. de hæred. & Falcid. in princip. Bart. in *Rubr. Cod. de iure fiſci.*

l.Inter.17.

Nota hic quod res religioſæ ſacræ, publicis vſibus deſtinatæ, bona ciuitatis, peculia ſeruorum ciuitatis, intèr publica habentur.

§.Publica.1.

Cuiac. *lib. 3. obſeru. cap. 31. & lib. 6. cap. 28. & lib. 7. cap.* 42. publica vectigalia propriè dicũtur, quæ ad populum Romanum, vel fiſcum, qui populo Romano ſucceſſit, redimuntur.

Vectigal portus, & venalium rerum. Aliud eſt vectigal, portus, aliud rerum venalium, & propriè vectigal rerum venalium, id dicitur quod exigitur à fiſco ob venditionem publicè proponendã, ob merces publicè proponendas, *l. 2. Cod. de iur. fisc. haſt. ſi* quod vectigal fuit mancipiorum venalium ducenteſima pars, cæterarum rerum, modo centeſima, modo ducenteſima. Tacitus *lib. 13.* Cuiac. 6. *obſ. 27. & 7. obſ.* 5. & 4. vectigal aut rerum venalium non eſt octaua & vlt. Accurſ. qua de re, vide Cuiac. *1. obſer. 28.*

Peſſimè antea légebatur piſcatorum, nam Tullius in Bruto piſcarios dixit vbi & huius verbi vi cognita emendauit piſcaria, imperito, picaria autem ſunt, in quibus pix coquitur, qua de re Plin. *16. cap. 12.*

Salinarum. Vide Cuiac. 3. *obſeru. 31.*

l.Munus.18.

Munus tribus modis dici, ait hoc loco Paulus, vno donum quod officij cauſa præſtatur, altero officium vt munera militaria veluti angariæ & excubiæ quæ qui faciunt, dicũtur milites munific. tertio modo munus ſignificat onus ciuile, quod cum remittitur muneris militiæque vacationem præſtat.

Igitur municipes dici. Municipes tantum hi propriè ſunt, qui munerum tantum populi Romani ſunt participes non dignitatum, no ſuffragiorum: porrò municipes habent Rempublicam ſeparatam à populo Romano, ſuis enim legibus vtuntur ex quo intelligitur, quid diſtent a colonis.

Tertull. *lib. de ſpectac. c.* 10. *Lipſ. l. Saturn. c.* 7. hic munificus apud Feſtũ eſt officioſus & immunis, qui nullo fungitur officio.

Et quoſdam milites munificos. Munifices ij ſunt qui non vacant, ſed munus principi, id eſt, militi principali de quo Veget. 2. c. 7. Plin. 11. c. 40. vide Budæum hic, & Pet. Fab. 1. *ſemeſt.* 17.

l.Labeo.19.

Pro intellectu huius legis vide Anton. Guibert *lib. 1. quæſt. imp. c.* 8. Bellonus *lib. 2. ſuppet. c.* 27. Explicatur autem hic quid ſit actum, contractum, & geſtum, & Labeo proprietatis verborum ſtudioſiſſimus fuit.

Et actum quidem. Actum propriè interpretatur eſſe, non verbis aut non per actum, veluti ſtipulatione, aut mutuo aut promutuo.

Contractum. Contractum eſſe rem conſenſu perfectam, vnde mutua naſcitur obligatio, vel vt ipſe ait, dicemus eſſe vltro citróque obligationem, vt in emptione, venditione, locatione, conductione, & ſimilibus, & hi propriè ſunt. Cõtractus quos ait appellari *ſinallagmata* cõtractus igitur propriè eſt, res conſenſu perfecta, vnde mutua obligatio naſcitur. vt ſi quis velut ex cõtrario cõfirmare diſtractus, ſiue acceptilatio eſt vltro citroque liberatio.

Geſtum rem. Geſtum ait Labeo hoc propriè eſſe ſine verbis rem factam: vel numerationem pecuniæ, vel quaſi ex contractu.

Græco *ſinallagmata*. Vide Alciat. 2. prætermiſſ. h. ipſo titul. & Ariſtotelem Ethicor.

l.Verba.20.

In hanc leg. VValtherus *lib. 2. miſcell. c.* 27. *Lupus allegat.* 41. An autem in teſtamento contrahi poſſit, nec ne. vide quæ notãt Gothof. ad *l.* 11. *in fi. ſ. qui teſtam. fac. poſ.* hinc autem colligere poſſumus, nec tuto nec paſſim argumentum duci à contractibus ad vltimas voluntates.

l.Princeps.21.

Princeps bona concedẽdo per reſtitutionem in integrum, videtur etiam obligationes concedere, & primum quidem ſi fuerit reſtitutio ſine indulgentia generali, vt ſi omnes exules pœna liberauerit princeps, vel etiam ſi quem exilio damnatum princeps ſpecialiter reſtituerit ciuitati & dignitati, bona eum reſtituiſſe non videtur: nec enim plena eſt reſtitutio, ergo nec obligationes ſiue actiones: ſed & bonæ & actiones, ſiue obligationes fiſco, & in fiſcum competunt, *l.* 2. *C. de ſenten. paſſ.*

l.Plus eſt.22.

Plus eſt rem reſtitui quàm exhiberi, & ideò qui rem exhibet tantum, nihilominus condemnatur in quadruplum, vel in id quod intereſt, quia non ſatisfacit arbitrio iudicis. exhibere autem eſt corporis factum præbere, reſtituere eſt poſſeſſorem facere. item reſtituere eſt damnum præſtare, ſi res deterior facta ſit: denique reſtituendi verbum continet omnem cauſam priſtinam, & hoc quidem in arbitrariis actionibus, & plus eſt quàm exhibere. exhibere enim eſt non ſatisfacere arbitrio iudicis. Interdum exhibere tantum valet quantum reſtituere: ſed non inuenio niſi vno loco ita accipi verbum exhibendi, nempe in *l. Iulianus.* §. *quantum D. ad exhib.*

l.Rei.23.

Malè inſcripta eſt hęc lex. Flor. n. eſt Vlpian. lib. 14. ad edictum reponendum eſt 13 & referenda eſt ad titulum de alienatione iudicij mutandi cauſa facta: in illo etenim edicto rei nomine non tantùm continetur corpus, ſed etiam ius, vt ſi quis iura prædiorum alienauit, *l.* 4. § *ad cura. D. de alien. iud. mut. cau. fact.* complectitur etiam rei verbum, cauſam omnẽ priſtinam quæ fit ante alienationem, non reſtituatur omnis, non extinguitur liberatio, l. ex hoc edicto. *D. eod. tit.* ſic etiam eſt in ſtipulatione rem pupilli ſaluam fore, *l.* 9. *D. rem pupilli ſaluam fore.*

l.Nihil.24.

Adde quod aliud eſt hæres, aliud ſucceſſor realis, ſecundùm Paul. *in l. tam in contract. num.* 3. *de iud.* & an appellatione ſucceſſoris veniat etiam particularis, Dec. *conſ.* 237. *in fi.* Adde quod hæreditas cum ſit quid intellectuale, nõ circumcluſiuum loco, non videtur comprehendi ſub ſtatuto diſponente de bonis, ſecundùm Alex. *conſ.* 44. *coll.* 2. *in* §. *vel.* quod tamen eget conſideratione. quare cogita.

In hunc legem VValtherus *lib. 1. miſcell. c.* 30. ait autem hoc loco Caius hæreditatem nihil aliud eſſe quàm ſucceſſionẽ in vniuerſum ius quod defunctus habuit, quaſi diceret hæres, eſt ſucceſſor vniuerſi iuris quod mortuus fuit. *l. quotiens.* § *hæredes. ff. de hæred. inſtit.*

In vniuerſum ius. Multa his verbis comprehenduntur, [illegible] omnium cõmoda, & incommoda, debita & credita, in hæc omnia hæres [illegible] dit, atque ita non tantùm ſuccedit in dominium rerum ſingularum: ſed & in nomina & obligationes tam actiuas quàm paſſiuas, aliter Cicero definit hæreditatem in Topicis quem vide. vide Bar. in Rub. *de acquir. hæred.*

l.Rectè.25.

Ait hoc loco Paulus eum fundum totum noſtrum eſſe, etiam cuius vſusfructus alienus eſt, vnde rectè quis totum fundum ſuum eſſe dicit, non tantum qui pleno iure dominus eſt: ſed etiam qui proprietatis tantum ad eum pertinet vſusfructus, ad alium proprietas quæ ſola efficit dominium, & parit vindicationem, & vſusfructus nõ eſt pars dominij, neque ſpecies, neque ſeruitutis eſt pars, id eſt ſpecies ſicut via eſt ſeruitutis ſpecies, proinde & iter eſt ſeruitutis pars, ita vſusfructus eſt ſeruitutis pars, id eſt, ſpecies, [illegible] 303. *num.* 5. Arius Pinellus *C. de bon. mater.*

§.Quintus.1.

Pars dupliciter accipitur pro diuiſo, & pro indiuiſo, [illegible] vindicari: de parte pro diuiſo dubium nõ eſt, quia per diuiſionem propriè deſinit eſſe pars, & incipit eſſe totũ, conſtat de parte pro indiuiſo ambiguum, ſed hæc etiã rectè vindicatur, ſi ſciatur quota ſit, puta tertia vel quarta, vel dimidia, *l.* 8. *D. de rei vind.* Eſt autem pars pro indiuiſo propriè pars, vt hæc lex propriè ſignificat, & cõmune eſt propriè quod pro indiuiſo commune eſt, & in quibuſdam prouinciis compaſcua appellantur indiuiſa quæ dicuntur etiam communalia, pars autem pro diuiſo eſt totum quoddam potius quàm pars, & commune pro diuiſo, & pro ſua regione cuiuſque proprium quam commune.

l.Partum.26.

Scæuola vt ait hoc loco Vlpianus, negat partum eſſe partem [illegible] tiuæ, putabat enim partum eſſe in fructu, fructus autem pars non eſt, & proinde partum poſſe vſucapi, editum apud bonæ fidei poſſeſſorem, non eo quidem apud quem editus eſt, cum ſtatim ei acquiratur, quaſi fructus ſiue fœtus pecoris: ſed vſucapi poſſe ab alio bonæ fidei poſſeſſore, apud quem non ſit editus hoc latius explicatur in *l. ſi aliena.* §. *vltim. D. de vſucap.* Veterum Marcelli aliud fuit iudicium, is enim exiſtimauit partum eſſe partem ancillæ futurum: ſed huius rei facilis ſolutio eſt. Aug. *lib.* 3. *c. vlt.*

l.Ager.27.

Agrum propriè eſſe locum ſine ædificio, ſine villa, cõparatum ad vſum hominis, declarat hoc loco Vlpianus, & quod in vrbe eſt area, id ruri eſt ager. Varro, *lib.* 4. *de ling. latin.* 8. 4. Iſidor. *lib.* 15. Orig. *cap.* 13.

§.Stipendium.1.

In hunc §. Cotta in voce ſtipulum, Cuiac. *lib.* 7. *obſeru. cap.* 3. Nota autem hic differentiam ſtipendij & tributi: nam ſtipendium infertur populo, tributum principi, vt optimè notat Theoph. in §. *per traditionem. Inſt. de rer. diuiſ.* & de hac differentia, vide Cuiac. 7. *obſ.* 3. Porrò ſtipendium à ſtipe appellatur, quod per ſtipes, id eſt, media æra colligatur, Plin. *lib.* 33. *cap.* 3. [illegible] litem ſtipendiarium, inquit, id eſt, ſtipis pondere, [illegible] penſitatio, in [illegible] licit ſtipendium, tributum etiam dici, ita vt confundantur [illegible] rum tributum dicitur à contributione collectorum, quod militibus contribuatur, igitur ſubtilis tantum eſt quædam inter ſtipendium & tributum differentia, quæ non ſemper obſeruatur, & de hac differentia vide Cuiac. *lib.* 7. *obſer. cap.* 3.

l.Alienationis.28.

Annibal. de Cano. *in rub. ff. de vſuca. nu.* 59. *nouiſ.* Arius Pinel. [illegible] *niſi triennio. C. de bon. mater. milit. fi. l.* 615. *nu.* 9. *& ſequent.* Ad gloſ. in prin. quod prohibita alienatio per L. cenſetur, prohibita etiam vſucapio, vide. Soc. *ad reg.* 13. Alex. conſ. 59 *col.* 8. *lib* 3. Afflict. *deciſ.* 13. *nu.* 4. Hæc autem lex eſt, ex lib. 21. ad edictũ Pauli cum potius referenda ſit, ad lib. 13 verum in ſumma [illegible] ditionem ſignificare, aut donationem, aut permutationem. Sed etiã interdicta alienatione interdictam vſucapionem videri, neque [illegible] vſucapi, eodem modo alienaſſe videtur, qui ſeruitutem non vtendo perire paſſus eſt, poſt litem conteſtatam, vt etiam hoc loco declaratur dominium acquiri & amitti vſucapione.

§.Oratio.1.

Oratio ſoluta eſt, quæ neque coniunctionẽ neque diſtinctionem habet. oratio ſoluta eſt quæ ad quæſtionem hæredũ pertinet, ſi quis hæredem inſtituit in hunc modum Lucius Titius P. Mæuius hæredes ſunto, [illegible] oratio ſuperior pro coniuncta accipitur. maximè ſi ſeorſim eis adiecerit aliũ cohæredem ex alia dimidia parte, *l. tripliciter. inf. h. t.* ſic quæ illi tres Mæuius, Titius, Seius, qui numerati, vel nominati fuerint oratione ſoluta, videntur coniuncti in vnam dimidiam, & re verbiſque coniuncti.

l.Con-

l.Coniunctionem. 29.

Nihil mirum eſt ſi ſoluta aliquando oratio accipiatur pro cõiuncta, cùm & coniunctam orationem aliquando pro diſiuncta accipi conueniat, vt ſi ſtipulor mihi heredíque meo dari, vel te heredémque tuum daturum, nec enim mihi heredem meum coniungo: ſe d id tantũ ago, vt vel mihi vel heredi meo tantum detur, non ſimul quidem vtrique, & ita coniunctio pro diſiunctione accipitur, ſic etiam diſiuncta pro coniunctis accipiuntur, vt in actione pro ſocio, cuius formula hæc eſt, quod pro ſocio communiterve geſtum ſit, *l.actione.§.ſi poſt.D.pro ſocio.* ibi enim diſiunctio pro coniunctione accipitur.

l.Sylua.30.

Hæc lex cum ſequenti pertinet potius ad Grammaticos, quàm ad iuriſconſultos, huius autem legis quæſtio eſt, an is cui legatus eſt vſusfructus fundi, cuius particula quædam habet ſyluam, an ſylua cædua vti poſſit, & ſanè ſi nominatim ſyluæ cæduæ conſtitutus ſit vſusfructus cædere poteſt: ſed ſi fundus vſusfructus legatus ſit, in quo ſit ſylua cędua, hoc caſu fructuarius ſylua cædua vti non poteſt, quæſtus ſui & cõpendij cauſa, ita nec vendere: ſed ad eum duntaxat modum, quo paterfamilias ea vti eámque cædere ſolebat.

§.Stipula.1.

Caius definit hoc loco ſtipulam illectam eſſe ſpicas in meſſe deiectas, primum & explent iuſtam operam meſſis, deinde cum eſt otium leguntur, ſpicas in fundo temerè deiectas Græci *calamas* vocant, in pratis eſt Sicilere cum leguntur quæ prætericrunt, quaſi diceret hoc loco Caius, ſpicas quæ poſt meſſorum terga à tenuioribus legi ſolent ſtipulas appellari, vnde Terentius in Adelphis præter hæc meridie ipſo faciam, vt ſtipulam colligam.

§.Noualis.2.

In hoc §. Alciat.*lib.2.prætermiſſ.3.* Proponitur autẽ his duobus §.definitio noualis terræ & integræ, noualem deffinit eſſe terram præciſam, quæ anno ceſſauit, quam Græci *neacni* vocant quo quidem loco legendum eſt *neatin*, vt in Baſilicis.

Terra præciſa. Malunt quidam legere proſciſſa, quæ aratro proſciſſa eſt, verum præciſa rectum eſt, hæc terra dicitur etiam vno nomine vernactum, cui opponitur terra integra: ſed etiam cruda quæ non eſt præciſa, ſic etiam veteres Grammatici inquiunt Noualis ager eſt, qui primum proſciſſus eſt, ad quam ſignificationem reſpicit Ouid.1.Metamorph.

§.Integra.3.

Integra terra ea definitur eſſe, in quam nondum pecus immiſſum eſt, rectè autem noualis terra opponitur integræ, vnde Columella lib.ſexto, dum ponit differentiam inter paſtorem & agricolam, ait agricolam gaudere ſolo ſub acto herboſo, paſtorem noualis gramuinõſo, vna recipit pecus, alia non recipit, itaque fructuarius immittit pecus in noualia, non in integras terras. nam & huius rei cauſa non habentur, & modicam etiam ſuppeditant herbam.

§.Glans.4.

Glans caduca eſt quæ ex arbore cecidit, qua de re eſt lex vnica. *D. de Glande legenda.* veruntamen hæc minus propria videtur ſignificatio, nã caducus non qui cecidit, ſed qui facilè caſurus eſt, ruinámque minatur, ſignificat. vnde & paries caducus dicitur.

§.Paſcuas.5.

Paſcua ſunt quæ paſtui pecorum deſtinata ſunt.

l.Pratum.31.

In hac lege definitur pratum eſſe, in quo ad fructum percipiendum falce opus eſt, quia paruam operam deſiderat, & ideo veteres in agricolatione primas tribuunt pratis, vnde nota hic, quod prati fructus non pertinet ad fructuarium dum pendet, neceſſe enim eſt, vt fœnum cedat, fœnum cæſum pertinet ad fructuarium, *l.ſi abſente.§.vlt.D.de vſuf.l.13.§.vlt.D.quib.mod.vſuf.amitt.* ſed non facto fœnicetio ſi deceſſerit fructuarius, an poterit hæres cædere? minimè.

l.Diuus.32.

Hæc lex licet expoſita fuerit ſupra in *l.12. vt ſi cui.§.1.minus ſoluit. D.h.t.* tamen adde quod minus is ſoluit, qui nihil ſoluit, *vt l.150.infra eo.* & qui tardius & is in quẽ amplioris ſummę cõpetit actio, *l.13.infra eo.* vel qui nõ integram ſummam ſoluit, vt ait *l.85.D.de ſolut.* In fine autem notabis quod cõparatiuum minus ſumitur aliquando pro poſitiuo, vt in hac lege videre eſt, præterea varia exempla huius rei proponit hic Accurſ. quem vide.

l.Palàm.33.

In hanc legem vide Corraſ.*epiſt.quæſt.cap* 11. & ad eius faciliorem intellectum, vtar exemplo Ædilitij edicti, quo venditores iubentur morbos, & vitia mancipiorum palàm, & rectè pronuntiare ac dicere, *l.1 & 3.ff.de ædil.edic.* palàm eſt coram pluribus. nam in eo edicto pronũtiare & dicere, idem eſt quod in xij.tab lingua nuncupare, Cum inquit, Decemuir nexum faciet mancipiúmque: vti lingua nuncupaſſet, ita ius eſto: omnis autẽ nuncupatio palàm fieri debet, id eſt coram ſeptem teſtibus, vel coram pluribus quàm ſeptem, *l.heredes.§.1.D.de teſtam.fac.poſſint.* non tamen minus quàm ſeptem.

l.Actionis.34.

Si lex alicui actionẽ indulget, & perſecutionem, & in *l.10.creditores ĩ.h.t.*

Perſecutio. In rem ſcilicet, vel in perſonam, vel extraordinaria, *l.178.§.2.inf.eod.* directa vtilis, præiudicialis, prætoria, interdicta. *l.37.ĩ.de oblig.exceptiones.l.1.D.de excep.* Actionis item vocabulo continetur interdictum præiudicium, officium iudicis, vt optimè notat Sichardus in *l. actionem 5 C. de procuratoribus,*

l.Reſtituere.35.

Reſtituere iuſſus fructum à tempore litis conteſtatæ, perceptorum nomine tenetur, & *l.20 D.de rei vindic.l.9.§.5.D.ad exhib.*

Vſucapionis cauſam & fructum. Rem reſtituit qui cauſam vſucapiendi poſſeſſionem, *l 22.ĩ.eo* fructus, partus, *l.20.D.de rei vindic.* vtilitates, *l.9.§.vlt.D.ad exhib.* omnes vtilitates, *l.81.inf.eo.* corpus rei, omnẽ rem, cõditionémque eius, *l.vlt.in fi.inf.eo.* omnem cauſam, *l.31.D.de reb.cred.* & priſtinum ſtatum reſtituia. *l.2.§.43.D ne quid in loco pub.* qua de re Harmen.*lib.6.tit.3.*

l.Litis.36.

Docet hac lege Vlpianus, litis nomine ſignificari, tam actionem in rem, quàm actionem in perſonam, & pertinet hæc lex ad titulũ de in litem iurando, quod quidem complectitur omnem actionem, & eſt iuſiurandũ in litem, quod iuratur rei, quę in iudicium deducta æſtimandæ cauſa. nam iurat aduerſarius quanti rem æſtimat, quã aduerſarius contumaciter reddere detrectat, litis igitur nomen in ea parte refertur ad omnem actionem, & ideo promiſcuè vtimur litis, & actionis appellationibus, *l.litis.D.de iudicijs.*

l.Verbum.37.

Paulus interpretatur verbum oportere, referri ad veritatem, quo ſcilicet reum damnari oportere in pretium, quanti res eſt, non quanti rem æſtimauerit iudex, ſequi enim debet iudex veritatem, non rem æſtimare ſuo arbitratu, cum tamen alia parte eiuſdem edicti, quæ cauetur, vt is qui dolo malo deſiit poſſidere, condemnetur quanti ab aduerſario iuratum fuerit in litem, & ea in parte verbum oportere pertinebit ad facultates iudicis.

l.Oſtentum.38.

Duo eſſe oſtentorum genera, declarat hic Vlpianus. quæ non eodẽ modo expiantur: ſed alia expiantur maioribus hoſtiis, alia luſtrationibus, Liuius *lib.2.& lib.27.& 41.* ſic etiam ius pontificum docuit, duo eſſe portentorum genera, vnum eſt ſi quid contra naturam factum ſit & genitũ, et Græci interpretes eleganter differentiam faciunt inter factum, & genitum, hac ratione, ſcilicet vt gigni dicatur contra naturã, equus biceps aut puer quadrupes, fieri autem veluti puer cum elephantino capite, atque ita ſcite oſtendunt quid differt genitum à facto, quæ duo verba accuratè etiam diſtinguunt Theologi.

l.Subſignatum.39.

Subſignandi verbum iuris pontificij eſt & ciuilis, accipitúrque pro ſubſcribere, vt hæredibus ſubſignarentur, id eſt, ſubſcriberentur ſeriæ & ceremoniæ, ſic veteres inquiuntur Feſtus in verbo ſignare, antiqui ponebant pro ſcribere, vt conſignare, & ſignare pro ſcribere, & conſcribere, antiquum igitur eſt ſubſignandi verbum antiquum deteſtandi verbum pro denuntiatione, & contra etiam Feſtus reſignationis pro reſcriptionis.

Digitized by Google

§ Bona. 1.

Bona accipienda ſunt deducto ære alieno, & huic coniunge *l. 72. D. de iure dot. l. 2. §. 1. ff. de collat. l. 6. C. ad leg. Falcid.* in eo autem differt ab hæreditate, quoniam bonorũ vſufructu legato æs deducitur ex omnibus rebus, *l. vlt. D. de vſuf. leg.* hæreditate vero legata non deducitur, *l. 104. in fi. ff. de leg. 1.* quia poſſunt in hæreditate eſſe onera, & ita bona & hæreditas diſtinguuntur in *l. 83. ff. de leg. 3. & in l. 16. §. 1. ff. ad Treb.* in fine tandẽ nota quod collatio bonorum fit etiam deducto ære alieno.

§. Deteſtari. 2.

Deteſtari eſt vetus pontificum verbum, rectè Seruius ſcribit lib. 10. de ſacris deteſtandis, Gellius etiam lib. 6. c. 12. citat Seruiũ dicto loco, Paulus itaque hoc loco ait deteſtari eſſe abſenti denuntiare, deteſtari ſacra interpretamur eſſe abſenti denuntiare teſtibus computatis aut comparatis, ſic etiã deteſtari in xij. tab. accipitur pro denuntiare abſenti cum omnibus hæredibus & legatariis, quibus tanta pars bonorum relicta eſt quanta hæredibus, & hi qui vſucæperint plurimum bonorum defuncti, vt Cicero ait ſecundo de legibus.

l. Deteſtatio 40.

Deteſtatio definitur hic denuntiatio facta cõteſtatione cum teſtibus, vide autem in hunc locum Alciatum, vbi agit de teſtatione, nuntiatione, denuntiatione, obnuntiatione, anteſtatione, coteſtatione, renuntiatione, proteſtatione, & eorum effectibus, qua de re adde Cuiac. *3. obſ. 16.* vbi de anteſtatione tractat, deteſtatio etiam authore Feſto, lib. 13. dicebatur cùm Deus teſtis in deteriorem partem vocabatur, inuenitur & apud Gellium *lib. 10. c. 27. deteſtatio ſ...*

§. Serui. 1.

Serui appellatione continetur etiam ancilla, & è conuerſo ancillæ appellatione ſerui non continentur, *l. ſeruus. ff. de leg. 3.* quod ſane obſeruãdum eſt, etiamſi vtriuſque eadem ratio ſit, vnde ſeruis legatis ancillę etiam continentur ex proprietate ſermonis, nomẽq; cõmune eſſe in ſubſtantia, licet non ſit in prolatione ſermonis interpretatur Angelus in *l. quicunque. C. de ſeruis fugit.* verba etenim generaliter accipiẽda ſunt, quatenus ex vi ſermonis inferre poſſunt, idem etiam de dictione filij, qua continentur etiam filiæ.

§. Familiæ. 2.

Familiæ appellatione contineri declarat hac lege Vlpianus non tantùm ſeruos: ſed & liberos homines, liberos ſcilicet, qui ſunt nobis in miniſterio, vel mercenarij, qui mercede nobis operas præbent. Dubium autem hic facit, quoniam familia ab Oſco verbo Famuli deducitur quo ſeruum ſignificat, atque ideo de ſeruis propriè dici debuit, non autem ad filios, vel etiam liberos homines trahi: ſed tamen vſus aliter obtinuit, qua de re plura dicemus in *l. pronuntiatio. 195. §. 1. familiæ. ff. h. t.*

§. Vnicus.

Poſtremo adiicit familiæ appellatione non contineri vnicum ſeruum, nec duos ſeruos, ſignificat tres facere familiam, ſicut tres collegium faciunt in *l. Neratius. inf. a hoc tit.* hac opinor ratione is cui legatur familia, vel optio ſeruorum, tres tantum eligere poteſt, *l. 1. ff. de opt. leg.* frugalitas enim veterũ tribus contenta fuit ſeruis, memoriæ proditum eſt de Catonis frugalitate, qua de re meminit Valer. lib. 4.

Ne duo quidem faciunt familiam. Immo duo vel vnus faciũt familiam, *vt l. 2. § 6. ff. vi bon. rap. l. 1. §. familiæ. ff. vnde vi.* & Cicero pro Cecinna, verũ facilis eſt ſolutio, ſi verba vniuſcuiuſque edicti inſpiciãtur, qua de re Cuiac. in Paul. Recep. *ſent. lib. 5. tit. 6. §. 3.*

l. Armorum. 41.

Armorum appellatio non tantum ſcuta, & gladios & galeas ſignificat ſed & fuſtes & lapides, Angeli autem ſententiam ſequi hic non poſſum, improprii dici exiſtimantis quæ ſolum deffenſionis cauſa parantur, id enim à Iuriſconſulti noſtri mente ac ſententia procul abeſt, non tamen negauerim ex ſubiecta materia armorum appellationem, aliter quandoque aſſumi, vt in Iuſtiniani conſtitutione de armis, qua fabricenſibus prohibet, ne arma priuatis hominibus vendant, intelligitur in de his quæ militantibus vſui eſſe poſſunt, quoniam id publicæ ſecuritatis cauſa conſtitutum fuit.

l. Probrum. 42.

In hanc legem Forcatulus *Necyom. dial. 24.* Probrum autẽ & opprobrium idem eſt ſicut infamia, & flagitium idem eſt, & Cicero hanc legem explicans, vſurpat probri & opprobri vocabulum. nam debemus, inquit, probrũ audire, & Feſtus probare eſt probrũ obiicere itaque infamiã, vel flagitium, vel probrum obiicere idem eſt, eſt igitur probrum vel opprobrium, ſi quis dicat furem eum eſſe, qui nõ eſt l. item apud. *§. vlt. ff. de iniur.* nam ſi fur eſt, non eſt probrum, vel opprobrium.

l. Verbo. 43.

In hanc legem Forcat. *in pen. iur. c. 3.* plerique autem exiſtimant verbum viuere ad victũ ſolum pertinere. Sed obtinet ſententia opinantiũ ad veſtimẽta & ſtramẽta pertinere, quia ſine his viuere nõ poteſt, eodẽmque verbo cõtineri, quidã exiſtimant, cibum, potum, veſtitutum, ſtratum: patet autem hoc loco quod victus vocabulum, latius patet quam diarij & cibarij, *vt l. 225. de alim. & ciba. leg.* educationi autem victus exæquatur, vt ait *l. vlt. ff. de alim. & cib. leg.* hac de re vide Vallam. eleg. *lib. 6. cap. 6.*

l. Et cætera. 44.

Victus appellatione ſignificantur ea omnia quibus tuendi, curandiue corporis gratia vtimur, tuemur etenim corporis vitaq; eſu & potu, *vt d. l. 43.* veſte, *vt l. 21. §. de alim. & cib. leg.* Quæritur autem hic an & Pharmaca contineantur, vide Rebuffum in tractatu de ſententiis prouiſionalibus, *artic. 1. gloſſ. 5.* Sed ſi quis fortè de victu tranſigit, tunc fauoris cauſa nec de habitatione, nec de veſtiario tranſegiſſe legatarius intelligitur, *vt l. 8. §. 12. ff. de tranſact.*

l. In ſtratum. 45.

Iuriſconſultus videtur diſtinxiſſe ſtratum à victo, dicit enim victus nomine etiam contineri veſtem non ſtragulam, contineri etiam indumẽta, & *in l. veſtis. ff. de aur. & argen. leg.* victus (inquam) appellatione continebitur veſtis non ſtragula, id eſt, indumentum, & omnis veſtis quæ iniicitur, ſicut ait hoc loco, omne pallium quod iniicitur *periſtroma*, aliud eſt pallium *periſtroma*, aliud pallium, quod habetur induendi cauſa, vel etiam iniiciendi, & hoc dicitur *periſtroma*, eadem etiam dicuntur *cataſtromata*, qua de re vide Athen. de bello Macedonico.

l. Pronunciatum. 46.

Pronuntiare dicuntur iudices, vel arbitri à magiſtratibus dati, qui cognitionem habent, non iuriſdictionem cum cauſam definiũt, *l. 26. ff. de re iudic.* idem & ſtatuere dicuntur, *l. 42. §. ſol.* quæ tamen verba prætor promiſcue vſurpauit. & idcirco ait hoc loco pronunciatũ & ſtatutũ idem eſſe & promiſcue pronuntiaſſe, & ſtatuiſſe eos dici, qui ius cognoſcẽdi habent, iudices datos. Sed proprius videtur eſſe verbum pronuntiandi, quando iudices non rem eſſe, teſtamentum non eſſe verum, id propriè eſt ſtatuere. Sed cũ eſſe videt, teſtamentum verum eſſe videri pronuntiabant, *l. 2. §. 1. ff. de carpitan. l. duo fratres. ff. de liberal. cauſa. l.* ob hæc ve. ba. *ff. de his qui notant. inf.*

§. Matrem. 1.

In hunc §. Cuiac. *lib. 3. obſ. c. 18* & Rauard *lib. 4. varior. c. 12.* Aul. Gell. *lib. 18. c. 6.* Fornerius *ſelect. lib. 1. c. 11.* matremfamilias autem accipimus pro qualibet honeſta fœmina ſiue ſit nupta, ſiue vidua: & generaliter definit in hoc lege Iuriſconſultus, neque nuptias neque natales matremfamilias facere nõ nuptias, quoniam vidua materfamilias etiam eſt, non natales, nam liberta & libertina quę nata eſt ex ſerua, materfamilias eſt. Sed boni mores quo iiſdem verbis repetit Diuus Hieronymus in epiſtola 7. ad Oceanum de regeneratione loquẽs quę fit per baptiſmũ, hoc ipſo, inquit, quod iſta nuiſſa eſt materfamilias, dicitur cum ante natales matremfamiliam non faciat.

l. Liberationis. 47.

Iuriſconſulti interpretãtur ſoluiſſe non tantùm eum qui numerauit, ſed etiam eum qui liberatus eſt obligatione, *l. 4. §. ſoluiſſe. ff. de re iud.* idẽ etiam proditum eſt in hac lege quæ ait, illud verbum potius ad ſubſtantiam obligationis pertinere, quam nummorum ſolutionem, hoc eſt eo verbo ſignificare ſolutionem obligationis, potius quam debitæ pecuniæ præſtationẽ, ideóque iudicatum ſoluiſſe videri, ſi acceptilatione liberatus ſit, etiam nihil dederit in *l. ſi in ſtipulatio. ff. de donatio.*

l. Solutum

Digitized by Google

l.Solutum.48.

Ad intellectum huius legis, vide Duaren.*lib.1.disput.cap.1.* Rævardus *ad l. 12 tabul.pag.16.cum seq.* Cuiac.*lib.7.obs.cap.17.* loquitur autem hæc lex de in ius vocando: in ius enim vocati ab aduerſario, ſequi debent aduerſarium, vel ſi nolint duci inuiti, trahi & duci poſsũt, ſi modo prius anteſtati fuerint: neque enim licet in eum quem in ius vocamus manus inücere, niſi teſtibus præſentibus, teſtantur qui vocant ſe manus ideò iniicere, quod nolit ſequi, quod eſt ex lege 12.tabular. his verbis. Si in ius vocatus non eat manus inicito antepito anteſtari, alioquin qui manum iniicit, tenetur iniuriarum.

l.Bonorum. 49.

Bona dupliciter dicuntur naturaliter & ciuiliter, id eſt, ciuili modo, ciuiliter ea bona dicimus quæ nocent, vt hæreditatem damnoſam dicimus bona, ſucceſſionem damnoſam bonorum poſſeſſionem, in tit. de bonor. poſſeſſ. bona accipiuntur ciuiliter, aliàs bona accipiuntur naturaliter, quæ beant tantùm, id eſt, proſunt, vt in lege Falcidia ita bona accipiuntur, & in tit. de collat.bonor. ita etiam in titulo de re iudicata bona accipiuntur naturaliter, cum à creditoribus, ſcilicet bona iudicat, pignori accipiuntur, & diſtrahuntur iudicati ſeruandi cauſa, abſque vllo onere æris alieni.

l.Nurus.50.

Ait hæc lex nurus appellatione contineri etiam pronurum, & vltra & ſequentes, quæ tamen interpretatio non procedit, cùm ipſius nurus perſonam tantum inſpicimus, vt ſi tibi promiſerim pro tua nuru, non intelligitur de pronuru, *l.ſi quis ita.ff. de teſtam.tut.* propriè enim non eſt nurus quod ſane indicat Iuriſconſultus, cùm ait appellationem porrigendam, porrigere enim nihil aliud eſt quam extendere.

l.Appellatione.51.

Ait etiam hæc lex parentum appellatione, nõ tantùm patrem, ſed etiam matrem, auum, auiam cæteróſque ſuperiores contineri: quaſi diceret parentum nomine aſcendentes intelliguntur in infinitum *l. 4. § 25. de in ius voc.* quomodo autem hoc verum ſit, vide *l.vlt.Cod.ſi aduer.fiſ.* obiter autem notã dum hic eſt quod parentis vocabulum interpretatur ad omnes aſcendentes, at non ex vocabuli propria ſignificatione extendimus, & ſane parentes hodie vulgò intelliguntur eiuſdem gentis, & inuicem quoquomodò coniuncti, quod & Hieronymum non latuit, lib.2 aduerſus Rufinum hinc eſt parentela, quæ dictio apud Capitolinum in Gordiano legitur.

l.Patroni.52.

Patroni appellatione continetur etiam patrona, ita maſculinum concipiat quandoque fœmininum, quod tamen vbique verum eſt, reputa lege per modum qualitatis de maſculo loquente, in materia etiam correctoria maſculinum non concipit fœmininum. idem etiam eſt in contractibus, vbi quoque mentio vtriuſque ſexus diſtincte facta eſt, maſculinum non concipit fœmininum, denique ſi verba ad literam ſint intelligenda, maſculinum non concipit fœmininum, veruntamen in vltimis voluntatibus maſculinum comprehendit fœmininũ, quia legatis mulis, mulæ etiam continentur. *l.qui duos.D.de leg.3.*

l.Sæpe.53.

In hanc legem Revardus *d.lib.pag.38* In ſumma autem vult hęc lex quod ita comparatum eſt, oratio coniuncta ponitur pro diſiuncta, niſi iuris diſpoſitio alia repugnet.

Soluta pro ſeparatis. Orationes ſolutæ dicuntur in quibus coniunctio non eſt copulatiua, vel diſiunctiua, & quidem quandoque pro ſeparatis & diſiunctis accipiuntur, quandoque etiam pro coniunctis, licèt hoc non dicatur. Adgnatorum Gentiliúmque. Qui dicantur gentiles, vide Ciceronem in Topicis in loco & definitione, & Author. ad Herennium.

§.Item.1.

Huius §. quæſtio eſt, an hæc verba cum, cuius ope, conſilio furtum factum ſit coniunctim an ſeparatim accipi debeant, variæ fuerunt in hoc antiquorũ ſententiæ. Sed Labeo eos qui ſeparatim accipienda dixerunt, probauit quod aliud ſit ope, aliud conſilio furtum fieri, vnde qui ſolùm opem adhibet, furti tenetur, tametſi ipſe non conſuluerit factum fieri debere.

l.Conditionales.54.

Creditores conditionales appellantur, quibus nondum competit actio, ſed competitura, & facit ad hanc legem §.4 in fin. *Inſt. de verb oblig.* conditionalis autem creditor, propriè non eſt creditor, vt optime declarat doctiſſimus Alciatus, *lib.8.reſpon.73.nu.6.*

Vel qui ſpem habent. Hic nota quod ſpei quandoque & ſæpiſſimè ratio habetur.

l.Creditor.55.

Quis propriè dicatur creditor, explicat nunc iuriſconſultus. is autem propriè dicitur qui exceptione perpetua ſummoueri non poteſt, & qui tẽporalem exceptionem timet, ſimilis eſt conditionali creditori, verum generaliter creditoris non alius eſt, quàm cui debetur aliquid. vnde Vlpianus ait creditores accipiendos eſſe eos quibus debetur ex quacunque actione, vel perſecutione, vel iure ciuili, ſine vlla perpetuæ exceptionis remotione, vel honorario vel extraordinario, ſiue purè ſiue in diem, ſiue ſub conditione, quod ſi natura debeatur non ſunt loco creditorum: ſed & ſi non ſit mutua pecunia, ſed contractus creditores accipiuntur.

l.Cognoſcere.56.

In hanc legem Cuiac. *ad titul. de excuſ. pag. 11.* Ait autem hoc loco Vlpianus, cognoſcere eſſe relegere inſtrumenta, & recognoſcere, diſpungere eſſe computare accepta & data, male autem Accurſius putat idem eſſe ie expungere & diſpungere, diſpungere enim eſt ſubducere rationem: expungere eſt perimere, & delere rationes non ducta linea, diſpungere eſt conferre accepta & expenſa, hinc Deus meritorum iudex & diſpunctor dicitur à Tertulliano quarto aduerſus Marcionem, & 5. aduerſus Marcionem. diſpũgere etiam idem eſt quod delere.

§.Liberorum.1.

Ait hoc loco Iuriſconſultus liberorum appellatione contineri, non tantùm eos qui ſunt in poteſtate, ſed etiam emancipatos, non tantùm mares ſed etiam fœminas, & non tantùm ex maribus, ſed etiam ex fœminis deſcendentes, id eſt, non tãtùm nepotes, neptéſue ex filio, ſed etiam ex filia, quamuis non ſint nobis adgnati, quod ita non eſt in edicto vnde liberi, & de coniungendis cum emancipato liberis, in eis enim edictis ſignificãtur tantùm liberi ſui, vel qui ſui futuri erant, non igitur liberi deſcendentes ex fœmina qui non ſunt ſui nec futuri erant.

l.Cui.57.

Cui præcipua Magiſtri nomen dicitur, quod magis cæteris poſſint, quod ſummam rem omnium creditorum ſolui exequerentur, vnde etiam magiſtratus appellantur, quod potentiores ſint priuatis.

A magiſtris cognominantur. Sicut albus cognominatur ab albo, magiſtri autem qui dicantur, & in quo à doctore differant, vide Gloſſ. in clement. de magiſtr. 1. Hoſtien. in ſum. §.1. eodem

Cuiuſlibet diſciplina. Hinc magiſtri ſocietatis dicuntur, & *l.14.3.de pactis,* ſic etiam vniuerſitatis & venditioni bonorum præpoſiti.

§ Perſequi.1.

Malè Accurſius interpretatur hic perſequi, pro conſequi, cum hic ſit ſenſus, vt is nondum ſuum aſſequutus intelligatur, cui datus eſt fideiuſſor, nõdum enim ei plene ſatisfactum eſt, hæc igitur expoſitio mihi non probatur, quoniam propriè illud perſequimur, quod nondum ſumus conſequuti, vnde Aul. Gell. lib.2. non puto, inquit, Cæcilium ſequi debuiſſe, quod aſſequi nequiret, dic igitur quod quamuis aliquis ſatis acceperit, adhuc tamen dici perſequi, quoniam ſatisfactio pro vera ſolutione non eſt, *l.1.D.qui ſatiſd.cog.*

l.Licet.58.

In hanc legem Alcia.*lib.3.diſpunct.c.4* Nota autem hic nullam eſſe differentiam inter facere & gerere, quoniam abuſiue pro eodem ſumuntur, licet Valla quandam differentiam attulerit, quod nempe geſta referantur ad Rempublicam, acta verò de priuatis etiam dici, quod omnino mihi non probatur: faciendi autem verbo quæ contineantur optimè declarat hic gloſſa prima, qua de re vide plura hic apud Alciat.

Digitized by Google

§.Paternos.1.

In hoc § explicatur qui dicantur liberti noſtri, ad intellectum huius loci facit Iuuenalis Satyra cum ait,

Collige Sarcinulas clamet libertus & exi.

Iam grauis es.

Quoniam ſolebant Quirites cum repudiare vxorem vellent, libertum ſuum, huius rei nuntium mittere, vnde dubitatũ fuit quem libertum ſuum intelligeremus, & paternum quoque, ſeu auitum ſuum libertum eſſe Iuriſconſulti tradidere.

Liberorum noſtrorum. Quidam codices habẽt libertorum, nam libertus liberi mei meus libertus non eſt: ſed verior lectio eſt liberorum.

l.Portus 59.

In hoc loco Iuriſconſultus portum eſſe locum concluſum, quo importantur merces, & inde exportantur: ſtatio autem & portus idem ſunt, quoniam ambo publica loca ſunt, ad eo vt cuilibet liceat piſcari in portu. §.flumina Inſti. de rer. diuiſ. Seruius 1. Æneidos, de ratione portus conſtruendi, vide Vitruuium *lib.5.cap.12.*

Angi portum dictum eſt, Portus etiam dicitur angi, vt optimè notat Feſtus, qua de re adde Varronem quarto & quinto, de lingua Latina, id eſt, anguſtus portus: ſed hæc potius ad Grammaticos quàm ad Iuriſconſultos pertinent.

l.Locus.60.

Oſtendit in hac lege Iuriſconſultus differentiam eſſe, inter locũ & fundum, vetus autem dictum eſt Iuriſconſultorum, quo tamen hodie non vtimur, nempe furtum fieri fundi locive, §. quod autem. Inſt. de vſucap. ſed ex eo dicto veterum, liquet differentiam eſſe inter fundum & locum, differentia hæc eſt, fundus eſt cũ villa, villa eſt pars fundi, locus poteſt eſſe ſine villa, fundus eſt totum quoddam, locus eſt pars, fundus cõſtat multis ex locis, fundus habet ſuos terminos quos conſtituunt poſſeſſorum arbitrio, locus verò non habet certos fines, & animo concipitur potius quàm fundus, ad has differentias confirmandas pertinet *l. quid tamen. ff. quib. mod. vſusf. amitt.*

§.Loci.1.

Labeo hoc § ſcribit loci appellationem, non ſolùm ad ruſtica, verùm etiam ad vrbana prædia pertinere, eius autem metaphoricòs varia eſt ſignificatio, vt exempli gratia cùm dicimus aliquem eſſe, obſcuro loco natum, tunc enim refertur ad genus nobilitatémque, alia etiam eſt Ariſtoteli Ciceroníque huius vocabuli ſignificatio: ſed in noſtro iure locus quandoque generaliter accipitur, & ex mente proferentis interpretationẽ capit, *l. fundi ſuf. eo.* qua ratione in prædiis vrbanis locus ſine ædificio, dicitur area, in ruſticis verò ager, at cum ſpecialiter reſpectu fundi locum dicimus, de portione aliqua accipimus.

§.Sed fundus.2.

Quamuis initio huius legis ſatis ſupérque declarauerim, differentias inter locum & fundum, tamen hæc omittenda non eſt, vt ſcilicet fundus ſuos habeat limites, locus verò latere poſſit. Fundus autem dictus eſt quod eo fundatur, vel ſtabiliatur patrimonium, præterea fundus & vrbanum & ruſticum ædificium intelligẽdum eſt, vt optimè notat Iſidor. lib. 15. orig. cap. 13. Differt etiam locus à prædio. nam prædium eſt, quod ex omnibus patriſfamilias maximè præuidetur, id eſt, appatet quaſi præuidium, vel quod antiqui agros, quos bello cœperant, vt prædæ nomine habebant.

l.Satiſdationis.61.

Circa fin. in verſ. propter tenorem. Not. quòd tenor inueſtituræ eſt inſpiciendus. Dec. *conſ. 390. & 395.* adeò quòd ante omnia eſt inſpiciendus & inſinuandus, etiamſi eſſet contra naturam feudi. Dec. *conſ. 714. colum. 1. &* Afflict. *deciſ. 161. vel 761. col. pen. & 293.* Tiraq. late *in l. ſi vnquam. C. de reuoc. donat. in verb. libertis. num. 8. & in* Emphyteoſi quod inſpicitur inueſtitura vid. Soc. Iun. *conſ. 71. vel 41. col. 1. lib. 1.* Et quod tenor inueſtituræ derogat omni Iuri & conſuetudini feudorum. Soc. Iun. *conſ. 76. lib. 1. num. 18. & conſilio 77. num. 13.* Idem Soc. Iun. *conſ. 101. num. 21. lib. 2.* quòd tenor inueſtituræ eſt vna maxima in feudis. idem *conſ. 103. numer. 8 lib 2. & d.* Parif. *conſ. 1. in princ. lib. 1.* quod ad cognoſcendum, an feudum ſit antiquum, vel quid ſimile, eſt inſpiciendus tenor inueſtituræ, & idem ad cognoſcendum an ſit feudum hæreditarium. Parif. *conſ. 2. num. 15. lib. 1. & d. conſ. 4. lib. 1. col. 1.* vbi dicit quòd inueſtitura derogat omni naturæ feudorum. *conſ. 5. lib. 1. & conſ. 6. numero eod lib.* quod etiam verba extranea inueſtituræ ſunt attendenda.

Titulus 20. De controuerſia inter Epiſcopum & vaſſallum.

Tit. 21. De vaſallo milite qui arma bellica depoſuit.

Miles qui, &c. Limita tripliciter, vt per Dec. *in c. præſentia. numer. 74. extr. de probat.* & de materia vid. Alex. *conſ. 80. vbi* ponit, quod in militia Hieroſolymitana, &c.

Tit. 22. De milite Vaſallo qui contumax eſt.

In verſ. ſpatio tertio, &c. quod præcedere debeat tertia monitio antequam Vaſallus priuetur, tradit in terminis Grauett. *conſ. 6. numer. 18. & 106.* in qualibet priuatione iuris tradit idem Grauett. *conſ. 103. col. 2.* ſed vide omnino Gram. *deciſ. 124. num. 10.* Sed quod iſta ſit ſpecialis, tradit Felyn. *in cap. ex literis. num. 8 fall. 3. de conſt.* vbi late tradit, quando requiratur trina monitio.

Tit. 23. In quibus cauſis feudum amittatur.

Tit. 24. Quæ fuit prima cauſa beneficij amittendi.

Quæ fuit prima &c. Add. in materia quod in quibus cauſis feudo quis priuatur, an dominus ſuus tacuerit, neque priuauerit feudo Vaſallum, non poteſt poſtea priuare ex ea cauſa eius ſucceſſorem, de quo vid. Alex. *in L. rei iudicatæ col. 1. in fi. mair.* aliquid per Grauet. *conſ. 99. in fin.* ſed vide Parif. *con. 1. lib. 1. num. 52.* Add. etiam quod quales aliæ cauſæ, quibus Vaſallus priuatur feudo, vt per Afflict. *deciſ 265. maximè col fin.* Cætera vid. quæ ſcripſi ſupr. ad tit. *Quibus modis feudum amittatur.*

In Verſ *quod ſi Vaſallus*, &c. Nota tamen, quòd cum hoc dictum ſit odioſum, deberet admitti etiam poſt annum & diem de benignitate. Grauet. *conſ. 29. in fin.* maximè ſi interuenerit iuſta ignorantia, deberet in integrum reſtitui. Grauet *deciſ. 42. colum. fin.* tamen dicit quòd iſta pœna de benignitate debet remitti. Afflict. *deciſ 265. num. 89.* Item quòd hoc caſu Vaſallus non petita inueſtitura intra annum & diem non cadit ipſo iure, ſed requiritur ſententia, ideò poterit non lata ſententia purgari mora, Guid. Pap. *deciſ. 164 quod nota. & 166. &* Dec. *conſ. 144. col. fin.* Soc. iun. *conſ. 115. num. 22. lib. 2.* Item quod iſte annus incipit currere Vaſallo à die quo cœpit poſſeſſionem feudi. Guid. Pap. *deciſ. 155. vel 165.* Dec. *conſ. 68. vel 58. col. penult. & 144 num 6.* Add. etiam an, quando petitur inueſtitura, ſit ſimul promittenda fidelitas. vid Guid. Pap. *deciſ. 167.* vid. etiam quæ add. ſupr. in materia *c. 1. quo temp. mil. reſ.* &c. Nota etiam quod ſi dominus non conceſſit inueſtituram, priuabitur feudi proprietate, niſi ſit Eccleſia. Guid. Pap. *deciſ. 68.* Item add de ſi vaſallus fuerit impeditus petere inueſtituram à domino propter impedimentū. Fely. *in c. ex tranſmiſſa col. 3 verſ. non omnino. extr. de præſcript.* Add. quòd ignorans excuſatur hoc caſu. Soz. Iun *conſ. 70. num. 5. lib. 1.* Not. etiam an requiratur ſententia vt Vaſallus priuetur, quòd non petiit inueſtituram, an ipſo iure ſit priuatus: Item an ſola ſententia ſufficiat facto oſtendere, quòd dominus vult vaſſallum eſſe priuatum, putà alij concedendo. vid. Soz. Iun *con. 76. numero. 77. lib. 1.* add. quod hic textus non procedit in Vaſallo qui non poſſidebat Bald. *in L. ſolennitat. C. de rei vindic.* Sozin. Iunior. *d. conſ. 76. no. 78.* quòd ibi intelligitur, niſi fuiſſet negligens in petendo poſſeſſionem à tertio, add. tamen ſi dominus poſt annum multo tempore fecerat inueſtituram, videtur remiſiſſe caducitatem, & eſt communis opinio, vt per Soz. Iun. *conſ. 115. num. 12. lib. 2.* Fallit ille tex. Si Vaſallus habuerit iuſtam cauſam ignorandi eſſe feudum, & quæ ſint iuſtæ cauſæ, latiſſimè tradit Soc. Iun. *conſ. 115. num. 18.* Idem ſi dominus non gerebat ſe pro domino ſed alius, vt per eum ibi. & de his vide etiam Dec. *conſ. 141. vel 144. numer. 6.* Item limita quando alicui pars feudi obuenit Iure accreſcendi, nam tunc noua inueſtitura opus nō eſt, ité ſi illud non petit, non eſt priuādus. De. *con. 144. n. 6. ver. præterea.* Fallit ſi ſemel ſuit iuratum prælato & ſic dignitati tantùm vel etiam ſucceſſoribus, quia tunc non tenetur iurare aliis ſucceſſoribus, & ſic nec petere inueſtituram, *c. veritatis. extr. de iureiurand.* Bald. hic. & Soz. Iun. *conſ. 115. num. 20. lib. 2.* Fallit ſi ante litem conteſtatam ſuper caducitate moram Vaſallus purgauerit petendo inueſtituram. Soc. Iun. *conſilio 115. num.*

115.num.13. Fallit in minore & vniuerſitate, qui in integrum reſtitui poſſunt, ſi eius adminiſtrator non petat. Soc.Iun.d.conſ.115.num.13. Fallit ſi ſuit præſcriptum contra hanc caducitatem. Soz.ibi num.27. Add.tamen quòd dominus non poteſt priuare vaſallum eo non citato. Fely.c.cùm olim. extr. de re iud.col.8. verſ.per illum text & dicit pat. Add.quod non eſt priuatus ipſo iure, ſed eſt priuatus per ſententiam, & per hoc dicit vnum notabile Fely. quod licet Papa reſcribat talem priuatum eſſe, quia non petit inueſtituram.non tamen erit priuatus, niſi prius feratur ſententia, quia reſcriptum Papæ debet intelligi ſecundum terminos iuris communis, quod vald.no.vt per eum.c.cauſam quæ.num 6.verſ.& dicit Card.extr. de reſcript. & pro declaratione vide etiam conſilia Deci. conſilio 144.vbi limitat hunc text, tribus modis.

In verſ. prædictis cauſis. &c. Adde etiam aliam cauſam, ſcilicet quando vaſallus negans feudum ſuccumbere conuincitur, nam tunc admittitur, infra, ſi de feud. fuer. controuerſ. inter dominum & agnatum. § Vaſallus. & per Grau.deciſ.77.in fin. add.aliam, ſi fuerit aduocatus contra dominum. Granet.deciſ.80. quid ſi vaſallus admittat crimen falſi, an poſſit priuari feudo, vide Afflict. deciſ 404. colum. fin. in verſ.illud etiam certum loquitur ſecundùm Pomp. Caſſ d.l.ù Tit. de Iurcine. & in iure conſuetudinario ſingular. contra regulas iuris communis. in §. fin. in verſ. vt ſiquidem vaſallus. vide Dec. conſil. 445. col antepen. & fin. Alex.conſ 30. lib. 1. Sed quid ſi admittat, quia alienauit irrequiſito domino, an reuertatur ad ipſum an ad agnatos, vide Gram deciſ.77. Sed quid ſi deliquerit vaſallus, ex quo veniat feudum confiſcandum, an reuertatur ad fiſcum, an ad Baronem, à quo habuit vaſallus. Vide Afflict. dec.172.in ſecundo dubio. Item quid ſi frater deliquit, ita quod priuatus eſt feudo, an vadat ad patrem, an ad fiſcum. Vide Afflict. deciſ 385. & Pariſ conſ.1.num.17.lib.1. vbi dicit, quòd ſi vaſallus deliquerit in perſonam domini, putà per rebellionem & ſimil. tunc feudum acquiritur domino, non agnatis.

Titulus 25. Si de feudo Vaſallus ab aliquo interpellatus fuerit, & dominus eum defendere noluerit.

Titulus 26. Si de feudo defuncti contentio ſit inter Dominum & agnatos Vaſalli.

In §.1.in fin.in verſ.reſpondi filium, &c. & hoc in terminis tradit Dec.conſ. 424.num.11 & 467 col.2. Sed hoc procedit vbi à principio petitur poſſeſſio, vel vbi de petitorio cognitum eſt, quia tunc cauſa proprietatis abſorbet cauſam poſſeſſionis. Dec.conſ.17.col pen. Idem ſi ſoror inſtituta à fratre, nam debet conuerſari in poſſeſſione, & idem erit in hærede ipſius filiæ, vt tradit Dec.conſ 585.col.2. not. tamen tex. hunc procedere tantum in poſſeſſorio, non in petitorio, nec in executione ſententiæ filia poſſet per hunc tex. impedire, vt declarat Soc.Iun. conſ. 68.col.pen.vel col.1. vbi & aliis modis declarat hunc tex. & conſ.74.col.1.in fin.lib.1. & quod dicit hic text. de filia, idem dicas in alia fœmina proximiori ipſi defuncto, quia eſt mittenda in poſſeſſionem feudi, vt de nepote filiæ patris tradit. Soc.Iun.conſ 75. num.28. lib.1.cum ſeq.

In §. moribus. ad §. vid. omninò Soc. Iun.conſ.76.num.119.

§. Vaſallus. Intellige vt per Grammat. deciſ.77.col.fin.

§. Si quis per triginta, &c. de præſcriptione feudorum & de tota materia hac, vid.Franc.Balb.de præſcript.num.4.p.4.in princip. in 12. quæſt. cum ſequen. Item vt procedat hæc præſcriptio, quot requirantur vid. Dec.144. col.3. not.tamen, quòd ſi quis teneret per 30.annos licèt vt hic præſcribat contra dominum, non tamen præſcriberet contra alium agnatum qui eſſet proximior, qui tamen nondum natus erat, quia contra eum non valentem agere, non poteſt currere præſcriptio. Dec.conſ. 468. in fin. & de iſta præſcriptione feudi, tam contra dominum quàm contra priuatum.vid. Afflict.deciſ.254.& iſta præſcriptio feudi procedit etiam vt eccleſia, vt poſſit 30.annis præſtando ſeruitium præſcribere in feudum. Afflict.deciſ.324.colum.2. Sed Guid Pap. Dec. 161. dicit, quòd contra eccleſiam non præſcribatur feudo per 30. annos contra quoſcunque latè tradit. Soc.Iun.conſ.76. num. 61. lib.1. & num.63. vbi dicit hoc procedere, etiamſi inueſtitura fuerit facta à non domino, nam illa præſtat iuſtum titulum præſcribendi. Add.quod etiam contra eccleſiam præſcribitur feudum per 40 annos. tradit Socin.Iun.conſil. 115.num.35.lib.2. Et de hac præſcriptione feudi, vid.latè Pariſ.conſilio 2.libro 1. num.123.

In eod.§.ſi quis.in verſ.qui clericus.&c. Limita tripliciter vt per Dec. in rubr. ſuꝑ præſentia.num.74 de probat. Sed an pro vita vaſalli ſaltem pertineat ad monaſterium. Afflict.dec.265.num.15.ſ.ll.vid.quæ feuda vadunt ad monaſteriũ. Afflict.deciſ.320.verſ.naturales filij. Fallit vbi inueſtitus ſcribit inueſtitum filios habere, quia inueſtitura facta de filiis cenſentur habilitati ſpurij. Fel.c. cum talis.num.2.in fi.extrà de except.

In gloſſ.legitimi.in verſ.niſi ſunt ita.&c. ſequitur Alex.conſ.2.lib.5.nu.16. Sed hanc gloſſ. reprobat Carol.Molinæus ibi. Sed Pari.con.1.nu.49.dicit quòd omnes Scribentes ſequuntur hanc gloſſ. Add.quod imò in feudo hæreditario pater poteſt legitimare filium ſpurium in præiudicium agnatorum ipſis nõ citatis. Pari.conſ 2.lib.1.num.41.

In §. ſi quis deceſſerit.&c.circa finem.in verſ.Sempronius proximior. Nota hic, quòd facta alienatione in rem remotiorem gradũ poteſt proximior recuperare rem. Sed an ſemper procedat in omni prohibitione. vid. Tiraq. in tract.de vtroque retra.§.2.vel 11 gl 6.nu.3.& 14.cum ſeq. Sed quid ſi fuerit facta alienatio vni ex proximioribus, an poſſint alij pro rata eorum petere. vid.num.20.

In eod.§.in verſ.vel per annum. vid.Franc.Balb. de præſcript.in q.1.4.p.prin. in 30 q.1 n.11 Item per hunc tex.tradit Dec.conſ 389.col pen. vbi dicit, quod ſi primogenitus ſit inueſtitus ſolus, cùm tamen pars feud. ſpectaret etiam ad ſecundum, tamen ſi ſecundus ſte erit per annum, quod nihil dixit, excludetur.quod not.vid.Gram deciſ.103.num 38.

Item not hunc text. non procedere in feudo hæreditario. Dec. conſ.390 col.6. Item not. quod hoc tempus non currit agnatis, qui tunc non erãt adhuc nati, quia ſi poſtea naſcuntur poterunt reuocare. Dec.conſ.395.in fin. Itẽ ſi currat vni agnato non tamen per hoc præiudicat alteri ſequenti. Dec.conſ. 441.vel 445.col pen. Item intellige iſta, niſi eſſet conſuetudo, quòd feuda poſſint alienari, quia tunc idem eſſet, ſicut de cæteris bonis allodialibus. Dec. conſ.386. Item qualiter procedat iſte tex. vid. Gram.deciſ 103.nu.206. & Soc. Iun.conſ.75.col fi.lib.1.

II.1. §.ſi vaſallus.&c. De hac materia quando vaſallus deliquerit, An & quando feudum pertineat ad agnatos, an ad dominum. vid. omninò Dec. conſ 252.col.pen.

In fin.huius §.in verſ.in generali. Not.per hunc text. quòd in generali ſermone nunquam intelligitur de feudo; & multa ad hoc tradit. Dec.conſ.380. col.2.ſed quando hoc procedat vid.ibi col.fin. Item per hunc tex.dicit Grauett.deciſ.101.col.5. quòd in generali renunciatione filiorum, bonorum patris non veniunt feuda, & tradit etiam Soc.Iun.conſil.74.col.1.in fin. libr.1.& col.2 num.6 dicit, quòd etiamſi vna pars teſtamenti loquatur de feudis, tamen ſi in alia non ſit expreſſum, non venient feuda. Sed tamen pro declaratione ſecùs dicit, quod feuda non veniunt in generali ſermone vel diſpoſitione.vid.omninò Dec.conſ.76.per totum.maximè. col.2. ibi quarto. &c. vbi notanter declaratur, & an veniat ſub nomine generali beneficij. Item in feudo hæreditario, quod venit in fideicommiſſo vniuerſali, licèt de eo non ſit facta mentio, Pari.conſ 3.num.26. & 34.lib.1. Adde quòd in generali ſermone & appellatione hæreditatis non venit feudum. Pariſ. conſilio ſeptimo, colum.1. Item generalis quietatio non ſe extendit ad feuda. Pariſ. dict.conſil. 7.colum.1.

In §.ſi vaſallus.il.2. Sed quid ſi dominus agat, an ſententia lata contra vaſallum noceat domino.vid. Afflict.deciſ 396.col.2. Et quod hic dicunt, quod ſententia lata contra vaſallum noceat domino. An idem ſit in tranſactione & compromiſſo vid. Alex in l.ſæpè.num.131.ff.de re iud. ſed an noceat agnatis, ad quos erat perueturum feudum. Alex.d.l.qui ſæpè.num.111. quod ſit contra Dec.conſ.445.nu.30.& 31. & an compromiſſum in arbitrum vel arbitratorum valeat, quod habet vim tranſactionis.vid.per Soc.Iun.conſ. 77. nu. 77.cum ſeq.lib.1. vbi latiſſimè de intellectu huius tex.ſcilicet an ſententia lata contra vaſallum noceat domino. Item an noceat proximo agnato. vide Pariſ.conſ.5.num.38.cum ſeq.lib.1.

Titulus 27. De pace tenenda & eius violatoribus.

In verſ.ſi quis hominem.in verb.niſi per duellum, &c. Hæc Lex noſtris moribus penitus eſt abrogata, vt per Alciatum, de duell.chart.13. in fin. & eſt contra ius Canonis.

In verſ.niſi quod in duello. &c. hæc lex eſt abrogata, vt per Alciat.de duello chart.vel cap.3.in fin.

In §. ſi quis ruſticus, in verſ. nemo retia ſua. Guid. Pap. deciſ.208.

Titulus 28. Hîc finitur Lex, deinde conſuetudines incipiunt.

§. Ad hoc quantocunque. in verſ. ſi vaſallus, &c. An dominus teneatur ſoluere melioramenta facta per vaſallum. vid. Guid. Pap.deciſ.169. & quod melioramenta ſint vaſalli, & ipſe ideò poſſit diſponere, vt ſuus hæres, tradit Pari.conſ.2.nu.51.lib.1.& conſ.4 nu.4.lib.1.

In §.hic conſequenter, de intellectu vide Iaſon in l.diuortio. in princ.num.6. ff.ſolut.matr.

Titulus 29. De filiis natis ex matrimonio ad morganaticam contracto.

Titulus 30. De feudo fœminæ.

In verbo, *Deficientibus filiis maſculis*, &c. Ita conſulit Soc. Iun. *conſ.* 109. *nu* 7. *lib.*2.

In verſ. *quod eſt fœmineum*, &c. Quid ſit feudum fœmineum, vid. So. Iun. *conſ.*5.*nu.*2.*col.*1.*lib.*1.

Titulus 31. Si vaſallus Feudo priuetur cui deferatur.

Titulus 32. Qui teſtes ſunt neceſſarij ad nouam inueſtituram probandam.

Titulus 33. De conſuetudine recti feudi.

Titulus 34. De Lege Conradi.

In §. ex eadem lege, & in verſ. dominus fine, &c. vid. de hoc in terminis Alex *l.* 2. *vel* 11. *in fin. princ. ff. ſolut. matr.* Alex. *conſ.*96. Felyn. *c. audita. ext. de præſcript.*

In § ſimiliter. in verb. in feudum, &c. quomodo & in quibus hoc procedat, quòd Vaſallus poſſit alium infeudare. vid. Deci. *poſt Abb. hic. quæ in eccleſiarum. col. pen. ext. de conſtit.*

In § profectò iſte. vid. omninò Soc. Iun. *conſ.*102. *num.* 30. *verſ. non obſtat. libro* 2.

Titulus 35. De clerico qui inueſtituram facit.

Titulus 36. An mutus vel alias imperfectus feudum retineat.

Titulus 37. An ille qui interfecit fratrem, feudum domini ſui amittat.

In §. cum autem, &c. quando propter delicta vaſalli feudum pertineat ad agnatos, an ad dominum, vid. late Dec. *conſ.* 252. *col. pen.* & Afflict. *deciſ.* 385. vbi loquitur, an priuato fratre propter delictum vadat ad alium fratrem feudum, an ad fiſcum.

Titulus 38. De vaſallo qui contra conſtitutionem Lotharij Regis beneficium alienauit.

In verſ. *ſi pater*, &c. Sed quid ſi expreſſum eſt, vt non poſſit alienare, an etiam tunc ſeruanda ſit hæc diſtinctio. Vide DD. hic & illa expreſſio quid operetur, vide Dec. in *conſ.*667.*col.*2.

In verſ. *etſi voluerit vnius*, &c. Add. quod etiam feudum eccleſiaſticum conceſſum ab Epiſcopo poteſt renunciari in manibus ipſius Epiſcopi. Zaſ. *conſ.* 50. *vel* 5. *num.*13. *lib.*1. Limita hoc vel declara vt licet ipſe renuncians omittat etiam ius, tamen non poteſt præiudicare agnatis venientibus poſt ipſum. Pari. *conſ.*5. *nu.* 14. limita hoc niſi feudum eſſet nouum, quia tunc vaſallus poteſt in præiudicium agnatorum refutare feudum in manib. domini. Rip. in *l. in quartam. nu.*179. *ff. ad l. Falcid.*

Titulus 39. De alienatione paterni feudi.

Alienatio feudi, &c. Sed quanto tempore præſcribatur illi iuri reuocandi quod habent iſti agnati, vid. lat. Franc. Bald. *de præſcript. in* 4. *p. princ. in.*7.*q.*12.*q.*1. Limita hunc text. procedere in paterno, ſecùs in nouo. Limita 2. procedere in inferiore domino, ſecùs in principe. Dec. *conſilio* 300. *col. fi.* Limita 3. non procedere in feudo hæreditario, vt ibi per eum, & quod dictum eſt non procedere in principe. De. 208. *vel* 308. *c.*3. & latè de materia. Dec. *conſ.*445.*col.*3. Item adde per hunc tex. quòd vaſallus non poteſt vſu agnato renunciare, vel donare feudum in præiudicium proximiorum. Dec. *vbi num.*22. nec etiam de conſenſu domini. *num* 23. Item adde quòd quemadmodum vaſallus non poteſt alienare in præiudicium alterius agnati, ita etiam non poteſt rem in iudicium deducere per quod per ſententiam poſſet illud auferri, & ideò ſententia contra illum lata non præiudicabit aliis agnatis. Dec. *ibi latè num.*24.*cum ſeq.* Adde ſimiliter quòd agnatus non poteſt præſcribere feudum in præiudicium alterius, quemadmodum non poteſt alienare. vid ibi. *num.*56 *verſ* 6. *videtur obſtare* 1. Item ſi vaſallus tenuerit vltra annum, quo caſu ſibi præiudicat ſequenti agnato, quin poſſit petere inter annum. Dec. *dicto conſilio* 445. Add. ſimiliter quòd vaſallus non poteſt mutare formam ſolitam inueſtituræ in præiudicium aliorum agnatorum, & facere quod ipſi non ſuccedant, ſi per primam inueſtituram ſuccedebat. Dec. *conſ.*468.*col.*4. Item vaſallus nō poteſt cognoſcere in aliquem modum à domino in præiudicium agnatorum, vt per Dec. *dicto conſil.* 468. *numero* 26. Nota tamen quod licet vaſallus non poſſit alienare in præiudicium aliorum agnatorum, tamen ſi alienauerit, vt proximior agnatus ei ſit hæres, non poterit contrauenire alienationi. Alex. *conſilio* 18. *col.*2. *libro* 1. Grau. *conſ.* 135. *numero* 8.

Item hunc text. limita in ſuperiore, qui haberet poteſtatem plenam, non poſſet contrauenire inueſtituræ & præiudicare deſcendentibus vel agnatis, vt ex multis probat Grauet. *conſilio* 135. *in ſecundo dubio.* Item an ſilia, quòd Vaſallus non poteſt etiam tranſigere, nec deducere rem in iudicium in præiudicium agnatorum, ſed benè tamen ſecundum Grauet. *conſilio* 197. *columna ſecunda*, Item non poteſt permittere præſcribi, & ſic præſcriptio quæ currit contra eū, non nocet agnatis. Alex. *conſilio* 84. *columna fin.* ſed vid. Soc. Iun. *conſilio* 76. *numero* 23. & *ſeq. libro* 1. Adde quod nec in fructibus ſpectantibus ad agnatos poſt eius mortem poteſt præiudicare eis. Alex. *conſilio* 160. *in fin.* An autem alienatio feudi facta per patrem aſſentiente domino noceat domino, vid. Afflict. *dec.* 112. & an renunciatio patris noceat filio. vid. Bald *in L. quiſ ſe patris. numero* 11. *C. vnde liber.* Adde tamen an ſententia compromiſſum & tranſactio facta per Vaſallum noceat agnatis. Alex. *in l. ſæpe. num.*110 *ff. de re ind.* ſed Dec. *conſ.*445. *num* 3. cum ſeq. videtur reprobare hoc quod verius. vid. tamen Afflict. dec. 396. & de compromiſſo. vid. So. Iun. *conſ.* 77. *nu.* 77. *lib.*1. vbi plene declarat.

Limita tamen hunc text. vbi eſſet conſuetudo quòd Vaſallus poſſet alienare cum conſenſu domini in præiudicium aliorum agnatorum, tradit Soc. Iun. *conſ.*72. *num.*44. *lib.*1. quia tunc poſſent non obſtante aliqua diſpoſitione & fideicommiſſo, vt ibi. Et quod dicitur quòd agnatus non poteſt pati præſcribi in præiudicium aliorum. vid. Soc. Iun. *conſ.* 76. & 27. *libro* 1. & *num.*84. & 101. vbi dicit hoc non procedere in præſcriptione tanti temporis, cuius initij memoria non extaret. Add. quòd d. Soc Iun. *conſilio* 76. *numero* 123. *libro* 1.

Limita quod ſi fœmina fuerit relicta ex defuncto, poterit princeps, ſi ea petierit inueſtituram, & alij agnati fuerunt negligentes ei in præiudicium eorum concedere feudum poteſt, vid. ibi *numero* 18. aliàs Imperator non poteſt concedere feudum fœminæ in præiudiciū agnatorum. Sed quia iſte tex. non procedit in feudis nouis, vid. quando dicitur in propoſito: nouum & antiquum per Afflict. *deciſ* 248.

Titulus 40. De capitulis Conradi.

In §. præterea. An iſte §. excludat omnem præſcriptionem. vid. Fran. Balb. *de præſcript. in* 4. *parte princip. in* 12 *q. p. in* 4. *q.* & certe videtur quòd iſte tex. excludat etiam præſcriptionem 30 annorum contra gloſſ. hic, nam cùm ſpeciale ſit in feudo, vt nulla præſcriptio currat niſi 10. annorum, ſecundum Panor. *in c. ad audientiam. col. fi. extr. de præſcript.* certè licet text. ſic dicat, nulla obſtante præſcriptione quæ aliàs erat illicita, quæ erat 30. annorum, aliàs ſuperflua eſſent illa verba, quòd alia præſcriptio quàm triginta annorum non feudis non procedat. vid omninò Tiraq. *de retract. conuentionali* §.1. *gloſ.*2. *nu.* 11. vbi etiam dicit, an dictio ſemper & ſimul excludant præſcriptionem 30. annorum.

In § fin. Item ſi clericus, &c. qua ratione procedat iſte text. & an procedat etiam-

etiamſi Epiſcopus cùm conſenſu capituli commiſerit felonium, vide Rip. *in c.ſæpe.nu.95.ext.de reſtit.ſpol.*

Tit.41. De controuerſia inter maſculum & fœminam de beneficio.

Tit.42. De controuerſia inter dominum & emptorem feudi.

In §. Obertus dicit.vid.omnia per Guid.Pap.*in termi.in deciſ.*305

In verſ.eo quod ignorans,&c. Sed an ignorantia præſumatur hoc caſu an probetur per iuramentum vaſalli,& ſimilia.Dec.*conſ.*667.

Tit.43. De controuerſia inter Vaſallum & alium de beneficio.

In verſ.ipſe enim ſolus,&c.nota ſententiam latam contra vaſallũ præiudicare domino, de quo vide late ſupr.ad §.ſi Vaſallus,&c. in tit.*ſi de feudo controuerſia inter dominum & agnatum,&c.*

Tit.44. Quis iuris ſit ſi poſt alienationem feudi vaſallus id recuperauerit.

Tit.45. An agnatus vel filius defuncti.

Si contigerit &c. quando poſſit repudiari feudum & retineri,declara vt per Dec.*conſ.395.col.pe.nu.7.& conſ.445.nu.5.* vbi dicit hunc tex. non procedere in feudo hæreditario. Item nec in nepote, vbi Alex.*conſ.19. col.1.nu.3.* vbi videtur contra. Add.quod licet faciat inuentarium, tamen tenetur creditoribus paternis quoad fructus feudi ſatisfacere. Alex.*conſ.59.* Sed quod hîc dicitur de filio, non procedere in nepote,ſecund. Alex.*conſ 84.col.fin.* & quando procedat iſte tex.vid.omninò Soz.Iun.*conſ.77.nu.137.lib.1.* vbi dicit non habere locum in feudo antiquo. & *num.141.*vbi,& alio modo declarat. Item ſecundùm Pari.*conſ.2.nu.3.lib.1* quando feudum eſt hæreditarium:non poteſt agnatus velle feudũ & repudiare hæreditatem. Et ſic limita hũc tex.

In verſ.nec de debito hæreditario, vid.omninò Grau. *conſ.197.col.1.* vbi declarat quando procedat iſte tex.

In verſ.ſed aut vtrumque,&c. etiamſi fecerit inuentarium.Iul.Ferret.*in addic. ad Bar. in Libello contrar.tut.ciuil. & Longo. in Rubr.de prohib.alien,nu.* Idem in Emphyteuſi hæreditaria,tradit Soz. Iun.*conſ.68.in fin.lib.2.* ſed declara hũc tex procedere,vt per Alex.*conſ.26.nu.3.lib.5.* Idem declara procedere niſi filius ſit excluſus ab hereditate patris per eius renũciationem vel quis ſit à patre priuatus, nam tunc licèt non ſit hæres,poterit habere feudũ. Ita Soz.Iun.*conſ.114.nu.11.lib.2.*

In verſ.quo facto,&c.*vid.Soz.Iun.conſ.77.nu.141.lib.1.*

Titulus 46. An apud iudicem vel curiam domini quæſtio feudi debeat terminari.

Titulus 47. Qualiter dominus proprietate feudi priuetur.

In verſ.ita dominus,ſed an eo caſu vadat ad Vaſallum,vel ad quem,vid. Afflict.*deciſ.265.num.31.in 8.fal.*

In fin. in verſ. ſed prior ſententia, Lim.vt Afflict.*deciſ.265.num.3.fal.4.& 8.*

Titulus 48. De feudo non habente propriam feudi naturam.

Circa hanc materiam, quæ ſint feuda non habentia propriam naturam feudi, & quid requiratur, vt dicantur habere propriam naturam feudi,& ideò tunc poterit fœmina ſuccedere, vt per Pari.ibi *col.2.* & ibi loquitur de caſu vnius certi 10.libras. Add.quod feudum emptum eſt impropriè feudum,& ideò in eo ſuccedunt fœminæ,Pari.*d.conſ.4.nu.34.lib.1.*

In verſ.licèt propriam feudi,&c.Not ex hoc text.quòd quotiens in feudo apponitur aliquid, quod ſit contra naturam feudi, in exteris omnibus debet ſeruari natura feudi, vt in notab caſ. declarat Dec. *conſil.193. num.5. & 6.*

In verſ.& cui,in fin.& per iſta verba, An videatur conceſſum quod feudum tranſeat in fœminas,vid.Dec.*conſ.193.col.pen.*& Pari.*conſ.3.num.29.lib.1.*& Dec.*conſ.390.nu.8.*not tamen quod licet talem poteſtatem dominus dederit Vaſallo, intelligitur cum conſenſu domini, vt intelligitur ex Dec. *conſ.614.col.1.* Item quod per illa verba habeat poteſtatem alienandi tradit Grau.*conſ.84.col.2.& 92.vol.192 col.2. num 6.*vbi idem dicit, Tibi concedo & eis qui habebunt cauſam à te,nam eo caſu poterit alienare Item quid ſi dixerit,quod poſſit de eo diſponere ad voluntatem ſuam, vid.Alex. *conſ.115.* & multas formas inueſtiturarum,per quas videatur immutata natura feudi, vt poſſit Vaſallus cui velit relinquere & alienare feudum, tradit notanter Grauett.*deciſ 103.nu.129.*cum ſeq. & vide quod feudum, quod nõ habet naturam feudi,quando fuit conceſſum per verba, Donamus, quia amittit naturam feudi,& habet vim vel cauſam allodialium,& ideò ſuccedit fœmina, Soz.Iun.*conſ.76.num.49.lib.1.*& quando conceſſum eſt feudum pro hæredibus, quibus nunquam dicitur contra naturam feudi, ideo poteſt alienari ſine conſenſu domini,*conſ.3.lib.1.*

Titulus 49. De eo qui finem fecit agnato de feudo paterno.

Tit.50. De natura ſucceſſionis feudi.

In verb.verbi gratia.vid.Alex.*conſ.*110.

In fin.in verſ.omnes aliæ lineæ,&c. intellige tamen ordine ſucceſſiuo, vt proximiores admittantur, & quòd dicit æqualiter intellige. i. in capita, non in ſtirpes.Ita declarat Tiraq *in tract.de vtroque retract.§.2.gloſ.6.nu.2.*

Tit.51. De capitaneo qui curiam vendidit.

In verſ.reſpondetur,ſed iſtud in quibus terminis procedat, vide omninò Dec.*conſ 61.col.1.* vbi id declarat non procedere,quando dominus vendit ſub vniuerſitate, quia tunc tranſeunt feuda, quod not.in *§.fin. in verſ. ad certum ſeruitium.* Add.quod tunc dicitur feudum conditionatum,quando Vaſallus eſt obligatus ad certum, quod puta ad certum 10. librarum, nec tunc tenetur ad fidelitatem iurandam.Pariſ.*conſ.4.nu.16.lib.1.*Add.quod licèt in inueſtitura dicatur: Concedimus in feudum rectum, tamen ſi apponantur conditiones & certa ſeruitia, cenſetur potius conditionatum, licet appellauerit rectum.Pari.*conſ.*161.

Titulus 52. De prohibita feudi alienatione per Lotharium.

Tit.53. De pace tenenda inter ſubditos.

In gloſ.magna.in verſ.vnde ex hac L.poteſt, &c. Rom.in *ſing.*122. dicit dictam gloſ.ſing. ad hoc quod ſi per regem fiat præceptum quod de qualitate familia vadat vnus ad prælium de ætate 23. annorum cenſetur idoneus ad pugnam.

Titulus 54. De allodiis.

Guid.Pap.*in ſuis ſing.nu.*380.& quæſtionibus curiæ Parlamenti.q.551.& q.560.*tractat* materiam huius L.

Tit.55. De prohibita feudi alienatione.

In verſ.vel quocũque modo,&c. ſed quid ſi pignorauit hæredẽ ſine conſenſu domini an poterit ſibi ius hypothecæ remittere ſine cõſenſu domini,

Digitized by Google

vid. Afflict. *deciſ.* 231. Not. etiam quòd licèt expreſſè non poſſit feudum obligari, tamen poteſt quis ſe & hæredem ſuum obligare ad aliquid, ex quo poſtea fieri potuit executio in fructibus feudi. Ita Afflict. *deciſ.* 240. *in fin.* Sed pone maritus pro dote obligauit feuda, ſaluo conſenſu regis, antequam Rex aſſentiat, hæres mariti reuocat obligationes generaliter factas ſuper feuda ex conſtitutione regni, an poſſit vel intelligatur reuocaſſe obligationem pro dote factam, ſi poſtea rex aſſentiat. vid. Afflict. *deciſ.* 231. *in* 1 *dubio.*

Sed an alienatio neceſſaria ſit prohibita, puta per ſententiam. vid. omninò Dec. *conſ.* 445. *cum ſeq.* vbi dicit quod Vaſallus ſicut non poteſt alienare, ita non poteſt res in iudicium deducere, nec ſententia contra eum lata præiudicat aliis, item nec patitur præſcribi. *ibi nu.* 47.

Item ſi Vaſallus alienauerit partem, an amittat totum, vel partem illam ſolam. vid. omninò Dec. *conſ.* 667. *col.* 2. Item quid ſi Vaſallus ignorans rem feudalem alienet. & an præſumatur alienaſſe ignoranter & probetur per iuramentum. vid. ibi add. quod feudum non poteſt dari pro dote, nec obligari in ſpecie, neque in genere, ſecùs in fructibus, vt per Alex. *conſ.* 59. add. quod ſi fuit facta alienatio ſine aſſenſu & poſtea dominus præſtat aſſenſum de non alienando, nihil operatur. Afflict. *deciſ.* 355. Adde quod ſi vaſallus in teſtamento prohibuit alienationem feudi, nihil operatur. Soz. Iun. *conſ.* 72. *li.* 1. *nu.* 43 quia hoc eſt diſpoſitum per ius.

Amplia hunc text. quamuis tex. ibi. dicit ſine permiſſione, &c. vt etiam procedat, ſi à principio dominus dederit poteſtatem Vaſallo alienandi, non intelligitur cum côſenſu domini. Dec. *conſ* 614. *col* 1. *contra* Dec. *in c. quæ in eccleſiarum ext. de conſti. col. fi.* Sed an talis conſenſus probari poſſit per teſtes, & alia in hac materia vide per Afflict. *deciſ.* 243. Item an aſſenſus requiratur in alienatione, an in ratificatione alienationis, vide Afflict. *deciſ.* 285. *num.* 24 ſed quid ſi dominus conſenſit, ſed defunctus fecerat fideicommiſſum, in feudo, an valeat talis alienatio contra fideicommiſſum, vide latè per So. Iun. *conſ.* 72. *lib.* 1. & not. quòd ibi dicit. *num.* 44.

In verſ. nullius temporis. vid. Afflict. *deciſ.* 254. *num.* 4. in gloſſ. ex empto actio. Ad iſtam gloſ. vide omninò Afflict. *deciſ.* 278.

In verſ. & ad dominum liberè reuertatur, &c. An feudum alienatum irrequiſito domino ad ipſum reuertatur vel ad agnatos. Grau. *deciſ.* 77.

In §. præterea. el. 1. ſi quis infeudatus & idem ſi eſſet filius defuncti, Dec. *conſ.* 144. *col.* 3.

Limita niſi iuſtam haberet cauſam non petendi inueſtituram: nam excuſatur. Dec. ibi.

Limita 2. niſi portio feudi accreſceret alteri, quia tunc non eſt opus petere nouam inueſtituram. Item licèt amittat feudum hoc tamẽ intelligitur, ſi dominus vult, & oportet quòd hic ſententia feratur declaratoria. Dec. ibi col. fi. cætera vid. quæ ſcripſi ſup. ad tit. *quæ fuit prima cauſa, in princ.*

In §. præterea, el 2. Sed ſpectat ad primogenitum. Crauet. *conſ.* 135. *nu.* 7. ſed an de aliis inferioribus poſſit princeps ſeu ſuperior ſtatuere, quod ſuccedat tantùm primogenitus. vid. ibi per eum, & circa hanc materiam quando diuidatur vel ne, & quid de commoditate ipſorum fructuum latiſ. hanc materiam explicat Alex. *conſil.* 133. quem omninò vide, & per Dec. *conſ.* 389. vbi latè de materia. & Pari. *conſ.* 10. *col.* 2. *lib.* 1. vbi plenè declarat, &c.

Limita hunc tex. vbi expreſſè Ducatus vel Comitatus fuerit conceſſus, vt Comitatus, ſecus ſi ſimpliciter.

• Limita 2. quando in contrarium eſſet conſuetudo in loco quòd talia feuda diuiderentur, vt latè per Pari. *conſ.* 10. *col.* 2. *lib.* 1. Fallit etiam quando diuiſio fieret ex conſenſu domini quia valeret, Pari. *ibi nu.* 17. *& ſeq.* vbi tribus aliis modis limitat hunc text. In verſ. ſi conſortes. Doct. hic, elicimus quòd in feud. diuiſibili non ſufficit vnum prouocare diuiſionẽ, ſiue ſit maior, ſed omnes ſimul concordare debent, ſecundùm Iul. Ferret. *in addit. ad Bar. in l. Lucio contra Iura. iuri. & Longo.* vbi dicit diuerſum obſeruari de iure Longo. quod etiam minor prouocare poſſit. Ad & ſecundùm ipſum, quod ſi priuilegio conceſſionis ipſius feudi ſit appoſita clauſula, quod ſit diuiſibile & quod vnus poſſit prouocare alios, & dicto pacto poterit vnus etiam aliis inuitis feudum alienare, licet ex conſuetudine formam accipiat, vt ibi per eum. cùm ſicuti & cæteri contractus. §. fin. ſed an poſſit fieri compromiſſum in arbitrum vel arbitratorem ſine conſenſu domini ſuper feudo, an verò ſemper debeat agnoſcere dominus vel pares, latiſſ. declarat Soz. Iun. *conſ.* 77. *lib.* 1. *vbi vide.*

Titulus 56. Quæ ſint Regalia.

Circa fin. in verb. argentariæ, &c. Sed an hoc intelligatur de argentariis inuentis in loco regis tantùm, an etiam in loco priuati. Eadem quæſtio etiam procedit in venis aluminis vel aliorum metallorum, & ſic illud capitulum venit ad correctionem iuris cômunis, vt *l.* 3. *§. fin. ff. de rebus eorum, &c.* vbi dicitur, quod priuati poſſunt habere argentarias, latè per Afflict. *deciſ.* 321.

In verb. piſcationum, ſed quomodo piſcationes dicantur de regalibus, ſi de iure gentium vnuſquiſque piſcari poſſit, vt *L.* 1. *ff. de acquir. rer. dom.* vid. Dec. *conſ* 297. *col. pen. & in d. conſ. & L.* 1. an ius venandi ſit de regalibus. Item an poſſit præſcribi, cùm ſit de regalibus, vid. Soz. *conſ.* 270. & de Salinis. Add. Dec. *con.* 293. *col.* 1. de confiſcatione bonorum, de regalibus. vid. Grau. *conſ.* 128. *col.* 2. vbi etiam an feudatarius poſſit vti tali iure in ſuo feudo, ſed quando iſtæ piſcationes & gabellæ & ſimilia dicantur propriè regalia, notanter declarat Grauett. *deciſ.* 105. *num.* 25.

Titulus 57. Quot teſtes ſunt neceſſarij ad proband. feud. ingratitud.

In fin. in verſ. niſi quinque, &c. Et hoc ſeruatur. vid. Guid. Pap. *deciſ.* 180

FINIS.

NOTARVM

Digitized by Google

Digitized by Google

NOTARVM AD ACCVRSIVM

libri Miſcellanei,

TOTIDEM LIBRIS DIGESTORVM, CODICIS, NOVELLARVM, INSTITVTIONVM, ET FEVDORVM RESPONDENTES.

In quibus Gloſſæ Accurſij, & quorundam Doctorum interpretationes examinantur breuiter & ſuccinctè, & quæ minus idoneæ videntur, optimis rationibus ex legibus ipſis allatis improbantur, & meliores interpretationes tam ex antiquis, quàm ex recentioribus quibuſdam interpretibus afferuntur. His adiunctus eſt *Bene dictorum* Accurſij liber ſingularis, in quo Accurſij quædam interpretationes probantur, & inſuper aliis rationibus confirmantur,

Opus nouum, & antehac nunquam viſum: quod meritò REPVRGATIONES GLOSSARVM *appellare poſſis.*

Authore IOANNE HENNEQVINO, Iuris Vtriuſque Doctore.

Digitized by Google

Digitized by Google

Nobiliſsimo & clariſsimo viro

CLAVDIO HENNEQVINO, DOMINO DE BERMINVILLE, REGIS

Conſiliario, & libellorum ſupplicum Magiſtro, Ioannes Hennequinus, Iuris vtriuſque Doctor S. D.

OPVS magnæ operæ & laboris, ac tot grandibus ingeniis adhuc inauſum, tandem ad finem diuino adiutu perduxi. Quod dum in manus & iudicia hominum do, vindicem quærere incubui non è vulgo. Video enim rem inuidiæ & offenſionibus eſſe obnoxiam, ſi quis hāc notionem ſibi arroget, quid in authore tāto dignum laude quid cenſurâ. Occurris tu mihi Fauſtum ſidus, vir clariſſime, & cui lubentius hæc ſtudiorum meorum libamenta committam, reperi prorſus neminem. Siue enim dignitate & honore præſtantem virum volo, authoritas in ampliſſimo Senatu, tua perſpicua, quam fide, integritate, cōſtantia, ita imples vt iam accedere poſſit nihil ad hanc arcem glori ę tuæ. Sin aut humaniorum literarum, aut ſapientiæ ciuilis cognitionem deſidero, vtraque in parte quantus ſis, ſi quis neſcit, næ Muſas ille neſcit, Themin neſcit. Sin denique beneuolentiam, aut fauorem, id verò bonum mihi quàm largiſſimè dudum indulges. Ac nonnihil etiam ſecuritatis & fiduciæ neceſſitudo noſtra ſubminiſtrat. Denique domeſtico præſidio & gentilitio tanto fretus, aliena adminicula ſi conquiram, peccem nimis aduerſum me. Sed & iſtud honori tuo munus dedi, vt quātum obſeruem te, quantum amem, publica aſſertione teſtarer. Neque tamen quod credidiſti reddo: ſed ne penitus videar decoxiſſe, penſionem interim mitto. Hunc igitur ingenij mei fœtum ſuſcipe fauens, & in tua patere eſſe tutelâ. Quod ſi faxis, ego & in cultum tui, & in hæc ſtudia, magis ac magis incaleſcam: ac malignis alienorum operum interpretibus, placeámne, an diſpliceam, curare odero. Vale, vir clariſſime. Ex muſæo noſtro Calend. Februar. anno M. D. LXXXIX.

Ad Lectorem.

CVm Dionyſius Godofredus vir Iuris peritiſſimus & de Iuriſprudentia optimè meritus in Accurſio expoliendo, & multis mendis repurgando egregiam operam nauaret, méque pro ſua in me beneuolentia cohortatus eſſet, vt hunc laborem ſuſciperem, licèt id, onus viribus meis impar eſſe cenſerem, iuſtæ illius petitioni refragari nolui, quem ego amore & perpetuo quodam iudicio meo dilexi, & cui pro ſingulari ſuo in me beneficio maximam animi beneuolentiam, & ſumma ac ſingularia ſtudia me debere confiteor, Opus igitur hoc, auſpicio tanti viri aggreſſus ſum, cuius ſola authoritas etſi me à plurimorum calumniis vindicare poſſet, quoniam tamen nimis multi ſunt maligni alienorum operum interpretes & calumnioſi homines qui nihil niſi (vt inquit Comicus) quod ipſi faciunt, rectum putant, diu hærere coactus ſum, ne opus tam arduum in re tanti momenti ſuſcipienda adorirer, quo pro viribus laborarem poſt tot tantóſque viros Iuriſprudentiæ purioris antiſtites è fundo caliginis tam impensè veluti ſordeſcentem veritatem eruere: præſertim cum videam apud pleroſque neſcio quos rerum æſtimatores & Conſiliatores ſemidoctos, quicquid Accurſius dixit id pro oraculo haberi, & Accurſianæ iuriſprudentiæ tenebras titulo & exiſtimatione lucis contra veritatis fulgorem graſſari atque triumphare. Sed his aliíſque non obſtantibus, vicit tandem cauſæ dignitas, ſpecimen veritatis, maieſtas lucis, occaſionis commoditas, & Doctiſſimorum quorundam Iuriſconſultorum conſenſus, qui plurima in Accurſio cenſura digna eſſe exiſtimauerunt, quorum authoritate & rationibus pleraque in his meis notis dicta confirmantur: illud mihi in memoriam reuocans quod quodam loco Fabius Quintilianus ait, eos non errare, qui magnos duces ſequuntur. Nihil igitur impediat quod nouarū opinionum ſectator, aſſertor, atque probator habear, ſi quippe penitius aduerſarij mei intueantur, nihil ſub ſole nouum fieri poſſe conuincentur, & ſi purioris Iuriſprudentiæ interpretū ſcripta peruoluāt, vt magni illius viri Iuriſconſultorū huius ætatis facile principis Iacob. Cuiacij, Franciſc. Duaren. Ioan. Corraſij, Antonij Goueani, Franciſc. Connani, & aliorū, quorum nomina recenſere infinitum eſſet, reperient me non anilia deliramēta referre. Quæ cum ita ſint, deſinant nobis obijcere calumniatores illi hanc opinionē eſſe nouā: hæc enim opinio non ita hoc tēpore noua eſt, quin aliquando fuerit antiqua: quoties enim in antiquorū Doctorū libris repetitum legimus, (Hæc gloſſa reprobatur, hæc gloſſa nō placet) Dicant quicunq; volēt opiniones noſtras ſimiles ſomniis illis eſſe, quæ apud Lucianū in lib. de veris narrat. habētur. Dicant nos contra torrentē authoritatis ſummorum probatiſſimorumq; Doctorū adnatare, improperēt nobiſcū conſentiētium numerū exiguum, hinc enim nihil ſe ſuo viderint conuitio cōſequutos, quo nos falſo reprehēdere Accurſ. comprobēt: cū hæc omnia ipſa veritas ſatis refellat, etſi autem proſpicio me in nonnullorū offenſionē incidere, quod multorum ſentētiam improbē, his reſpōdere viſum eſt, in omnibus diſciplinis & artibus nō authoritate, ſed ratione pugnandū: quare ſi ratione ſuperior fuero à me aliquē merito reprehēdi moleſtè ferre nō debebūt. Sin autē alij ratione & argumētis me ſuperarint ſentētiam meā redargui libētiſſimè patiar. Eſto enim quod decipi poſſim & errare: decipi tamē & in errore eſſe nō putare, quid quæſo argumēti erit, quo me cōuitiis & dicteriis laceſcāt: hos rogatos velim ne me aduerſus Iuriſconſultorū præcepta ſolo Tituli huius operis nomine inſpecto nondū cauſa cognita cōdemnēt & permittāt me meū adhuc ſuſpēdere iudiciū, quoad vſque aliis rationibus conuinci poſſim, vt tandē tutius in eam quā malunt ferar ſentētiam, quam moram eos mihi cōdonaturos ea ratione confido, quod interpretationes antiquorum illorū non temerè reiiciamus: ſed rationes ex legibus ipſis ſemper afferamus, quibus ad illorū reprehenſionē incitati fuerimus, ex quibus quis videre poterit nos nō tam reprehendēdi cupiditate quā veritatis amore duci: nec tamē ob id quidquam eorū authoritati derogandum cēſemus, licèt à priſcorū doctrina & eruditione aliquantulum degenerarint. Id enim nō ingeniorū tarditate, quæ ſumma ipſis eximiaq; fuerūt, accidit, nō rerū incuria ad quas percipiēdas ſummo ſtudio incubuerūt, ſed priſcæ hiſtoriæ ignoratione id omne cōtigit antiquariūq; rerum inſcitia quas infelicitate tēporum ſatis noſſe non potuerunt. Nā cùm propter calamitoſa & diuturna bella quæ ſuperioribus ſeculis Italiā mirè vexarūt, politiores literæ diu cōtēptæ iacuerint, & maxima pars elegātioris doctrinæ tū tēporis in tenebris eſſet cōdita, ſitu, & ſquallore multorū ſeculorū obruta, ac penè de maiorū noſtrorū manibus vna cū imperio à barbaris nationibus extorta, quā plurimi linguæ latinæ puritate & ingenuis artibus vacui (quorū multis perſuaſum erat verborū elegantiā ſtudio iuris incommodiorē quàm vtiliorē eſſe) Iuris Ciuilis interpretationē aggreſſi immēſa volumina fecerunt: in quibus licet quædā vtilia legantur nihilominùs qui magnos in his ſtudiis progreſſus fecerūt grauiſſimos in eis errores ineſſe apertiſſimè vidēt. Mitto eos tā barbarè loqui, tā inſulſa docere, tā ineptè diſtinguere, tā cōfuſè diſputare: vt nemo liberalib. doctrinis excultus

cultu

cultus eorum libros ſine nauſea legere poſſit. Quinetiam nulla ferè res eſt, de qua non inter ſe diſſentiant aut digladientur. In eorum enim ſcriptis multæ ſunt lites, multæ confuſiones, multæ rixæ, innumeræ diſcordiæ, nihil ordinatum, nihil clarum, nihil munitum, hic omnes omnibus contradicunt: ſolus eſt quilibet, nullus alteri ſapiens, adeò vt ſi eos ſequi velis nihil omnino certi, nihil quod firmum ſit tenere queas, quo quidem quodnam eſſe poteſt maius falſitatis veritatiſque indicium, ſcilicet illa vis eſt naturæ perpetua, vt temporis circumactu omnia deteriora fiant, vitiáque in dies erroréſque inualeſcant, vt præclarè quondam à Poëta dictum fuit his verbis:

Omnia fatis
    In peius ruere ac retro ſublapſa referri
Non aliter quàm qui aduerſo vix flumine lembum
    Remigiis ſubigit ſi brachia fortè remiſit
Atque eum in præceps prono rapit alueus amne.

Temporibus illis antiquorum Iuriſconſultorum, quorum fragmenta in Pandectis noſtris extant florebat omnis elegantia, vt ex eorum ſcriptis facilè perſpicere cuiuis licet: veteres enim illi iuriſperiti non eo tantùm nomine laudantur, quod legum peritia excelluerint, verumetiam quod literarum & linguarum exacta ſcientia diſciplinæ huic non dignitatem tantùm & maieſtatem, verumetiam ingentem gratiam conciliauerint, ex orationis enim puritate proprietatéque verborum rebus iam per ſe ſatis obſcuris magnum lumen accedit, ex quibus videre licet quantum conferat, ſi quis iuris ciuilis ſtudio, elegantioris doctrinæ peritiam adiunxerit. Nam veteres illi barbari non modò in interpretando incerta ferè ratione vagabantur, vixque ea quæ animo conceperant exprimere poterant, ſed pleraque etiam intelligere & aſſequi nullo modo in eorum poteſtate erat, ea maximè deſtituti facultate, qua veteres Iuriſconſulti in iuris interpretatione tantopere adiuti fuerant. Quæ omnia cum ita ſe habeant mirari ſatis nõ poſſum, quod hoc adhuc æuo (quo tamen aliquomodo elegãtia reuixit) quidam Accurſij, Bartoli, Baldi, aliorúmque dogmata quædam diſtinguunt, veluti philoſophiæ ſectas multipliciter partientes, ſimul ad miraculum excitãdum nomina quædam auctorum citant, ne nomenclatoribus quidem nota. Palmarium eſt enim inter eos ignobiliſſimi cuiuſque & omnibus obſcuriſſimi authoritatem afferre: tranſlatitium verò & obſoletum veteres commemorare, id eſt omnium optimos, ſed qui iam ad manum ſunt omnibus & veluti obſorduerunt. Tam ſunt ſua cuique verba quædam mirifica omnino tamen barbarica: hoc enim vnum maximè inter omnes conuenit. Adde quod interim Doctores ſuos honorificentiſſimis appellationibus inter diuos propemodum referunt, eorúmque adnotata quædam apophtegmata pro oraculis ediſcunt. Hoc illi ſonitu verborum inani, non modò pullatam turbam, ſed etiam primarios homines literarum ignaros in ſtuporem adducunt quaſi arcana ſapientiæ ex altiſſima mente proferant. Niuibus enim hibernis crebriora, copioſioráque iura allegaſſe dicuntur, omniáque maiorum placita inaudita facundia recenſuiſſe. Quod cùm ipſi audiunt digito ſe cælum attingere propediem confidunt, etiam ſi in omni genere literarum, præter hoc vnum, ab imis vnguibus ad verticem ſummum toti ex inſcitia concreti ſint: verum hoc illud eſt eis Amalthea cornu, vbi ineſt quicquid volunt, hæc illa eſt eiſdem encyclopædia, vnus eis Accurſius omnium inſtar eſt omniſque generis auctorum: ex eius recondita doctrina vel lac Gallinaceum haurire didicerunt, ſub Accurſij nomine intelligi alios gloſſulatios velim iuris Pontificij; quando eadem auctoritate præditos eſſe videmus; vel ipſius Ioannis de Immola teſtimonio, qui in cap. Paſtoralis in princip. de offic. ord. ait potius eſſe ſtandum opinioni Gloſſæ, quàm dicto Innocentij Pontificis. Quaſi verò neſciamus vnius aut Alexandri Felini lectione, aut alterius recentiorum mirificam iſtam doctrinæ ſpeciem facilè præberi poſſe, qui ex antiquorum ipſis commentariis ad vnum excuſſis rerum ſummas haurientes, huius ſcientiæ breuiaria ſummo ſtudio & labore compoſuerunt, aut perinde quaſi Doctorum illa turba, (haud dubiè peringenioſa) alia aliáque ſemper aut in aliã potius atque aliam verſa ſpeciem, antiquis addiderit, ac non exquiſitis lenocinijs vetuſta iterum iterúmque interpolans, non ſine ſtellionatus crimine inſignem impoſturam fecerit. Siquidem poſteriores præceptam ſibi à prioribus ingenij gloriam indignantes quæ ab illis inuenta ac literis mandata compererant, ea varijs mangonijs interpolata, magna ex parte poſteris pro ſuis tradiderunt interuerſa maiorum ſuorum laude.

Digitized by Google

De authoritate Gloſſæ quædam Doctorum teſtimonia.

DE hac authoritate cum plurima apud Doctores exempla paſſim extent, tum verò illud inſigne præterire nõ poſſumus, quod à Bartolo, Baldo, Alexand. & Iaſone traditur in *l. vt vim. D. de iuſt. & iur.* quo in loco illi omnes vno ore dicunt Gloſſam authoritate cæteros omnes Doctores antecellere, à quorum opinione non multum recedere videtur Ioan. de Imol. *in l. 1 col. 2. de vulg. & pup. ſubſt.* vbi dicit Gloſſ. ſufficere pro textu, quãdo textus non reperitur: cuius opinio hodie etiam in foro & Tribunalibus recepta eſt, in quibus Gloſſæ opinio legi vigorem habet, nec hi ſoli in ea opinione fuerunt. omnes enim ferè Doctores antiqui in id vnũ cõſentiunt, vt ſemper exiſtimauerint Gloſſam cæteris omnibus opinionibus præponendam eſſe, cuius rei exempla ſelectiora referre non pigebit, ac primùm Iacob. Butrig. in *l. 1. C. qui pro ſua iuriſdict.* ait opinionem Gloſſæ ſemper eſſe ſequendam, niſi vſus & conſuetudo ſit cõtraria, cuius hæc verba ſunt: Cum (inquit ille) Gloſſa illuſtre admodum ingenium habuerit, iúſque ciuile omnium optimè tenuerit, & in iure dicuudo, & in reſponſis conſulentibus dandis ab eius ſententia & opinione recedere Iuriſconſulti nullo modo debent. huic conſentit Bald. *in l. quanquam. C. de ſenten. quæ ſine certa quan. & in l. heredi ius. C. depoſit.* alio loco dicit Gloſſam in dubio ſemper eſſe tenendã, & ab ea in iudicando conſulendóque iudices recedere non poſſe. Idem Bald. in *c. 1. de nat. ſucceſſ. feud.* ait ſe in conſulendo multùm ſequi Gloſſam ordinariam, quia non poteſt adhærere meliori. Idem in *l. fin. C. de pœn. iudic. qui malè iudic.* ait nos non debere recedere ab opinione ſapientum, & maximè Gloſſarum: hæc eſt opinio Bald. qui alio loco videlicet in *c. 1. § iudices de pace.* idem pene, aliis tamen verbis refert propter opiniones doctorum nos non debere recedere ab opinionibus Gloſſarum, cuius etiam opinioni adſtipulatur Angel. in *l. 2. D. de accuſation.* vbi dicit non eſſe tutum recedere ab opinionibus Gloſſarum: & pro ſua opinione confirmanda nititur authoritate Salicet. qui in *l. traditionibus. C. de pact.* feſtiuè admodum dicit nos ita inhærere debere opinionibus Gloſſarum ſicut Bononienſes Carocio. Idem Salic. in *l. 2. C. de ſenten. quæ ſine certa quant. profer.* lepido exemplo docet quomodo Gloſſam ſequi debeat iudex, his verbis, Quemadmodum (inquit ille) qui neſcit equitare, tenet ſe ſuper arzone: ita iudex qui neſcit iudicare, debet ſequi opinionem Gloſſæ. In tantam denique authoritatem peruenit, vt Cyn. in *l. non mortuorum. C. de contrah. ſtipul.* dixerit, Gloſſam eſſe idolum aduocatorum. Idem in *l. 1. C. de oblig. & actionib.* dixerit eſſe Iuris Idolum. ex quibus omnibus liquet, Doctores omnes Gloſſam pro oraculo habuiſſe, adeò vt Bartolus in conſilio quodam ſic dixerit ſequere Gloſſam ordinariam, quæ melius ſemper cæteris intellexit. Bald. in *l. fin. § neceſſitatem. C. de bon. quæ lib.* hanc vocem pronunciauit. Adhæreas veritati, id eſt (vt inquit ille) Gloſſæ, & in perpetuum non errabis, qui idem in *c. contingit de dolo & contum.* errorem quendam Bartoli demonſtrans, dicit eum ſomniaſſe, & id accidere omnibus Doctoribus volentibus infringere opiniones Gloſſarum. Reſtat adhuc vnicum exemplum quod apud Raphaelem Fulgoſium ſe obſeruaſſe dicit doctiſſimus quidam vir, Verba ipſius Fulgoſij in medium proferam. In iudicando, inquit, temerarium eſſet attentare iſtud, quia communis Gloſſæ & Doctorũ ſententia eſt, quod tranſeant ſine ceſſione, & noſtis quanta ſit authoritas Gloſſatoris, Nónne dixit Cynus Gloſſam timendam propter præſcriptam idololatriam per aduocatos, ſignificans quod ſicut antiqui adorabant idola pro diis: ita aduocati adorant Gloſſatores pro Euangeliſtis. Volo enim potiùs pro me Gloſſatorẽ, quàm textum. Nam ſi allego textum, dicent aduocati diuerſæ partis, & etiam Iudices, Credis tu quod Gloſſa non ita viderit illum textum, ſicut tu? & non ita bene intellexerit ſicut tu? Ego recordor quod dum eſſem ſcholaris eram ſatis acutus: & dum eſſemus multi ſocij in vna collatione, auſus fui vnum textum allegare cõtra ſententiam Doctoris mei: Tantam audaciam habui. Dixit vnus ſocius, Tu loqueris contra Gloſſam quæ dicit ſic. Et ego reſpondi, Et ſi Gloſſa dicit ſic, ego dico ſic, ignarus auctoritatis Gloſſatorum. Credebam enim quòd eſſent communes apoſtillæ, quales ſunt in libris Grammaticæ ſicut ſuper Virgilio & Ouidio, ſed tamen non ita eſt. Fuerunt enim Gloſſatores maximæ ſcientiæ viri & authoritatis, & ſi aliud non eſſet quàm Gloſſarum ordinatio, & de quibus poteſt dici id, quòd arbitror de nullo dici poſſe, videlicet quod totum Corpus Iuris viderunt. Magis ergo ſtandum eſt eis qui viderunt, quàm nobis qui non vidimus. Hæc ſunt ipſiſſima verba Fulgoſij in *ll. ſi in ſolutum. C. de oblig. & actionib.* Idem Raphael Fulgoſ. Veruntamen, inquit, in iudiciis malim authoritatem Gloſſatoris pro me habere, quàm textum: quoniam dicit ille qui eſt in medio, Credis tu quod Gloſſa non viderit textum illum, & non ita bene intellexerit ſicut tu? Hæc ille in *l. ad officium. C. commun. diuid.* Idem aliud loco ſic ait, Dominus tamen Bartolus eſt in contraria ſententia, vt iſte titulus habeat locum etiam in actore: & hoc dicit probari, dum textus dicit: Nec repetendæ actionis. Sed vt videtis Gloſſa exponit primò defenſionis: cuius authoritas in iudiciis noſtris præualet. Nam nemo ex ſcribentibus etiam ſi duo ſint, præualet Gloſſatori. Hæc ille in *l. 1. C. de his qui poten. nomin. & l. 2. in princ. de ædil. edict.* Sed ſi ſententia Gloſſatoris duobus doctoribus eſt contraria, profectò in iudiciis præualeret ſententia ipſius Gloſſæ. Hæc eadem verba Fulgoſij doctiſſimus vir retulit in præfatione ſuorũ Cõſiliorum. Hę ſunt opiniones de Gloſſarum authoritate natæ, vt opinor, ab iis qui preſſum Iuriſconſultorum dicendi genus non intelligebant, in quibus referendis vereor, ne delicatas aures offenderim, ſed mihi condonabunt: nolui enim Doctorum verba immutare, hæc igitur æqui bonique conſulat, lector, velim.

Elench-

ELENCHVS AVTHORVM ET INTERPRETVM IVRIS
quorum authoritate plurima quæ in his Notis dicuntur, confirmantur, & quibus vſus ſum in his Notis conſcribendis.

ADMONITIO AD LECTOREM.

Admonitum te volui (beneuole Lector) me nihil immutaſſe in iis authoribus, ex quibus quid deſumpſi, ſed eadem ipſorum verba retuliſſe. Non enim video quæ perſpicacitas in iis eſſe poßit qui aliena paucis mutatis pro ſuis edunt. Si mihi Dei munere id concederetur, quod Autolico Mercurij, & Luchionis filio conceſſum fuiſſe accepimus, vt omne furtum impune cederet, dimidium Bartholum & Iaſonem tibi tranſcriberem ſtylo forſitan politiore, nec ſine ambitioſa nominis mei inſcriptione, atque ita alienis ego laboribus, me tibi redderem gratiorem: ſed quia exquiſitum tuum iudicium & lectorum plerumque induſtria non libenter patitur tantam iniuriam veris fieri authoribus, malui eadem ipſa authorum verba (quibus in his Notis vſus ſum) referre. Abſit enim moribus meis ea labes, vt à quo quid deſumpſi, id non agnoſcam accepiſſe. Illud mihi in memoriam reuocans, Ingenuum eſſe, fateri per quos profeceris.

AC PRIMVM EX ANTIQVIS.

Placentinus.
Hugolinus.
Bulgarus.
Pileus.
Martinus.
Lotharius.
Odofredus Beneuentanus.
Aldericus.
Rogerius.
Azo.
Ioannes de Blęuaſco.
Iacobus de Beluiſo.
Dynus.
Petrus de Bella Pertica.
Iacobus de Arena.
Nicolaus Malumbra.
Bartholomæus Butrigarius.
Cynus.
Oldradus de Ponte.
Iacobus Butrigarius.
Ioannes Calderinus.
Bartolus.
Albericus de Roſate.
Guilielmus de Cuneo.
Aluarotus ab Aluarotis.
Baldus de Vbaldis.
Angelus de Vbaldis.
Bartholomęus de Saliceto.
Raphael Fulgoſius.
Raphael Cumanus.
Ioannes de Imola.
Paulus de Caſtro.
Franciſcus Aretinus.
Franciſcus Curtius Senior.
Iaſon Maynus.
Philippus Decius.
Bartholomęus Socinus.
Hippolitus de Marſiliis.
Ludouicus Bologninus.

EX RECENTIORIBVS.

Andreas Alciatus.
Iacobus Cuiacius.
Ioannes Corraſius.
Vldaricus Zazius.
Antonius Auguſtinus.
Petrus Rebuffus.
Marius Salominius.
Bartholomęus Chaſſanæus.
Andreas Tiraquellus.
Franciſcus Duarenus.
Eguinarius Baro.
Carolus Molinęus.
Franciſcus Hotomanus.
Hugo Donellus.
Stephanus Forcatulus.
Antonius Goueanus.
Antonius Contius.
Iacobus Rǫuardus.
Franciſcus Connanus.
Ludouicus Charondas.
Antonius Vacca.
Bernardinus Vualtherus.
Dionyſius Godofredus.
Ioannes Robertus.
Furnerius.
Nicolaus Boerius.
Petrus Coſtalius.
Petrus Pithęus.
Barnabas Briſſonius.
Iacobus Menochius.
Ferandus Adduenſis.
Cephalus.
Franciſcus Zoannetus.
Didacus Couarruuias.
Alphonſus Gomeſius.
Ioannes Fichardus.
Viglius Zuichemus.
Thomas Grammaticus.
Emanuel Coſta.
Conſtantinus Landus.
Cotta in memorabilibus.
Guilielmus Budęus.

Digitized by Google

AD EXIMIVM VIRVM

IOANNEM HENNEQVINVM,

emendantem veteres Accurſij Gloſſas,

ODE.

Virgo ſupremi Iouis, & beati
Carminis mater, liquidaq; vocis:
Docta victrices hominum ac deorum
Dicere laudes:

Sic ſolum feſta reſonans Choræa,
Fundat in ſacris Heliconis oris
Splendidum gemmæ decus, & comantem
Veris honorem:

Tange fraterni variè loquentes
Barbiti neruos, Phrygiámque gentem
Quam lauit Xantho Tyberis relicto,
Aſſere vitæ.

Auream Martis domus & Quirini
Delphica frontem redimita lauro,
Inter illuſtres caput inuidendum
Extulit vrbes.

Qualis argento placidam minores
Luna ſub noctem micat inter ignes:
Qualis æternum medio renidet
Phœbus Olympo.

Parua quæ primùm iacuit, rudíſque
Agminum, fortis modò, bellicoſas
Contudit gentes, grauibúſque pugnis
Oppida fregit.

Hanc Tyri proles animoſa ferro
Senſit inuictam, domitúſque ſerò
Cantaber, ſenſit metuendus arcu
Parthus & Albis.

Tunc & horrendi medio Britanni,
Quos ſinu celat piger Amphitrites,
Vltimæ ſimiles gemuere preſſi
Mole ruinæ.

Artium, diues genitrix valentum
Inclytis rebus dare ſempiternæ
Munus ætatis, meritáſque lauros
Lege caduca

Soluere, admirans nihil, ô beata,
Te ſonat maius meliúſque terra
Qua patent vſque ad tumidos Iberas
Solis ab ortu.

Te decor pennis tegit, aureóque
Pallas è templo: tua quin gubernat
Dextra libratum benè temperatis
Legibus orbem.

Oppidis latè dominata centum
Iura Minois cecidêre: læſo
Impiè nato cecidêre duri
Iura Zaleuci.

Vos & inſonti maculaſſe tabo
Fama, quæ ſeros tulit ad nepotes
Lignáque & nomen, ſcelus expiandum
Morte luiſtis.

Mitis & carmen, ſenis obſoleuit,
Alliget quamuis populo Senatum:
Et quibus fortes paruere, magni
Dicta Lycurgi.

Aere manſuro iubeas vetéſque,
Vrbium regina potentiorum:
Donec humentem vaga Noctilucam
Aſtra ſequentur.

Floreat tecum magis erudita,
Quæ diu crudo vitio magiſtri
Oblitas leges, nimiùm frequenti
Vulnere ſanat.

Hanc & intonſis Clarius capillis,
Agmen & Phœbi, genitúſque Maia
Iuris agnoſcat decus, & peritam
Nomine dicat.

Th. Q. T. F.

NOTARVM AD ACCVRSIVM, ET ALIOS IVRIS INTERPRETES, IN QVIBVS GLOSSÆ ACCVRSII, ET CÆTERORVM DOCTORVM interpretationes examinantur breuiter & ſuccinctè, & quæ minus idoneæ videntur interpretationes optimis rationibus ex legibus ipſis allatis, reprobantur: libri quinquaginta, tot libris Pandectarum reſpondentes.

LIBER PRIMVS, AD PROOEMIVM DIGESTORVM.

NOn ſat rectè Accurſius rationem inſcriptionis Pandectarum & Digeſtorum percepit, cum dicit hoc opus ita appellatum fuiſſe, quòd diſputationes legitimas in ſe contineat & digerat: nam Digeſta hi libri inſcribũtur: quia Iuſtinianus cùm ei diſplicerct veterum librorum multitudo & confuſio, ex eis hoc opus cõcinnauit, & in certos libros tractatúſque digeſſit, ac diſpoſuit, *vt eſt in l. conſt. §. cùmque.* Quod & Iulius Cæſar longo ante Iuſtinianum tempore facere conſtituerat, vt author eſt Sueton. ¶ Item errat Accurſius, cum Pandectas putat dici a Πᾶν & δέχω, quod dicit ſignificare doctrinam: quia, vt dicit ille, totius iuris doctrinam hic liber continet in ſe. Sed non mirùm eum in his erraſſe cùm Græcam linguam nullo modo calluerit. Dic igitur Pandectas dici ἐκ τοῦ τὸ πᾶν ἐν ἀθροισμῷ ἐνδέχεσθαι.

Ad hæc, verba In Nomine Domini.

Nullo modo recepta eſt Bartoli & quorundam ſententia, exiſtimantium quod Diuini nominis inuocatio his libris præpoſita ſit, idcirco rerum quoque priuatarum documentis præponendam eſſe; *vt Alc. lib. 9. παρεργ. c. 6. & Aret. in procem. Inſtit.* docent. cum nuſquam hoc præceptum ſit, *arg. not. per gl. in l. Generali. C. de Tab. lib.* 11. Illud etiam me mouet, quod Imperator Conſtitutione illa qua Imperatorium nomen inſtrumentis & actis publicis perpetuò præferri iubet, quale initium fieri oporteat, exemplo docens à ſuo ipſius nomine ſtatim incipit, non à diuino, quamuis Accurſius Imperatoris verba in Latinum antea malè conuerſa praua inſuper interpretatione interuertere conatus ſit. *gl. d. Auth. vt prep. nom. Imp. in ver. authore.* Sed cùm poſtea generaliter inoleuerit hic ſtylus, vt diuinum nomen omnibus præponatur, inueteratæ conſuetudini tantùm tribuendum exiſtimauerim, vt ſi documentum ex integro edi poſſit auſpicatiore hoc principio edatur, alioquin & ſine ſcrupuloſitate iſta (ſi cætera conueniant) fidem faciant. Hęc habui quæ contra Bartoli ſententiam dicerem, plura vide apud Antonium Vaccam ad Procem. Digeſtorum.

Ad hæc verba, Flauius, Fœlix, Auguſtus, Pius.

Vim epithetorum quæ ſibi attribuit Iuſtinianus in principio procemij Digeſtorum, non rectè percepit Accurſius. nam cum ſe Flauium appellat Iuſtinianus, putat Accurſius, eum ſic appellatũ, quòd fuerit flaui coloris, id eſt rubei, vel ſic appellatum putat quod Flauios deuicerit. non mirũ eſt mihi Accurſium in his erraſſe, cum hiſtoriæ prorſus imperitus fuerit. Hæc autem non niſi ex hiſtoria ſciri poſſunt. ſic igitur cõſtituamus à Veſpaſiano Imperatore nomen hoc manaſſe, quem è gente Flauia noua & ignobili fluxiſſe Sueton. author eſt. nam cum eius filij Titus & Domitianus Imperij ſucceſſores familię nomen retinuiſſent: poſtea longo interuallo Conſtantius, cui Conſtantinus magnus ſucceſſit, illud idem nomen repetitum, vſurpauit: quaſi ex Flauiorum gente prognatus, vt Trebellius in Claud. teſtatur. Eum imitati poſtea ſucceſſores, nomen hoc Iuſtiniano noſtro quaſi per manus tradiderunt, vide Fabium in princi. Inſtit. vide VVeſembecium, vide Frãc. Hotom. ibid. qui ex hiſtoriis hæc omnia repetiit omniũ optimè vide Duarenum ad procem. Digeſt. vide Marium Salamon. qui ſcripſit in 1. lib. Digeſt. eruditiſſimos Commentarios.

¶ Fœlicis appellationem ignorauit Accurſius, cũ dicit, à virtute animi hoc inditum ei fuiſſe nomen, vel propter multas diuitias quas habuit, inquit ille, vel quia erat rerum mũdi cognitor, quorũ neutrum verum eſt. Id igitur ex hiſtoriis repetamus neceſſe eſt. Vnus hominum ad hoc æui, inquit Plinius, felicis ſibi nomen aſſeruit, Lucius Sylla: ciuili nempe ſanguine ac patriæ oppugnatione adoptatus. ſi plura ſcire velis, vide Plutarch. in Lucij Syllæ vita, & Appianũ lib. 1. de bello ciuili, & vt ſciamus quemadmodum hoc nomẽ ad Iuſtinianum peruenerit notandum, vſurpaſſe poſtea longo interuallo cognomen hoc Imperatorem Commodum, quemadmodũ hiſtorici omnes teſtantur, qui de vitis horum Imperatorum ſcripſerunt: hunc autem Imperatorem Commodum plerique ſucceſſores eius imitati ſunt, & illi appellationem hanc Iuſtiniano noſtro tradiderunt. Non expoſuit idem Accurſius quare Alemanicus dictus fuerit. Tu dic, hæc nomina à deuictis hoſtibus ſibi adſciuiſſe Iuſtinianum, vt teſtis eſt Vopiſcus in vita Proculi, Alemanos, inquit, qui tunc adhuc Germani dicebantur non ſine gloriæ ſplendore contriuit. Idem Gotthicus dictus à deuictis Gotthis, quod etiam Accurſius noſter prætermiſit fortè quod ignoraret quinam eſſent Gotthi. Gotthi igitur propriè dicti ſunt, qui Germanici maris inſulam Scãdiam incoluerunt, & inſignem ex Romanis victoriam retulere, circiter annũ Chriſti 256. ſuperato Decio Imperatore Romano. Hi poſtea duce Alarico circa annum 407. vrbe Roma potiti, quos Iuſtinianus anno 568. per ſuum Narſetem ducem profligauit: & ideo ab iis deuictis Gotthicus dictus. Frãcicus etiam dictus à deuictis Francis, quod Accurſius etiam prætermiſit ob hiſtoriæ ignorationem, vel non rectè explicauit. Franci ita dicti, quod ſuam tuerentur libertatem primas ſedes ſupra Coloniam habuerunt, quam Catti tenuere, quæ nunc eſt Haſſia. Superati tãdem à Narſete duce prope Tarentum circa annum 558. Quòd Germanicus appellatus ſit. Herodianus hũc titulum refert inter Imperatorios, vide Mynſing. in procem. Inſtit. Anticus ab Anticis deuictis. Antæ ſunt Hiſtri fluminis Accolæ, quos Iuſtinianus per Childibium ducem repulit, plura vide apud Alciat. parerg. lib. 5. c. 3. Alanicus ab Alanis deuictis. Alani antè cum Vandalis coniuncti erant: de his mentionem facit Lucanus lib. 8. vocans eos, Duros æterni Martis Alanos. Vandalicus à Vandalis deuictis, Vandali populi Europæ Septentrionalis duce Genſerico Romam vaſtarunt: cui duci ſucceſſerat Gelimerus, qui in Africa à Biliſario duce Iuſtiniani victus

in triumphum Conſtantinopolim deductus eſt: inde aliis deuictis Vandalicus Iuſtinianus dictus eſt Africanus, quia ex Africa Vandalos pepulit. Rectè Accurſius denominationem Pij innuit, & notam in libr. benedictorum Accur. ad hunc locum. Triumphator etiam merito appellatur, quia triumphauit de Perſis & Vandalis. De modo Triumphandi non eſt hic locus diſſerendi: vide Mynſing. & Vveſembecium ad initium Inſtit.

Auguſti denominationem Accurſius ignorauit, quod, vt rectius intelligamus, paulo altius rem repetere neceſſe eſt: Cæſar & Auguſtus perpetua Imperatorum cognomina ſunt. Sed Cæſar ſimpliciter his temporibus dicebatur, quem Imperator ſibi ſucceſſorem Imperij elegerat. *l. & ſi excepto. C. de maleſi. & mathem.* & vt veram Auguſti denominationem intelligamus, Notandum Auguſtum Latinè id propemodum ſignificare quod ſacroſanctum & maieſtatis plenum. Idque in Auguſto ſecundo Imperatore primo vſurpatum, ad ſequentes deinceps Romanorum principes tranſiſſe, omnibus manifeſtum eſt, Suetonius Tranquillus in vita Auguſti, cognomen non tantùm nouum, ſed & ampliùs alij honorificentiùs, quàm conditoris vrbis exiſtimatum ſcribit, quod loca religioſa, & in quibus Augurato quid conſecratur, Auguſta dicantur, ab auium geſtu guſtúue: iuxta illud, inquit, Ennianum,

Auguſto Augurio poſtquàm Inclyta condita Roma eſt.

Apparet hinc Auguſtum nõ ab augendo dictũ eſſe, vt Accurſij ſæculum exiſtimauit: inde fundata malè antiquorum interpretum quæſtio, qui propterea etiam quæſiuere, an & qui non auxerit, vel qui etiam de Imperio diminuerit, nihilominus Auguſtus rectè dicatur, quod ego expeditum puto, etſi ab augendo dictum conſtaret, perinde enim & hunc Auguſtum rectè dici relatione ſcilicet facta ab eo quod feciſſet, ad id quod facere debuiſſet, vt Prætorem: & ſi iniquè decernit, tamen ius dicere dicimus. *l. fin. ff. de iur.* Quamuis alia ratione in eandem ſententiam vtatur Panorm. *c. 1. collat. 14. extr. de iudic.* In Decretalibus intempeſtiuè hoc loco tractant interpretes, an res ad populum & Imperium Rom. pertinẽtes Imperator alienare poſſit, oportebat id tractari *in l. pen. ff. de offic. præſid.*

Ad ea verba, Theophilo, Dorotheo, Theodoro, Iſidoro, Anatolio, Thallelæo, & Cratino.

Admonendi ſumus non eo intuitu (quod quidam interpretes exiſtimauerunt perperam) ſcribi hanc conſtitutionem ab Imperatore ad eos quos hic nominat, quòd componẽdis legibus operam ſibi præſtitiſſent, quippe alios quoque ei rei adhibuerat, quorum nomina aliis Conſtitutionibus referuntur. *l. 1. C. de nouo Cod. fac. l. 1. & 2. C. de vet. iur. enucl.* quos ſanè præterire ſine qualibet iniuria non potuiſſet. Sed illa ratione ad hos potiſſimum hanc orationem ſcribit, quòd poſt compoſitas leges publicè eos profiteri atque interpretari hos iuris libros voluerat: vt quomodo ſingula tradere eos conueniat non aliunde quàm à ſeipſo cognoſcant, & hoc obſeruatione dignum eſt: pauci enim id aduerterunt. Vide Anton. Vaccam Iuriſc. Imolenſem in ſuis expoſitionibus locorum obſcuriorum, qui ideo laudandum Imperatorem dicit, quod non ſolùm qui leges interpretarentur Anteceſſores, ſed & qui in vſum, ac veluti in aciem producere docerẽt practicum & experientem cauſarum patronum conſtituerat. § Ad vocem Anteceſſorib. Non probo Alciati opinionẽ, qui libr. 3. Diſpunct. c. 12. legit Aſſeſſoribus, pro Anteceſſoribus, quia hæc ſcriptura in omnibus Cod. ſatis conſtat. Sed qua ratione hi ſic appellentur præter Accurſium, qui quod moribus & ſcientia cæteris præſtare debeant dictos putat, *arg. l. magiſtros. C. de prof. & med.* nemo eſt ex his quos viderim qui ſcribit, excepto Iuriſc. quodam Imolenſi, qui Antiſtites liberalium ſtudiorum magiſtros appellari animaduertit. *l. 1. C. de decr. decur. libr.* 10. nec dubito quemadmodum Antiſtites ab anteſtando, ſic Anteceſſores ab antecedendo dictos eſſe, qui ſi Latini ſermonis ratio pateretur, & Græcis hominibus, qui Latinam hãc vocem fecerunt ſatis cognita eſſet præitores à præeundo potius dici debuerunt quàm Anteceſſores, quod ſcilicet interpretando præeunt diſcipulis: eſt enim præire interpretari: Dicimus etiam pręire verba pro eo quod eſt Dictare, quod verbum ad Gymnaſiorum quoq; magiſtros pertinet. Quis fuerit Salaminius ex eo quod ei attribuit Iuſtinianus, intelligere poterimus quando Diſertiſſimum eum vocat, & Diſerti, verbum, proprie ad eos pertinet, qui cauſas agũt, vnde illud Diſertos vidiſſe multos, eloquentem neminem: & Cicero nem Catullus Diſertiſſimum Romuli nepotẽ appellat, & huic rei congruit quod Iuſtinianus *l. 2. §. quæ omnia. & l. 1. poſt princ. C. de veter. iur. enucleando*, optimum ſe recepiſſe miniſterium dicit, tam ex facundiſſimis anteceſſoribus, quàm ex Diſertiſſimis togatis fori, quibus verbis innuit ibi imperator non ſolùm per Theoricos, verùm etiam per practicos, atque vſu probatos viros ſe compoſuiſſe hos libros.

Ad hæc verba, Per noſtras orationes,

Decipitur hoc loco Accurſius, & qui eum ſequuntur propter hæc verba, exiſtimantes poſteriorem editionem Codicis ante hanc conſtitutionem factam eſſe. Quamuis enim ita loquatur hoc loco Imperator, tamen cõſtat editionem illam alteram poſterius factam: & hoc tempora indicãt, vt Albericus hic collatione 6. numero 16. & Auguſtinus libro 2. Emendationum capite primo doctiſſimè animaduerterunt. Hęc conſtitutio Iuſtiniano tertium Conſule lata eſt: editio illa quarto ipſius conſulatu anno facta: quod oſtendit ſpecialis Conſtitutio quâ conſilij ſui rationem Imperator reddidit. *l. 1. §. his igitur. C. de emendat. Codicis Iuſtinian.*, & rurſus poſt illam emendationem Nouellas edidit Conſtitutiones, quas Authenticas vocamus, quamuis cuncta ſibi iam tum perfecta atq; omnibus numeris abſoluta viderentur. *l. 1. §. his igitur. C. de emend. Co. Iuſt.* Quas ergo orationes ſuas Imperator hic memorat, nec leges primi Codicis generaliter vt perperàm Accurſius voluit accipere debemus, nec ſecundi, quippe qui nondum editus erat, ac multo minus, Nouellas Cõſtitutiones, quod perperam Haloander videtur conſtituiſſe ſcholio hic appoſito, ſed per orationes ſuas, primas duas Conſtitutiones, quæ velut duæ præfationes ſunt Codicis illius noui Iuſtiniani, quo hodie vtimur, quarum altera eſt de nouo Codice faciendo, altera de nouo Cod. confirmando, item duas illas intellexi, quæ ſunt ſub titulo de veter. iur. enuclean. quę & in frontiſpicio Digeſtorum ante hanc præponi debent.

Ad §. Sed cum vos, & omnes poſtea eiuſdem Conſtitutionis.

Doctiſſimè animaduertit Antonius Auguſtinus libro 2. Emendationum capite primo. & lib. 3. ca. 4. deceptum Haloandrum fuiſſe, quod Conſtitutionem illam quę lib. 1. Codicis ſub titulo de vet. iur. enuclean. prior eſt poſt hanc editam, & compoſitam fuiſſe exiſtimauerit, dum hanc illi præfert in editione ſua initio Digeſtorum, quæ reuera ſecundùm ſupradicta poſtponi debuit.

Ad §. Nos verò.

Non ſat rectè Haloander per omnes caſus hoc tempore dictum exiſtimat, ex quæſtore & ex conſule eum qui quæſturam aut conſulatum geſſiſſet, quem antiqui Quęſtorium & Cõſularem dicebant. Hoc Accurſius, hoc Petrus Crinitus in libris de honeſta diſciplina, hoc nouiſſimè Antonius Auguſtinus putauit *lib. 5. Emendationum. cap. 5.* Quod attinet ad inflexionem per obliquos caſus, cũ illis nullo modo conſentio, de verbi ſignificatione non diſſentio, & hac ratione nitor, quod videam Caſſiodori epiſtolas, qui Iuſtiniani temporib. ſcripſit, hoc modo inſcribi: Magni Aurelij Caſſiodori Senatoris viri clariſſimi & illuſtris, exquæſtoris Palatij, exconſulis ordinarij, exmagiſtri officiorum, pręfecti prætorio, &c. quo fit vt vtroque modo vſurpatum putem. Illud inſuper addere libet dictos exconſulares, non Conſulares, vt cognoſceretur verè eos geſſiſſe conſulatum, non per Codicillos à Principe vt Conſulares haberentur impetraſſe. Deinde commodius viſum eſt vocibus quoque inter ſe appellationes diſtingui: propterea Exconſul dictus qui magiſtratum geſſerat. Conſularis qui dignitatis duntaxat inſignia meruerat à Principe, vt Iuſtiniani Conſtitutiones indicant *l. fi. C. de decur. lib. 10. vbi gl. & in l. antepen. & pen. de Conſil. lib. 12.* eius rei argumentum quoque eſt quod & Conſulares, & quæſtorios, & præfectorios apud ipſummet Iuſtinianum eodem loco legimus, quo Exconſules dixerat. *l. 2. §. quæ omnia. C. de vet. iur. enucl.*

Ad §. Tertij inſuper annis.

Hoc loco videntur erraſſe omnes Interpretes, dum hypotheca

thecariam formulã pro hypothecaria actione ſimpliciter accipiunt. videtur.n.plenius quiddã ſignificare hypothecaria formula quam hypothecaria actio, quę & quaſi Seruiana, & vtilis Seruiana, ac nonnũquã etiã Seruiana ſimpliciter appellatur. *§. Item Seruiana. Inſt. de act. l. 1. § cũm prædiũ. & l. ſi ſuperatus. ȷ. de pign.* Hæc enim propriè ad vindicationẽ atque attractionẽ pignorum pertinere videtur. *d. §. item Seruiana.* At hypothecaria formula omnia omnino iura perſequutionis pignorum cauſa prodita comprehendit, ſignificant hæc verbã in hac conſtitutione poſita. Liber ſingularis ad hypothecariã formulã. Pauca igitur dicamus de hac hypothecaria formula, opinor fuiſſe formulam à vetuſtiſſimo aliquo Iuriſcõſulto conceptam ac proditam *quomodo poſſet quis paciſcendo efficere vt res pignori teneretur, quæ tamen creditori tradita nõ eſſet.* Hodie & citra formulam ac verborum conceptionem, vel nudo conſenſu & ſola conuentione contrahitur hypotheca in tãtum, vt nec ſcriptura quidem opus ſit. *l. contrahitur. ȷ. de pignorib. l. 1. de pignorat. actio.* modò aliter res geſta probari poſſit.

Ad §. Hæc autem, eiuſdem Conſtitutionis.

Vides ex hoc §. non licere alibi, quàm in tribus vrbibus exerceri publica legum gymnaſia, niſi ſpeciali priuilegio indultum fuerit: ad quem locum reiicenda eſt ratio quam adducit Richardus Malumbra, & qui eum ſequuti ſunt, qui hoc ideo conſtituiſſe Imperatorem cenſuêre, quod temporibus ſuis, eorum qui veram ſcientiam tenerent inopia eſſet: ne ſi paſſim omnibus vbique gentium interpretari leges permitteretur, falſam doctrinam tradi contingeret. Demus hoc verum eſſe (quod tamen falſum eſt) nõ propterea tamen ſtatim conſequens eſt quod illi cenſuerũt, vt quia tẽporibus noſtris veri Iuriſperiti omnibus locis inueniũtur, ceſſante illa ratione, ceſſare debeat etiam prohibitorium hoc Decretum, *per l. adigere. §. quamuis. de iure patronatus.* neque enim vlli fere placuit hæc ſententia (vt Bartolus hoc loco ſcribit) nec nobis probatur. Quippe cauſam eam fuiſſe (quam Impulſiuam vocant) non rationem legis quam finalem dicunt, interpretamur. *l. 1. §. ſexum. de poſtulando.* In dubio ſemper impulſiuam fuiſſe cauſam non finalem præſumi ſolet. *gloſſa in l. 2. §. fin. vbi Bartolus copioſius hac de re ſcribit. ff. de donationib.* Doctiſſimus Viglius *§. illis. Inſtitutionibus de militari teſtamento.* Demus rationem finalem illam fuiſſe, tamen an hodie ceſſet principis iudicio relinquendum eſt.

Præſertim autẽ in propoſito negãdum id eſt quod Richardus Malumbra ait, cùm hodie & generaliter obſeruari videamus, ne noua legum gymnaſia citra principis authoritatem vſquam inſtituantur. Conſuetudo enim ipſa legum optima interpres. *l. ſi de interpretatione. infra de legib. quæ eſt ex lib. 1. Quæſtionum Pauli.*

Ad § Illud autem, vbi de notis meminit Iuriſconſultus.

Addit Accurſius hæc omnia quæ hic tradit Iuſtinianus, intelligenda eſſe de his quæ meris notis tota præſcripta ſunt, non ſi quid fortè compendij cauſa breuius ſcriptum ſit, quomodo communiter quædam adſtrui conſueuerunt (abbreuiationes, vel abbreuiaturas vulgò vocant.) Quam ſententiam Accurſij, Bartolus, & alij plurimi interpretes ſequuntur. Ego verò licet documenta & acta non propterea vitiari crediderim, quum nuſquam hoc cautum ſit. Sic talem quoque ſcribẽdi morem ab his libris ſummouere voluiſſe Imperatorẽ exiſtimo, cùm nihil compendio, ſed plena literarum conſequẽtia omnia ſcribi velle diſertè dicat. Compendia enim propriè dicuntur huiuſmodi abbreuiationes.

Ad §. Illud verò, vltimum huius Conſtitutionis, ſuper ea verba, in Berutyenſium autem ciuitate.

Malè elicit hinc Accurſius, & cõſequẽtiam trahit ex hoc loco, nimirum vbique gẽtium in Academiis tres eſſe debere Iuris ſtudioſorum iudices ordinarios, præſidem prouincię, & Epiſcopum ciuitatis, in qua iuri operã dant, tum Doctores qui eis iura interpretantur. Ego quod hic conſtitutum eſt ad eos duntaxat qui Beryti agerent pertinere nõ dubito, quod ad cæ-

teros attinet nihil noui Iuris à Iuſtiniano inductum eſſe, ſed Federici Conſtitutione authentic. habita. C. ne filius pro patre. In vniuerſum poſtea diffinitum eſt, vbi conueniri debeat ferè ſecundùm Accurſij opinionem.

Ad Titulum primum Pandectarum. Ad l. 1. de Iuſtitia & Iure. ad ea verba, prius noſſe oportet.

Oportere accipiendum eſt hic pro inſtituto conſentaneum atque oportunum eſſe, quod quidem non magis propriè dici potuit, quamuis Accurſius Latinæ linguæ ignoratione impropriè dictum putet, dum præciſam quandam & ineluctabilem neceſſitatem ſignificare hoc verbum falsò exiſtimat: & allegat *l. cum oportet. C. de bon. quæ lib. & l. 1. § oportet. de raptu virginum.* & contra ait, decet pro oportet ſumi, *in l. fin. C. de capt. & poſtlimin. reuerſ.* & ne id impropriè dictum eſſe exiſtimetur ſecundùm Accurſij opinionem, notandũ Ciceronẽ ea loquendi formula vſum eſſe, oportere, cõſentaneum eſſe officio: licere, legibus & iuri: conueniri temporibus & perſonis, nec tantùm Cicero, ſed etiam Iuriſconſulti noſtri eadem formula vſi ſunt. exempli gratia, Paulus *in l. penultima. D. ad exhibendum.* his verbis, Reſpondi non oportere ius ciuile calumniari. Igitur non vt Accurſio placet verbum, oportet, pro conuenire, accipitur: qui idem Accurſ. ait, conſilij eſſe, noſſe iuris vocabulum vnde deſcendat. Neceſſitatis autem eſſe Iuris definitionẽ non ignorare: quæ interpretatio Accurſij ſi reciperetur, hoc ſermone conſequens fieret propter verbum, prius, plus conuenire noſſe etymologiam quam definitionem, quod omnino abſurdum eſt. Malè etiam Baldus hoc loco colligit, qui vult ſcire quid rei, debet ſcire principia nominis, falſum enim illud eſt: nam ſi verum eſſet, nequiret ſciri quid ſit poſſeſſio, ſi ignoretur à pedum poſitione dicta? quid ſeruitus ſi ignoretur à ſeruandis mancipiis nuncupata? ſimiliter quid ſtipulatio? quid teſtamentum, & id genus reliqua. Itaque conſidera definitionis eſſe explicare quid eſt, etymologiæ verò rationem nominis exponere. Porrò vti aliud eſt nomen, aliud res ipſa quę nominatur, ſic alia cognitio nominis eſt alia rei nominatæ: hinc à noſtris non recipitur paſſim ab etymologia ſyllogiſmus, ſed vix negatiuè, & tunc cùm ab eſſentia traducitur rei quę nominatur, vt iuris vocabulum à iuſtitiæ viſceribus ductum.

Ad eandem legem 1.

Faceſſant garrientes omnia publica principis eſſe, & quæ principis ſunt inter publica haberi. Stultáque apparet illa dubitatio, vtrũ fiſcus & Reſpublica ſint idem. Quis enim ignorat Rempublicam eſſe rem populi, & fiſcum rem principis? & ideo diuerſum circa legationes in debitore Reipublicæ, & debitore fiſci Martianum reſpondiſſe legimus *in l. ſciendum. infra de legationib.* Commodius quæſiuiſſet Bartolus, vtrum fiſcus & ærarium eſſent idem.

Ad definitionem iuris.

Vt plurimę interpretum noſtrorum diſputationes è medio tollantur, notandum eſt hic definire Celſum, Ius, quod ad artẽ & ciuilẽ doctrinam pertinet, hoc eſt, ius ciuile, prout quidem trifariam collectum & conſtitutum eſt ex præceptis, ſcilicet naturalibus, gẽtium, & ciuilibus: nam de iure naturali animis inſito ac velut rudi adhuc materia contento, non poteſt intelligi hæc Celſi definitio, in qua ars velut pro ſubſtantia rei definitæ pronuntiatur, quicquid Accurſius commentetur *in gloſ. ſuper verbo, Ius eſt ars.* Sanè nõ eſt omittendũ, quod huic Celſi definitioni conuenit ea quam tradit Cicero in Topicis, quæ eſt huiuſmodi, Ius ciuile eſt æquitas conſtituta his qui in eadem ciuitate ſunt ad res ſuas obtinendas.

Ad eandem l. 1. eo loco, meritò quis nos ſacerdotes appellet.

Mirè delirat hoc loco Accurſius, dum pœnitentiæ quę à ſacerdotibus hodie in eccleſia Catholica, & Apoſtolica Romana iniungi ſolet confitentibus, exẽpla inculcat, hæc ſunt verba Accurſij, vt ſacerdotes ſacra miniſtrant & conficiunt: Ita & nos, inquit Accurſius, cùm leges ſint ſacratiſſimæ, *vt l. leges. C. de legib. & conſtitut. Princip.* vt & ius ſuum cuique tribuit ſacerdos in danda pœnitentia, ſic & nos, inquit Accurſius, in iudicando: quæ omnia ſunt vana deliramenta Accurſij. quaſi verò Vlpianus de pœnitentia vnquam cogitauerit, vera huius rei

ratio hæc eſt, quia quemadmodum ſacerdotes atque antiſtites ſacrorum & oraculorum, ſic Iuriſconſulti æquitatis & iuſtitiæ cuſtodes, atque interpretes ſunt, & legum myſteriis præſunt, atque operantur. Nec hoc nouum videri debet: nam alibi Iuriſconſultos antiſtites Iuris appellari videas. *l. 1. C. de Decretis Decurionum lib. 10.*

Ad §. huius ſtudij, eiuſdem l. j.

Non ſolùm in ſacris conſiſtit Ius publicum, vt hîc Accurſius exiſtimauit, licet publicum & priuatum Ius ratione ſubiectæ materiæ diſtinguat Iuriſconſultus. Sciendum enim eſt authoritate atque vſu æque vtrumque publicum appellari tam quod ad priuatas res pertinent quàm quòd ad publicas, ſic teſtamenti factionem, ſic edictum prætoris publici iuris eſſe dictū eſt. *l. Teſtandi. C. de teſtam. l. Cerdonem. infra de oper. lib.* Nec hoc nouum videatur obſeruaui aliquando & aliis locis ſic accipi Ius publicum, exempli gratia *in l. ius publicum. infra de pact. l. fin. C. de colleg. illicitis.* & ratio huius rei eſt, quia leges ipſæ in vniuerſum publicæ ſunt, & ad ſtatum ciuitatis conſeruādum pertinent, vt non malè Accurſius in gloſſ. ſuper verbo, publicum. notauit, cùm ſine his ciuitas diu eſſe non poſſit. Terentius de lege nuptiali loquēs ſic ait: An ne hoc quidem adipiſcar quòd Ius publicum eſt? Sanè & ſi quid fiſco aut templo ex priuata cauſa debeatur, putà ex teſtamento, vel quouis contractu circumſcripta cauſa priuilegij, ſi quod in ea re habeant, priuatum nihilominus ius vtrique eorum competere dicēdum arbitror. argumento *l. fiſcus cum in priuatis. infra de iure fiſci.* Quàuis Accurſius & plerique alij aliter videantur exiſtimaſſe.

Ad eandem l. 1. ad ea verba, Priuatum Ius tripartitum eſt.

Malè Rodolphus Agricola in ſuis Dialecticis Iuriſconſultum noſtrum reprehendit. exiſtimauit enim vitioſam eſſe hāc totam diuiſionem, propterea quod (inquit ille) ſacra quoque & cerimoniæ iure gentium conſtitutæ eſſe videntur: & idcirco publica aliarum quoque gentium fuerint, & ad aliarum ciuitatum ſtatum pertinuerint. Quæ autem ad ſtatum Reipub. Romanæ pertinent, ea quoq; collecta eſſe ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut ciuilibus. Hæc eſt ratio illius Sophiſtæ. Non intellexit ille (pace illius dixerim) Vlpianum hoc loco de iure ciuitatis Romanæ loqui, cùm dixit, *Huius ſtudij duæ ſunt poſitiones &c.* non de iure aliarum ciuitatum aut gentium, vt rectè Alciatus animaduertit libro Paradoxorum 9. capit. 35. Deinde cùm priuatum ius ex illis præceptis collectū eſſe ſcribit nō negat quin & publicum ex eiſdem fluxerit, vt & Aldobrandinus rectè interpretatur. *§. fin. Inſtitut. de iuſtit. & iur.* Et ita aduerſus calumniam Agricolæ noſtrū Iuriſconſu. tum de feudo. Non enim placet defenſio Alciati, qui noua ratione in hoc defenſit Iuriſconſultū putat, quòd naturalia iuris aliarum gentium præcepta nihil ad ſtatum rei Romanæ ſpectarent: Cùm ex eis inquit, non magis Imperium Romanis cōcederetur in alias gerētes quàm aliis gentibus in Romanos, vt ſcilicet idcirco verum appareat ius publicum ciuitatis Romanæ non ex omnibus his præceptis collectum eſſe, nec omnino colligi oportuiſſe, ſed ex ciuilibus tantùm. Non enim publicum ius vrbis Romæ ad proferendum in alios imperium, ſed ad cōſeruationem ciuitatis propriè ac principaliter pertinebat, & negari non poteſt quin Romani in hoc conſtituendo à naturali ratione, & ab aliarum gentium cōſuetudine multa acceperint.

Ad §. Ius naturale, eiuſdem legis, ad verba, Maris & fœminæ.

An illicitæ cōiunctiones iuris naturalis ſint quærit hîc poſt Accurſium Bartolus, & malè, meo iudicio, putat eſſe iuris naturalis illicitas coniunctiones: idem (vt ſignificat) de cæteris quoque omnibus, quibus naturæ impulſu homines delinquūt reſponſurus, & hæc eſt ratio Bartoli. Primi (inquit) animorū noſtrorum motus in poteſtate noſtra non ſunt, & natura impellimur ad peccandum. Ego contra Bartolum ab exemplis his poſitis ius naturale de iis duntaxat dici intelligo, quæ ſe vel natura, vel opinione ad rectum & bonum habent, quæque eadem homini cum cæteris animantibus ſunt communia.

Ad §. Ius gentium, eiuſdem legis primæ.

Nullo modo poſſum approbare quod recētiores interpretes vulgò ius naturale diſtinxerunt, & illud quidem quod nos ius naturale commune appellari maluimus, ipſi ius naturale primariū, ſeu primæuum vocarunt, hoc verò quod nos proprium humani generis, ipſi ſecundarium ius naturæ nuncuparunt, & id ſanè ius gentium dici conſentientes. Rurſus tamen in primarium & ſecundarium diuiſerunt. Ac primarium quidem ius gentium dixēre, quòd initio creatis hominibus diuina quadam vi ſtatim indictum eſt: ſecundarium verò quod homines ipſi ſibi poſtea conſtituerunt, qualia ſunt dominiorum acquiſitio, regnorum inſtitutio, bellorum vſus, ſeruitutes. Hæc inquam à recentioribus interpretibus tradita, vt à Vveſembecio in ſuis Paratitlis tanquam nimia ſubtilitate excogitata, obſcura etiam docendi ratione perincommoda, nequaquā recipienda arbitror, ea verò vt ſubtilia quidē laudo, fugio vt nimis ſubtilia, cùm reuera non niſi vnicū eſſe ius naturale hominis proprium appareat, quod ius gentium appellatur. §. ſingulorū, hac lege, à quo tunc omnia gradatim proceſſere. Vide Cors. lib. 6. Miſcellaneorum cap. vlt.

Ad tit. i. Pandectarum, ad l. j. de iuſtitia & iure.

Malè quidam artem pro præcepto interpretantur, malè Salomonius credit nihil bonum eſſe quod non idem ſit æquum: rectè autem Accurſius cenſuit contrarium & malè reprehenditur à Budæo & Salomonio.

Eleganter apud Vlpian. Celſus ius finiuit, *vt ſi ars boni & æqui. l. 1. §. 1. ff. de iuſtit. & iur.* in quorum verborum interpretatione, acerbiſſimè doctores affliguntur, Ego planam & expeditam literam puto, ſi tamen cum ceruicoſis non nobis ſit negotium. Ius enim ars eſt, hoc eſt, ſcientia, & diſciplina quædā, æqui ac boni præcepta regulāſque continens. Quod & idem Celſus palàm alibi fecit, dum ius ipſum iuris ſcientiam eſſe dixit, cuius velamento plerique decipiuntur, à bono & æquo recedentes. *l. ſi ſeruum. §. ſequitur. ff. de verb. obligat.* Inde iuriſprudentia dicta eſt, hoc eſt, inquit Vlpia. diuinarum atque humanarum rerum notitia, iuſti atque iniuſti ſcientia. *l. iuſtitia. §. ff. ff. de iuſt. & iur.* Nimium ergo abſurdi & ridiculi ſunt, qui veterum quorundam apud Accurſium expoſitionem ſuffurati, artem pro præcepto interpretantur, quaſi verò non alia ſint iuris præcepta à iure ipſo. Quos item ſi ſequeremur, dicēdum eſſet, rectam quācumque & iuſtam privati præceptionem, illud ius eſſe quod finit Iuriſconſult. Id autem abſurdius eſt, quā vt pluribus ſit refutandum. Sed nec artem alitubi pro præcepto poni legimus: nec ipſe per metonymiam vllo modo huic loco conuenientem, defendi poteſt. Ius igitur ars eſt, hoc eſt, ſcientia, boni & æqui regulas continens. Vnde poſtulat hic locus, vt de bono & æquo, cuius in iure noſtro mētio ſic frequētiſſima, aliqua dicamus. Sciendum ergo bonum ab æquo ſeparatum, generale nomen eſſe, honeſta pariter atque vtilia complectens, *inquit Val. libro quarto, capite centeſimo.* Inde bonam conditionem, pro honeſta & vtili Latini dicunt. Et Cato libro primo de re ruſtica, cap. 1. Bonum cœlum, pro non calamitoſo, non ærumnoſo, nec aliquibus malis prægrauato, ſed potius fœcundo, gratioſo & cōmodo poſuit. Eſt & in iure noſtro non infrequēs hic loquēdi modus, vt bonū, vtile, id quod nobis aut Reipublicæ confert, & eſt emolumento, ſignificet. *l. ſi vſuſfructus. §. denique. ff. de vſufru. l. 3. §. ſi quis ex libertis. & l. ſi poſt mortem. §. liberi. ff. de bon. poſ. contra tab.* Hinc bono publico introductam vſucapionem Caius dixit *l. 1. ff. de vſuc.* ſignificans expedire Reipublicæ, vſucapionib. locum eſſe. Ad hunc ſenſum Imperator bonum fuiſſe mulieri quæ cōmiſerit ſe marito, ſua quoque omnia crediſſe dicit. *l. hac lege. C. de pact. conuentis.* Et Dominus, Matth. 26. dū dixit: *Væ homini illi per quem filius hominis proditur. Bonum erat ſi natus non fuiſſet homo ille.* In eōque loco Paul. 1. Corinth. 2. *Bonum eſt homini mulierem non tangere*, bonum accipitur pro commodo, non vt opponitur vitio. Æquum verò ab æquitate fluit. Eſt autem æquitas conſtantia animi, ac perfecta quædam ratio, & natura, quæ admirabili temperamento omnia moderatur. *l. diuus. ff. de reſtitut. in integ. l. ſi ſeruo fideicommiſſa. ff. de hæredib. inſtit.* Vnde & æquum nihil aliud eſt, quàm iuſta rerū moderatio, & æqualitatis quædam conſeruatio. *l. non tantum. ff. de re iudic.* Quare, quod Rei-

publicæ

publicæ ſalutare eſt, & fructuoſum, licèt non cum æquitate cõcordet, bonum dici poteſt. Nec poſſem commodius exemplum proferre, quàm ex audaciſſimo illo Romanorũ facinore, in rapiendis Sabinarum virginibus: bonũ quippe fuit vrbi Romæ, vt coniuges haberent, quibus ante carebant liberos ſuſciperent, magniſque neceſſitudinibus ſibi Sabinos iungerent. Cæterùm illud non æquum fuit: proinde rectiſſime Accur. quẽ plerique omnes futiliter improbãt, *vt Budæus in l.1.ff. de iuſt. & iur.* aliud bonum, aliud æquum exiſtimat, ſi tamen ſeparatim legantur. Fallunturque grauiter Salomo, & reliqui, credentes, nihil bonum eſſe, quod nõ idem ſit æquum: cùm & nonnunquam hęc duo opponantur. *d.l. hac lege.* Planè æquum & bonum, ſeu æquum bonum, (interdum enim ſine copula legitur) exactam quandam probitatem ſignificat, ſecundũ quam locis, perſonis, rebus, ac temporibus conuenienter aptatam, nulloque ſcripto perpẽſo arbitramur, & ſtatuimus. *l. ſi & me. ff. de reb. cred. l. ſi quid venditor. ff. de edil. edict. l. in iis. ff. de cõdit. & demonſt. l. cõſenſu. ff. de oblig. & action.* Huic opponitur ſtrictum ius, hoc eſt callida & ſuperſtitioſa verborum, & præſcripti legis interpretatio, quã ſi neglecto bono, & æquo, ſequeremur ex ſummo illo iure, ſummam crucem, & iniuriam faceremus: Túmque potiſſimũ ad bonũ & æquum recurrimus, cùm ſcripti & volũtatis eſt quæſtio: frequẽtiſſima ſanè inter Iuriſconſul. vt inde non minima iuris pars pendere videatur, quemadmodum Quint. lib. 7. Orat. inſt. ſcriptum reliquit. Interim aliquot exempla, in lectoris gratiam proponere, ab inſtituto nõ alienum erit. Lex xij. tab. dicebat: *Magiſtratus non obedientẽ ciuem, multa, vinculis, verberibúſque coercento.* Si magiſtratus cõmunis ſalutis deſertor, hoſtibus patriam proditurus, idem faciendus ciui pręcipiat, an hic ciuis magiſtratus dicto non audiẽs, coërcendus erit? Pugnat hîc cum ſcripto voluntas: cum præſcripto legis, bonum & æquum, quod præualet. Nemo enim dixerit puniendum eum qui præmiis potius fuit honeſtandus. Lex item eſt, vt ſi quis muros tranſcenderit, capite puniatur, cuius legis primus violator, Remus à Romulo fratre interemptus eſt. *l. ſi. ff. de rer. diuiſ.* Cùm hoſtes ciuitatem oppugnarent, & murũ aſcendiſſent, ciuis muros tranſcendens, eos ſtrenuè depulit. Si ex pręſcripto legis petatur ad ſupplicium, nónne ex bono & æquo defendetur? cùm ſeruandæ patriæ aut ciuitatis cauſa, muros conſcendere vetitũ intelligi non debeat. Hic mihi temperare nõ poſſum, quominus abſurdam ſcriptorum quorundã opinionẽ rideam, qui in *l. omnes populi. de iuſt. & iur.* docent, legem Bononiæ, quæ ſanguinem in palatio facientem, vita multat, Chirurgum qui ſecta vena ægrum in palatio iuuit, comprehendere. Quis enim exiſtimet, inquit eleganter Alc. *lib. 1. de verb. ſig.* medicam manũ, quæ potius præmio inuitanda erat, vlla penitus pœna afficiendam? & eam legem non interpretetur ex ſubiecta materia, vt de ea ſanguinis fuſione intelligatur, quæ in ſpeciẽ delicti cadat? Boni ergo & æqui viri eſt, legis mentẽ, non verba ſequi. *Bald. in l. ſi defunctus. C. de ſuis & leg.* Euenit enim ſæpè, vt, tametſi verba legis vnum habeant intellectum, mens tamen legiſlatoris alia ſit. *l. promittendo. ff. de iur. dot. l. ſcire oportet. §. aliud. ff. de excuſ. tutor.* Vnde eleganter Cic. pro Cecinna: *Scriptum ſequi, calumniatoris eſt: boni autem iudicis, voluntatem ſcriptoris, authoritatémque defendere.* Quod ſapienter oſtendit Craſſus in cauſa M. Curij cõtra Scæuolam. Tum enim Craſſus, vt eſt apud Cice. in Bruto. tam multa contra ſcriptum pro æquo & bono dixit, vt Qu. Scæuolam in iure; in quo cauſa illa verſabatur, peritiſſimũ obrueret exemplorum, argumentorúmque copia. Ius igitur (vt eò redeat ſermo noſter vnde fluxit) eſt ars boni & æqui, hoc eſt, ſcientia & facultas continens præcepta ac regulas boni & æqui. His etiam verbis admonens Iuriſconſultus, non pro ſtultitiæ & leuitatis noſtræ captu, aduerſus præſcripta legum debere, quem bonum & æquum fingere, ſed ex perfecta ęquitate legibus comprehenſa, reſpiciente publicam vtilitatem, quæ, vt Horatius ait:

——— *eſt iuſti propè mater & æqui.*

In hoc carmine Horatius iuſti videtur dixiſſe, pro boni. Ego æqui & boni verba pinguiore quadam Minerua accipi velim, vt tantundem propè ſignificent, ac ſi diceret Iuriſconſultus æquitatis & iuſtitiæ: nam bonum, æquũ, miſtum, idẽ propemodum eſſe quod iuſtum cẽſeo. *plura vide apud Corraſ. in Miſcel.*

Ad l. omnes populi, de Iuſtitia & iure.

Malè Paul. Caſtr. negat iure legis municipalis, quæ cauet vt ſi quicquam damni, cuiquam viatori datum ſit, teneantur proximi pagani id reſarcire, vel nocentem ſiſtere, alienigenam vti poſſe: quoniam, inquit ille, dura eſt lex, quę pro delicto alterius alterum obligat. vnde malè cõcludit illam legem debere interpretationę molliri, vt eis dũtaxat proſit qui eis ſubiiciũtur, non autem extraneis. Sed hæc interpretatio falſa eſt, quia verba legis ſimpliciter ſcripta ſunt, eiúſque ratio nempę vt itinera tuta ſint, maximè in peregrinis locũ habet, & quod ad publicæ viæ tutelam attinet aduenæ illac tranſeuntes pro ſubiectis ſunt.

Ad l. 10. eod. tit.

Nota in illa lege, in qua extat Iuſtitiæ definitio, Iuriſcõſultum non definire diuinam Iuſtitiam, vt ſomniat Accurſius, ſed eum tantum definire habitum quendam virtutis, qui animo hominis conceptus impellit eum ad id duntaxat quod bonum & æquum eſt. Malè idem Accurſius cum dicitur Iuſtitiam eſſe rerum diuinarum ſciẽtiam, quod ad res diuinas attinet, exempla affert ex lib. j. Cod. de ſumma Trinitate, & ex Authenticis, quaſi verò Iuriſconſultus ad hæc reſpexerit.

Ad l. 4. eod. tit.

Quia in vulgatis Codicibus antiquitus hic locus huius legis ſic legebatur. Eſt autem manumiſſio de manu datio, hoc eſt è manu dimiſſio: quia inquã in prauis Codicibus legebatur ſic. Eſt autem manumiſſio datio libertatis. Propterea quæſitũ eſt ab Accurſio, ſuámne an alienam, hoc eſt, eius qui manumittitur libertatem dare manumiſſor intelligatur: vt neutrum facere poſſe videatur: cùm nec eius qui adhuc ſeruus eſt libertas vlla eſſe intelligatur: nec Dominus ſuam ipſius libertatem dare alteri intendat, aut omnino poſſit. Sed hoc illud eſt quod Paulus alicubi rectè ait, Ius Ciuile calumniari: quod quidem corruptela temporum nimis iam vſitatum eſt, nos ſemel eam rem in vniuerſum admonuiſſe contenti erimus. Quare nec eiuſmodi loca tam abſurda poſthac attingam.

Ad l. vt vim, eod. tit.

Res eſt animaduerſione digna de materia inculpatæ tutelæ, cuius Accurſius tres partes conſtituit: Primum, vt inermis cum inermi, armatus cum armato, & pari telorum genere. Vnde Baldus infert petentem te telo non licere arcu depellere. Secundam partem Accurſius conſtituit, vt illico fiat. Tertiam quod ad defenſionem, & non vindictam: quam Accurſij traditionem omnes ſequuntur: mihi autem iniqua, aut ſaltem periculoſa videtur. Ad primum caput Accurſianum redeo, quod exigit æquo Marte reſiſti, quòd contra defenſionis naturã eſſe mihi perſuadeo, ne quiſquam temerè, aut arrogãter dictum putet prius quàm iuſta ſtatera librauerit. Conſideret velim æquus Lector ex ea doctrina multa incommoda futura, & imprimis in arbitrio inſidioſi aggreſſoris fieri, quibus telis & an armatus vel inermis quis ſe protegat, ſi nõ diſſimili & aptiori ad nocendum telo defenſor ſecum vti poteſt. Item ſi manu vacua me petat aliquis, ego fortè fortuna telum teneo, abiiciendum ne eſt telum, vt iuſta ſit defenſio? aut ſi quis Hiſpano pugiunculo me inuadat, ego ne enſem ſtringere prohibeor, ſi inculpata eſt tutela, quæ longiori ſit telo. Ergo ſi arduo & eminenti loco ſto, aduerſarius me ex iniquo adoritur loco, debeone in planum deſcẽdere, ne loci iniquitas culpet defenſionem: at hæc duellaris ſunt pugnæ, non autem defenſoriæ. Cicero pro Milone dixit gladium ad occidendum hominem ab ipſis legibus porrigi ſe defendentibus, Accurſius verò quod lex dedit iſta ſua ratione eripit. Hinc vel ipſiuſmet Accurſij ſententia alibi prolata, expectari non debere quoad vel digito te pulſet aggreſſor: ſed omni nixu & actu vitanda iniurioſa percuſſio. Hinc idem Baldus alapam gladio repellere non illicitum prodidit, etſi eo ictu vulneratus ceciderit, occiſi non teneri. Quod Angel. in malefic. Alexander, & Aretin. libris reſponſorum probant, nec eſt qui contradicat. Ratio huius iuris hæc eſt, quod poſt receptam percuſſionem repercutere vindicta eſt, non defenſio: quippe defenſionis eſt præuenire, cauere, protegere, reſiſtere, ne vapules. Pręterea ſi lex permittit, & natura docet, vim & iniuriam procul pellere, nec præſcribit quo armorum genere propellas: ergo quoquo modo poteris propulſare docet. Nam vbi lex nõ diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Ergo ſiue inermem, ſiue armatum aggreſſorẽ tutum repuleris, vel fuſte, vel gladio, vel lancea, vel ſaxis, vel arcu,

vel his omnibus nulla lege prohiberis,nec ad alium vſum inuenta ſunt arma quæ ab arcenda vi & iniuria dicta, meminit Varro in libro de lingua Latina. Quid enim mali facio,ſi pro tutela corporis vel rerum mearum aduerſus impetum facientem haſtam verto? ne me inuadas oppono, etſi contra niteris reſiſtēdo ferio, nec ad rem facit, an ſis inermis,aut minori telo petas: quis enim te perpulit me armatū petere,& cæca nocendi rabie in mea tela irruere?propter quod neſcio definiri magis poſſit,num temerario tuo obiectu corporis an tutelari meo feriaris ictu, in iis diſcriminibus ſilere leges inter arma, neq; ſe exſpectari iubent,ad iudices pro Milone,dixit Cicero, & Accurſius delectum telorum haberi iubet. Nō animaduertit in tumultuaria trepidatione aggreſſor animo, & conſilio longè ſuperior ſit,necne. quæ quidem inæqualitas vix poteſt vllo armorum genere æquari. Et propterea dum æqualitatem ſe inducere putat Accurſius maximam iniquitatem induxit. His omnibus quę dixi non obſtat capitulum ſignificaſti.extra de homicidiis:quoniā ibi Pontifex loquitur de ſacerdote vindicante animo occidēdi.quod ad vindictam,patet ex eo quod non percuſſus repercuſſit, animum occidendi pōtifex colligit ex parte corporis percuſſa. In qua leuis etiā plaga letifera eſſe ſolet:acceſſit & teli qualitas,ſcilicet ligonis foſſorij. Non obſtat §. *Cum igitur*. vbi ſcriptum eſt armatos armis poſſe repelli: quia non propterea ſequitur inermes armis nō poſſe repelli. Inculpata itaque tutela non ſtat in genere armorum, ſed in vi propulſanda,vt vbi ſine cęde aut leui plaga aduerſarius repelli poteſt,non plus fiat quam oportet. Nō eſt omittendū quod memini me aliquando legiſſe apud diuū Thomam Aquinatem in ſummis ſuis ſecunda ſecundæ quæſtione 84. articulo 5. eum *Qui occidit, animo ſe defendendi, non peccare, eum verò qui hoc agit,vt defendendo occidat,peccare*: quæ elegans Diui Thomæ ſentētia intelligi debet,ſi neceſſaria fuerit occiſio, & Deo quidē peccare,non autem legibus ciuilibus. Inter leges autem ciuiles & diuinas quanta ſit differentia, nemo eſt qui neſciat. hoc dicam ex Iſidori lib.5. etymolog. Legem diuinam fas eſſe,legem humanam ius eſſe.

Ad Titulum de origine iuris.

Eo loco *l.2.de orig.iur.* Latum eſt ad populū à Tribunis, vt populus ſciſceret,iuberétque omnes qui cū imperio eſſēt magiſtratu ſe abdicare. peſſime Accurſius interpretatur latum ad populum,hoc eſt,dictū inter prudētes: qua interpretatione nihil ineptius videri poteſt. Videamus igitur quid ſit ferre ad populum.ferre ad populum legiſlator tum dicitur,cùm legem in medium profert,vnde legiſlator dicitur. Rogare etiam legiſlator dicebatur:vnde rogatio dicta. Plebs verò ſciſcere, hoc eſt decernere,ſtatueréque dicebatur, vnde Plebiſcitū dictum de more ferendarum olim legum,Cicero pro Flacco,O morem,inquit,præclarum diſciplinámque quam a maioribus accepimus,ſiquidem teneremus: ſed neſcio quo pacto iam de manibus elabitur. Nullam enim illi noſtri ſapiētiſſimi & ſanctiſſimi viri vim concionis eſſe voluerunt,&c.

Ad l. Nihil.§.fin.ff.de origine iuris.exploſa quorūdam interpretatio qui in l.eum qui.§.ſi iniuria.ff.de iniur.exiſtimant erratum illic fuiſſe in perſona, & conſenſum in delicto, & hoc ex huius legis loco probatur.

Ex Iuliani ſententia, Vlpian.frequenter ſcribit, eos, qui errant, non conſentire. *l. ſi per errorem.ff. de iuriſ.omnium iudic.l. nihil.§.fi.ff.de orig.iur.* & alibi,error,inquit litigatorum,vt Iulianus *lib.ſer.1. ſcribit*,nō habet cōſenſum.*l.conſenſiſſe.ff.de iudic.* Similiter Pomp. errantis nullam eſſe voluntatē dicit.*l.ſed hoc ita.ff.de aqua plu.arcend.* nullúmque cōſenſum. Imperator *in l.non idcirco.C.de iur.& fact.* Quod circa id,in quo erratur, accipiendum eſt.nam circa alia,non impedit cōſenſum error. *l.1.§.ſi legatarius.ff.ad leg.Fal.* Tollúntque ita ſcriptores.*l.eum qui.§.ſi iniuria. ff.de iniur.* exiſtimantes, erratum illic fuiſſe in perſona,& conſenſum in delicto. Quæ interpretatio nullatenus mihi placet. nam cur nō itidem dicemus, *in d.l.per errorē*? vt quoniam in perſona magiſtratus erratum eſt, cōſenſum tamen in iudicio,hoc eſt,vt iudicium exerceretur,non impediat error,in perſona voluntatem? Contradicit præterea huic expoſitioni.*l.illud.§.ſi.ff.de iniur.*vbi ſi quis hominē liberū ceciderit,dum putat ſeruum ſuum, iniuriarum non tenetur. & tamen in delicto conſenſum,in perſona erratum fuerat. Dicendum itaque aliter cenſeo, errorem, ſcilicet, conſenſum impedire:niſi ab eo erratū fuerit, qui ex propoſito delinquit. *d.§.ſi iniuria.* idque ne erroris allegati prætextu, delictorum pœnæ obumbrentur. Quo fit,vt ſi quis conceſſæ rei,& licitę operam dans,alteri inferat iniuriam,errans, nec animum habēs delinquendi, impediat tunc error conſenſum, erranténq; excuſet. veluti, cum quis ſeruum ſuum verberibus cædere exiſtimans (vt domino licet.tot.tit.de emend.ſeruo.C.)alterum ceciderit.neque enim tenetur.*d.§.ſi.* Quare ſecus,hac noſtra ratione, ſi alienum.*l.1.§.Labeo.ff.de iniur.* Ad hæc porro nō videtur ſibi conſtare Vlpian.cùm in *d.l.ſi per errorem* dicat non quicquā eſſe tam contrarium cōſenſui,quàm errorem. At *in l.nihil.ff.de reg.iur.*nihil tam contrarium eſſe ſcribat, quàm vim,& metū. Accur.credidit, Vlpianum *in d.l.ſi per errorem*,hyperbolicè loquutum,cum manifeſto ſcilicet exceſſu veri,augendæ rei gratia. Eſt ſiquidem Hyperbole figura,qua ad augendam,aut minuēdam rem, euidenter tranſcenditur veritas,ab ὑπερβολή,voce Græca, quæ Latinè ſuperiectionem, & exceſſum, autore Fab. ſignificat,vt cùm dicebat Ouid.

Frigidius glacie pectus amantis erat.

Et Virgil.

Qui candore niues anteirent, & curſibus auras.

Simile eſt illud *Geneſ.16.* cùm dicit Dominus ad Abraham, Suſpice cœlum,& numera ſtellas,ſi potes:ſic erit ſemen tuum, faciámque ſemen tuum,ſicut puluerem terræ. Terram lacte ac melle manantem, qua fertilitas & abundantia illius terræ demōſtratur. De hac figura ſic ait Cicer.in Topic.in hoc genere oratoribus, & Philoſophis,conceſſum eſt, vt muta etiam loquantur,vt mortui ab inferis excitentur,aut aliquid,quod fieri nullo modo poſſit,augendæ rei gratia,dicatur, aut minuendæ,quæ Hyperbole dicitur.

Plura vide apud doctiſſimum virum Ioannem Corraſium ex cuius obſeruationibus hac collegi.

Ad l.2.§.& quidem.ff. de origine iuris.ignorauit Accurſius quis Pyrrhus ille fuerit, de quo ibi fit mentio in illa lege, & ſimul reprehenditur. Idem ad l.1.de poſtulando.

Enarrata ex antiquis authoribus memorata ab Vlpiano hiſtoria, reſtitutúſque ſibiipſi iuriſconſultus,
Fœmina cur poſtulare prohibita.
Emendata litera.l.1.ff.de poſtul.
C. Affraniæ impudentia.
Pyrrhi de Romanis victoria.
Cyneas orator eximius.
Appij Claudij cæci magnanimitas.
Romanorum reſponſum ad Pyrrhi legatum.
Appius orator diſertus.

In interpretatione edicti de poſtulando, Vlpian.ſumma ratione conſtitutum à prætore dicit,ne pro aliis fœminæ poſtularēt. Et ratio(inquit) *in l.1.§.ſexum.ff.de poſtuland.*prohibendi eſt,ne contra pudicitiam,ſexui congruentem, alienis cauſis ſe immiſceant:ne virilibus officiis fungantur mulieres. Origo verò introducta eſt à *Calphurnia*, improbiſſima fœmina, quæ inuerecundè poſtulans,& magiſtratū inquietans, cauſam huic dedit edicto. Sic vulgo legitur,cùm tamē *Caia Affrania*,ſit legendum:quę Licinij Buctrionis vxor fuit,impudentiſſima ſanè mulier,& quæ ad lites promptiſſima apud prætorem pro ſe verba facere ſemper voluit. Inuſitatis foro latratibus tribunalia exercens,tanta calumnia, & improbitate abundans, vt improbis fœminarum moribus,pro crimine C.Affraniæ nomen obiiceretur. Adiecit paulò poſt Vlpia.caſu quoq;,aliquos poſtulatione prohiberi:veluti cæcos,vtriſq; luminibus orbatos: quòd inſignia magiſtratus videre,& reuereri non poſſint,licèt hi ſenatorium ordinem, cœptúmque magiſtratum retineant. Illícque refert,Appium Claudium cæcum cōſiliis publicis interfuiſſe, ſeueriſſimámque in ſenatu de Pyrrhi captiuis nō recipiendis dixiſſe ſententiam. Pompon.verò de rege Pyrrho,in vrbe non recipiendo,Appium ſententiam tuliſſe ſcribit.*l.2.§.& quidem.ff.de orig.iur.* Quis autem hic Pyrrhus fuerit,an An-

chilleid

chilleides, an Epirotarum rex,non ſatis Accurſ.antiquarũ rerum ignarus,intellexit : qui in enarratione huius hiſtoriæ, infantiliter variat. Veritas ſic ſe habet, Pyrrhum Epiri regẽ, Tarentinis aduerſus Romanos auxilium laturum , Italiam traieciſſe, Albinúmque cõſulem Romanorũ,licet acriter reſiſtentem,cum magna cæde in fugam vertiſſe. Quo exercitu ſuperato,ſuppleuerunt,& inſuper amplificauerunt militũ numerum Romani,nullam pacis mentionem facientes:quæ res in admirationem Pyrrhum conuertit, tandémque compulit,vt prior ipſe experiretur,an pacem vellent Romani. Itaque Cyneam, virum magni ingenij , Demoſthenis quondam auditorem (de quo Pyrrhus dicere ſolebat , plures à Cynea oratione,quàm ſe armis partas eſſe vrbes)ad Senatum populúmque Rom.legatum miſit,componendę pacis gratia, liberationem captiuorum,& auxilium ad ſubigendam Italiam,populo Romano offerens:pro his aliud nihil quàm Tarentinis ſecuritatem , ſibi amicitiam poſtulans. Cúmque ad pacẽ inclinaret Senatus, Appius Claudius,vir ampliſſimus,ob ſenectutem tamen, & oculorum orbitatem,iamdiu à Reipub.muneribus ceſſans,lectica in curiam ſe deferri iuſſit, luculẽtáque oratione habita, Senatores omnes,qui iam pacem decreuerant,ad ſtudium belli traduxit, obtinuitque, vt Cynea dimiſſo reſponderetur,Pyrrhus Italia excederet , túmque ſi è re ſua videretur , de amicitia ac ſocietate verba faceret. Quoad verò in armis adeſſet,populum Romanum , aduerſus eum belligeraturum, etiã ſi mille Albinos,pugna ſuperaſſet. Alij non Albinum,ſed Valerium Leuinum conſulem, primùm à Pyrrho ſuperatum fuiſſe ſcribũt:ex eáque victoria, Pyrrhum ducentos captiuos milites , Romam gratis remiſiſſe,vt liberalitatẽ,nedum virtutem eius, Romani cognoſcerẽt,Cyneámq; legatum eius petiiſſe,vt pacis componendæ cauſa,rex in vrbem reciperetur. De quibus rebus,cùm ad frequentiorẽ Senatum referri placuiſſet, Appius Claudius, qui & ſenex , & cæcus in Senatum delatus erat , ſententia ſua tenuit,vt à Pyrrho negaretur. Sapientique ſua oratione. Senatum iamiam inclinatum,à Pyrrhi pace reuocauit. Quamobrem,ſuſpicatur eum diſertum Cic.in lib.de Clar.orat. De quo præterea ſic ait Cic.in lib.de Senectute : ad Appij Claudij ſenectutem , accedebat etiam , quòd cæcus eſſet, tamen is, cùm ſententia Senatus inclinaret ad pacem,& fœdus faciendũ cum Pyrrho, non dubitauit dicere illa, quæ verſibus perſecutus eſt Ennius.

Quò vobis mentes,rectæ quæ ſtare ſolebant
Antehac:dementes ſeſe flexere ruina?

Cæteráque grauiſſimè. notum enim vobis carmen eſt : & tamen ipſius Appij extat oratio , atque hanc ille egit ſeptem & decem annis,poſt alterum conſulatum:cùm inter duos conſulatus,anni decem interfluxiſſent. Cenſórque ante ſuperiorem conſulatum fuiſſet.

Tit. De legibus. Ad l.1.

Non rectè Accurſius hîc reprehendit Papiniani definitionẽ,qui illud idem obiicit Papiniano,quod olim Atteio Capitoni obiectum fuiſſe refert Gell.lib.19. Noctium Atticarum, qui Atteius Capito referente Gellio olim legem ſic definierat:Lex eſt generale iuſſum populi, aut plebis rogatione,magiſtratus. Hæc autẽ obiectio Accurſij eſt de iis legibus,videlicet quas nos perſonales antiqui priuilegia appellabãt, *vt infra tit.1.l.1.§.ſi ſolum.* quæ cum leges ſunt , non tamen in commune præcipiunt. Ideóque non videri hanc propriam definitionem,ſed deſcriptionem quamdam tãtùm hinc malè arguit: Accurſius. Nam Atteius Capito, & Papinianus cõmune pręceptum non paſſiuè , quaſi omnibus præceptum dixêre (vt & illi tunc,& Accurſius poſteà exiſtimauerunt) ſed actiuè, quod ſcilicet vniuerſa plebs, aut vniuerſus populus,vel in vna modò re iuſſiſſent. Ideóque indifferẽter has quoque vocari leges rectè oſtendit Aulus Gellius : vt de reditu Ciceronis , vt illa Cnei Põpeij de cæde Clodij,aliæq; plurimæ huiuſmodi quas rogationes dixerunt : ſiue vniuerſo populo,ſiue plebe dũtaxat iubente, latæ ſint, quanquam hæc quidem magis propriè plebiſcita vocantur.

Ad l.2.eod.tit.

Duobus in locis errauit grauiter Accurſius in explicatione huius legis,ac primum ad locũ illũ in quo Chryſippi fit mentio,quæ verba cùm Græca ſint,& cùm quiſquis fuit ille qui ea tranſtulit in Latinũ,haud multũ feliciter ſit rem aggreſſurus, ea in medium proferam paulò melius verſa,quæ ita ſe habent diuinarum humanarúmque rerum regina eſt lex,quam præſidere,Principẽ ducémque eſſe, & honeſtis & turpibus conuenit ſecundúmq; hęc iuſtorum iniuſtorúmque regulam eſſe,& eorum quę naturaliter ciuilia ſunt animantiũ,vt facienda quidem iubeat,ruſus non faciẽda prohibeat. Accurſius hic turpiter lapſus eſt,cùm regulam eo ſenſu accepit,quo Iuriſconſulti tradunt eam eſſe,quæ rem,quæ eſt breuiter enarrat:qua interpretatione nihil abſurdius eſſe poteſt , cùm nullo modo in præſenti ſenſu cõgruat. hic enim regula eſt accipiẽda pro forma & lege,quam omnes imitari debemus,qua voce in eadem ſignificatiõne vſus eſt Plinius lib.24. Polycletus,inquit fecit, quem canona artifices vocant,lineamenta artis ex eo petentes velut à lege quadam. Alius error Accurſij eſt,dum de diuinis rebus Chryſippus dixit, idcirco factum ait, quoniam plurimæ leges ius diuinum reſpiciũt,vt quę de fide Catholica loquuntur quæque ſacerdotibus leges ſtatuunt , quæ interpretatio omnino eſt abſurda, quandoquidem tempeſtate Chryſippi harum legum nulla extabat.

Ad l.12.eod.tit.

Ex hac lege contra Accurſium colligimus poſſe iudicem,ſi ſpecies aliqua, vel dubium apud ſe emerſerit, quod neq; lege neq; prudentũ interpretatione expreſſum deciſum ſit : exemplo & ſimilitudine alicuius legis,quod opportunũ eſſe videatur conſtituere. Id quod omnes ſanæ mentis homines fatẽtur, & exempla ſunt frequentiſſima.*l.1.C.de interdictis.l.2.C.quæ ſit longa conſuetudo. §.illud.infra ad legem Aquil.l.ex facto. de negotiis geſtis.* quamuis Accurſius in his exemplis,quæ in iure referuntur , neceſſarium olim fuiſſe exiſtimet conſuli principem, quod non puto verũ. Hodie certè non eſt neceſſe,& ſi exempla non extarent:cùm ſatis eſſe debeat ſemel eam rem hoc loco conceſſam eſſe. Sed ego his demum iudicibus de ſimilibus ad ſimilia iudicando progredi permiſſum arbitror,qui non vt iudices dati cognoſcunt : nam hi notionem duntaxat habere dicuntur,ſed qui iure proprio magiſtratum & iuriſdictionem acceperũt,vt prætores,proconſules & præſides prouinciarum. Puto etiam legatis Proconſulũ permitti. Quod ſi quis in aliquo duntaxat articulo,aut cauſa iuriſdictionem acceperit,vel ſpecialis iudex datus fuerit. Non idem huic concedendũ puto, vel aduerſus Innocentij opinionem, quam Angelus hoc loco refert. Iudex enim iuriſdictioni non præeſt, quicquid Põtifex Gregorius in contrarium ſcribat.*capit.1. & gloſſ.extra de officio delegati.*

Ad l.18.eod.tit.

Quæ Accurſius hic ſcribit non ferè ad veram huius capitis interpretationem pertinere viſa ſunt , quod attinet ad ſecundam expoſitionem. duas enim ſuo more hic ponit. Nota igitur quod in hac lege ponitur, Id in pœnalibus propriè, & in iis quæ pœnaliũ ſimilia ſunt intelligi debere. exempla autem in mediũ proferam , quæ Accurſius non affert. exempla enim huius rei non deſunt,pro exemplo igitur tibi ſit.*l.4.§.ſiue autem.ff.de manumiſ.l.1.§.qui operas. ad Senatuſconſult. Trebellianum.l.reſpiciendum.ff.de pœnis.* Non idem faciendũ eſſe puto,ſi quid lex permittat,vt etiam plenius percipiamus, quippe hoc modo ſimiliter, & lineam tranſgrederemur, licentiáq; magis quàm benignitas hæc eſſet. Quamobrem rectè videtur exiſtimaſſe Gulielmus, neſcio quis hoc loco, ſi mortuo filio naturali concubinam, ex qua filiũ ſuſcepi vxorem duxero , non legitimũ propterea fieri nepotem, qui mihi ex eo ſit,neq; ad hoc trahendam eſſe Iuſtiniani Conſtitutionem , Authentica quibus modis naturales efficiantur ſui.in princip. & hoc aduerſus Accurſij gloſſam hoc loco dictũ ſit , quæ ponit nepotem legitimum fieri.

Ad l.25.eod.tit.

Sententiam huius legis Accurſius non eſt aſſecutus. Nam, quod reſpondit Modeſtinus , nullã iuris rationem,aut æquitatis benignitatem pati , vt quæ ſalubriter pro vtilitate hominũ introducũtur ea nos duriore interpretatione producamus ad ſeueritatem hoc perperam Accurſius & cæteri transferũt ad ea tantùm quę quorundam gratia inducuntur. Imo de

omni iure ſcripto loquitur Iuriſconſultus: quod ad hominum vtilitatem cùm ſit introductum, nõ debemus in duriorẽ ſententiam exponere, ne pernicioſum ſit iis ipſis quorum commodo ſcriptũ eſſe reperitur. Quod qui faciunt, & tãquam machina aliqua ſcriptum legis contorquẽt ad ſeueritatem & duritiem, perinde faciũt ac qui bonis & ſalutaribus medicamentis ad perniciem ægrotantium abutuntur.

Ad tit. de legibus.

Malè Accurſius *in l. cùm de conſuetudine, de legib.* nõ contradicto, arbitratur meliùs ſcribi: quod vt pateat omnibus, perpendenda ſunt ipſa legis verba quę ſic ſe habent. Cùm de conſuetudine ciuitatis confidere quis videtur, primùm quidem illud explorandum arbitror, an etiam contradicto aliquando iudicio conſuetudo firmata ſit.

Ad l. Non ambigitur. D. de legib.

Non ſat rectè, meo iudicio, ex hac lege colligit Paulus Caſtrenſis, conſilium cuiuſque ciuitatis habere poteſtatem ius condendi, & quòd ab eius ſententia non ſit appellatio, veluti nec à Senatus Romani ſententia olim fuit prouocatio. Vereor ne Caſtrenſis vir alioqui doctiſſimus hac in re erret, quoniam hic de Senatu Romano tantùm Iuriſconſultus noſter loquitur, cui ſicut non aliæ ciuitates, ita nec conſiliarij comparari vllo modo poſſunt. Igitur aliorum locorum decuriones propriè non Senatores in noſtris legibus vbique appellantur, & decurionum decreta dicta, non ſenatuſconſulta. Præterea (quod omnium optimum eſt argumentum ad hanc noſtram opinionem confirmandam) Senatores ab initio non habuerunt poteſtatem ius condendi, ſed poſt exactos reges tantùm, ac poſt leges 12. Tab. Iam aucta in eum modum ciuitate, quòd non facilè populus coire poterat, delata fuit gubernatio Senatui, & lege ius datum, vt quod conſtituiſſet, ius eſſet: túmque primùm Senatuſconſulta nominata. Ex quibus omnibus contra Pauli Caſtrenſis ſententiam omnibus manifeſtum eſſe arbitror, conſiliariorum cœtus ius faciendi nõ habere, ſed conſultandi tantùm, niſi lege nominatim talis poteſtas tributa fuerit.

Ad l. 34. de legib.

Ita hoc caput cum viro doctiſſimo Antonio Auguſtino legendum puto, cùm de conſuetudine confidere quis videtur, primùm quidem illud explorandum arbitror, an etiam cõtradicto aliquando iudicio conſuetudo firmata ſit, quicquid Accurſius vacillet, aut impoſturæ faciat. Ego vel aduerſus omniũ ſententiam hoc caput ita accipiendum arbitror: quaſi conſilium nobis det Vlpianus, non quaſi neceſſitatem imponat. apertè enim id agit vt illum adiuuet atque inſtruat, qui de conſuetudine cõfidit, alioquin probari aut firmari nunquam poſſet conſuetudo, ſi iuſta exceptio illa exiſtimaretur, quòd contradicto iudicio nunquam obtenta eſſet. Nec noua eſt hęc noſtra opinio. nobiſcum enim ſentire videtur Albericus hic in fine, cùm dicit huius capitis ſenſum hunc eſſe, vt qui conſuetudini innititur diſpicere debeat, an ſecundùm intentionem ſuam quandoque iudicatum ſit, & ſententias huiuſmodi proferat, alioquin coſuetudinem talem eſſe aliis modis probet. Nec hoc nouum videatur, quòd hîc dicimus conſilium nobis dediſſe Vlpianum, non neceſſitatem impoſuiſſe, animaduerti conſilium etiam aliis locis dare conſueuiſſe Iuriſconſultos, exempli gratia, *In l. is qui deſtinauit. D. de rei vindicatione. l. 1. D. de inoffic. teſt.* extant plures aliæ leges hac de re: ſufficit has protuliſſe.

Ad tit. de Conſtitutionibus Principum.

Bis errauit Accurſius in vnica gloſſa ſuper verbo regia: primùm quòd putat Iuriſconſultum de illa lege regia loqui, quæ ab Hortenſio lata ſuit, de qua ſit mẽtio in *l. 2. §. deinde cùm eſſet. de origine iuris.* Nam notandum idcircò eam legem regiam nuncupatam, quod vt Halicarnaſſeus & Liuius ſcribunt, ius regis creandi lege lata Romulus populo Romano conceſſerit. Proindéque ſolebant Tarquinij Seruio Tullio obiicere, quòd iniuſſu populi Romani regnum inuaſiſſet. Cùm itaque Auguſtus à populo Romano creatus fuiſſet Imperator, videtur antiqua illa lex Romuli in vſum reuocata. Secundò in eo errauit etiam Accurſius, quòd putet in eadem gloſſa ab Hortenſio oratore illam leg em latã, de qua fuit mẽtio in l. 2. de orig. iuris, quod falſum eſt: cùm lata ſit à Quinto Hortenſio dictatore, vel ipſo Iuſtiniano teſte, *§. plebiſcitum. Inſtit. de iure naturali. Gell. lib. 15. cap. 27.* Plin. *lib. 16. cap. 10.* Hortenſius Dictator inquit, cùm plebs ſeceſſiſſet in ianiculum, legẽ in eſculeto tulit, vt quod ea iuſſiſſet, omnes Quirites tenerent.

Ad l. 1. de Conſtitutionibus Principum. A Corraſio reprehenditur, Salomonius poſtea defenditur. Salomonius aduerſus Corraſium.

De lege Regia, & annotatus Marij Salomonij error.
Lex Regia cur ſit dicta.
Alexandri Seueri vita.
Auguſtus regiam poteſtatem non vſurpauit.
Regiæ leges plures.
Salomonij notatus error.
Populus Romanus cur ſummum ius Principi dederit.

Quod Principi placuit, inquit Vlpianus, legis habet vigorem: vtpote lege Regia (aut vt alij legunt, Remnia) quæ de eius imperio lata eſt, populus ei, & in eum, omne ſuum imperium, & poteſtatem conceſſit, *l. 1. D. de conſtitut. Principum.* Appellata eſt autẽ hæc lex Regia, inquit Salomon. quòd per eam ius regnandi deferretur. Neque exiſtimandum eſt, vt ille ait, quod rerum imperiti arbitrantur, Regiam legem, ab initio vnam latam fuiſſe, pro futuris omnibus Principibus, ſed ſuam cuique principi, certis conditionibus, quæ populo placuiſſent, adeò quòd quibuſdam maior, quibuſdam minor, poteſtas tributa fuit, illud adiiciẽs, veriſimile eſſe, Vlpianum loqui de lege Regia Alexandri Seueri, ſeu Mãmeę (ſic enim eam à Mammea matre, plerique vocant) cuius protutor fuit, primùm, vt Lampridius ſcribit, repugnante Mammea, Seueri matre, deinde gratias agente, quòd tandem nouiſſet Alexandrum filium. ſummũ Imp. fuiſſe, quia Vlpiani conſiliis rexiſſet rempublic. tam iuſtus autem & temperatus Alexander fuit, vt meruerit arbitrio, conſenſúque populi, legibus ſolui, quoniam ſibi ipſi lex erat. Sed ego hac in re à Marij opinionibus receſſerim, qui (vt mihi videtur) veritatẽ hiſtorię in eo, nec primoribus quidẽ labris deguſtauit. Ergo probabilius eſt, vt vel cum quibuſdam *Lege Rhemnia* legamus, vel idcircò dicamus, eam legem Regiam nuncupatam, quòd, vt Halicarn. & Liuius ſcribunt, ius regis creandi, lege lata, Romulus populo Romano conceſſerit. Proindéq; ſolebãt Tarquinij Seruio Tullo obiicere, quòd iniuſſu populi Romani regnum inuaſiſſet. Cùm itaque Auguſtus à populo Romano creatus eſſet imperator: videtur antiqua illa lex Romuli (quæ Regia idcircò dicta fuit, quòd ea ad populũ ius creandi Regis pertineret) in vſum reuocata, quamuis regiam planè poteſtatem Auguſtus nunquam vſurpauerit, vt qui ſua populo, ſuáque ſenatui munia, permiſerit obire. Hanc regiam legem, alibi dixit Imp. legẽ imperij. *l. ex imperfecto. C. de teſt.* propterea quòd de Cæſaris imperio lata ſit. Et quia ius imperij Romani ad populum pertinebat, donec per eam legem populus in Auguſtum Cæſarem, ius omne tranſtulit. *d. l. 1. D. de conſtitut. Princip.* Meminit quoque Marcellus alterius legis Regiæ, quæ vetabat mulierem, ſi prægnans eſſet, ante partus exciſionẽ humari. *l. 2. D. de mort. infer.* Et aliàs cõplures leges Regias fuiſſe, Pomp. indicat *l. 2. §. iuris ciuilis. D. de orig. iur.* Nec præterea verum eſt, quod Marius ait, Regiam illam legem, principio pro futuris omnibus Cæſaribus latam non fuiſſe, cùm dicat Arcadius Iuriſconſultus regimenta reipublicæ ad imperatores perpetuò tranſlata. *l. vnic. D. de offic. præfec. prætor.* Et apertiùs Iuſtinianus ait, antiqua lege, quę Regia nuncupabatur, omne ius, omnémque poteſtatem populi Romani, in imperatoriam maieſtatem tranſlatam fuiſſe. *l. 1. §. ſed & hoc ſtudioſum. C. de veter. iur. enucl.* Sed & illud confirmat euidens ratio: nam idipſum populus Romanus facere, hoc eſt, vni alicui Principi, ſummum ius dare, omniúmque rerum arbitriũ permittere, veluti neceſſum habuit, vt omnis factionum occaſio tolleretur: tum, vt in adminiſtratione prouinciarum Princeps ſuccenturiaretur Senatui, qui non perinde prouincias omnes regere poterat. *l. 2. §. nouiſſimè. D. de origine iuris.* Et hæc mihi veriſſima videntur, aduerſus Mar. Salomonium, virum alioqui doctiſſimũ, cuius rationes perquam frigidæ ſunt, facileque ſublatæ ex ſuperioribus apparent, & quidem

dem ſine cauillo. Hæc Marij Salomonij ſententia extat in tractatu de Principe lib. 6. & 7. & quòd valdè facit ad hanc rem animaduerti Iuſtinianum, quotquot aliis locis huius legis mentionem facit, exempli gratia, *§. ſed quod Princip. Inſtit. de iure naturali, gentium, & ciuili. l. 7. §. cùm enim. C. de veteri iure enucleando. l. 1. in princip. de officio præfecti prætorio. l. ex imperfecto. C. de teſtamentis. l. 2. §. nouiſſimè. de origine iuris*, Animaduerti, inquam, Iuſtinianum ita ſemper omnia retuliſſe, quaſi initio vna lex lata fuerit, quæ futurorum omnium deinceps Imperatorum poteſtatem generaliter firmauerit. & imperium à populo Romano perpetuò in principes trãſtulerit. Hæc ſunt quæ pro Corraſio faciunt, qui reprehẽdit Marium Salomonium. Retuli quæ Corraſius aduerſus Marium Salomonium propoſuit, & pro Corraſij opinione confirmanda veriſimiles quaſdam coniecturas in medium protuli. Sanè pace Corraſij alioqui viri doctiſſimi & diligentiſſimi, dixerim, non mihi videtur male ſenſiſſe Marius Salomonius in tractatu ſuo de principe lib. 6. & 7. Amicus mihi Plato eſt, amicus Ariſtoteles: ſed magis amica veritas. Veritas autem hiſtoriæ eſt, conſueuiſſe legem huiuſmodi in ſingulos principes, mox vt ab exercitu conſalutati, & à ſenatu comprobati eſſent, ferri non quidem antiquo more per tribus & populi rogationem. Nam poſt Auguſti tempora nihil omnino per tribus (quod ad Reipublicæ adminiſtrationem pertineret) actum eſſe legimus. Non igitur per tribus eiuſmodi lex ferebatur de Imperatore, ſed per ſenatum ipſum quod eſt ſummum Conſilium populi Romani, vt definit Cicero. Id confirmare poſſum ſexcentis Hiſtoricorum authoritatibus, ſed vna aut altera authoritate contentus ero. Tacitus libro 13. Adcurrũt patres, decernit Othoni tribunitia poteſtas & nomen Auguſti, & omnes Principum honores. Idem lib. 18. de Vitellio: In ſenatu cuncta longis aliorum principatibus compoſita ſtatim decernuntur. Idem libro 20. At Romæ Senatus cuncta principibus ſolita Veſpaſiano decernit. Quinetiam Senatuſconſulti de Imperio Veſpaſiani facti pars maxima hodie in Laterani Baſilica legitur, ærea tabula inciſa. Vide apud Salomonium exemplum illius Tabulæ, à quo Antonius Vacca illud idem exemplum tranſcripſit, & in ſuas locorum obſcurionum expoſitiones tranſtulit. Ex his omnibus ſatis conſtare arbitror de ſingulis imperatoribus legem ferri ſolitam, ſine qua nulli iuſtum imperium eſſe exiſtimaretur. Nec obſtat quod ex lege prima, de officio præfecti prætorio, ex Vlpiano relatum eſt, reipublicę regimenta ad Imperatores perpetuò tranſlata eſſe, quia ex ſententia ipſius Vlpiani, ſi modò Vlpianus ita ſcripſit, ſic accipiendum videtur: Inſtitutum fuiſſe vt Imperatores perpetuò crearentur, atque hi totius Reipublicæ curam gererent. quod & Pomponij verba ſignificant. *l. 2. de origine iuris. §. nouiſſimè.* Præterea ex Tabula illa ærea apparet non id agi, vt Senatus aut populus priuentur poteſtate ſua: ſed vt principem quaſi ſupremum aliquem magiſtratum, ac velut Dictatorem conſtituant. Quinimò auſim dicere nihilo plus iuris datum principi, quàm retentum eſſe: quoad ſcilicet princeps aliquid fieri non prohiberet. Veriſſimam eſſe hãc ſententiam indicat etiam id ipſum quod ex Vlpiano refertur, Senatum ius facere poſſe, quod etiam Valentiniani & Theodoſij Imperatorum conſtitutione agnitum & comprobatum eſt. *d. l. Non ambigitur. D. de regibus. & l. 1. C. de Senatuſconſultis.* Hæc ſufficiant pro Marij Salomonij defenſione aduerſus Ioan. Corraſ. cuius reprehenſionem ſuprà retuli. Plura vide apud Ant. Vaccam in expoſitionib. ſuis locorum obſcuriorum, vbi pleniſſimè hac de re tractat.

Ad tit. de ſtatu hominum.

Non intellexit Accurſius quid eſſet perpetuum edictum, de quo fit mentio in *l. 2. de ſtatu hominum.* nam perpetuum edictum generale edictum interpretatur, & rationem addit. ait enim ſecundùm ordinem prætorem ſua edicta propoſuiſſe. Nota igitur vt hoc intelligas, ne iuris dicendi ratio arbitraria prætoribus eſſet, & pro eorum libidine ſubinde mutabilis, latam fuiſſe legem de edictis perpetuis. Aſconius in orationem pro Cornelio de maieſtate ita inquit: Aliam deinde legem Cornelius, etſi nemo repugnare auſus eſt, multis tamen inuitis tulit, vt Prætores ex edictis ſuis perpetuò ius dicerent. Quæ res gratiam ambitioſis prætoribus qui variè ius dicere ſolebant, ſuſtulit: ſed eorum edictorum cùm eſſet ingens & confuſa multitudo, nec omnia digna viderentur quæ perpetuò vigerent. Aulus Offilius prætorum edicta primùm vt cunque compoſuit, vt ait Pomponius *l. 2. §. ex his authoribus. D. de origine iur.* dein Salinius Iulianus Mediolanenſis Adrianis Cæſaris authoritate in ordinem digniora redegit, certáque titulorum ſerie in vnum volumen redegit. Vide Budæum hic, Alciatum libro 2. Diſpunctionum, cap. 27. & lib. 3. παρέργων. cap. 3. & in Rubrica tituli Codicis de edendo, Antonium Auguſtinum libro 1. Emendationum, capite 5. Franciſcum Duarenum Anniuerſarium, Diſputationum ca. 4. Illud ſanè meminiſſe operæpretium duxi quod Pomponius ſcribit in *l. 2. §. Seruius. 3. de origine iuris.* Aulum Offilium edictum prætoris primùm diligenter compoſuiſſe. nam ante eum, inquit, Seruius duos libros ad Brutum quàm breuiſſimos ad edictum ſubſcriptos reliquit. Quod idcircò notandum valdè puto: pauci enim id aduerterunt. his enim verbis apparet, non primum Iulianum, vt omnes exiſtimant, ſed alios quoque ante eum id negotij aggreſſos eſſe, adeo non in vno eodémque ſcriptore ad ſummam perfectionémque cuiuſque inuenti ſtatim peruenitur. Ipſe autem exiſtimo Offilium quidem in edictis colligendis, ac certo ordine componendis duntaxat elaboraſſe: Iulianũ verò etiam detractis, aut additis quibuſdam curaſſe, vt edicta ipſa, cùm inter ſe tum verò etiam cum veteribus legibus ac principalibus conſtitutionibus conuenirent. & hoc ita eſſe exiſtimo: quia Imperator in *l. 2. §. ſed quia. C. de vet. iure enucleando*, appellat Iulianum edicti perpetui ſubtiliſſimum conditorem.

Ad l. 4. § ſerui.

Ex hoc loco manifeſtò apparet, valdè falli Laur. Vall. Grammat. lib. 5. Elegant. cap. 34. qui ait, mancipium vt manumiſſio, dictum, quod in manu, hoc eſt, poteſtate ſit. nam præter hunc locum quo dicitur, mancipia ſic dicta eſſe, quòd ab hoſtibus manu capiantur: M. etiam Varro & Donatus ſic appellata crediderunt, quòd manu capta ſint: ſeruos ſc. reſeruatos, cùm eos iure belli licuiſſet occidi. Don. in Adelphis Terent. vnde Virgilius ſic inducit captiuum rogantem lib. 9. Æneidos:

Per patrios manes, per ſpes ſurgentis Iuli,
Te precor hanc animam ſerues, natóſque patréſque.

Sic & mancipi res appellauit antiquitas, quòd manu capibiles alienari poſſunt. Et emptione ſiue mancupi res quæri dicuntur, quæ manu capi poſſunt: ac ſi diceremus mancipi rem (vt barbaris vocibus vtar, valdè ſignificantibus tamen) id eſt, emibilem & manuprehenſibilem. Manceps autem emptor appellatur, quòd manu ſublata, authorem ſe aſſerit emptionis, qualis poſteà dici cœpit, Feſto iudicante, qui aliquid à populo emebat, conducebátve, vt ſuo poſtea venderet arbitratu, cuiuſmodi dici poſſunt coloni, qui agros mercede cõducunt, aut qui decimas quęſtus ſui cauſa redimũt: mãcipiũ autẽ hoc loco hominẽ bello captũ, aut aliter ſeruituti mancipatũ ſignificat.

Ad l. 6. eod. tit.

Quod Accurſius hîc in fine gloſſæ iuſtam ſeruitutem interpretatur, quæ domino grata & accepta fuerit: ſine dubio delirum eſt: & ſi fieri poſſet, ex libro aboleri deberet. videamus igitur quid hoc loco ſit iuſta ſeruitus. Iuſtam ſeruitutem vulgò nunc legitimam & rectam, hoc eſt, veram & iure cognitam ſeruitutem appellant. Nam niſi talis ſeruitus ſit, libertinum manumiſſio non facit: & hoc eſt quod ſæpe reſcriptũ eſſe relatum eſt, *inſt. de ing. in fi.* natalib. nõ officere manumiſſionẽ.

Ad l. 12. eod. tit.

Ex hoc loco manifeſtè apparet Accurſium ſibi aliquando contraria dixiſſe, licet Ant. Nicell. contrarium ſentiat, qui edidit librum ſpecialem ad diſſoluendas contrarietates Accurſ. noſtri. hoc igitur contrarium eſt eiuſmodi. Cùm quæreretur ſi vno fortè, aut altero die poſt completũ x. menſem natus quis ſit, an nihilominus iuſtus haberi debeat. Accur. noſter hîc iuſtum habendum non exiſtimauit, *per tex. §. fin. l. ſi alius. in princ. de lib. & poſth. arg. etiã eiuſdem l. Gallus. in prin.* quam ſententiã quoq; probo. Idem Accur. alibi contrarium ſcripſit *in d. l. Gallus, in principio. & in Authent. de reſtit. & ea quæ. §. fin.* & quòd primam Accurſij opinionem comprobem, mouet me, quòd ita ſcripta lex ſit. Poſt x. menſem natum non admitti ad hereditatẽ à qua ſi ſemel digreſſi erimus, nihil iam certi ſupererit, quin authoritatib. impulſi, vel tertio etiam, vel quarto die ac deinceps poſt ſtatutum tempus aditum recipiamus veteri equinæ caudæ paulatim conuellendæ exemplo quod Horatius refert.

Ad l.14.D.de legibus.

Ego aduerſus Accurſium non puto in conditione ſic poſita, *ſi liberos ſuſceperit, vel ſi ex ſe natos habuerit*, prodigioſum partum proficere: plerumque enim ſic conceptis verbis filiorum ipſorum cauſa relictum videtur.*l. Lucius.in fin.de heredibus inſtit.*& ratio mea hæc eſt,quia filios habere hæc mulier dici nõ poteſt,quæ monſtrum peperit:& ita ego ſentio quamuis Accurſius aliter in hoc loquatur.Eadem etiam ratione nec à muneribus ciuilibus vacationem præſtabant, non magis quàm nati & defuncti. & hæc bona ratio, quia vacatio intuitu filiorum tãtùm datur,*l.finali,infra de iure immunitatis.* monſtra autem liberorum loco non habentur.

Ad eandem l.14. D.ſuper ea verba, Partus autem, qui humanorum membrorum officia ampliauit.

Sanè quòd humanorum membrorũ officia hîc commemorantur, eáque Accurſius videtur interpretari, vt in manu digitos. Quæſitum eſt à quibuſdam interpretibus, ſi lex ſit, vt qui alteri membrum abſciderit,eodem membro retalietur,an ſi digitum abſciderit,digito multari debeat.& quamuis plerique malè exiſtiment,nõ debere,ea moti ratione,quòd digitus non membrum eſſe,ſed membri officium videatur.Ego tamẽ alium fuiſſe Iuriſconſulti ſenſum exiſtimo, ideóque contrariam ſententiam veriorem puto. Cùm enim lex in eo quod maius eſt, talionem eſſe voluit, quanto magis & in hoc quod eſt minus? Adde quod nec omnino impropriè videtur digitus,membrum appellari (vt eorum rationi reſpondeam) cùm propriè quidem articulus dicatur: artus verò nihil aliud niſi membrum Latinè ſignificet. Neque enim tam verba, quàm legis mentem & rationem inſpicere nos oportet, *l.ſcire leges, l.contra:& ſeq.ſuprà de legibus.*

In l.17.hoc tit. Accurſij lectio abſurda videtur,ſeruos ob id liberari,quòd in vrbe Romana ſint:cuius tamen error moribus deinde apud quoſdam obtinuit, vt moribus Biturigum, artic.1.videri poteſt.

In l.23.eod.tit. Accurſius errori quorundam dedit occaſionem, qui ſpurios ex inceſto concubitu tantùm editos putant, ſed malè interpretantur Modeſtinum,quem Iuſtinianus.*l.pen. Inſtit.de nuptiis*.rectè interpretatur.

Malè idem Accurſius in hoc tit.putat peregrinos pro deportatis in legibus vſurpari. Id enim falſum eſt.nam in *l.ſed ſi. §.ſolemus.de heredibus inſtituendis*.& *l.1.C.e.*ideo deportati teſtamenti factionem non habent, quod peregrini,id eſt *ἀπόλιδες* facti ſunt,& ob id iure ciuitatis teſtari non poſſunt. Cùm heredis inſtitutio legatũ & fideicommiſſum propria ſint Romanorum ciuium, Theophilus Inſtitut.per quas perſonas nobis adquiratur, peregrini ſiue deſierint eſſe ciues,ſiue nunquã inter ciues fuerint, id iuris non habeant.*l.quidam.de pœnis.l.1. C.de heredibus inſtituendis.*

Ad l.16. de ſtatu hominum.

Quod in hoc capite Accurſius affirmat, ſi quo ordine nati ſunt liberi, apparere non poſſit, tam quartum quàm tertium futurum liberum argumento *l. cùm inter. C. de fideicommiſſariis libertatibus:* rectè à Bartolo, aliiſque compluribus reprehenſum arbitror. Sed eorundem ſententia etiam reprehendi poteſt.nimis enim dura eſt. Exiſtimant enim neutri libertatem competere,argumento *l.duo ſunt Titij.D.de teſtamentaria tutela.* Benigniùs & humaniùs mihi videtur quod Baldo & Angelo eius conſanguineo placuit, cogendum hoc caſu heredem alterum eligere,vt is liber ſit.argumento.*l.ſi quis ſeruum. §.ſi inter.de legatis*.2.Qua humanitatis ratione,& duobus liberis vno vtero genitis, ſi incertum ſit, vter priùs editus fuerit, primogenituræ, quam vocant, ius eum eſſe conſequuturum, quem pater iuſſerit:idque Baldus & Alexander probant his in additionibus ad Bartolum: & inſuper idem tractat Baldus in *l.in quibus.C. de ſecundis nuptiis.* Illum tamen ego non ingenuum, ſed heredis libertum fore credo, & hactenus Bartoli ſententiam ſequor. propiùs enim ſtricto iuri erat, vt cùm reuerà ingenuus apparere non poſſet,pro ſeruo haberetur. Vnde ſatis gratiæ videtur conſequi, ſi quoquo modo ad libertatem peruenit.

Ad l.17.de ſtatu hominum.

Adnotat in hac lege Accurſius,ſeruos omnes,ſi Romæ maneant,liberos & ciues Romanos fieri. Quandam etiam portam Romæ eſſe ait, quæ idcircò libera appellata ſit, quòd per eam ingreſſi ſerui,liberi illicò fiant, quod ſplẽdidè falſum eſt: nec niſi ex anilibus deliramẽtis proceſſiſſe poteſt. Hodie certè Romæ vulgò ita fertur, vt audiui à quibuſdam, ſeruos, qui in vrbem venerint,vbi vel in Capitolium aſcẽderint, vel Diui Petri Baſilica limina attigerint,ſi ſe Chriſtianos eſſe approbare poſſint, cõtinuò liberos fieri,quod tam nulla lege,quàm nulla ratione dictum eſt,per iniuriam tamen quandam(vt audiuimus)etiam dicta ſecundùm ſeruos ſententia,vſurpatum.

Ad tit.de his qui ſunt ſui & alieni iuris.

Malè Accurſius in *l.2.h.t.* interpretatur infamem iniuriam infamatam,quaſi dicat,iniuriam magnam,quam patiuntur,inquit ille. Ego infamem iniuriam appellare Vlpianum hoc loco puto, nefariam illam obſcœnitatem, quã in principio violationem appellauit. Nefarium igitur illum complexum maſculinum intelligit, quem hoc verborum velamẽto Vlpianus voluit exprimere, veritus rem ipſam tam fœdam, obſcœnam & deteſtabilem ſuo nomine nuncupare.

Malè etiam in *l.3.*à quibuſdam interpretibus dicitur poteſtatem patriam iuris ciuilis eſſe,cùm ſit Iuriſgentium. Naturalis enim ratio apud omnes gentes peræquè iubet parentibus filios parere & ſubeſſe.*§.quòd verò naturalis. Inſtit. de iure naturali.l.2.l.omnes.in fin.D.de Iuſtitia & iure.*

Ad l. 11. eodem titul. de his qui ſui ſunt & alieni iuris.

Ad hunc locum huius legis inuiti filij naturales vel emancipati non rediguntur in patriam poteſtatem:naturales accipe ex cõcubina, vel quauis alia nõ iuſta vxore genitos, quicquid Accurſius cõtrouertat, qui verbi illius redigatur, ſignificationem non ſatis perſpicam habuit: & vt hoc rectè intelligamus, notandum naturalium triplicem eſſe appellationem. Nam interdum iuſti filij quique in poteſtate noſtra ſunt,naturales dicuntur ad differentiam adoptiuorum,*l.nepotes.in fin.ſuprà eod.tit.* de quibus hoc loco non agitur. frequentiùs verò naturales dicuntur ex concubina,vel quauis alia non iuſta vxore geniti, qui nec in poteſtate noſtra ſunt, ſed ſui iuris habentur, vt *l.ex facto.§.ex facto.ad Trebel.*Hi rurſus in multas alias ſpecies diſtinguũtur, variiſque appellationibus recẽſentur,quas omnes ſpecies diligentiſſimè exponit Alc.lib.4.*παρεργῶν*,c.5. vide eũ, ſi hac de re plura ſcire velis. Tertio modo naturales dicuntur, qui nati illicò in poteſtate noſtra ſunt, non vt patrum, ſed vt dominorum, veluti qui nobis ex ancillis noſtris ſuſcipiuntur. Nã hi & ſerui & filij naturales noſtri ſunt, *l.naturales.de præſcriptis verbis.l.fin.C.communia de manumiſſionibus.l. de ancilla. Cod.de liberali cauſa. l.denique.de pignoribus.l.omnes.§.Lucius. quæ in fraudem creditorum.* Quamobrem Martialis de equite Romano loquẽs,qui ancillis ſuis commiſceretur, domum repetere eum equitibus vernis dixit. Cæterùm quod ait hîc Iuriſconſultus,inuitos non redigi in poteſtatem, quæri poteſt,ſi conſentiant, quomodo redigantur. Ego per arrogationem id fieri intelligo,*l.qui libertus.ȷ.tit.1.*

Ad tit.de adoptionibus.

Ad l.2. Quæ ſit inter Eunuchos, ſpadones, & caſtratos differentia,aduerſus Accurſianos.

Caius libro primo Inſtitutionum ſcribit,*l.2.de adopt.* Illud vtriuſque adoptionis commune eſſe, quòd & hi qui generare non poſſunt,quales ſunt ſpadones,adoptare poſſunt.Hæc tantùm Florentiæ reperimus, & in priore libro Caij Inſtitutionum,titulo de adoptionibus,addunt alij ex Iuſtiniani Inſtitutionibus. *§. ſed & illud. eod. vbi Theoph.* Caſtrati autem non poſſunt,quæ verba delenda in Digeſtis ſunt. Spado adrogando,ut Modeſtinus ait,*l.adrogato.in fi.eo.*ſuum heredem ſibi adſciſcere poteſt,nec ei corporale vitium impedimento eſt.Poſſe quoque poſthumum heredem inſtituere, vt adoptare,& v-

xorem

xorem ducere, caſtratum verò tribus his rebus prohiberi Vlpianus ſcribit. *l. ſed eſt quæſitum. de lib. & poſth. l. ſi ſerua. in fi. de iur. dot.* Operæ igitur pretium eſt videre, quæ inter ſpadonem & caſtratum differentia ſit, & Accurſianorum ineptiis neglectis, Theophili definitio probanda eſt, quam Conſtantinus, vt alia non pauca, lib. 2. τῷ προχείρῳ refert. Eunuchor. inquit, tres ſpecies ſunt: ſpadones, caſtrati, thlibiæ. Spadones ſunt, qui ob morbum, aut frigiditatem liberis operam dare non poſſunt, impedimento liberari poſſunt. Caſtrari, quibus execta ea corporis pars eſt: thlibiæ verò, quibus à matre, aut nutrice teſticuli attriti ſunt. Eunuchi generale eſſe nomen exectis & non exectis, ex ſacra Matthæi hiſtoria conſtare poteſt. Chriſtum enim optimum max. his verbis vſum refert: *Matth. 19. c. qui ſitit. 33. q. 5.* Sunt Eunuchi qui de matris vtero ita nati ſunt: ſunt, qui facti ab hominibus ſunt: ſunt, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum. Sed & viceſimo primo Apoſtolor. canone quem Haloander 20. ſcribit, conſtitutum eſt, vt eunuchus, ſiue ita natus ſit, ſiue vis ei adhibita fuerit, ſi dignus eſt, fieri pontifex poſſit. & ſi pontificis nomen in Græco libro deſit, in Gratiani tamen libro, *cap. eunuchus. 55. diſt.* & Cæleſtini pont. max. epiſtola, *c. 3. de corp. vitia.* reperitur. Cùm itaque Conſtantinus ſcribit, *l. eunuchis. C. qui teſt. fac. poſ.* vbi Dec. eunuchis licere facere teſtamentum: rectè noſtri interpretantur, caſtratis & non caſtratis licere. in dubitandi autem cauſa falli mihi videntur: ſed eam ſignificare arbitror Paulum *lib. 3. ſententiarum, tit. de teſtamentis.* Spadones, inquit, eo tempore teſtamentum facere poſſunt, quo plerique pubeſcunt, id eſt anno decimo octauo. Cùm enim pubertas in maribus à Iuſtiniano primùm definita ſit, *l. vtim. C. quando tu. vel cur. eſſe de. & inſt. quib. mod. tu. fi. in pri.* nunquam puberes eſſe ſpadones videbantur. Nec me mouet, quod ab aliis ante Iuſtinianum, 14. anno maiores teſtamentum facere poſſe dicatur, *l. ſi frater. C. qui teſt. fac. poſ. l. qua ætate. dig. eod.* namque exiſtimo id in eorum verbis Tribonianum mutaſſe, vt alia per multa. Sed etſi hoc verum non ſit, tamen illud ipſum dubitationem adferre potuit. Eunuchos verò à cubiculo cuſtodiendo dictos, vt Alciatus noſter ait, *l. ſpadonum, de verb. ſign.* conſtitutione quadã ſub titulo de præpoſitis ſacri cubiculi, mihi probatur, *l. 4. de præ. ſac. cub. lib. 12.* Conſtantini conſtitutione eunuchos facere capitale eſt, *l. 1. Cod. de eun.* Sed ea conſtitutio abrogatur à Iuſtiniano, Nouella 142. à quo par pœna ei delicto indicitur, cùm bonor. publicatione: qua conſtitutione arbitror Narſeti ſuo gratificari voluiſſe. De quo præclarum hodie monumentum extat in ponte Salario Romæ, cuius verba infra ſcripta ſunt: Imperante D. N. piiſſimo ac triumphali ſemper, Iuſtiniano P. P. Aug. ann. 39. Narſes vir glorioſiſſimus, ex præpoſito ſacri palatij, excõſ. atque Patricius, poſt victoriam Gothicam, ipſis eorum regibus celeritate mirabili, conflictu publico ſuperatis atque proſtratis, libertate vrbis Romæ, ac totius Italiæ reſtituta, pontem viæ Salariæ vſque ad aquam à nefandiſſimo Totila tyranno diſtructum, purgato fluminis alueo in meliorem ſtatum, quàm quondam fuerat, renouauit. Quod monumentum eo libentiùs ſcripſimus, vt imperij Iuſtiniani tempora cognoſcantur. Ex præpoſito autem, Exconſule, & Patricius Narſes dicitur, quod patricia dignitate eſſet, præpoſiti & conſulis munere functus, vt antea dictum eſt. Sed ad propoſitum reuertor. Spadonũ appellatio non ea ſolùm eſt, quam ex Theophilo ſcripſimus, ſed generalis quoque eſt, qua caſtrari, non caſtrati, thlibiæ & thlaſiæ continentur, *d. l. ſpadonum, d. l. ſi ſerua. in fine.* Si ſpadoni mulier nupſerit, diſtinguendum arbitror, (inquit Vlpianus) caſtratus fuerit, necne, vt in caſtrato dicas dotem non eſſe: in eo qui caſtratus non eſt, quia eſt matrimonium, & dos, & dotis actio eſt. Itaque ſpadonem ab eunucho nihil differre exiſtimemus, ſi generalem hanc appellationem ſequamur. In ſacris libris magnum illum virum Ioſephum eunucho Pharaonis venditum legimus, *Gen. 37. c. ſicut eunuchus. 8. q. 1.* 70. interpretes eum ſpadonem appellant. Item, vt antea retulimus, Conſtantius eunuchos. Paulus ſpadones teſtamentum facere poſſe ſcribunt. Speciali autem nomine, hi qui natura ſpadones ſunt, ſignificantur. quibus enim vis adhibita eſt, caſtrati appellantur. Sic de adoptione dicimus, ſpeciali nomine de eo qui alieni iuris eſt, dici. etſi adrogatio ſpecies adoptionis ſit. *l. 2. de adopt. §. 1. Inſtit. eod.* & cognatos eos appellamus, qui per fœmineam cognationem nobis coniuncti ſunt, quamuis adgnati cognati ſint. *l. ſunt autem. de leg. tut. l. inter agnatos. unde leg.* Caſtratos autem non dubito exſectos eſſe, à caſtrandi verbo, quo ſæpe iuriſconſulti vtuntur. Si puerum quis caſtrauerit, & pretioſiorem fecit, Viuianus ſcribit ceſſare Aquiliam, *l. ſi ſeruus. §. etſi ad legem Aquiliam.* Si mulus caſtratus eſt, neque morbi, neque vitij quid habere videtur, vt Vlpianus ait, *l. ædiles aiunt. §. ſed enim. de æd. ed.* Cælius quoque ſcribit, non omnia animalia caſtrata ob id ipſum vitioſa eſſe, niſi propter ipſam caſtrationem facta ſunt imbecilliora: & in reſcripto Hadriani apud eundem Vlpianum. *l. lege Cornelia, ad legem Iuliam. de vi priua.* ſpadones facere, excidere, & caſtrare idem ſignificant. Thlibias autem non Theophilus ſolùm, ſeu & Paulus libro 2. de officio proconſulis, vſurpat, *l. hi quoque. eodem tit.* Hi quoque, inquit, qui thlibias faciunt, in eadem cauſa ſunt, qua hi qui caſtrant, vt caſtrati verbum grandioribus, thlibiæ infantibus exectis conueniat. Pretioſiores autem fieri dicebantur, quòd hi in deliciis haberentur: quamobrem à Iuſtiniano multò pluris cæteris ſeruis æſtimantur. *l. vlt. Cod. comm. de leg. l. 1. Cod. de com. ſer. man.* & in vectigalibus rebus ſpadones numerantur. *l. vlt. de vſu. pub.* facetéque Terentius ait: Eunuchum dixti velle te, quia ſolæ vtuntur his reginæ. Ille etiam Accurſianorum error eſt, niſi meus eſt, cùm ſpadonem eum etiam eſſe arbitrantur, qui cum vno teſticulo natus eſt. Vlpiani verba ſunt hæc: *l. Pomponius. in fin. de æd. ed.* Spadonem morboſum non eſſe, neque vitioſum, verius mihi videtur, ſed ſanum eſſe, ſicuti illum qui vnum teſticulum habet, qui etiam generare poteſt. Sic enim ſcribendum eſt, non generare non poſſit. quibus verbis non dicitur, eum qui eo habitu eſſet naturæ, ſpadonem eſſe, ſed ſpadonem ita ſanum eſſe, atque eum, qui cum vno teſticulo eſſet. De quo alio loco ſcriptum eſt, militare poſſe, *l. qui cum vno. de re mil.* Mea igitur opinio eſt, cùm de eunucho aut ſpadone mentio fit, caſtratos, & non caſtratos, contineri: niſi contrà in caſtrato eſſe dicatur, aut ex ipſis verbis appareat, de quo dictum ſit. exempli gratia, ſpadones à tutelis non excuſari conſtitutum eſt: *l. 1. C. de excu. l. ſpadonem. in pri. eod. Dig.* credendum eſt de vtroque genere idem reſponderi. at cùm dicitur, ſpadonem adoptare poſſe aut adrogare, *d. l. 2. d. l. adrogato. de adopt.* aut matrimonium contrahere, non caſtratus intelligendus eſt. Idem eſſe exiſtimo, cùm dicitur ſpadonem ſeruum morboſum non eſſe. Nam excipitur, niſi ita ſpado eſt, vt tam neceſſaria pars corporis ei penitus abſit. *l. ſin autem. de æd. ed.* Caſtratos enim morboſos eſſe exiſtimo. alio enim loco ſcribitur: Sunt quædam quæ in hominibus quidem morbum faciunt, in iumentis non adeò, vt putà, ſi mulus caſtratus eſt. *l. ædiles aiunt. §. ſed enim. e.* Durior autem eſt caſtratorum conditio propter ſpem, in qua ſpado eſt naturali vitio remoto, vt Theophilus ſcribit, liberos procreandi. Fremant licet noſtri interpretes, & mare cælo commiſceant: me de ſententia hac non commouebunt. Hæc ex doctiſſimi viri Antonij Auguſtini Emendationum libro 4. deſumpſi, quæ prorſus ad inſtitutum meum facerent.

Ad titulum 7. libri primi Pandectarum, De adoptionibus.

Ad l. 2. ad illa verba, Quæ ſpecies adoptionis dicitur.

Alciatus lib. 9. παρεργῶν cap. 5. aſſerit quoſdam exiſtimaſſe Caium noſtrum hoc loco deceptum fuiſſe, cùm de arrogatione loquitur: quam ita dictam eſſe putat Caius, quòd is qui adoptat, rogatur, id eſt interrogatur, an velit eum quem adoptaturus ſit iuſtum ſibi filium eſſe. Illi ſecundùm Aulum Gellium, libro 5. noctium Atticarum, capite 19. putant arrogationem dictam eſſe, quia tranſitus hic in alienam familiam per populi arrogationem fieret. Ipſe Alciatus exiſtimat Etymologiam à Caio excogitatam, quæ tempori ſuo magis conueniret: quia vetus mos rogationum iam inde à Tyberij temporibus exoleuerat, inquit ille. Ego vt arrogationum morem abolitum fuiſſe non negauerim: ita rogari eos quoque ſolitos fuiſſe qui adoptarentur, affirmare poſſum ex his Ciceronis verbis in oratione ad Pontifices pro domo ſua contra Clodium. Sed cùm hoc ius à maioribus proditum ſit, vt nemo ciuis Ro. aut libertatẽ, aut ciuitatẽ poſſit amittere, niſi ipſe author factus ſit, quod tu ipſe potuiſti in hac cauſa dicere (credo. n. quamquã in illa adoptione legitimè factũ eſt, nihil tamẽ

te eſſe interrogatum, autor ne eſſes vt in te P. Fonteius vitæ, neciſque poteſtatem haberet, vt in filio.) Quæro ſi aut negaſſes, aut tacuiſſes, ſi tamen id triginta curiæ iuſſiſſent, num id ratum eſſet? certè non: quia ius, & cætera, hæc ſunt verba Ciceronis, quibus adducor, vt à duplici, mutuáque rogatione, tam populi, quàm eorum qui inter ſe adoptarent. arrogationē dictam exiſtimem contra eos, qui Caium deceptum exiſtimāt, & id ſanè maiorem rationem habet: & ad id quod allegat authoritatem Aulij Gellij, reſpondeo non Grammatico magis in hoc, quàm Iuriſconſulto credendum eſſe.

Ad tit. de adoptionibus.

Malè Accurſius in *l. 4. de adoptionibus*, exiſtimauit, legis actionem legitimos actus ſignificare, qui voluntariæ iuriſdictionis ſunt, vt emancipatio & eiuſmodi, quos legitimos actus ait etiam fieri apud defenſorem ciuitatis, & apud magiſtratum municipalem. Lege agere. Verbum eſt iuris antiqui: Cicero Pro Muræna: Poſſet agi lege necne pauci quondā ſciebant, &c. inde legis actiones. Magiſtratus igitur apud quem legis actio eſt, is eſt qui plenam iuriſdictionem habet & ordinariam, apud quem experiri omni actione aduerſus vnumquemque poſſumus.

Ad l. 24. eodem tit.

Malè Accurſius in hac lege ait impropriè hic dici redigi quod reducitur in priſtinum locum, vt in memoriam, in concordiam, ſed putat eum tantùm redigi in poteſtatem, qui nunquam antè in poteſtate fuit, vt redigi in poteſtatem noſtros dicimus. *l. ſi paterfamilias. h. t. l. final. de iuſtitia & iure.* quod rectè dici fateor, ſed alterum impropriè dici: nego cùm vſus Latinorum habeat locum proprietatis. *l. Anniculus de verb. ſign.*

Ad l. 4. D. de adoptionibus.

Bartolus, Baldus, & plerique alij falsò hoc loco videntur exiſtimaſſe: ideò adoptiones apud magiſtratus fieri debere, quia hac in re cauſæ cognitio à magiſtratu adhibita eſſet. hoc enim falſum eſt. Satis quippe habebatur, ſi inter ſe cōſentiant hi, inter quos adoptio contraheretur, quique adoptandos darent. Adoptiones autem apud magiſtratum fieri ideò receptū videtur, vt teſtationes eſſent, magiſque omnibus innoteſcerent. Sic arogationem quoque, quæ & indulgentia principali fit apud præſidem, vel prætorem, intimari oportere traditum eſt. *l. 2. C. eo. ti.* Eadem ratione profeſſiones quoque eorum qui naſcerentur apud præfectos ærarij Saturni fieri conſtituit Diuus Marcus, *l. cùm de ætate, de prob.* Donationes quoque non alia de cauſa actis publicis inſinuari debent, *l. Donatio, & l. Data. C. de donationibus.* Sed & manumiſſiones ſeruorum, emācipationes liberorum eodem intuitu apud magiſtratus facere iubemur. *l. 1. & l. finali. C. de emanc. liberorum, & per totum tit. de manu. vind. Paulus lib. 2. Sent.* Apud magiſtratus municipales, inquit, ſi habent legis actionem, emancipari & manumitti poteſt. Cætera quæ Accurſius hoc loco ad hanc legem ſcribit, leuiora ſunt, quàm vt à quoquam confutari neceſſe ſit.

Ad l. 15. tit. de adoptionibus, ad finem legis, vbi dicitur, Sed nec libertum alienum, nec maiorem minor.

Ad hæc verba finalia huius legis ſubaudiendum eſſe puto, patrono non conſentiente, quod ego præter Accurſij, & cæterorum opinionem dicendum arbitror, etiam aliis locis vbicumque hoc pronuntiatum legimus, exempli gratia, in *l. ſed etſi. §. patronum. ∫. de in ius vocando. l. 1. §. 11. Si quis à parente fuerit manumiſſus.* & hæc mea ratio, cur cæteris conuenientibus non & huic Princeps annuat, cùm volenti patrono nulla fiat iniuria, & libertinorum adoptiones etiam ingenuis permiſſas ex eo intelligere poſſimus, quòd libertos noſtros adoptare indiſtinctè permittimus. Illud præterea crediderim, ſiue meum, ſiue alienum libertum arrogare velim, facilè me à principe illud quoque impetraturum, vt & natalibus reſtituatur, cùm aſſentiente patrono non inſolitum ſit hanc ipſam natalium reſtitutionem indulgeri, *l. 1. & toto tit. de Natalibus reſtituendis.* Quòd ſi natalium reſtitutio ſpecialiter impetrata non ſit, quamuis ingenuus ſit, qui arrogat, libertinum tamen manere arrogatum conſtat, *l. finali, ſupra tit. 2.* præterquam quod attinet ad familiam illius qui arrogauit, *l. ſciendum. D. de rit. nuptiarum.* Ego etiam reſpectu eius qui arrogari eum conſenſit, ingenuum habendum arbitror.

Ad l. 22. D. de adoptionibus.

Optimam ſanè quæſtionem mouet hic Accurſius, ſed eam non ſat rectè diſſoluit. quærit enim hic: Quarta ex arrogatoris bonis ei qui impubes arrogatus eſt ex Conſtitutione Diui Pij debita, an intelligi debeat, vniuerſi patrimonij, an portionis illius duntaxat, quàm arrogatus ab inteſtato habiturus eſſet. & hoc poſtremum magis probat Accurſius: & hæc illius ratio, quòd huius ipſius portionis quarta ſufficiat ad naturalem filium ab inofficioſi querela excludendum *l. Papinianus. §. quoniam autem quarta. D. de inoffic. teſt. l. cum parentibus. C. eodem.* Cùm enim adoptio, inquit ille, naturā imitetur, nihil amplius huic arrogato, quàm cuilibet ex naturalibus liberis indulgendum videri. Nam & vt nihil ampliùs arrogato, quàm naturali tributum dicamus, exiſtimat Bartolus ex Cyni ſententia, non minùs naturali filio quàm arrogato competere ius reuocandi, ſi quid in fraudem legitimæ portionis iure naturæ debitæ, à patre alienatum ſit, *l. finali, ∫. ſi quid in fraudem patroni. Cynus in l. 1 C. ſi in fraudem patroni.* Quæ ſententia Accurſij & Bartoli non omnino ſine dubio eſt, *argumento. l. non vſque adeò. D. ſi à parente quis fuerit manumiſſus.* Addit Baldus, rationem ſuperioris pronuntiati Accurſiani: Ne ſi (inquit ille) aliter dicamus, & plures quis arrogauerit, quòd ex cauſa aliquando permitti putat, *argumento l. ſi pater in fine, hoc tit.* explicari res non poſſit, dum impoſſibile erit bonorum omnium ſolidam partē ſingulis concedi. Hæc eſt ratio Baldi, qua confirmare nititur Accurſij ſententiam. Sed ego cum Iuriſconſulto quodam Imolenſi hanc opinionem veram non arbitror, cum ſemper ita ſcriptum per totum ius noſtrum animaduerterim, arrogato quartam bonorum arrogatoris ex Conſtitutione deberi, exēpli gratia, *l. 1. §. ſi impuberem. D. de collatione bonorum. l. Papinianus. §. ſi quis impubes. D. de inoff. teſt.* Nec turbat me ratio Balbi cum, ſiue vno contextu plures arrogari proponentur, non ineptè vnam omnibus quartam ſuffecturam diceret, ſiue plures ſucceſſiuè arrogati ſint: & hoc caſu præcipuam illius cauſam fore qui primus arrogatus fuerit. Cæteri deinceps ſuo ordine ex deminuto patrimonio partes ferant, poſterior quique exiguiores, quaſi ære alieno gradatim detracto, & hæreditariis creditoribus perſoluto. nam quarta hæc portio tanquam æs alienum conſiderari ſolet. Sed veriùs exiſtimauerim, non permittendum eſſe cuiquam, pace Baldi dixerim, vt plures arroget, *argumento l. nec ei. §. præterea. ∫. eodem.* quod ſi verum eſſe exiſtimemus, iam Baldi ſententia tota corruit. Nec obſtat quod legimus in *l. ſi pater. §. finali, ∫. hoc tit.* vbi dicitur non permitti plures arrogari, niſi ex iuſta cauſa: & iuſtā cauſam interpretatur Accurſius, ſi fuerit quis multùm diues. Nam ego tali caſu neceſſariam eſſe authoritatem principis intelligo, etiam ſpecialiter in hoc, vt de portione qua de agimus, nominatim conſtituat. Alioquin ſic ineundam eſſe rationem, vt ∫. dixi: nec inuidia illa onerari arrogatus debet, quòd hoc modo plus quandoque conſequuturus ſit, quam filius naturalis id dico, vt rationi Accurſianæ reſpondeam. reſpondeo igitur, ſatis nos erga naturales liberos propenſos eſſe, atque ideò meritò arbitrio patris aliquid relinquēdum eſſe. At erga arrogatos, quia natura nos ad id non aſtringit, legibus prouidendū fuiſſe neceſſariò, Nec noua eſt hæc ſententia, quam in medium profero. Placuit enim olim hæc ſententia Guidoni de Sul, quem malè, nec ſat firmis rationibus confutat Albericus de Roſ. hoc loco.

Ad l. 44. D. de adoptionibus.

Nullo modo recipienda eſt gloſſa Accurſij ſuper verba (iure legis) non placet enim Accurſij illa interpretatio, ad naturæ differentiam trahentis, quæ hîc dicuntur, Cùm dicit, filios eſſe videri alios iure naturæ, vt naturales: alios iure legis vt adoptiuos. hæc enim res nihil ad hunc locum pertinet. Equidem magnoperè quæſiiſſe me fateor, qua de lege loqueretur Proculus, ex qua demum adoptato, tribui ius conſanguinitatis ſignificaret, quaſi non & ſimpliciter adoptatus id conſequatur. Nunc non dubito quin corruptè legantur hæc verba, ſicque Iuriſconſultum ſcripſiſſe cum Doctiſſimo quodam viro

exiſtimo

exiſtimo. Sed ſi ſic adoptauit, vt ei tam iure, lege nepos ſuus eſſet, quàm ſi ex Lucio, &c. Quid autem me mouerit, vt hoc exiſtimem, facit formula rogationis in adoptando, quam Aulus Gel. refert *lib. 5. Noct. Attic. c. 19.* Quæ formula ſic ſe habet, *Velitis iubeatis, vti Lucius Valerius, L. Titio, tã iure legéque filius ſibi eſſet, quàm ſi ex hoc pater matérque famil. eius natus eſſet.* Apparet autẽ ob ſimilitudinem ſcribendi, quàm facilis lapſus in errorem fuerit. Nec ſi opus ſit dubitauerim, vel Triboniano adſcribere huius loci deprauationem, cùm nullam ſpecialem legẽ fuiſſe vnquã acceperim, quã cõſanguinitatis ius adoptatis ſpecialiter tribueretur. Verba autem illa, iure, lege, frequentata fuiſſe apud veteres omnibus manifeſtum eſt, Cicero pro Domo ſua fueris ſanè Tribunus tum iure lege, quam fuit hic ipſe Rullus.

Ad l. 43. eod. tit.

Si ex vero emendatus ſit Codex, vt non legendum ſit in fine huius legis. Deinceps natus ſit, ſed incerte natus ſit, dubitari non poteſt quin & tanquam ex mortuo filio, aut etiam nunquam nato, vel ex pluribus natis incerto, hoc eſt, nemine ſpecialiter deſignato, nepotem nobis adoptare liceat. Quod Bartolus contra Accurſium & antiquorum omnium etiam Baldo probatam opinionem, rectè exiſtimauit in hac lege. & hæc opinio Bartoli contra Accurſium probari poteſt per *l. adoptare, hoc titulo.* in qua diſertis verbis traditum eſt adoptare: quem loco nepotis poſſe, tametſi filium non habeat. Tum autem non habet, qui non ſuſtulit: quàm qui cùm ſuſtuliſſet, amiſit. Et hæc pro Bartolo aduerſus Accurſium faciunt. Præterea ſi ſequamur hanc ſententiam, reuocari poſſunt in dubium Deciſiones quadam, non ſat firma ratione ab Angelo & Baldo hoc loco traditæ, quæ ſunt eiuſmodi: Si mulier ex duorum cõſuetudine filium peperit, quamuis iure Canonico Naturales & ſpurij à parentibus ali debeant, neutrum tamen horum neceſſariò hunc alere cogendum eſſe: & hæc prima deciſio. Secunda eſt, Si poſt mortem filij quem ſuſceperim ex concubina, matrimonium cum ea contraxero illum qui ex eo filio natus erat, iuſtum mihi nepotem non fieri, nec in poteſtatem meam redigi beneficio cõſtitutionis, has deciſiones in dubiũ reuoco: quia nihil horum hoc capite concludenter probatur aliis fortaſſe rationibus vera eſſe poſſunt, ſed ex hac lege probari non poſſunt, vt malè Angelus & Baldus exiſtimarũt. Videamus igitur quænam ſit Proculi ſententia, quę valdè obſcura omnibus videtur, hæc igitur ſit ſententia: Conſanguinitatis ius non includit, vt fratres iſti inter ſe eodem patre geniti videantur, niſi ſpecialiter adoptatus hic tanquam ex lucro naturalis nepotis patre proponatur: idque etſi vnum tãtùm filium habere vel habuiſſe dicas hunc auum qui adoptauit: ratio huius rei eſt, quia ſcilicet *l. proxima. ſ. hoc titu.* definitum erat poſſe eum quaſi ex quolibet, etiam mortuo, vel nunquam nato adoptare. Ergo hi inter ſe non conſanguinei propriè, ſed agnati quaſi ex duobus fratribus nati dicuntur: quare & matrimonio ſimul iungi poterũt hoc quidem iure, ſi fortè fœminam adoptatam proponas, & ſuccedere inter ſe non tanquam conſanguinei, ſed tanquam agnati, propter quod ab aliis conſanguineis excludentur, ſi qui fortè erunt, vt putà ſi ex Lucio alij filij ſuperſtites fuerint. Hæc eſt ſententia huius capitis (vt Bartol. ait) valde difficilis, & ſemper malè intellecta fuit ſpecies huius legis quam antiquus interpres ſc. Gloſſator noſter Accurſius ſub nube, ac velut diuinans attigerat in *gloſſ. 2. in principio.* Dum agnatos tamen hos inter ſe fore ſcripſit malè citat. *l. qui adoptionem. ſ. hoc tit.* debuit citare. *l. cum adoptio. ſ. hoc eod. titul.* quæ melius facit pro eo.

Ad Tit. de rerum diuiſione, ad l. 1.

Franciſcus Duarenus vir doctus & diligens libro Diſputat. ſuarum anniuerſariarum primo capit. 6. meo iudicio, errat in eo quod aſſerit id quod dicitur in hac lege, ſcilicet, omne ius vel ad perſonas pertinere, vel ad res, vel ad actiones, non ſic intelligi oportere, vt de his tribus ſeparati tractatus eſſe debeant, ſed ſignificat nullam partem Iuris eſſe, in qua tractanda non ſimul hæc loca incurrant: vt in ſtipulationum tractatu, quæ perſonæ ſtipulari poſſint. quæ res per ſtipulationem promitti, quæ ex eo cõtractu actio oriatur. Ego, pace tanti viri, dixerim: à communi intellectu diſcedendum non arbitror.

Nota ad Accurſ.

Non enim cõiunctim, ſed diſtinctim loquitur Iuriſconſultus hoc modo, vel ad res, vel ad perſonas, vel ad actiones ius pertinere: nec rationem vllam video cur nõ ſeorſim & ſeparatim, ac principaliter de vnoquoque tractari poſſit, & debeat: cùm præſertim expreſsè id facere inſtituiſſe ſe Imperator profitetur. *ſ. fi. Inſt. de iure nat. gen. & ci.* & totis cõſtitutionum libris, quod facturum ſe propoſuerat, reipſa exequutus fuerit.

Ad l. 2. eod. tit.

Eo loco huius legis quædam naturali iure communia ſunt omnium: & quidem naturali iure communia ſunt omnium illa, aer, aqua profluens, mare, & per hoc littora maris, Accurſius non rectè ius naturale hoc loco pro iure gentium accipit: credo hoc eum mouiſſe quod animaduerterat paulò poſt ſubiungi: quia non ſunt iuris gentium, ſicut mare. *l. nemo. ſ. eodem.* alibi quoque iure gentium mare commune eſſe referri videtur. *ſ. & quidem. & ſ. littore. Inſt. eod. tit.* Ego aduerſus Accurſium hæc communia eſſe ſentio iure naturali, quod omnibus animalibus commune eſt, nec à verbis Iuriſconſulti diſcedi oportere puto: cùm enim hoc iure omnia omnium communia initio fuerint, nec in his poſteà iure gẽtium diſtincta ſint Dominia, vt in cęteris: Conſequens eſt vt ea ſub primæua & antiqua conditione ſua remanſiſſe dicas. Nec mouet me, quòd iuris gentium ea eſſe interdum ſignificatur. Nam ius gẽtium iuri naturali ſic eſt, vt ſpecies ſuo generi. Quamobrẽ quod iuris naturalis eſt, vtique & iuris gentium eſt, ſed non econuerſo. Quamuis autem ius gentium in quibuſdam iuri naturali repugnare videatur, tamen in pleriſque cum eo conſentit, & illius veſtigia imitatur. Porrò in exequendis partibus diuiſionis videntur interpretes noſtri & Gloſſatores aliquid vel deprauaſſe, vel addidiſſe, quod obſcuritatem inducat, nec omnino ſatis ipſi ſibi conſtare, quid, quatenus, & quo iure, publicum vel commune cenſeri debeat, aut quonam modo hæc inter ſe diſtinguantur, nec mirum hoc mihi eſt, cùm & inter veteres ſuper hac re hæſitatum fuerit. Ideo autem ſubtilis hæc differentia inter publica & communia, in his libris expreſſa non eſt: quia, vt initio diximus, populi Romani imperio & ciuitate propè in vniuerſum orbem aucta, eodem ferè numero haberi cœpta ſunt communia & publica. Quin auſim dicere nec gloſſatores quidem noſtros qui eam in medium protulerunt, huiuſmodi differentiam ſatis intellexiſſe. Ideò tam obſcurè tractaſſe, vt quidem vix à quoquam, cuius ſcripta viderim hactenus intelligatur.

Ad l. 3. eod. tit.

Annotatum ab Accurſio hoc loco ea propriè cõmunia appellari: quę occupatione ſtatim nobis adquiruntur, ita vt in dominio noſtro illico eſſe incipiant, velut aquam profluentem ſimul, atque ad te deriuaueris, lapillũ ſimul atque inueneris & apprehenderis, feram beſtiam, vbi cœperis, & alia huiuſmodi. Publica verò ea dici putat, quæ occupatione non acquiruntur, nec omnino acquiri poſſunt, qualis eſt alueus fluminis. Sed hæc definitio pace domini Accurſij, dixerim non mihi videtur vera: nec veram puto eſſe differẽtiam, quam Accurſius inter hæc conſtituit: cùm ſiue de mobilibus loquamur, publicorum quoque quædam ſint, quæ occupanti ſtatim adquirantur: vt miſſilia in vulgus iacta, ſiue de immobilibus, ac rebus ſoli: & perinde qui in littore publico ædificat: ſoli Dominus conſtituatur. *l. in tantum. ſ. eod.* vt qui in mari dominio, ſc. vſuario, & quandiu duntaxat ædificatum habuerit, duraturo vtatur.

Ad l. in tantum. eod. tit.

Malè Accurſius ad illam legem ait, reprobari Vergilij autoritatem, quod intelligi nõ poteſt, niſi lex ipſa proponatur. Cenotaphium, inquit, Martianus magis placet eſſe locum religioſum, ſicut teſtis in ea re eſt Vergilius. Sed Diui fratres contra reſcripſerunt, propter hãc vltimam clauſulam putauit Accurſius Diuos fratres non probaſſe Vergilij authoritatẽ, quòd falſum eſt: non enim reprobant Vergilij authoritatem Diui fratres, ſed Martiani reſcriptum, quo Cenotaphium locũ religioſum eſſe dicebat. Sed videndum vnde Iuriſconſultus petat eam Vergilij autoritatem: ego allaſiſſe Iuriſconſultum in ea carmina puto, quæ extant lib. 3.

Libabat cineri Andromache maneſque vocabat,

Hectoreãm ad tumulum viridi quem ceſpite inanem.
Et geminas cauſam lacrymis ſacrauerat aras.

Verbum enim ſacrauerat, indicat ſenſiſſe Vergilium ſacrum, ſeu religioſum locum eſſe.

Ad tit. de Senatoribus.

Reiicienda eſt Gloſſa Accurſij ad *l.3.h.t.* ad verbum. Morari. vbi dicit verum eſſe Senatorem non capite minui, & in vrbe morari, ſi ex ea cauſa remotus eſt: quæ infamiam non importat, quia id falſum eſt. nam etiam ſi ob delictum remotus ſit à Senatu, tamen vrbe non arcetur. *l. cognitionum. §. 1. D. de var. & extraor. cogn.* nec vſquam legitur ſenatorem motum ſenatu vrbe prohiberi, aut libertatem, vel familiam amittere licèt infamis fiat nec pro eo facit lex quam affert Accurſius, ſcilicet *l. ſed & milites. §. qui nimirum. de excuſat.* quia nemo ignorat in milite per ignominiam miſſo, nominatim conſtitutum eidem non licere vrbem ingredi, verum pœnæ, quas ſemper interpretatione molliendas, non etiam exaſperandas Hermogenianus ſcripſit *l.pe. D. de pœn.* ad exemplum & conſequentiam trahi non debent. *l.1. in fin. de conſt. princip.* Hinc igitur apparet deceptum Accurſium, dum diſtinguit, an ex famoſa cauſa remotus ſit hic Senator, an ex alia non famoſa: cùm nec milites quidem ex cauſa non ignominioſa miſſi Romę eſſe prohibeantur. Nam ſecundùm Accurſij interpretationem Imperatorum ſententia peruerteretur.

Ad l.8. eod. tit.

Mihi verum non videtur, quod in hac lege ait Accurſius, & plurimi eum ſequentes indultum liberis priuilegium vltra pronepotes nō procedere, cum vbique liberorum appellatione in infinitum geniti contineantur propriè, niſi expreſſim ad certum gradum aliquid præſtitum ſit. *l. liberorum. de verb. ſign.* Quamuis enim vltra trinepotes proprio vocabulo non appellentur generaliter, tamen liberi ſunt, & poſt trinepotes etiam poſteriores. *l. fin. de grad. & affinit. l. ſed ſi. de in ius voc.* vt verius ſit priuilegiis nominatim exprimi oportere. quatenꝰ princeps qui indulget velit procedere alioqui à verbis recedendum nō eſſe. *l. non aliter. de leg. 3. l. 1. de exerc. act. l. 3. de neg. geſt. l. proſpexit. qui & à quib. man. lib. non fiant.*

Eodem titulo.

Fallitur grauiter Accurſius, qui vbique aſſeuerat Centumuirale iudicium fuiſſe centum Senatorum: & vt intelligamus quodnam fuerit centumuirale iudicium obſeruandum eſt triginta tribus Romæ fuiſſe, & ex ſingulis tres legi ſolitos iudices, adeo quod 100. & 5. ſelectorum virorum numerum complebant, commodioris tamen Dictionis cauſa Centumuiri appellati ſunt Iudices qui præſidebant, & Centumuirale Iudicium dici, vſurpatum eſt. De quibus autem cauſis ius dicebant Cicero commemorat in libris de Oratore. Præter hæc omnia obſeruare te velim Vlp. hic veram tradere & clarā Senatorum definitionem, quam Accurſius & Accurſiani ferè omnes non intellexerunt. Senatores ſunt, inquit, qui in Senatu ſententiam dicere poſſunt. Accurſius gloſſula interlineari, id eſt, recitando, ait: Sententiam in Senatu dicere, pro pronuntiare de cauſa intellexit: Ignarus non aliud fuiſſe ſententiam in Senatu dicere, quàm in cōſilio. Senatus quid ſentiret explicare de eo quid in conſultatione poſitum erat.

Ad l.2. eod. tit.

Ad huius legis verba, qui propter turpitudinem ſupplet Gloſſa vetus, vt apparet, intelligendum eſſe de turpitudine in officio commiſſa. & in hanc rem allegat *l. fin. huius tit. l. 1. ad legem Iul. rep. & l. 4. eod. §. 1. eod.* Ego amplius & circa res ad officium, hoc eſt, ad munus ipſum ſenatorium pertinentes accipiendum arbitror, argum. *l. eadem. §. 1. ad l. Iul. repe.* aliter non vera nec bona eſſet ratio quam ſubiicit Iuriſconſultus: quia, inquit ille. Lex Iulia repetundarum hæc fieri vetat. Nam Lex Iulia repetundarum initio contra eos lata eſt, qui in officio, aut quocunque miniſterio publico poſiti auaritiæ, cauſa perperam quid ſtatuiſſent, vel decreuiſſent. Poſtea eadem lex ad omnes omnino qui quacunque de cauſa in officio aut munere publico corruptè quid egiſſent extenſa eſt. *l. iubemus. C. ad leg. Iul. rep. & l. 7. § iudic. D. ead. tit.* Cùm igitur publico iudicio damnatus infamis fiat meritò à teſtimonio repelli debuit. *l. 3. §. lege Iulia. de teſtibus.* Examinemus cætera quæ Accurſius in hac eadem gloſſa proponit. Ac primo ad id quod ait ſiue amoto irrogetur infamia iuris, ſiue infamia facti habere locum quod hic dicitur vtile quidem eſt vt ſciamus, non omnem qui ordine mouetur infamia iuris infamem fieri: ſed cauſam inſpici an famoſa fuerit *l. ordine. D. ad munic. l. ad tempus, de decur. l. qui cum vno. §. ad tempus. de re milit. l. iſtius ſuſtium. J. de his qui notan. infam.* Sed veram non eſſe Accurſij ſententiam. ſaltem quòd ad dicendum teſtimonium attinet ex his quæ ſuprà diximus, manifeſtè intelligi licet. Nam qui propter aliam turpitudinem, aut cauſam, quæ infamiam iuris non irroget, amotus fuerit, & ſi iudex dari prohibeatur. *l. cum prætor. J. de iudic.* non tamen etiam à teſtimonio ferendo repelli cum iure cautum eſt, quamuis exiſtimatio eius apud bonos viros grauata ſit, quam infamiam facti appellamus. Leuior tamen fides his adhibetur. Glo. *in l. 1. C. de ſacroſ. eccl.* vbi Iaſon. & in *l. nullam. C. ex quib. cau. infam. irrog. l. 3. §. duæ cauſæ. J. de carb. edict.* Eandem propemodum interpretationem facit Bartolus, quamuis non eiſdem rationibus vtatur, dum Accurſij erratum fruſtra tueri conatur.

Ad Titulum de Officio Conſulis.

In interpretatione vnius ſententiæ, quæ extat *l. 1. hoc titul.* Accurſius vehementer errauit. Eſt autem eiuſmodi. Non poteſt qui apud alterum nomina ediderit, apud alterum manumittere. Accurſius nomina interpretatur probationes cauſarum, quæ falſa eſt interpretatio, cùm edere nomen ſit curare nomen inſcribendum, & veluti eius nomen profiteri in actis quem manumiſſuri ſumus id quod fiebat ante cognitionem Conſulis. Eſt igitur edere nomen, dare nomen ſuum, aut alterius ſcribendum. *l. 2. §. ſi mater. ff. manda.* quemadmodum hodie ſolent facere Gallici procuratores, cum litigatoris nomen apud acta curiæ profitentur, vt deſcribatur eamque editionem Pragmatici præſentationem vocant. Non rectè percepit Accurſius, quid ſit in hac lege conſilium præbere, cùm interpretetur idem eſſe, ac authoritatem in conſilio. Eſt enim hic conſilium præbere, iudices & conſiliarios, quos iudicio intereſſe oportet accerſere, & congregare. *l. an manumittere. D. de man. vind.* Et ita hoc loco conſilium præbere manumittere volentibus Conſul dicitur, cùm iudices accerſit & conuocat qui cognoſcant, & ſubtiliter examinent (ſi fortè minor annis xx. manumittere velit) an deducta manumiſſionis cauſa ſecundùm Æliæ Sentiæ legis præſcriptum iuſta ſit. *§. eadem. Inſtitut. quib. ex cau. man. non lic.* Nec noua videatur hæc loquendi formula, M. Tul. Cic. ad Quintum fratrem ſcribens eadem ferè loquendi formula vſus eſt præbere ſponſalia pro eo quod eſt conſanguineos & amicos ad ſolenne ſponſaliorum conuiuium inuitare, & aſciſcere.

Ad l. vnicam. eo. tit. ad ea verba, Nulla dubitatio.

Ridiculi prorſus ſunt qui aſſeuerant nullam in iure ciuili conſtitutionem reperiri, quæ dubitationem non habeat: & allegant in hanc rem *l. quarum. de nat. reſt. l. 11. §. conſtat. D. de pœn. cum ſimil. aliis multis.* & vt hoc aduerſus eos probem. Quis vnquam (vt cætera miſſa faciam) dubius fuit de eo quod Vlpian. ex Iuliani ſententia ſcripſit? Vbi maritus decennio abſuit anniculum quem domi reperit ex vxore natum eius filium non eſſe. *l. filium. D. de his qui ſunt ſui vel alien. iur.* faceſſant itaque procul à nobis hæ ineptiæ, & interpretum argutiolæ nimis ne merè, tamen à pleriſque receptæ. *l. non dubium. C. de legib.* Nulla profectò quod ad rem noſtram attinet dubitatio eſt, quomi nus conſul proprium ſeruum apud ſe manumittere poſſit, cùm poſſit ipſemet apud ſe emancipare. *l. ſi conſul. D. de adopt.*

Ad Tit. xj. lib. j. Pandectarum, de Officio Præfecti Prætorio, ad ea verba, non aliter iudicaturos eſſe.

Optima proculdubio, ac veriſſima hic exprimitur ratio, quæ cauſa ſit, quare à principe non ſit prouocatio, & miror naſum Accurſianum & aliorum fugiſſe ea, ſcilicet eſt quod conſtanti opinione credibile ſit eos qui Auguſtali prætorio præficiuntur. Iuſt.

tur. Iuſtè omnino iudicaturos, & vbi iudicatum eſt, non iniuſtè iudicaſſe. nam (præterquam quòd ſumma eſt principis authoritas) integritate & virtute cæteris præſtare præſumitur, Ariſt. lib. 3. Politic. cap. 9. Vnde nihil niſi iuſtum, pium, æquum & ſanctum conſtituiſſe creditur. *l. 1. D. de conſt. prin. l. & ideo. 1. D. de legib.* ſic nec à Senatu appellatur. *l. 1. D. à quib. app. non lic.* nec item à Præfecto Prætorio. *l. vnic. C. de ſen. præfecti præt.* quia ob ſingularem doctrinam, fidem, & probitatē à principe lecti non aliter iudicaturi, quàm ipſe princeps exiſtimentur, vt hac lege dicitur. Collige ergo quod iuſtitia iudicij, cauſa eſt inhibendæ appellationis, & à iuſta iudicatione non fit prouocatio. Inde probabiliter inferemus à ſententia cuiuſuis, licet inferioris iudicis, ſi ea ſit euidenter iuſta, prouocandi ius denegatum in iure canonico *c. cum ſpeciale. §. porro. & c. 3. extr. de appel. c. cum appellationibus eod. ti. in 6.* ne minoris ſit authoritatis præſumptio veritate. *l. pen. §. pen. D. de prob.* Etenim à Præfecto Pretorio docet hic Arcadius idcirco non poſſe appellari, quòd iuſtè credantur iudicaturi. Vbi ergo perſpicuum erit à quouis alio magiſtratu, rectè iudicatum calumnioſa appellatione lis protrahenda non eſt. *c. veſtra. §. fi. extr. de coh. cler.* ne alioqui ex ſummo iure crux fiat & iniuria. *l. meminerint. C. vnde vi.* Quandoquidem prouocationis beneficium non vt eſſet iniquitatis vinculum fuerit inſtitutum. *c. 3. §. porro. ext. de appel.* ſed vt ſubditos ab omni iniuria arceret & vindicaret. *l. præfati. D. de min.* Cùm igitur ex his veram cauſam intelligamus, quare à principe non fit prouocatio? faceſſant procul à nobis eorum opiniones, qui idcirco à principe nō eſſe prouocationem, exiſtimant ex eo quòd vulgò dicitur, quod non alia ſupereminet perſona, à qua appellari queat? quam rationē manifeſtè falſam eſſe ex eo liquet, quod ſi vera eſſet, à Præfecto Prætorio, & à Senatu fuiſſet prouocatio, quod falſum eſt ex hoc loco. Nec recurrere oportet ad eos qui dicunt lege regia populum id ſciuiſſe. Nam ab initio poſt exactos reges ſummum Imperium penes Conſules fuiſſe traditur: ita vt ab eis non eſſet prouocatio. Poſtea lege lata, & rogante Publio Valerio Publicola Cos. factum fuit, vt à Conſulibus eſſet ad populum prouocatio. Hoc igitur de Principe ſtatui non poſſet.

Eodem titulo.

Errat hoc in loco vehementer Accurſius, vt ferè in iis locis ſemper ſolet errare, quæ ab antiquitate repetenda ſunt vpote qui diuinaci coniectura potius quàm rerum cognitione fretus nihil fermè intactum relinquere inſtituerit. Ipſe enim putat antiquitus fuiſſe Dictatores ante quàm Principes, aut Reges fuerint: quod falſum eſt. Nam initio ciuitatis Romanæ habuerunt reges omnem poteſtatem, hi Tribunos fecerunt, qui ſecundum à Rege locum obtinebant. Eiectis regibus, cum ius omne Imperij populus haberet in extremo rerum diſcrimine & periculo, creari Dictatorem induxit, apud quem ſumma totius Reipublicæ cura poteſtáſve eſſet. *l. 2. §. populo. de orig. iuris.* Is magiſtrum equitum velut imperij conſortem deſignabat, qui apud ſe talis eſſet qualis apud Reges quondam Tribunus celerum. Tranſlato autem ad Cæſarem Imperio, ad inſtar magiſtri equitum Princeps inſtituit Præfectos prætorio.

Eodem titulo.

Accurſius nullam videtur animaduertiſſe differentiam inter relegationem & deportationem, cum ſuper verbo, *aſſignauerit*, in hac lege, putet præſidē non poſſe relegare antequam Princeps aſſignauerit inſulam: nam licèt præſes prouinciæ ius non habeat deportandi in inſulam extra prouinciam inconſulto principe. *l. 2. §. 1. & l. diuus. de pœn.* quoniam aſſignādo inſulam quæ non ſit intra fines ſuæ adminiſtrationis videretur ſuæ iuriſdictionis metas tranſcendere. *l. fin. hoc tit.* Relegare tamen in inſulam ſuæ prouinciæ poteſt tametſi non aliter à principe fuerit aſſignata. *l. relegatorum. §. 1. de releg.* Itaque debuit diſtinguere Accurſius, nec generaliter loqui vt fecit.

Eodem titulo.

Accurſius in Gloſſa ſuper verbo, *iudicaturus*, comparat præfectis Prætorio Cardinales, & dicit ſimiles eos eſſe: & in hanc rem allegat *l. epiſcopale non in retinendis fœminis. C. de epiſc. aud. & l. eum qui. C. de epiſc. & cler.* & Bartolus dicit hoc valde notandum. Inſulſa mihi ſanè videtur, pace Accurſij & Bartoli, dixerim hęc comparatio: his autem rationibus moueor, primùm quòd Præfectus prætorio generalem cauſarum cognitionem cum ſummo (pro Cæſare) imperio ac gladij poteſtate exercebat nec alius erat Præfectus prætorio quàm Præfectus auditorio Cæſaris: Cardinales autem horum nihil habent, nulli enim Tribunali præſunt, vt iis manifeſtum eſt, qui iuri canonico operam dederunt, etſi eſſent comparandi cum officiis antiquorum magiſtratuum, Senatoribus proculdubio magis comparandi eſſent, quàm Præfecti prætorio: & quoniam de officialibus Pontificum mentionem facimus, plus, meo iudicio, ſimilitudinis cum Præfecto prætorio hodie obtinent præfecti prætorio Apoſtolico, qui vulgo Auditores Rotæ dicentur, quam Cardinales: quamuis nec hi certe illis comparari poſſunt: quoniam Auditores illi Rotæ criminalem cognitionem hodie Romæ nō habent. Hæc ſufficiant quaſi per tranſennam dicta.

Ad tit. xij. lib. j. Pandect. de Officio præfecti vrbi.

Nota contra Gloſſas & Doctores omnes Præfectum vrbi virum clariſſimum appellari, idque probare poteris ex antiquiſſima quadam inſcriptione. Scribit enim Marius Salomonius, ſcilicet in Carinis inter ruinas effoſſum vidiſſe lapidem, in quo hoc edictum ſcriptum erat.

EX AVTHORITATE TARCI APRONIANI VIRI CLARISSIMI PRÆFECTI VRBIS.

Ad l. 3. eod tit. ad illa verba, Præfectus vrbi cùm terminos exierit poteſtatem non habet, ſed extra vrbem poteſt iubere iudicare.

Ita ſine vllo dubio legendum eſt hoc fragmentum huius legis, vt & Haloander rectè correxit. Nam antiquior textus ab interpretibus penè corruptus eſt, dum verum ſenſum huius legis non ſatis aſſequuntur. Quod cum ita ſit, prima fronte viſus eſt Iuriſconſultus hæc ſentire (quæ tamen falſa ſunt) Præfectum vrbi cùm terminos egreſſus eſt ſuę ditionis (quę intra centeſimum milliarium circunſcribitur *ſ. l. 1. in prin. hoc titul.*) imperium non habere, iuriſdictionem tamen ſemper retinere & propterea eo loco diſtentum, iudices tamen qui intra terminos ditionis ſuæ iudicent, dare poſſe, de rebus ſcilicet ad iuriſdictionem, non etiam ad imperium pertinentibus: Quippe cùm imperium ipſe iam non habeat, videtúrque hæc fuiſſe expoſitio antiqui interpretis, quam tamen Accurſius mirè implicat, atque inuoluit: ſed vera nullo modo eſt hæc expoſitio. negari enim non poteſt id quod caput eſt in hac materia, quin omnino priuatus ſit prǽfectus, vbi terminos exceſſit quemadmodum de præſidibus prouinciarum dicitur. *l. 3. de offic. præſid.* Ideò nec vllam iuriſdictionem contentioſam in quemquam habere, quamuis voluntaria fortaſſe ei relinquatur exemplo Proconſulum proficiſcentium, aut decedentium *l. 1. & 2. de off. procon. l. emancipari. ſ. de adopt.* Præterea generaliter traditum eſt, neminem poſſe, niſi qui in magiſtratu poſitus ſit, iubere iudicare, adeo quidem, vt nec quo die priuatus quis futurus ſit iudicare, iubere poſſit. *l. cum quem. ſ. de iur. omn. iud.* hîc autem extra terminos magiſtratum gerere dici non poteſt. Adde his omnibus rationibus quod nec Latini ſermonis puritas ſatis patitur hanc interpretationem. Subaudiri enim oportet neſcio quid non ſatis vſitato more, putá agens, vel exiſtens hoc modo. Sed extra vrbem agens, vel exiſtēs, poteſt iubere iudicare. Quòd quàm durum ſit, nemo Latinę linguæ peritus non iudicabit.

Ad eandem l. 3. eod. tit.

Non incongruum exiſtimo ita intelligi hoc reſponſum, vt præfectum Romæ agentem etiam rebus integris iudices extra terminos dare poſſe dicat, qui ſcilicet de rebus intra terminos contractis cognoſcant & decidant. Æquum enim eſt, vt de his extra vrbem quoque conſtituere Prǽfectus poſſit. Ex omnibus prædictis manifeſtum eſſe poteſt, quàm longè errauerint Doctores noſtri, ſumendis argumentis ex hoc reſponſ. Nam ſecundùm hâc noſtram interpretationem, nec legatus Pontificius (quem de latere legatum vulgò vocant) nec proconſul, nec præſes extra commiſſam ſibi prouinciam agentes reſcribere, iudicare, aut cauſas delegare poterunt:

quod omnes quotquot ſunt interpretes falſò admittunt. Nec hoc cuiquam mirum videri debet: cum hi prouincias egreſſi ſtatim priuati eſſe incipiant. *3.l.de offi.præſid.* Atqui in prouincia eſt imperium tenet: ideò facilius retendere & prorogare id poteſt, quam priuatus iam in prouinciam, vnde egreſſus eſt imperium quod non habet reflectere.

Ad tit. de Officio Quæſtoris, xiij. ad l. j.

Non intellexit Accurſius quare Iuriſconſultus dixerit originem quæſtoris creandi pene ante omnem magiſtratum antiquiſſimam fuiſſe, nec mirum hoc videri debet. Id enim non niſi ex hiſtoriæ cognitione intelligi poteſt. Dicamus igitur Vlpianum idcirco hac voce penè viuum fuiſſe: quia Tribunatus celerum, & vrbana præfectura ampliſſimi magiſtratus iam ab ipſo Romuli tempore prodierant: & ita Quæſturam præceſſerant, quam Vlpianus hoc loco ſub Tullo Hoſtilio fuiſſe contendit. Quod ſi à Valerio Publicola eam Quæſturam in Rempublicam cum multis non infimæ authoritatis viris exiſtimamus. Dicendum quoque nobis neceſſario erit ante Queſturam præter Tribunatum & præfecturam fuiſſe Conſulatum: cùm pulſis regibus mox conſules creati fuerint, & ſub Valerio Publicola Conſule inſtituti Quæſtores, rectè quidem dixit Accurſius ſuffragio creari eſſe populi cõſenſu, & electione eruari: ſed quomodo hoc fieri ſoleret, ob hiſtoriæ ignorationem non intellexit. Nota igitur hoc verbo ſignificari declarationes voluntatis, quas emittebant ciues Romani in Comitiis: quoties vel ferendæ leges, vel creandi magiſtratus erant. Ferebantur autem initio palàm & libera voce ſuffragia. Deinde Tabellaria lege à Gabinio lata per ſuffragia in Tabella deſcripta magiſtratus dari cœperunt, ac biennio poſt lex Caſſia ſequuta, qua per tabellam (prçterquam in crimine per duellionis) populus iuſſus eſt iudicare. Deinde lex Tabellaria carbonis, viri ſeditioſi atq; improbi, quà cautum eſt, vt per tabellam iuberèntur: ferrentúrque leges, ac etiam vetarentur.

Eodem titulo.

Malè Accurſius dicit Candidatos non potuiſſe legere ſententiam: quia, inquit ille, non erant illuſtres. qui locus mihi fidem facit Accurſium ignoraſſe qui ſunt Candidati: nam quod dicitur in textu eos ſolis libris principalibus legendis vacare id oſtendit eos etiam ſententias legere potuiſſe. Nam principalis verbo quodcunque principis eſt in iure noſtro paſſim ſignificatur. Hi autem Candidati libros, & libellos imperatorios, ac miſſas ad Senatum epiſtolas in ſenatu recitabant, & dicebantur Candidati, quod fortaſſe candida veſte integritatis inſigni & ipſi vterentur.

Ad tit. de offic. Prætoris. ad l. Barbarius Philippus.

Malè Accurſius exiſtimat in gloſſ. ſuper verbo, Deſignatus. *l. Barbarius.* Barbarium in crimen ambitus incidiſſe, quod falſũ eſſe puto: quia, vt Plutarchus in Coriolano ait, apud maiores, in principio dignitates ſine vllo corruptelarum genere, ſed pro cuiuſq; meritis & virtute cõſtat delatas fuiſſe quomodo Barbarium hic euectum intelligere debemus: & veriſimile eſt illum maxima virtute præditum fuiſſe, vt cum eſſet ſeruus ad talem & tantam dignitatem peruenerit. Cornelius Tacitus *libro* II. *Annalium.* Apud maiores virtutis ad prçmium fuiſſe ſcribit, vt licetè magiſtratus petere poſſent. Et his omnibus igitur cõcludimus, quod Accurſius hoc loco ſcrupulum inicit, quaſi lex ambitus vetuerit honores & magiſtratus peti falſum id eſſe ex eo dignoſci poteſt, quod legem ambitus eos tantùm tenuiſſe conſtet, qui per pecuniam, aut malis artibus inuadere magiſtratus, & ad populi Romani honores obrepere conati eſſẽt, vt docet Alexander ab Alexandro lib. 5. c. 17. Genialiũ dierum. Noſtra hęc opinio etiam confirmari poſt, ex libro Quinti Ciceronis ad Marcum fratrem, qui inſcribitur, de petitione Conſulatus. Prehenſationes verò & blandam petitionum rationem minimè vnquã lex illa ſuſtulit, vide epiſtolam primam libr. 1. epiſtolarum ad Atticum. Hodie etiam hoc ſenſu accipi debet. *l. vn. ad leg. Iul. de ambit.* Cùm ait contra hanc legem, &c. Nam in municipiis & ciuitatibus cæteris excepta vrbe Roma ſententia eius legis etiam nunc viget, & vtilis interpretatio eſſe poteſt.

Ad tit. de Officio Præfecti Vigilum.

Malè Gloſſa putat Triumuiros ſic dictos, quod quilibet eorum tribus præerat, qui cuſtodiam ignis habebant. falſum enim illud eſt & videndum quinam fuerint. Triumuiratus nomen fuit magiſtratus Romani, quem tres Collegæ certæ functioni deputati pari poteſtate adminiſtrabãt, & puto Triumuiros dictos quod in iure noſtro trium tãtum potiſſimum fiat mentio. Monet alium, Capitalium, & Nocturnorum: & quinam fuerint hi Triumuiri ignorat Accurſius ob imperitiam hiſtoriæ. Hi fuerunt Triumuiri Capitales, quorum mentionẽ Pomponius facit *in l. 2. de orig. iur.* vt ex iure ipſo omnia quantum fieri poteſt repetamus. Hi & nòcturni dicebantur, Eorum Triumuirorũ munus ad Prçfectum Vigilum tranſlatum eſt cui rei, vt multis aliis antiquorum magiſtratuum mutationib. ac dignitatis & officiorum diminutionibus Auguſtus ſtuduit, re vera quo magis Reipublicæ ſtatum mutaret, & veterum inſtitutorum obliuionem induceret: & hæc de Præfectis Vigilum habeto, quæ Gloſſator noſter ignorauit.

Ad l. iij eiuſdem tit.

Mirè delirat Accurſius in Gloſſa ſuper verbo *ſpectabilis*, dum duos eſſe facit Præfectos Vigilum: vnum, ſcilicet, qui Cęſaris imperio conſtitutus eſt: & hunc dicit eſſe ſpectabilem. Alium Præfectum Vigilum conſtituit, quia præerat antiquo tempore excubiis nondum ſibi collata dignitate per Principem: & hunc dicit non fuiſſe magiſtratum: quæ omnia falſa ſunt, cùm reuera non niſi vnus ſit præfectus Vigilum, de quo Paulus hic, & Pomponius *in l. 2. de orig. iur. §. & hac omnia.* mentionem faciunt. De hoc Prefecto Vigilum vide pauca quędam quæ ſcribit Alexander ab Alexandro lib. 3. Genialium dierum cap. 16. non fuiſſe ei poteſtatem ſeuerius animaduertendi inter omnes conſtat *in l. vnic. C. eod. l. fin. D. hoc tit.* Quidam tamen non malè exiſtimant potuiſſe eum in ſeruos vſque ad mortem animaduertere. *arg. l. ſi infra. D. de cond. cau. da. cau. non ſec.* fatigant ſe nimium omnes interpretes, vt quærant quare merum imperium in omnes huic præfecto datum ſit, & inter cæteros magno negotio quærit Albericus hic, *& in l. illicitas. §. qui vniuerſas. de off. præſid.* nec potuit rationem veram afferre, nos dicemus veram rationem eſſe extra ordinem conſtitutum eum non tanquam magiſtratum cognoſcere, ſed per noctem, & tenebras ſecuritatem duntaxat præſtare, donec luxerit. *d. §. & hac omnia. l. 2. de origin. iur. & l. 3. hoc tit.* Ideo ſatis ſuperque permitti ei viſum eſt, ſi humiliores modo caſtigare poſſet iudicij forma non ſecuta, vt ego interpretor, eos ſcilicet, quos vel nocte deprehenderit, vel nocte non deprehenſos per lucem demum inueſtigauerit. Et hoc eſt quamobrem de ſolis furibus, effractoribus, & incendiariis cognoſcat. nam non alij magis per noctem delinquunt, & ciuitatis velut quietem conturbant.

In l. 9. ad ea verba, vbi decretum neceſſarium eſt per libellum id expedire Proconſul non poteſt, Accurſius delirare videtur. Nam multus eſt in interpretatione iſtius vocabuli *libellus*, quaſi in verbo abſtruſiſſimo, ac ne ſic quidem ſibi conſtat quadruplici expoſitione vix contentus, cum tamen ſenſus huius loci latinè ſcientibus omnibus planus ac dilucidus eſſe debeat. Libellus enim eſt quem vulgo requeſtam appellamus. Tranquillus in Auguſto libellum vocauit ſchedulam ſimplicem, qua poſtulata populares principibus exponere ſolent. Vnde à libellis dicti miniſtri, qui Principi in hoc negotio ſubſeruiunt.

Ad l. 6. eod. tit. de officio proconſulis & legati. ad hæc verba, Sed hoc genus mandati extraordinarium eſt.

Accurſius interpretatur genus illud mandati extraordinarium: ſpeciale ego potiùs vtilitatis cauſa receptum quàm ſtricto iure agnitum intelligi velim: nec hoc nouum eſt loquendi genus, nec inuſitatum. Eodem enim ſenſu proxima lege accipiendam puto extra ordinem ius dicere, & vbicunque extraordinariam animaduerſionem, aut pœnam imponi legimus.

l. ſin. de

l.fin.de furt. Sic etiam accipiendum arbitror quòd dicitur in *l. ordo.§.de pub.iud.* In exercitatione publicorum iudiciorũ hodie extra ordinem probari crimina, id eſt, vt ego interpretor, omiſſis antiquis ſolennibus & ſuperſtitioſis veterum iudiciorum ſcrupuloſitatibus, iudicia denique omnia hodie extraordinaria eſſe non alio intuitu dictum puto. *§.fin.Inſtit.de interdict.* ratio meæ interpretationis hæc eſt, quòd Legatus Proconſulis cauſas criminales audire poſſit hoc proconſulem magis ex conceſſione benigna habere, quàm ſtricto iure ciuili. *l.1.C. mand.ſti.*

Ad Titulum de Officio Proconſulis.

Cur in libris Caij Proconſulem, Accurſiani Prætorem interpretentur, quantúmque ea in re fallantur, ac de Caio nonnulla.

Non paruam illam vtilitatẽ ex his inſcriptionib. eſſe duxi, quod ſæpe dubitauerim, quid eſſet, quod multis Digeſt. locis, cùm de Prætoris edicto ageretur, Proconſulis mentio fieret, vt *tit. quod met. cau. l.1. quod met. cau. c.1.* dicitur: Ait Prætor, quod metus cauſa geſtum erit, ratum nõ habebo. Et nono, *l.metum. §.animaduertendum.eod.* Animaduertẽdum autem, quòd Prætor hoc edicto generaliter, & in rẽ loquitur. itẽ alibi. Sed xix. *l.quòd autem.eod. l.1.& 2.quod cum eo.* Scribit Caius, Quod autẽ in hæredem eatenus pollicetur actionem Proconſul, quatenus ad eum peruenerit: intelligendum eſt ad perpetuò dandam actionem pertinere. Sic ſub tit. quod cũ eo, c.1. omnia. Proconſul agit, vt qui contraxit, &c. at c.11. Ait Prætor in eum, qui emancipatus, &c. Et cùm animaduertiſſem ea capita, quib. Proconſulis mentio fieret, accepta eſſe ex Caij libris ad edictum prouinciale, intelligere viſus ſum, quid varietatem crearet. neque enim Accurſiani audiendi ſunt, qui Proconſulẽ Prætorem appellatũ putãt. *Accur. d.l.1. & d.l.quòd autem. & l.1.de al.iud.* Erat Procõſulis in Prouincia pleniſſima iuriſdictio, vt omniũ magiſtratuum vrbanorum partes ad eum pertinerẽt. *l.ſi in aliqua. in fi. & ſeq. de of. proc.* Itaque vt Prætor vrbanus Romæ, *l.2. §.eodem tempore. de orig. iu.* ſic in Conſulari prouincia Proconſul, in Prætoria Prætor edicta proponebant, quæ prouincialia appellabantur videre eiuſmodi edicta, licet apud Cic. in Verr. de quib. etiam in Proconſulatu ſuo ad Atticum ſcribit. Caius huiuſmodi prouinciale edictum duobus & triginta libris eſt interpretatus. vrbanum fortaſſe pluribus. Sed Iuſtiniani tempore duodecim extabant: quod illo libr. indice conſtat, in quo Politianus errauit, edictum publicum pro vrbico ſcribens. Illud ſc. prædici non oportet, non vt initio variaſſe Prætores & Procõſules in edictis, ſed edictis perpetuis vſos, quorum collectionem Saluius Iulianus ex Hadriani autoritate fecit: quod Budæ, & Alc. *Bud. l.2. de ſtat. ho. Alc. lib.2. c.20. 7. diſp. & rub. de ed.* præclarè manifeſta omnib. fecerũt: idq; etiã duabus conſtitutionib. *l.2.§.ſed quia diuina. de vet. iur. enuc. l.ſi quis ſeruum. C. de cond. indeb.* proditum reperi. Mirandum itaque non eſt, ſi Procõſul à Caio edicti author appelletur: ab Vlpia. verò Prætor, cùm alter vrbanum edictũ interpretetur, alter prouinciale: vt ex illorum capitum inſcriptionib. ab Haloandro editis cognoſcitur, niſi quod c.1. quod cũ eo, nõ lib.8. ſed 8. ſcribendum, itẽ 2. c. lib.29. non 8. Ita interpretari oportet c.1. de alienatione. 68. pro ſocio. 41. de hæreditatis petitione, atq; alia id genus. *l.1. de alie. mu. in cau. l.nemo. in fin. pro ſoc. l.ſi quo tempore. de tut. per l.ſi noxale. de nox. act. l.illud quæſitum. ad l. Aquil.* quę Haloander rectè Caio illis libris adſcripſit. Adde etiam ex his quorum inſcriptiones omiſit, c.11. de teſtamẽto militis. *l.2. de teſt. mil. l.2. de cur.* quod ita ſcriptum Florentię eſt. Caius lib.15. ad edictum prouinciale: De militis teſtamẽto, ideo ſeparatim Proconſul edicit, quod optimè nouit ex cõſtitutionibus principalibus propria atque ſingularia iura in teſtamento eorum obſeruari. Sed & aliis locis Proconſulis mẽtio fit non à Caio, ſed ab Vlpiano, aut Paulo, in libris de officio Proconſulis, vt cap.2. de curator. furioſo, & aliis dandis, quod ita ſcriptum eſt. Paulus lib.1. de officio Proconſulis. Sed & aliis dabit Proconſul curatores, qui rebus ſuis ſupereſſe non poſſunt vel dari iubebit. Itẽ 8. cap. *l.bonorum. eod.* Vlpianus lib.6. de officio Proconſulis: Bonorum ventris nomine curatorem dari oportet, eumq; rem ſaluam forè viri boni arbitratu ſatiſdare Procon-

ſul iubet. Vtrumque caput Haloãder Caio adſcribit. Sed quod de Caio diximus, non perpetuò, ſed magna ex parte verum eſſe reperietur. Vtitur enim nonnunquam is Prætoris appellatione, ſed rarò. Quod autem à Prætore in Prætoria prouincia edictum tum interpretaretur, aut id putandum eſt Tribonianum mutaſſe, vt cap.15. de noxalibus actionib. extremo, quod quiſque iuris, & primo teſtamenta quemadmodum aperiantur. *l. Prætor. de noxal. action. vlt. quòd quiſque iur. l.1. teſtam. quę. ap.* hoc eſt 18. libro eſt ad edictum prouinciale. Sed ſub eodem titulo, cap.7. quod ex eo ipſo libro eſt, Proconſulis mentio fit: quod facit vt exiſtimam, id aut dedita opera ab Iuſtiniani miniſtris, aut caſu à librariis mutatum. Et quoniam tam multa de Caij libris ſcribimus, quærendum videtur, quis hic Caius fuerit; quod adhuc in controuerſia eſt. Sunt enim qui à Pomponio. *l.2.§.Seruius. de orig. iur.* in Seruij Sulpitij diſcipulis Titũ Caium appellatum eſſe credant, aut Caium ſolum. Sunt qui Iuſtiniani familiarem credant, propterea quod is ſuum appellet, initio Inſtitutionum: & lib.4. tit. de publicis iudiciis. *§. quæ in proœm. Inſt. §.item lex Cornelia. de pub. iud. & in proœm. D.§. & antea.* Sunt qui Caium Noſtrum appellatum arbitrentur, vt à Iuſtiniano illic, & à Pomponio quodam loco appellatur. *l.cum ſeruus. de ſtip. ſer.* quod neſcio quàm verum ſit: mihi quidem aliquando probatur, C. Caſſium eo nomine intelligi, à quo Caſſianorum ſchola Pomponio & Plinio. Nam exiſtimabã, vt dicitur cap.28. *l.ſi hæreditas. de ſtatuliber.* de eo quod Iauolenus ſcripſit lib.6. ex Caſſio: Statuliber antequam conditio libertatis obtigerit, ſi quid comparaſſet, peculio legato non ceſſurum, in libris Caij Caſſij ſcriptum eſt. Sic cap. 52. *l. ſi quis legata. de cond. & dem.* quod ex libr. 2. Iauoleni ex Caſſio eſt, commentaria Caij, & c.78. *l.ſi alieni. de ſol.* de ſolutionib. quod ex vndecimo eſt, libri Caij intelligẽdi ſunt Caij Caſſij eſſe, ex quo Iauolenus quindecim libros ſcripſit. Poſtea verò cùm reperiſſem à Caio Caſſium ipſum & Sabinum referri, *l.adeo. §.cùm quis. de acqui. rer. dom.* illic quidem Iauoleni capitib. credidi Caſſium ſignificatum, cæteris locis non item. Hoc ipſum aduerſus eos facit, qui Sulpitij diſcipulum arbitrantur. Sed & illud, quod ad Senatuſcon. Tertyllianum & Orphitianum ſcripſiſſe dicitur, vt ex inſcriptionib.8. & 9. capitib. ad Senatuſcon. Tertyllianum. *l.in ſuſpenſo. l.ſacratiſſimi. ad Senatuſcon. Tertyllianum.* apparet quæ ſenatuſconſulta multò pòſt Sulpitiana tempora lata fuerunt: alterum Hadriani, *in prin. Inſt. de S.C. Tertyllian.* Diui Marci alterum tempore. Qui verò Iuſtiniani familiarem exiſtimant, à Pomponio refellũtur. Sed & ea cõſtitutione, quę lib.1. Cod. Theodoſiani extat, ſub titulo de reſponſis prudentum. *l. vn. reſpon. prud. in Cod. Theod.* Quemadmodum arbitror eum non multo tempore poſt Saluij Iuliani ætatem fuiſſe, quo & Sextus ille Pomponius fuit. Hæc de Caio, cuius extant Inſtitutionum libri duo breuiores, vt arbitror, quàm ab eo ſcripti ſunt: ſed qui multum ad Iuſtiniani Inſtitut. conducant.

Hæc ex Doctiſſimi viri Antonij Auguſtini emendationum lib.vij. deſcripta ſunt, vbi copioſius hac de re ſcripſit, ſufficit locum indicaſſe.

Ad l.nec quicquam.eod.tit.

Quid ſint apud Vlpian. de offic. procon. litium Concinnatores, Redemptoreſve, quod Accurſius non intellexit.

Proconſulem circa aduocatos, patientem eſſe oportet: ſed cum ingenio inquit Vlpian. *l. nec quicquam. §. circa. ff. de offic. procon.* ne cõtemptibilis eſſe videatur: nec adeò diſſimulare, ſi quos cauſarum concinnatores vel redemptores deprehendat, eóſque ſolos pati poſtulare, quibus per edictũ poſtulare permittitur. Cùm eſſemus aliquando in circulo Iuriſperitorum, à quodam notæ facundiæ viro, qui dicebat nec Accurſium, nec cæteros Interpretes id rectè explicaſſe, quæſitum eſt: quis eſſet concinnator litium, & quis redemptor, de quib. hic mentio fit, cúmque ille reſpondere tunctaretur, incertúſq; animo fluctuaret, dixi: cauſarum concinnatorem, eum, ni fallor, ab Vlp. appellatum, qui lites cauillis reprobis, in longum protrahere molitur, alio nomine vitilitigator dictus, quaſi vitioſus litigator. Eſt enim cõcinnare, aptè cõponere, fucatiſque, & confictis mendaciis, rem perpolire. Redemptorem verò eum dici, qui quotidianas lites mercatur. aut qui de parte litis paciſcitur. *l.ſi remunerãdi. §.Mariꝰ. D. mand. l.ſi contra. & l.per diuer-*

ſat.C.illo tit. Cuiuſmodi delicta, proconſulem diſſimulare non oportet, neque pati poſtulare. *d.§.circa.* Nã & huiuſmodi officia, non ſine reprehenſione ſuſcipi, Imp. prodidit. *l.litem. C. de procur.* Nec me fugit redemptorem cũ propriè dici, qui certo pretio, ſuiſque ſumptibus, conducit aliquod opus faciendum. *l.redemptores. D.de rei vin. l.cuicunque.§.Labeo.D.de inſti.act.l.cum in plures.§.leg.D.loca.* qui antiqua conuſetudine, vt Feſtus ait, non prius pecunias accipiebat, quàm vniuerſum, quod faciendum conduxerat, effeciſſet. De quo Pap. & Vlp. reſponderunt. *l.1.D.in quib.cau. pig.tac.contrah.l. ſi ventri. §.1. D.de priu. cre.* priuilegiũ quod creditor habet, qui ob reſtitutionẽ ædificiorum credidit, ad eum quoque pertinere, qui redemptori, mandante domino, nummos ſubminiſtrauit. Appellauerunt præterea maiores noſtri publicanos, quos nos Fermerios vulgò dicimus, redẽptores. *l.in honoribus.§.non alius.D.de vac.& excu.mun.* quoniam vectigalia reliquóſque pop.Rom. reditus, certo conſtituto pretio, redimendos exigebant.

Eodem titulo.

In l.7.hoc tit. ad illam ſententiam, quæ extat in fin.l.cũ pleniſſimam iuriſdictionẽ Proconſul habeat, omnium partęs qui Romæ vel quaſi magiſtratus, vel extra ordinem ius dicunt ad ipſum pertinent malè Accurſius excipiendum putat Conſulem & Præfectum Prætorio quaſi Cõſul maiorem Romæ poteſtatem haberet, quam Proconſul in prouincia: cùm tamen nullus magiſtratus iniuſſu Senatus intra vrbem ſtatuere de capite ciuis Romani præter Dictatorem poſſit, à quo non erat prouocatio.

Ad tit.xviij.Pandectarum, de officio Præſidis ad l.Illicitas.§.Veritas.

Non vſquequaque verum eſſe arbitror quòd Accur. hinc elicere conatus non debere eũ qui iuriſdictioni præeſt ſecundùm conſcientiam & religionem ſuam iudicare, ſed ſecũdùm allegata & probata duntaxat. Id enim non rectè elici ex hoc loco puto: fuit enim alia mens Iuriſcõſulti hoc loco, quàm talem quęſtionem diiudicare, vt Oldendorp. iampridem doctiſſimè animaduertit in ſuis variis lectionibus. de hac autem q. magnam antiquitus fuiſſe controuerſiam Aulus Gel. oſtendit lib.14.Noct.Attic.c.11. Decidamus igitur hãc q. hoc modo, ſi hodie reuocata antiqua conſuetudine, iurare debent iudices, ſe quod iuſtius exiſtimauerint ſtatuturos. *l.rem nõ nouam. Authen.ſeq.C.de iudic.* Iam planum eſt contra Accur. nõ poſſe iudicem contra ea quæ ipſe nouit iudicare: ego quemlibet iudicem id facere debere exiſtimo, vt iuret ſibi non liquere. Nam iudicandi neceſſitate etiam hodie, hoc dato iureiurando, eum ſolui apparet, niſi ex integro ſibi indulgeatur tẽpus quo melius cognoſcere poſſit. *l.ſi de meis.§.fin.de arb.l.Pomp.de re iud.* Meque enim hoc caſu teneb itur omnino abſoluere, vt Accur. putauit. *d.ll.& arg.§.commodum.Inſt.de interd.*

Ad l.x.eod.tit.

Annotat hic Accur. quamuis generaliter tradatur pręſidem in prouincia ſua agere omnia quæ omnes Romæ magiſtratus poſſunt: non tamen permitti ei in inſulam deportare: quid tamen Prefecto vrbis facere licet ex ſpeciali indulto. Id enim epiſtola diui Seueri ad Fabium Silonẽ continebatur. *l.inter pœnas.D.de interd.& releg.* Huius rei rationem illam eſſe putat, quod in generali conceſſione & tranſlatione facultatum non veniat ſpeciale priuilegium quod quis habuit. Ego Aduerſus Accur. an veriſimiliter princeps tale priuilegium conceſſurus fuerit. Diſpiciẽdum puto *arg.l.obligatione.de pig.* Quòd autem ad hunc locũ attinet, ne lege vlla hoc cautum fuiſſe exiſtimo, vt exæquatis priuilegiis ac poteſtate præſides haberent tãtam facultatem in prouinciis quãtam in vrbe magiſtratus nec hoc expreſſum eſſe puto legib. de hac materia loquentib. hic, *& l.ſi aliquals.§.fi.& l.ſeq.ſ.de offic.procon.* ſeſt illud duntaxat in illis legib. expreſſum eſt, Nihil eſſe in prouincia, quòd nõ per pręſidem expediatur. Quare cùm Præfectus Prætorio legem condere poſſit. *l.formam. C.de offi.praf.prat.* nec à ſententiis eius appelletur, cùm Conſules xij. faſcibus vtantur: alij alia inſignia habeant nemo captatis verbis hæc eadem præſidibus competere rectè dixerit. Quippe ſine his adminiſtrare & regere prouincias rectè poſſunt. Sontes quoque meritis pœnis, & citra deportationis miſeriã poſſe affici nemo dubitat, *l.capitalium.* *cum ſeq.ſ.de pœn.*

Ad l.xviij.eiuſdem tit.

Quòd Accurſ. huic legi ſubiicit, videri hodie præſidẽ voti ſoluendi cauſa etiam abnoctare poſſe, quòd generaliter in ſacris literis ſcriptũ ſit, Vouete & reddite Domino Deo veſtro. Sacras autem literas in his quæ ad religionem pertinent leges noſtras ſequi nõ dedignantur, inquit ille, *Aut.vt cle.apud proepi.§.fi.* Equidem non arbitror admittendum eſſe, præſertim ſi votum poſteà ſuſceptum eſt, quàm prouinciam regendam acceperit. Nõ enim poſſe anterius ſuſceptæ obligationi, nec per votum quidem pręiudicare. *arg.not.per Hoſt.in ſum.ext.de vot.§.quis vouere poſſit.ver.ſed nunquid.* At ne id quidem arbitror, etſi antea voluiſſe ſe dicat tali commento rectè eum ſe excuſaturum: cùm non ideo minus principem conſulere potuerit, vel ſolutionis voti dilationem à Pontifice impetrare. *c.cum eſt voti, extr. de vot.* Dominus noſter Ieſus Chriſtus ea quæ ſunt Cæſaris, Cæſari reddi vult, nec ad ſoluendam veniſſe ſe, ſed ad implendam legem profeſſus eſt. Quare ex his concludo aduerſus Accur. nihil exemplo pernicioſum ſub prætextu religionis permitti debebere.

Ad l.17.eiuſd.tit.

Quicquid Accurſ. contradicat *in l.fin.ſ.tit.11.* probatur hîc proconſulem poſtquam ei ſucceſſum eſt in prouincia non habere volũtariam iuriſdict. quamuis inſignia imperij retineat.

Ad l.20.eiuſ.tit.

Non rectè videtur mihi Iac.Butr. hoc reſponſum inducere aduerſus donationem vrbis Rom.Pont.max. à Conſtãtino factam: & hæc mea ratio, quòd Conſtãtinus donabat vrb.Rom. abdicabat à ſe imperium, ſed vnius vrbis ditionem duntaxat, quæ particularis alienatio, ſaluo in cęteris vrbib. & prouinciis Rom.imp. cur fieri non potuerit? non ſecus, ac ſi quælibet alia vrbs ab Imperatore donata decederet. Nam & ratio ſupraſcripta in hac donatione ceſſat, cum imperium in ſuſpenſo nõ remanſerit, ſed in Rom.Pont. illico tranſlatum fuerit. Enimuerò cùm quæritur an Imperator res ad Rom.imp. pertinẽtes alienare poſſit de rebus ſoli expedita eſt quęſtio, *l.cũ multi.vbi not.omnes.C.de bon.quæ lib.* poſſe ſc. Imperatorem eas in quẽ velit conferre. Sic denique Imp. Iuſtinian. Conſtãtinop. & aliis eccleſiis per multas poſſeſſiones & prædia donauit. Sic poſt eum & ante eum alij fecerunt. Sed & ſi regno aliquo iure belli potitus ſit non videtur prohibere id alienare antequam in prouinciæ formam redactum ſit. Nam Aug.Cæſ. hoc interdũ feciſſe legimus, vt eſt apud Suet. in Aug.c.48. Cæterùm ſi ditionis antiquę pop.Rom. prouincias, aut ciuitates alteri ſubiicere velit, vt Imp. Conſtantin. vrbem ipſam Syluestro Pap. donaſſe dicitur: cuius donationis exemplũ verum an falſum Alb. refert *l.1.D.de of.praf.vrb.* Non putat Iac.Bu. Imp. hoc facere licuiſſe arg. huius reſp. Debuiſſe enim ſi imperij, vel partis alicuius adminiſtrandæ eum pœnitebat pop.Rom. à quo acceperat id reſtituere, aut illius quaſi vacuam & deſertam poſſeſſionẽ relinquere. Ego ad ea quæ ſ. dixi, illud conſiderandum arbitror, Non ex toto ſimilem hac in re Præſidis & Imperatoris cauſam eſſe, pręſidem enim præfinitam & quaſi precariam poteſtatem habere, prouinciam vt regat atque adminiſtret: res verò principis aut fiſci ne attingat quidem. *l.nec quicquam.in prin.de of.procon.* At Imp. propriam & perpetuam atque vt videtur infinitam poteſtatem habet, quantam ſc. vniuerſus populus. Non dubium autem eſt, quin populus tale aliquid facere potuerit. Hodie ſanè non viderentur Imp. citra periurij reatum quicquam ex pertinẽtib. ad imperium alienare poſſe, cùm id nunquam ſe facturos electi ſtatim iurare & conceptis verbis obligare ſe ſoleant.

Eodem titulo.

Inexcuſabili errore labuntur quidam interpretes, qui pręſides prouincię eſſe putãt, quos Balliuos & Seneſchalos in Gallia dicimus: cùm hi nõ habeant ſummam in Balliuatu iuriſdictionem aut authoritatẽ, ea potius apud ſupremũ parlamenti Senatus curiam reſidente. Cùm tamen prouinciarum pręſides in decretis ſibi prouinciis maius imperium haberent omnib. poſt principem. *l.ſi in aliquam. §.ſi cum.ſ.tit.prox.l.ex omnibus.l.omnia.hoc tit.*

Malè Accurſ. nomini Præſidis putat addendum prouinciæ.

Miror

Miror admodum hos titulos nunquã in ſcholis prælegi, cum bona pars ſit iuris Romani, ego puto id fieri ob ignorationẽ hiſtoriæ, cùm hæc pars ſine hiſtoriæ cognitione nullo modo intelligi poſſit. Vnde obſerua in hos titulos pauca admodum ſcripſiſſe Accur. ob eam cauſam, ſc. & ſępius ipſe in Cod. vt de officiò præfecti vrbi ait, Hic tit. vel hæc lex nõ legatur. Quare non legitur Accurſi? An quia lex noua vetat minime quidem.

Ad §. Qui vniuerſas. l. vj eod. tit.

Ex his quæ hoc §. proponuntur manifeſtè conſtat (ſi modo recta fiat interpretatio) Lotharij opin. quàm Alc. lib. 11. Parad. c. 6. probat verã non eſſe, dum merum imperium ſoli principi competere exiſtimat. Quinimo ſecundum Alonis ſentẽtiam quam communiter ferè omnes hactenus ſequuti ſunt etiam quibuſdã magiſtratibus merum imperium competere, & eorum proprium eſſe credimus. *argu. l. cognitio. §. cum propriam. de of. eius cui mand. eſt iur.* In qua lege dicitur cum propriã iuriſdictionem legatis tuis dederis. Conſequens eſt, inquit Iuriſc. vt etiam de ſuſpectis tutorib. poſſint cognoſcere. Idem etiam probare poſſunt *arg. l. more. de iur. om. iud.* vbi dicitur; More maiorum ita comparatum eſſe, vt is demum iuriſdictionem mandare poſſit, qui eam ſuo iure non alieno beneficio habet, & licet proprium eſſe credamus permoti authoritatibus iſtarum legum, nihilominus tamen ſpecialiter tributum exiſtimamus. Enimuerò quatenus magiſtratuum creandorum cura ad principem ſpectat, hactenus ab eo magiſtratum accipiendo etiam imperium & illius exercitationem accipere videntur. Hoc vno intuitu Lotharij opinio defendi poteſt. Aliter haudquaquam eam veram eſſe arbitror.

Ad l. Illicitas. §. Veritas. eod. tit.

Ex actis contra conſcientiam an iudicem iudicare oporteat, & quo ſenſu §. veritas accipiendus ſit, contra interpretum opinionem.
Iudex an ex conſcientia contra acta iudicet.
Princeps poteſt ſequi conſcientiam.
Notorium non eget probatione.
Sententia iniuſta non exequenda.
Noua opinio.
Conſcientia quid.
Veritatis magna vis.
Iudicia veritati ſeruiunt.
Iudicium non in teſtimoniis, ſed in ſapientia iudicis conſiſtit.
No. ſenſ. §. veritas.
Explicatus locus Geneſ.
N. L.

Et legiſtæ, & canoniſtæ conſentiunt, debere iudicem ex actis, cõſcientia propria, & rei veritate propoſita iudicare. *l. illicitas. §. veritas. de of. preſi. c. paſtoralis. §. quia vero. de offic. del. gl. plenè & Scriptores in c. 1. de of. ord.* Idque potiſſimũ, Dei Opt. Max. exẽmplo addecti: cuius oculis tametſi nuda omnia ſint, & aperta, turpiſſima tamen, nec referenda, Sodomæ flagitia, nõ ante iudicare voluit, quàm manifeſtè cognouiſſet, eſſe vera, quæ iactabãtur. vnde *Gen.* 18. Deſcendam (dixit Dominus) & videbo, vtrum clamorem qui venit ad me, opere cõpleuerint. Aliquot caſus doctores excipiũt, tres præſertim. Primus, cùm qui iudicat; princeps eſt: aut alius iudex, legibus ſolutus: veluti, præfectus prætorio *l. normam. C. de of. præfe. præt. Bart. in l. 1. C. vt quæ deſ. aduoc.* Alter, cùm iudicis cõſcientia, à notorio informata eſſet: *gl. in c. fi. 15. q. 5.* cùm enim notoriũ, probatione non egeat. *l. ſi verò. §. qui pro rei. D. qui ſat. cog. l. emptorem. D. de act. empt.* ſolóque onere probandi, partem grauet. *gl. in clem. appellanti. de appel.* perinde eſt, ac ſi plenè probatũ coram iudice fuiſſet. Quod & interpretes proſequuntur abundè *in l. ea quidem. C. de accuſ. & in c. veſtra. & c. fi. de cohab. cle. & mul.* verum nec eo caſu ſatis putant notorium allegari, niſi de illo iudici, vt iudici, ex actis appareat. *Cyn. Bal. & cæteri in d. l. ea quidem. Bal. in auth. qui ſemel. C. quo & quand. iud.* Tertius eſt, negotium criminale, quòd nonnulli excipiunt, aut ſaltem eius executionem, quam nunquam iudex facere debet, qui ſcit reum iniuſtè damnatum. Quod inquit Inn. *in d. §. quia verò.* puto veriſſimum: licèt cęteri contradicant. Sequuntur Ang. & Im. *in l. à diuo Pio in princ. D. de re iud.* Ante quos, ſic primùm cauſam criminalem à ciuili ſeiunxit, vt in hoc acta, in illo, conſcientiã ſequatur iudex. Ioan. An. *in add. ad Spec. tit. de diſp. & alleg. aduoc. §. fi.* nec deſunt, qui vbique dicãt principem adiuuandũ: vt quod ſibi reſponſum fuerit, ſine periculo iudex exequatur. *§. fi. de iud. coll.* 6. Ego verò, nullo caſu, ex actis contra conſcientiam, hoc eſt certiſſimam conſcientiam, eius rei, quæ in animo noſtro verſatur, iudicandum cenſeo. Alioqui in gehennam meritò coniicerẽmur: vt eſt è plurib. Euangelij locis perſpicuum. Et veritati ex diametro contradiceremus, cõtra præceptum Domini, Eccl. 4. Qui veritatis tantam eſſe vim voluit, vt præ rebus omnibus fortior eſſet, & præualeret. 3. Eſdr. 4. & *c. conſuetudo. 8. diſt.* quam qui ſpernunt, Deum vtique produnt. *c. abiit. 11. q. 3.* Nec leges diuerſum conſtituiſſe autumno, quæ propter veritatẽ, vt illuceſceret, iudiciorum ſolennia inſtituerunt: non, vt ſeruiret iudiciis veritas. Nec item iniquitatis, & iniuriæ autores eſſe volunt. *l. meminerint. C. vn. vi. c. veniens. de iur.* Quid autẽ ab æquitate, & omni animi rectitudine alienũ, ne dicã perniciosum excogitari poteſt, quàm innocentis condemnatio, & nocentis abſolutio. *l. abſentem. ff. de pœn.* Huc pertinet, quòd Vlp. nõ ſemel totum negotium ad propriam iudicis conſcientiã, hoc eſt, ad eius oculos retulit. *l. 2. §. fi. D. de fer. l. ſi irruptione. §. fi. D. fi. reg.* Et quod Calliſtr. ſcripſit, debere iudicem ex animi ſententia æſtimare, quanta ſit fides teſtib. adhibenda, quidque credendum probationibus. *l. 3. §. 1. & §. eiuſdẽ. D. de teſt.* Proinde Cic. pro M. Fonteio, in ſapiẽtia, & conſilio iudicis oſtendens, non in teſtimoniis, conſtitutam iudicandi æquitatem, ea potiſſimum ratione vtitur, quod ſi ſecundum teſtes, rationes, aliave inſtrumenta producta, ſine dubitatione iudicandum foret, ſapiente & probo iudice, non opus eſſet: nihil etiã eſſet, cur alius alio iudice melior exiſtimaretur. Quid eſt enim, inquit, vbi elucere poſſit prudẽtia? vbi diſcerni ſtultus auditor, & credulus à religioſo, & ſapienti iudice? nimirũ illud, in quo ea quæ dicuntur à teſtibus, coniecturã, & cogitatione trahuntur, quanta authoritate, quanta animi æquitate, quanto pudore, quanta fide, quanta religione, quanto ſtudio exiſtimationis bonæ, quanta cura, quanto timore dicantur: & reliqua, quæ ſequuntur. Huic autem noſtræ ſententiæ non inprimis oberit. *d. §. veritas.* in quo iacta ſunt cõmunis opinionis fundamẽta. Nam Vlp. illic vult, præſidem prouinciæ ſequi fidem eorũ quæ probabuntur, ne dolo & errore geſtorum vitietur veritas. Per contrarium igitur, ſequendas probationes negat, vbi per eas, negotij veritas obumbraretur. Quo fit, vt is tex. aperte ſententiam noſtrã confirmet, vt ei officiat tantum abeſt. Quod autem interpretes, ex lib. Gen. referunt. aliam interpretationem accipit. Neque enim eo exemplo Deus omnes homines monere voluit, vt actorũ perfidiam, & mendacia potius quàm rei veritatem ſectarentur: ſed quemadmodum Euariſtius papa dicebat, vt nobis exemplum daret, ne præcipites in diſcutiendis & iudicandis negotiis eſſemus: & ne mala proximorum, prius quiſquã præſumat credere, quàm probare, & ita ne temerè, indiligẽterque probata, indiſcuſſa, quoquo modo. iudicemus. *c. Deus omnipotens. 2. q. 1.* Malim igitur in tanta rerum varietate, & inconſtãtia iudicem more maiorum, iudicãdi munere abſolui, ſi ſibi N. L. id eſt, non liquere, iurauerit, cum meritiſſimè dubitare poſſit, quid agere debeat, infirmatis per conſcientiã ſuam probationibus. Quod & Aul. Gel. in caſu minus dubio feciſſe, cum à prætoribus in iudices lectus eſſet, ex lib. 14. 2. ſuarum Attic. Noct. conſtat.

Ad tit. de Officio Præfecti Auguſtalis.

Neceſſe eſt hiſtoriam narrare, quomodo hic Præfectus Auguſtalis conſtitutus fuerit, quam Accurſius ignorauit. Obſerua igitur tempus quo Auguſtus Marco Antonio, & Cleopatra Ægypti Regina fœliciſſimè deuictis, Ægypto potiretur: eo enim tempore præfectum illinc mittẽdum Auguſtus Auguſtalem ſuo nomine appellari voluit. *l. 1. & 2. C. de offic. præf. Aug. l. 1. C. de priuat. carc. l. quicunque. C. de decur. lib. x.* ſub quo præfecto Iuridicum eſſe volebat, qui Alexãdriæ agens iuri dicundo potiſſimũ præeſſet. *l. 1. & 2. D. de offic. iurid. Alexand. in fi.* Dediſſe hunc iuridicũ Alexandrinis Caium Cæſarem, ſignificat Spartianus in Seuero his verbis. Deinde Alexandrinis ius Bulẽtarum dedit, qui ſine publico conſilio, ita vt ſub regibus ante viuebant vno iudice contenti, quem Cæſar dediſſet, quo loco Egnatius non ſat rectè, meo iudicio, Bulentas ſeruatores interpretatur. Magis enim proprium erat Decuriones interpretari: Latinè enim ordinem ipſum Decurionum Bulem & Bulentas Decuriones dicimus, vt ex Plinij ad Traianum epiſtolis facilè dignoſci poteſt.

Ad tit.xix.de offic.Procur.Cæſ.vel rationalis.

Vbi Iuriſconſultus in hac l.1.dicit,Si rem Cæſaris procurator eius quaſi rem propriam tradat, nõ puto (inquit Iuriſconſultus)eum dominium transferre. Accurſius ad verbum rem propriam addit ſcilicet procuratoris,addendum fuiſſet. Sciens nihilominus Cæſaris eſſe,qua in re facilè eſt intelligere quantum ab Accurſij cæterorũmque interpretatione diſſentiamus: aliqua dicamus de procuratore Cæſaris, quæ Accurſius prætermittit: multum tamẽ conducunt ad huius tituli intelligentiam, ac primum notemus procuratorem Cæſaris dici etiam Rationalem & Comitem rerum priuatarum ſacri palatij ſacrique patrimonij. *toto tit.C.de offic.com.rer. priuat.ſacri palatij ſacri patrimonij.* Appellatur idem procurator,& fiſcus,& diſpenſator.& actor rerum Cæſaris.*l.7.C.ſi aduerſus fiſc.l.ſi fiſcus. D.de iure fiſci.* Ipſi procuratores Cæſaris quandoque prouinciam regendam accipiebant, atque hi procuratores vice-præſidum agentes in iure appellantur. *l.1.C.de ped.iudic.l.3. C.vbi cauſæ fiſc.*

Ad l.ii.

Eo loco huius.l.2.hæredis enim inſtituti in adeũdis vel repudiandis huiuſmodi hæreditatibus voluntas exploranda eſt. Non deſunt qui hæc verba vel repudiandis deeſſe putent, & hæc eorum ratio, quod arbitrentur in hæreditatis repudiatione,quæ ſoluendo non eſt minimè implorandam hæredis ſcripti volũtatem. Quibus ego non aſſentior ſiquidem communi licet æſtimatione iudicetur hæreditas non ſoluendo,poteſt tamen probabili aliqua affectione duci ſcriptus hæres, quo carius longè & pretioſius hæreditatem æſtimabit, putà quia res hæreditariæ maiorum ſuorum fuerunt.*l.ſi in emptionem. D.de min.l.eas qua.C.de admin.tut.* Eſt igitur hæc bona ratio,in qua miror cæteros hallucinatos eſſe.Heredis enim inſtituti in adeundis, vel repudiandis huiuſmodi hæreditatib.voluntas exploranda eſt.Quid enim apertius dici poteſt, quam vt Conſulatur Imperator qui inſtitutus eſt.

Ad l.iij.eod.tit.

Ridiculi planè ſunt Interpretes, qui in l.3.putant eandem cum dicto à Calliſtrato proferri rationem quaſi verò idem ſit pœna,quod deportatio & pœnę verbum non latius multo pateat.Rectè igitur à genere ducit argumentum Iuriſc.Procuratores nimirum Cæſaris non habere ius deportandi,quia pœnę conſtituendæ ius non habent, quippe deportatio ſpecies eſt pœnæ,à quo autem remouetur genus,conſequens eſt quamlibet ſpeciem remoueri *l.ſi quid.§.1.ff.de leg.3.* In hac ead. l. hæc verba huius pœnæ conſtituendæ ius non habent, malè interpretatus eſt Accur. Pœnæ conſtituendæ ius accipere hoc loco oportet pro facultate inſulæ aſſignandæ. Id enim hoc loco ſignificat pœnã conſtituere.*arg.l.1.in pr.ĩ. quan.ap.ſit.* alioquin idẽ fruſtra repetere videretur I.C.Accur. enim propterea interpretatus eſt hæc verba (quia pœnæ conſtituendæ ius non habent)id ſignificare,quia derogatum hoc eis eſt.Sed violenta eſt hæc interpretatio. Itaq; meliùs conuenit quod nos,cum Ant.Vac.in expoſitionib.ſuis locorũ obſcuriorum, exiſtimamus, vt ius conſtituendę pœnæ accipiamus pro facultate inſulæ aſſignandæ. Nam inſulam aſſignare nec præfectus quidem vrbis poteſt quamuis deportandi ius ei conceſſum ſit.Sed vt à Principe aſſignetur expectare debet.*l.1.§.relegãdi.ĩ.de of.præf.vrb.*ex his omnibus quæ diximus manifeſtè apparet generaliſſimam eſſe hãc rationem, atque omnino latiorem,quàm ſi dixiſſet hoc modo.Quia ius deportandi non habet.

Ad tit.xx.lib.j.Pandect.de Officio iuridici.

Quis fuerit hic Iuridicus Alexandriæ Accur.hic non exponit,nos aliquid de eo diximus ad tit.de of.præſe.Aug. nam vt ibi diximus ſub pręfecto Auguſto Iuridicus eſſe debebat.huic enim Iuridico etſi qui alij per Ægyptum antea Iudices conſtituti erant,Præfectum Auguſtalem quodammodo ſuperintendiſſe puto. Et quia nunquam antea in prouinciæ formã Ægyptus redacta erat maioris dignitatis, hi iudices habiti erant, quàm vt Præfectus ex toto ſubiectos eos haberet: erant enim omnes Equeſtris ordinis,ex quo ordine & Pręfectus ipſe erat. vnde effectum vt eorum delicta examinandi, & ſuper his quæ comperiſſet duntaxat referendi, non etiam amouendi, vel puniẽdi eos Præfectus Auguſtalis poteſtatem nactus ſit. *l.2.C.de of.præf.Aug.* Quãuis pręfecti alij,vt putà Orientis, aut Illyrici plenam cognitionem de ordinariis iudicib. ſub ſe conſtitutis habeant.*l.pen.C.de of.præf.præt.Ori.* Atque huius conſuetudinis ſpecialis ratio hæc fuit,quam diximus. Quicquid Accur.& cæteri commententur,*gl.in l.2.C.de offic.præfect.Aug.& Lollictas.§.qui vniuerſas.ĩ.de offic.præſid.*

Ad tit.de offic.eius cui mand.eſt iur.ad l.j.

Nullo modo placet noua ratio,quam Alc.cõminiſcitur,cur merum Imperiũ transferri non poſſit,lib.2.Paradox.c.6.in fi. quod Magiſtratus,inquit,nudum Imperij vſum habeãt: & ob id alium rurſus in ea re vſuariũ conſtituere non poſſunt,quod ea facultas vſuario iure denegata fuerit Iuſtiniano authore *in Inſt.de vſu & hab.*& hæc eſt ratio Alc.quę ſanè licet veriſimilis videtur,vera tamen non eſt. Quid enim hoc eſt Imperium vſus,conceſſum eſſe dicere,ac nõ potius oneri,ac labori, præſertim in perſona magiſtratuum?& hæc eſt mea ratio,quare id improbem:quia omnib.manifeſtum eſt vtentis emolumento, aut voluptati vſum ſeruire, Imperium verò alienis commodis & ſecuritati potius conſulere,atque inuigilare, quàm propriæ commoditati. Itaque reiecta ratione Alc.eam rationem fuiſſe arbitror,quod legibus,Senatuſconſultis, & principum Cõſtitutionibus grauiſſima quæque ſtatuebantur, quæque ad vnguem obſeruari expediret.

Eodem titulo.

Nobis reiicienda eſt omnino quædam opin. Interpretum. vulgo enim apud eos receptũ eſt inter Iudicem datũ, & eum cui mandata eſt iuriſdictio, nihil intereſſe:quæ opin.falſa eſt. Cùm veterum Iuris authorum dictis nullo modo conueniat. Nam primum Iudex datus,Iudicẽ non dat.*l.à iudice. C.de iud.* dat autem is cui mandata eſt iuriſdictio. *l.cum prætor. eod.titul.* Item,Is cui mandatur Iuriſdictio, locum tenet eius qui mandat:eiúſque partib.fungitur.*l.ſolet.hoc tit.*proinde in eum non modò Iuriſdictio transfertur,ſed omne Imperium cohærens Iuriſdictioni. Iudex datus nec iuriſdictionem vllam, nec Imperium habet, ſed cognitionem tantùm, ac iudicationem. *l. à iudice.C.de iudic.l.aut prætor.de re iud.*

Ad §.vlt.l.j.

Rectè ſunt accipienda hæc verba vltima huius l. quæ ſic ſe habent. Quare nemo dicit animaduerſionem legatũ Proconſulis habere mandata iuriſdictione.Quare ſc.merũ Imperium tranſire non potuit,ob id non habẽt animaduerſionem: quod idcirco admonendum putaui, quia videntur omnes Interpretes:qui ad hanc vſque diem ſcripſerũt,ex his verbis argumentũ ſumere,vt dicant, merum Imperiũ verſari in quacunq; publici iudicij quęſtione,exercenda:quia ſc.ſuperiore §.de exercitatione publicorũ iudiciorũ Papin. loquutus erat, & poſtea ſtatim loquitur de mero Imperio.Nullo enim modo hęc ſententia vera eſt, niſi de præſenti cruciatu, atq; animaduerſione corporali ex pœna criminis irroganda tractetur. In his publicis iudiciis merum Imperiũ non rectè exerceri dicas, vt ego vel aduerſus omnes ſentio.

Ad §.Et ideo videntur errare magiſtratus.ead.l.j.

Malè Accur.& plerique alij crediderũt in hoc §.videri Papinia.ſignificare iuriſdictionis appellationẽ generalem eſſe, atque etiam Imperium cõtinere: quod ego minimè,verũ puto.Nam Iuriſdictionis nomen in cauſis controuerſiiſque ciuilib.propria ſignificatione vſurpari video,à iure dicũdo:quam loquendi formulam de criminaliũ iudiciorum quæſtionibus vſitatam nõ inuenimus,niſi raro, atq; impropriè, vel abuſiuè, vt Doct.noſtrorum verbis vtar:vt cum Pomp.ĩ.*l.2.§.& quia. de orig.iur.*dixit Cõſuli non fuiſſe permiſſum, vt iniuſſu populi de capite ciuis Romani ius diceret. Idque legũ authoritate cõfirmabo,ne videar id propria authoritate aſſerere Vlp.*in l. muto.§.tutoris.de tutel.*docet tutoris dationem neque Imperij, neq; Iuriſdictionis eſſe. Nónne apertè docet Vlp.eſſe diuerſa inter ſe? In hoc eod.§.falſa eſſe deprehenditur opin.Interpret. noſtrorum, quorũ pleriq; exercitionis verbum (de hoc enim verbo mentionem facit Pap.)non ad deciſionẽ & ſententiam, ſed ad examen cauſæ tantùm pertinere exiſtimarũt.Ego enim & ſententiam ferre poſſe arbitror hos magiſtratus,quib.exercitatio legũ mãdata eſt, vt & olim poterant. *arg.l.ordo. de pub. iud.iuncta.l.hodie.de pœn.arg.etiã.l.de qua re.ĩ.de iudi.* Quippe tum potiſſimũ exercetur lex cum ſentẽtia fertur, & cõmiſſum vel nõ cõmiſſum eſſe crimen ad legẽ pertinens Pronunciatur.

Ad §.

Ad § qui mandatam iuriſdictionem, eiuſd. legis.

Falsò exiſtimant Interpretes his verbis, Idem repeti quod ſuperius dixerat, ſpecialiter conceſſa non poſſe mandari. Nam Papinianus hic ſeorſim loquitur de mero Imperio, quod trãſire non poſſe dicit, nec diſtinguit ſpecialiter conceſſum ſit, an quo alio modo.

Ad l. in conſilium. vj. tit. de officio aſſeſſorum.

In hac l. curatorem Reipublicæ falſo accipit Accurſius pro rationali principis, qui Procurator Cæſaris appellatur, *ſ. tit. de procur. Caſ. & l. 2. C. de officio adſeſſ.* Verius eſt enim hic curatorem Reipub. intelligi ſuæ quemque ciuitatis aut municipij pecuniarũ & bonorum procuratorem, quæ bona abuſiuè publica dicuntur. *l. bona ciuitatis. de ver. ſign.* & hoc innuere manifeſtè videtur illud verbum poſitum in hac lege eiuſdem ciuitatis, & ne quis exiſtimet nouam eſſe hanc interpretationem peruoluat ius integrũ, & inueniet non eſſe nouũ in iure curatores hos appellari, exẽpli gratia, videat *l. curatores. & l. ſeq. & l. fi. de adm. rer. ad ciuit. pert. videat. l. Curatoris. C. de modo mulctatum. l. ad curatoris. D. de damn. infect.* Ego eundem errorem Accurſij obſeruaui in notis *ad l. Lucius. §. Sẽpronij. ff. de admin. tutor.* Ibi plura ad hanc rem pertinentia videre poteris ex *lib. 3. Miſcellan. Corraſ. cap.* 6. Accurſij hunc errorem etiam Paul. Caſtr. doctiſſime animaduertit.

Eod. tit. ad l. Diem functo legato Cæſaris.

Malè Accurſius eo loco *l. Diem functo*, ſalarium Comitibus reſidui temporis quod legatis præſtitum eſt debetur, malè inquam præſtitum eo in loco pro præſtandum intelligi voluit pugnante Latinè loquentium conſuetudine. Quidam malunt præſtitutum legi, vt ad tempus referatur legatis præſtitutum, id eſt, præfinitum reiectis Accurſij cæterorumque diuinationibus. *l. 8. eod. tit.* vult Aſſeſſores non poſſe ſua tractare, negotia eo quo aſſident tempore in auditorio Prætoris vel Præſidis, cuius ſunt aſſeſſores. Nec huic loco conuenit quorundam interpretatio, licèt verum dicant ſcilicet Iuriſconſulti hunc ſenſum eſſe, vt velit aduocatorum officio aſſeſſores non poſſe in eodem auditorio fungi, præſtitutum igitur & non præſtitum legendum & malè Accurſius & alij ad ſalarium præſtitum referunt ſeſe variis ſenſibus cruciando, & ſic legendum tradit. *Alc. lib. Diſpunct. 4. cap.* 20. vbi hanc legem vero ſuo ſenſui reſtituit præſtituo compoſitum eſt à prius, & ſtatuo præſtitutum: ergo prius ſtatutum, præordinatum præfinitum ſignificat, & reſpicit hic tempus legatis prius ſtatutum à Cęſare, Lactantius lib. 5. diuinarum Inſtitutionum eadem loquendi formula vtitur hoc modo: Ad præſtitutum tempus præſentiam ſui fecit Papinianus. Itaque hoc ſenſit & loquitur ſcilicet ſalarium integrum aſſeſſoribus præſidis ante diem functi totius reſidui temporis legato præſtituti debetur, niſi interim Comites alij aſſediſſent, aut legatus ante præfinitum tempus magiſtratu moueatur, & ne ignoremus quinam ſint adſeſſores, quia de iis Accurſius nullam mentionem fecit. De iis pauca dicamus, ac primum notandum adſeſſores dici Iuriſperitos, quos præſides in prouincias ſecum ducunt, vt eorum conſilio ius dicant, & ciuilia negotia conſtituant. Hi quatenus adſeſſorum officio funguntur pręter conſilium nihil præſtant, dum pręſidem admonent quid iuri publico atque officio eius conuenire videatur. Omnia verò nomine præſidis ſine dubio aguntur, quin & pœna propoſita eſt ſi adſeſſoris nomine ſubſcriptiones mittantur, vel aliud quidlibet conſtituatur. *l. 2. C. de adſeſ.* Iidem adſeſſores etiam Conſiliarij dicantur. *l. Conſiliarios. eod. tit.* Eiſdem aliquando à pręſidibus proficiſcentibus cauſæ decidendæ delegari conſueuerant, & tunc Pedanei propriè dicebantur, vt doctè animaduertit Ant. Auguſtinus *ad l. non ſolum. §. ſimiliter. ff. de excuſ. tut. vide Alc. lib. 1. parerg. c. 41. vide Ant. V ac. ad l. 1. de offic. eius cui mand. eſt iur.* Præterea nota hoc idem reſponſum relatum eodem ſenſu eſſe ſub *tit. locat. l. ſed adde. §. fin.* vt mirum mihi ſit interpretes noſtros hac in re tantopere laboraſſe Alc. veræ lectionis rationem primus iniit lib. Diſpunct. c. 20. vt ſ docui. Comites, quod Accurſius prætermiſit propria ſignificatione pro iis accipiuntur, qui legatũ in prouinciam ſequuti ſunt, ſiue aſſeſſores ſint, ſiue Cancellarij, vel domeſtici quilibet.

NOTARVM AD FRAN. ACCVRSII GLOSSAS, ET CÆTERORVM DOCTORUM TAM RECENTIORUM, QUÀM ANTIQUORUM INTERPRETATIONES, LIBER SECUNDUS.

Ad librum Secundum Pandectarum Iuris Ciuilis.

Ad Titulum de Iuriſdictione.

NIHIL proſſus valent ſolutiones quas adducit Accurſ. *in l. 10. hoc tit.* vt diſſoluat Antinomiam, quæ videtur eſſe cũ *l. 77. de iudi.* In qua lege ſunt qui negotia priuata peſſimè domeſtica interpretantur quæ ad nullius cõmodum vel incõmo, dum pręterquã patris ipſius aut filij pertinent, optima ſolutio eſt, conſenſu litigantium iudices dari olim conſueuiſſe. *l. 2. §. ſed ſi iudex. l. obſeruandum. D. de iudic. l. ex conſenſu. D. de appellat.* Male Accurſius *in l. 12. hoc tit.* vbi dicitur magiſtratibus municipalib. ſupplicium à ſeruo ſumere non licere ſuppliciũ vltimum eſſe putat quod ſolã mortem interpretamur. Melius puto ſupplicium hic pro graui quacunque pœna corporali ob delictum imponenda, hic accipi, proprietatem Vocabuli ſequutus in *l. qui cum maior. §. is demũ. D. de bon. libert. l. miles. D. de quaſtionib.* Notandum igitur longè aliud eſſe ſuppliciũ vltimum, quo mors ſola ſignificatur. *l. vltimum. D. de pœn.* aliud ſupplicium ſimpliciter, quod grauem quamcunque in corpus animaduerſionem deſignat in *Nouel. vt iud. ſine quoquo. §. ſi quis autem.*

De Iuriſdictione & Imperio, aduerſus omnes Interpretes qui ad hanc vſque ætatem ſcripſerunt.

Si omnes interpretũ omnium ſententias, qui Iuris Romani enarrationem aggreſſi ſunt, refellere vellem: quantũ in hac q. mihi elaborãdum fuerit, quiſque intelligeret. Verùm, cùm ca ſcribendi ratio veteribus nunquam placuerit, equidem eorum more, non omnium qui ſcripſerũt, ſed prudentiorum opiniones modeſtè referam: quid verum ſit atque à Iuris authorum conſtitutionibus quàm minimè alienum explicaturus. Eſt igitur Iuriſdictio, Iuris dicendi licẽtia: ſic enim Vlp. lib. ſingulari de officio Quæſtoris eam definit. Ius autem dicit Magiſtratus, cum de re ſibi expoſita ſtatuit, iúſque poſtulantibus reddit: ſiue iudiciũ diſtrahendæ controuerſiæ, ſiue puniendi maleficij cauſa inſtituatur. Ex multis Pandect. & Cod. capitibus conſtat, Ius dicere, aliud nihil eſſe quàm decernere, & ius reddere. Idque adeò diſertè Paulus ſcribit, vt in aliis locis otioſè colligendis inſudandum minimè exiſtimem. Non deſunt qui iuriſdictionem rei tantum pecuniariæ ac ciuilis cognitionem eſſe arbitrentur: ídque cùm multis Pandect. capitibus, tum Aſconij Pædiani authoritate confirment. Verùm ego iuriſdict. verbum, & ad res criminales, & ad cauſſas ciuiles pertinere ſentio. Nam in Theodoſij ac Iuſtiniani Cod. titulus de iuriſdictione generaliter ſcribitur, & vtrunque iudicij genus reſpicit. Sed & modica coërcitio quæ mandata iuriſdictione transfertur ad cohibendam audaciſſimi litigatoris libidinem pertinet, atque in criminali etiam iudicio requiritur. Sed Aſconius quoq; Pædianus in commentatione, quam in M. Tul. Ciceronis contra Verrem orationem de Prætura Siciliensi ſcripſit, diſertè in argumento oſtendit, res etiam capitales iuriſdictionis eſſe. Sic enim ait, Itaque poſt hoc, duo criminum genera perſequitur ad extremũ: primum de Heraclio, de expreſſis honoribus ab inuitis, de Epicrate Bideno, déque rebus capitalibus, vbi de Sopatre, de Sthenio: quæ omnia ſunt de iure dicundo. Fateor iuriſdictionis ſpeciem, quę in ciuilibus negotiis cauſiſque verſatur, commune iuriſdictionis nomen ſuum feciſſe: ideóque Cic. Iuris dicundi ſortem, quæ Murenæ obtigerat, peculatus quæſtioni comparat. Atq; is ipſe Pædianus in cõmentatione orationis de Prætura Vrbana, c. de Iure dicũdo, ab eo quod eſt de ſuppliciis diſtinguit, Nec id nouum

aut inauditum eſt: nam genus formæ coniunctum ad alteram ſæpius contrahitur ſpeciem, vt in adoptione, cuius generaliter acceptæ duo genera facit Modeſtinus. Imperium, I.C. dici poteſtatem atque iuſſum, cui omninò pareatur, obſeruauimus. Scribit enim Celſus, Quod iuſſit vetuitve Prætor, contrario imperio tollere & remittere poteſt. Paulus, Is qui aduerſus edictũ Prætoris ædificauerit, tollere ædificium debet: alioqui inane & luſorium Prętoris imperium fuerit. Is ipſe Paul. lib. 13. ad edictum, Magiſtratus ſuperiores (inquit) aut pari imperio qui ſunt, nullo modo poſſunt cogi. Vlp. lib. 4. fideicommiſſorum, cùm diſputat, per quem quis cogatur adire & reſtituere hereditatem, ſatis oſtendit, Imperij verbum, vim cogendi habere: cuius verba in 13. cap. tit. ad Sena. Treb. retulit Tribonia. Martian. lib. 1. publ. iudic. Munus propriè eſt (inquit) quod neceſſario ſubimus, Lege, more, imperióve eius qui iubendi habet poteſtatem. Ideóque ſępius vim Imperij, ius imperandi, & id genus pleraque obſeruauimus. Poteſtatẽ verò dicimus eorum Magiſtratuum, qui Maiores appellantur. Quamuis enim Minores ea facere poſſint, quæ priuato minimè conceduntur: ſunt tamen ſine imperio & poteſtate. Quamobrem Paulus, in perſona Magiſtratus, Poteſtatis verbo imperium ſignificari reſpondit. Quibus verbis, Magiſtratus dignitatem authoritatémque in vi quadam imperij, ac poteſtatis iure poſitam eſſe indicat. Animaduerti equidem, quod neminem non latuit, I.C. cùm de poteſtate ſiue imperio diſputant, non ſimpliciter coërcere, aut in carcerem duci, ſcribere, ſed vel poteſtatis vel iuſſus verbũ adiicere. Vlp. lib. 5. ad edictum, In ius vocare non oportet (inquit) neque Conſulem, neque Præfectum, neq; Prætorem, neque Procõſulem, neque cæteros Magiſtratus qui imperium habent, & qui coërcere aliquem poſſunt, & iubere in carcerem duci. Quo in reſponſo, Coërcere aliquem poſſe, interpretor, habere poteſtatem coërcendi aliquem. Neque verò apud Venuleium, Ius, aliud ſignificat quàm poteſtatem. Nec enim (ait) animaduertendi, coercendi, vel atrociter verberandi ius habet, Paul. lib. 5. ſentent. tit. ad legem Iuliam, de vi pub. & priuata, Hac lege excipiuntur (inquit) qui artem ludicram faciũt, iudicati etiam & confeſſi, qui ideò in carcerem duci iubentur quòd ius dicenti non obtemperauerint, quidve contra diſciplinam publicam fecerint.

Imperium autem duplex eſt, Merum atque Mixtum. Merum Imperium eſt ſumma poteſtas, quæ iuriſdictioni non cohæret: idque ſatis ex diſiunctorum natura conſtat. Cùm enim antea dubitatum eſſet quid Merum ſignificaret, doctoribus placuit, Merum & Mixtum oppoſita eſſe quod verius eſt: ita enim Merum ius gentium Trypho. Merum iudicis officium Pompo. & Merum factum Paulus dixerũt. Neque illud ipſum publici iudicij exercitionem, neque rei capitalis cognitionem ſignificat: ſed nec animaduerſionẽ, nec ſententiæ in facinoroſum latæ executionem: verum ſolam, ſimplicem, puram, nullique admixtam iuriſdictioni poteſtatẽ, id eſt, iuri dicundo minimè ſeruientem. Quamuis enim gladij poteſtate ſuccinctus ſit Magiſtratus, ideóque in facinoroſos animaduerti iubeat: non id tamen iuriſdictionis explicandæ gratia, nec ius ſuum cuique vt reddat, facit: verùm ex vi & magnitudine imperij ſpecialiter ſibi Lege, S.C. Principum conſtitutione, dati. Atque ita Papinianum ſenſiſſe ex eo coniicimus, quòd de Mero loquens Imperio, dari illud ipſum Lege dixerit: Iuriſdictionis autem appellatione publicam complexus ſit quæſtionem, publicique iudicij exercitionem. Itaque de hoc imperio diſſerens Vlp. ipſum non maleficij coërcitionem, aut animaduerſionem vocat: ſed gladio in facinoroſum animaduertendi poteſtatem, id eſt, Magiſtratus reum gladio multari præcipientis imperium, cui omnino & ſine cõtradictione is, qui iubetur, paret. Eam Romæ Dictatores habebant poteſtatem, à quibus nec prouocandi ius erat, & quibus capitalis animaduerſio permittebatur. Conſules autem quamuis à Lege ſummum ius haberent, ne tamen per omnia Regiam poteſtatem ſibi vindicarent, Lege lata factum eſt, vt ab eis prouocatio eſſet, néve poſſẽt in caput ciuis Romani, iniuſſu populi animaduertere. Populus enim qui ſummum habebat Imperium, quoties animaduerſio neceſſaria videbatur, ad continendam & conſeruandã Remp. centuriatis (vt eſt in Lege) comitiis Quæſtores, qui capitalibus rebus præeſſent, conſtituebat: quos & Magiſtratus fuiſſe, & cum poteſtate ac imperio exiſtimamus. Nam (vt præclarè Alexander ab Alexandro iuriſperitus ille Neapolitanus ſcribit) capitis reos agere, & maieſtatis poſtulare, diémque perduellionis ad Pop. dicere, capitales res quærere, & de ſontibus quæſtiones habere poterant. Verum ſummam illam poteſtatem, niſi extra ordinem de vita & capite ciuis quærerent, à Pop. non accipiebãt. Tum enim iis atque ipſi populo præcipientibus, omnino parebatur. Poſt temporum verò curricula, quibus Cornelius Sylla Rempublic. ſeditiosè perturbauit: cùm plures de parricidiis, de ſicariis, de falſis, Leges tuliſſet: vt eſſent qui eas tuerentur, quatuor prætores, qui de criminibus inquirerent, veteri numero adiecit: quibus hæc ipſa poteſtas ſpecialiter data eſt, quæſtiones quæ publicè ac perpetuò conſtitutæ ſunt, cùm antea in ſingula crimina mandarentur. Et Prætores quidem in vrbe deſignari publicorum iudiciorum exercitionem ſortiebantur: ita vt quiſque datam in ea quæſtione, quę ſibi obtigerat, poteſtatem exerceret. Maleficiorum enim coërcitiones quæ Reipub. gratia, & ad exemplum fiunt, ad Magiſtratum ideo deferuntur: quia ei non ſuo, id eſt, Magiſtratus iure, ſed ſpecialiter Lege, vel S.C. vel conſtitutione Principum hæc ipſa poteſtas data eſt, quæ in huiuſmodi quæſtionibus maximè deſideratur. Quare Vlpian. poteſtatem gladij aut cuiuſuis alterius coërcitionis dixit. Atque idem libr. 1. opinionum, eos qui vniuerſas prouincias regunt, ius gladij habere, & in metallum damnandi, eis poteſtatem permiſſam eſſe, ſcribit. Quibus verbis ſignificat hoc ipſũ imperium non coërcitionem, non animaduerſionẽ, non gladium eſſe: verùm poteſtatem ipſam, ac ſpeciale quoddam ius, cuius vi poſſit iubere Magiſtratus, gladio in facinoroſum animaduerti, vel in metallum damnari, vel alio atrociori ſupplicio coërceri. Quod quidem animaduertendi, coërcendi, vel atrociter verberandi ius, Legatus Proconſulis non habet: licet ei mandata ſit à Procõſule Iuriſdictio. Huc pertinet quod Pomponius ſcribit. Et quia de capite ciuis Romani iniuſſu Pop. non erat Lege permiſſum Conſulibus ius dicere. Ex eo enim quæſtionem, iudiciſque exercitionem, in quo de capite ciuis inquirebatur, iuriſdictionis appellatione contineri conſtat: ipſam verò animaduertendi poteſtatem, quæ Merum dicitur imperium, iuris dicendi licentiam comitari, nemo dixerit. Ideóque Cicero hoc imperium, Iuſſum rectè appellat, cùm in Catilinam dicit, Duci te ad mortem iuſſu Conſulis, Catilina, oportebat. Cùm enim in ſummis Reipubl. caſibus & magna mole periculorum, Conſuli Senatus mandabat, Ne quid Reſpubl. detrimenti caperet: tunc Dictatoriam ſibi poteſtatem vſurpabat, & de nece ciuium decernendi, illóſque omnibus modis coërcendi, belli gerendi, domi foriſque ſummum imperium habẽdi, ius (vt Alexander ab Alexandro ſcribit) habebat. Nam legimus Opimium Conſulem: Caium Gracchium, Flauium Flaccum, & alios, ſeditioſos factioſóſque ciues, abſque Pop. iudicio necaſſe. Quæ principio de iuriſdictione à nobis dicta ſunt, ad hanc diſputationem neceſſario præcedere debebant. Nam cognita Iuriſdictionis natura, quid ſit imperium illud, quod ei cohæret, nec diuelli ſepararíque ab ea poteſt, facilè intelligitur. Et hoc quidem ipſum imperium non Merum à Paulo appellatur, ab Vlpiano autem Mixtum, quòd rectè (mea ſentẽtia) definitur imperium, cui Iuriſdictio ineſt. Nam cui Iuriſdictio cõtigit, idem hoc quoque imperium habet: & qui hoc imperio vtitur, ius dicentis officio fungitur. Siquidem vana & inutilis eſſet Iuriſdictio, & ius ſuum cuique tribui non poſſet, niſi præcipienti ſine cõtradictione Magiſtratui pareretur. Ideóque Paulus mandata Iuriſdictione, hoc ipſum imperium tranſire reſpondit: cuius cum Iuriſdictione affinitatem explicat præclarè. Vlpian. libro ſingulari de officio Quæſtoris, Imperium (inquit) aut Merum aut Mixtum eſt: Merum imperium eſt, habere gladij poteſtatem ad animaduertendum in facinoroſos homines, quod etiam poteſtas appellatur: Mixtum eſt imperium cui Iuriſdictio ineſt, quod in danda bonorum poſſeſſione conſiſtit: vt etiam Iuriſdictio, iuris dicundi licentia. Quibus verbis indicat, & Mixtum imperium & Iuriſdictionem, in danda bonorum poſſeſſione conſiſtere. Itaque Paulus lib. 13. ad Sabi. Iudicium ſoluitur (inquit) vetante eo qui iudicare iuſſerat, vel etiam eo qui maius imperium in eadem iuriſdictione habet, vel etiam ſi ipſe iudex eiuſdem imperij eſſe cœperit, cuius erat qui iudicare iuſſit. Præclarè (meo iudicio) vtriuſque diuerſitas (ſi quæ inueniatur) affinitáſque maxima, ex eo quod de iudicis dandi licentia quæritur, cognoſci poterit. Clariſſimus Iuriſconſultus Franciſcus Duarenus veteris iuriſprudentiæ aſſertor, Iuriſdictionem, Iudicis dandi licentiam eſſe opinatur: in cuius

cuius ſententiam pedarij plures concurrunt. Sed videamus ne non rectè ſenſerit. Equidem latiſſimum eſſe ius dicentis, id eſt, Magiſtratus, veluti Prætoris (nam ſæpiùs ius dicens, Prætor appellatur) officium, non ignoro. Nam & bonorum poſſeſſionem dare poteſt, & in poſſeſſionem mittere, pupillis non habentibus tutores conſtituere, iudices litigãtibus dare. Verùm ſi propiùs inſpiciamus, iuris dicendi licentiam anguſtiorē arctioremque eſſe cognoſcemus. Scribit enim Vlpianus tutoris dationem, neque imperij eſſe, neque iuriſdictionis: ſed ei ſoli cõpetere, cui nominatim hoc dedit, vel Lex, vel S.C. vel Princeps. Ad ius dicentis munus nonnulla pertinent, quæ imperij magis ſunt, quàm iuriſdictionis, id eſt, in quibus Prætoris imperium atque iuſſus magis verſatur, quàm iuriſdictio: vt iubere, cauere ſtipulatione Prætoria, & mittere in poſſeſſionem, imperij magis eſſe, quàm iuriſdictionis, Vlpia lib. 1. ad edictum ſcribit. Ea tamen ad ius dicentis officium pertinere quis ignorat? cùm is ipſe Vlp. reſponderit, Cùm res damni infecti celeritatem deſiderat, & periculoſa dilatio Prætori videtur ſi ex hac cauſa ſibi iuriſdictionem reſeruet. Ideò Magiſtratibus municipalibus delegandum hoc rectè putauit. Hæc autem quæſtio, quæ ad Magiſtratuum municipalium iuriſdictionem pertinet, maxime controuerſia eſt. Ait enim Paulus, Ea quæ magis imperij ſunt, quàm iuriſdictionis, Magiſtratum municipalem facere non poſſe. Vlp. autem, duas res Magiſtratibus municipalibus Prætorem vel Præſidem iniunxiſſe, cautionem & poſſeſſionem: cætera ſuæ iuriſdictioni reſeruaſſe. Doctiſſimis quibuſdam I.C. diſtinguendum videtur, vt ea quæ imperij magis ſunt quàm iuriſdictionis, cùm cauſæ cognitionem non deſiderant, facere poſſint Magiſtratus municipales, hoc eſt, non ſint incapaces huiuſce iuriſdictionis. Eas verò res, quæ cauſæ cognitionem deſiderant, ineptè feciſſet Prætor, ſi Magiſtratibus municipalibus in perpetuum dediſſet (non dico mandaſſet) incapacib. ſcilicet huiuſce iuriſdictionis. Vti enim Paulus ſcribit, vbicumq; cauſæ cognitio neceſſaria eſt, ibi Prætor deſideratur. An verò ea diſtinctio I. C. placuerit, dubito: propiùs eſt autem, vt id ſequamur quod Paulus ſcribit: atque magiſtratus municipales, ea quæ imperij magis ſunt, quàm Iuriſdictionis facere non poſſe, affirmemus. Iis tamen Prætorem vel Præſidem iniungere, ſpecialitérque mandare cautionem, & poſſeſſionem, id eſt, mea ſententia, cùm iuſſit Prætor vel Præſes cauere damni infecti, & niſi caueatur, in poſſeſſionem aduerſarium mitti: tum magiſtratui municipali iniũgit cautionem & poſſeſſionem, vt ſcilicet cauere faciat, aut in poſſeſſionem mittat. Et hoc quidem nudi eſt miniſterij, illud verò ſuæ iuriſdictioni reſeruauit Prætor: quia imperij magis eſt, quàm iuriſdictionis. Id igitur Prætor ad Magiſtratum municipalem remittebat, in quo minime ſuo imperio opus erat, vt localem inquiſitionē decerneret. Semper enim adibatur Prætor qui cauere damni infecti iubebat, pœnam, ſi non caueretur, adiiciens. Nunc ad iudicis dandi licentiam reuertamur. Ex iis quæ diximus conſtat, quædam ad ius dicentis officium referri, quæ tamen imperij magis ſunt, quàm iuriſdictionis, Eiuſmodi eſſe dare iudices, & iubere iudicare arbitror. Paulus lib. 18. ad edictum, Cùm Prætor (inquit) vnum ex pluribus iudicare vetat, cæteris id committere videtur: iudicem autem dare poſſunt, quibus lege, vel conſtitutione, vel S.C. conceditur. Lege, ſicut Proconſul, is quoque, cui mandata eſt Iuriſdictio, iudicem dare poteſt, vt ſunt legati Proconſulum: item ij, quibus id conceſſum eſt propter vim imperij: ſicuti Præfectus Vrbi, cæteríque Romę magiſtratus. Ex quo quidem reſponſo disertè conſtat, ius dandorum iudicum, non propter iuriſdictionem, ſed vel ſpecialiter, vel propter vim imperij competere. Quod & Vlpianus libro 5. Opinionum confirmat, Qui neque (ait) iuriſdictioni præeſt, neq; a Principe poteſtate aliqua præditus, neque ab eo, qui ius dandorum iudicum habet, datus eſt, nec ex compromiſſo ſumptus, vel aliqua lege cõfirmatus eſt, iudex eſſe non potuit. Obſeruandum eſt etiam I.C. de datis iudicibus loquentes, eos, iudicare iuſſos ſæpiùs appellare. Fateor equidem, eum, cui mandata eſt iuriſdictio, dandi iudicis licentiam habere: ſic enim à lege ſanctum eſt, propter regulam, quæ à Iaboleno traditur. lib. 6. ex Caſſio Longino: Cui iuriſdictio (inquit) data eſt, ea quoque conceſſa videntur, ſine quibus iuriſdictio explicari non poteſt. Quamobrem eorum ſententia mihi non placet, qui ius dixiſſe tum demum Prætorem exiſtimant, cùm iudici à ſe dato iuris æquitatíſque formulam, à qua iudicando cognoſcendóve non recederet, præſcribebat, ac controuerſiæ, vel agendi genus inſtituta actione formabat. Nam magiſtratus (vt à Iuliano, & Caliſtrato relatum eſt) hac Principis reſcriptione, Eum qui prouinciæ præeſt, adire potes, ſuſcipiendæ cognitionis neceſſitate nõ aſtringitur: ſed exiſtimare debet, vtrùm ipſe cognoſcat, an iudicem dare debeat. Fateor equidem, Ius dicere & Iudicare à I. C. nõnunquam diſtingui. Non ignoro edicti Prætoris verba ab Vlpiano notata eſſe, quia ille dixiſſet, cuius de ea re iuriſdictio eſt. Melius autem ex I. C. ſententia ſcripſiſſet, Cuius de ea re notio eſt: etenim Notionis nomen ad eos etiam pertinet, qui Iuriſdictionem non habent. Magiſtratum de re ſibi expoſita cognouiſſe aliquando, & iudicaſſe arbitror: ídque Hermogenianus libro 2. Iuris ἐπιτομῶν disertè probat. Et Marcus Tullius Cicero de Legibus ſcribens, ait, Iuris diſceptator qui priuata iudicet, iudicarive iubeat, Prætor eſto. Aſconius Pædianus enarrans librum 2. actionum in Verrem, Sunt autem (inquit) Prætorum inſtituta in decretis interponendis diiudicandíſq; cauſis. Quid multis? Doctiſſimus I. C. Eguinarius Baro, ex veterum iuris atque hiſtoriæ authorum ſcriptis, probat Prætorem cognouiſſe ac iudicaſſe. Verius autem eſt iudicem datum, notionem tantùm, non iuriſdictionem habuiſſe: quod & Duareno aliiſque placuit. Cùm enim iudicium concipiat Magiſtratus, nec datus ab eo iudex alia de re, quàm quæ formula contineatur cognoſcere & iudicare nequeat, videtur ille ius dicere: non autem hic ipſe pedaneus iudex, qui ſtatuere, niſi ex alterius præſcripto & permiſſu, nihil poteſt, neque vltra id, quod in iudicium deductum eſt, excedere, Ideóque arbiter ad reſtituendum datus, ſi nullum cuipiam relictum à teſtatore fideicommiſſum compererit, hæredem abſoluere nõ poteſt: ſed ad Prætorem remittere debet. Gillotus ſententiarum exequutiones Meri eſſe imperij exiſtimat: ego verò Iuriſdictionis. Nã in ſententiarum exequutionibus, imperium Magiſtratúſque poteſtas adeò non verſatur: ſed iis lites finem accipiunt, deciſáque iudicis pronũtiatione, cauſa ad effectum perducitur. Itaque Prætor dati à ſe iudicis ſententiam exequebatur. Iuriſdictio quædam ſpeciali iure nominatimque Magiſtratibus tribuitur, qui eam transferre in alium non poſſunt: quædam cõmuni Magiſtratus iure ac more maiorum competit, eáq; mandata tranſit. Hanc probat diſtinctionem Papinianus libro 1. quæſtionum. Itaque, Magiſtratus Iuriſdictionem mandare poteſt, ſiue omnem, ſiue ſpecialem, id eſt, vt is, cui mandata eſt, vel omnia quæ ad iuriſdictionem pertinent exercere, vel de vna tantùm ſpecie, aut in certas perſonas, ius dicere poſſit. Nam mandata iuriſdictione, omne officiũ iuris dicundi trãſit. Sed & Prætorem, omnium cauſarum alicui mandaſſe cognitionem exiſtimamus: cùm Macer lib. 1. de offic. Præſid. generali mandata Iuriſdictione propter vtilitatem pupillorum, de ſuſpectis tutoribus cognitionem contingere, ex imperato. Seueri & Anton. conſtitutione reſponderit. Verum, quicquid ſit, Magiſtratus ſi Iuriſdictionem mandet, ea non tranſeunt quæ ipſi ſpecialiter, vel Lex, vel S. C. vel Princeps ob ſingularē induſtriam, explorata eius fide & grauitate, tribuit: vt pro ſua ſapientia & luce dignitatis ſuæ cognoſcat: nec eam ipſe alteri quæſtionem, niſi proficiſcatur, neque generaliter, neque ſpecialiter mandare poſſit. Vlpianus libro 5. de omnibus tribunalibus Iuriſdictionem, ex cauſa tranſactionis alimentorũ, quæ teſtamento vel codicillis relicta fuerint, vel Præſidem prouinciæ, vel Prętorem mandare non poſſe, reſpondit. Quare diſtinguẽdũ videtur, vt ea Iuriſdictio quæ omni modo propter vim imperij, vel alioquin ſpecialiter tribuit, tranſire mandaríque non poſſit. Transfertur enim aliquãdo, ſi à Lege ſanctum ſit, propter regulam, quam ex Iaboleno retulimus. Aliàs nunquam mandatur, vt prædiorum diſtractio. quæ tutores vel curatores velint vendere: vt poteſtas conſilium exercendi, id eſt, cogendi iudices, & habendi conuentum. Iuriſdictio autē, quæ iure Magiſtratus & more maiorum competit, mandari poteſt Eáque mandata, etiam imperiũ, quod nõ eſt merum transfertur: quia Iuriſdictio ſine modica coërcitione nulla eſt. Leuis hæc caſtigatio, licèt ius dicenti concedatur, vt Iuriſdictionem ſuam defendat: à Magiſtratu tamen, ſecundùm ius poteſtatis ſuæ infligitur. Ex his præclarè (meo iudicio) intelligitur quid ſit Iuriſdictio, quid imperium, vel Merum, vel Mixtum. Verùm, monere Lectorem oportet, etiam ſi in Vlp. reſponſo legatur iudicis dandi licentia, ex eo tamen non conſequi Iuriſdictionem eſſe iudicis dandi licentiam: cùm I.C. de duobus imperij generibus, non definienda Iuriſdictione agat: cui cùm

ineſſe Mixtum imperium dixiſſet, vtriuſque affinitatem duobus exemplis indicat, quaſi ſcripſiſſet, & Mixtum imperium & Iuriſdictionem conſiſtere in danda bonorum poſſeſſione, & iudicis dandi licentia.

Ad eundem tit.

Duæ interpretum rationes, cur merum Imperium delegari nequeat, à quodam legum profeſſore confutatæ: & cur in hac re ratio quærenda non ſit.

Cauſæ meri Imperij delegari non poſſunt, *l. 1. in princ. ff. de offic. eius, cui mand. eſt iuriſdict.* Sed quæ eſt eius rei cauſa? & Iaſon in *d. l. 1. in prin. col. 7. ex ſententia Docto.* cauſam adfert, quòd propter magnitudinem cauſarum, & dignitatem perſonarum, quibus cauſæ illæ committuntur, induſtria perſonæ electa eſſe cenſeatur: Vt meritò, per alium explicari eas non deceat, *l. 1. §. non autem. C. de caduc. toll. cap. final. de offic. deleg. l. inter artifices. ff. de ſolut.* Sed hanc rationem, quidam ex profeſſoribus legum, in Ticinenſi Gymnaſio, minimè admittendam eſſe cenſebat. Nam quod dicitur, electa induſtria perſonæ rem per alium tractari, vel explicari non poſſe: id tum demum locum habere dicebat, quoties induſtria perſonæ in ſpecie eligitur, & de re certa. Atqui lex merum imperium non ſpecialibus, ſed incertis perſonis ſub nomine magiſtratus cõmittit. Præterea, ſi vera eſſet prædicta ratio, conſequens fieret, etiam ex cauſa neceſſitatis, delegationem fieri non poſſe. ſicut nec per alium impleri poteſt, mortuo eo, cuius induſtria electa eſt, *l. 1. §. ne autem. ver. ſin verò. C. de caduc. tollen.* Et tamen in cauſa neceſſitatis, delegatio permittitur, *d. l. 1. in prin. ff. de offic. eius cui mand. eſt iuriſdict.* Imò hoc quoque ſequeretur: quòd maiores Magiſtratus (vt puta quorum induſtria à iure eligitur) alter alteri merum imperium delegare poſſit: quod tamen fieri ab ipſis non poteſt. Verùm ſi hæc ratio recipienda non eſt, quæ tum erit ratio? Et Alciatus lib. 2. parad. cap. 6. nouam adducit rationem: nempe illam, quòd Magiſtratus ſolum exercitium meri Imperij habeant, ius autem apud Principem reſideat: Et ſicut is, qui vſum ſolum habet, alium vſuarium conſtituere nequit, *Inſt. de vſu & habitat. in princ.* Ita nec à Magiſtratibus, vſum ſeu exercitium meri Imperij delegari poſſe. Sed hanc quoque rationem profeſſor ille, cuius ſuprà mentionem feci, non admittebat. Nam quòd Alc. aſſerit, merum Imperium, ſaltẽ quo ad exercitium, Magiſtratibus competere: id profeſſor ille aliter ſeſe habere dicebat. Nam in *l. nemo poteſt. ff. de reg. iur.* traditur, Magiſtratibus poteſtatem dari. Non ergo dici poteſt, ipſos ſolùm exercitium habere: cùm dare ſit rem accipientis facere, Bart. *in §. ſi quis. num. 7. in Auth. de inſtru. caut.* Sed & *in l. 1. ff. de offic. præf. vrb.* iuriſdictionem vendicari dicitur: quod verbum proprietatem, & dominium denotat, *gloſſ. in §. fin. in verbo vendicatio. Inſtit. de oblig. quæ ex del. naſcun.* Præterea in *l. ſi quis in aliquem. ff. de offic. proc.* dicitur, proconſulem pleniſſimam iuriſdictionem habere: ergo non ſolùm exercitium habet Quod autem Alc. ex *d. l. 1. in princ. de offic. eius cui mand. eſt iuriſdict.* adducit, Magiſtratus exercitationem publici iudicij delatam habere: reſpondebat ſuprà dictus profeſſor, non ideò conſequens eſſe illos iuriſdictionis proprietatem non habere. Etenim verbum exercitij generale, quod ad proprietariũ quoque Iuriſdictionis referri poteſt. Quod etiam Alciatus ait, maiores Magiſtratus vbique adminiſtratores appellari, *Cod. vt omnes iudices in Rub. & nigro*: illud dicebat profeſſor ille, non reſpectu ſolùm imperij, ſed etiam iuriſdictionis fieri, *dict. rubric. vt omnes iudices. & in Authent. de mand. princip. in princip.* Nec etiam illud mouebat, quod Alc. *ex Auth. iuſiurand. quod præſt. ab his.* allegat: Magiſtratibus adminiſtrationem tradi: vt appareat iuris tranſlationem in ipſos non fieri. Nam reſpondebat, quoties traditio à domino ſit, tunc omne ius, & dominium transferri, vt habetur in *l. vbi autem. §. ſi. ff. de verb. obl. l. traditionibus. C. de pact.* Ipſe igitur putabat, in hac re, fruſtrà rationẽ quæri. Nam quòd merum Imperium delegari nequeat moribus maiorum, id eſt, conſuetudine introductum aſſerebat, *d. l. 9. §. fin. verſ. verius. ff. de offic. eius cui mand. eſt iuriſdict. facit l. cum Prætor, verſ. item. ff. de iudic.* Conſuetudinis autem rationem inquirendam non eſſe dicebat, dummodo non ſit per errorem, & contra rationem naturalem introducta, *l. quod non ratione, & l. de quibus. ff. de legibus.*

Ad eundem tit.

Meri & mixti Imperij definitiones ab Vlpiano in l. imperium. ff. de iuriſdict. omn. iud. traditas aliter accipiendas eſſe, quàm hactenus à Doctor. accepta ſunt.

Imperium (inquit Vlp. *in l. imperium. D. de iuriſdict. omn. Iudic.*) aut merum, aut mixtum eſt. Merum imperium eſt habere gladij poteſtatem animaduertendi in facinoroſos homines; quod etiam poteſtas appellatur. Mixtum imperium eſt, cui etiam Iuriſdictio ineſt: quod in danda bonorum poſſeſſione cõſiſtit. Iuriſdictio eſt etiam Iudicis dandi licentia. Dubitatum eſt, an Vlpianus his verbis merum mixtúmque imperium definire voluerit? Et Accurſius, Bart. cæterique penè omnes interpretes id negant. Nam ad ſubſtantiam cuiuſque definitionis requiritur, vt omnes partes vel ſpecies rei definitæ cõplectatur, *l. 1. §. dolum. ff. de dolo.* At in Vlpiani reſponſo multæ ſpecies meri mixtiq; imperij omiſſæ ſunt. Nam mero imperio ſolam gladij poteſtatẽ: Mixto verò, bonorum poſſeſſionis miſſionem tribuit: cùm tamen aliæ quoque plures meri mixtique imperij ſpecies ſint, quas illic Bartolus ſeriatim enumerat. Ad hæc in qualibet definitione genus & differentia requiritur, vt Bart. *in l. 1. ff. de teſti. & Dec. in l. omnis. ff. de reg. iur.* tradunt At in Vlpiani reſponſo, nullum genus, nulláq; differentia nõnulli cerni poteſt. His argumentis Doctores inducti, arbitrati ſunt Vlpianum non definitiones, ſed exempla duntaxat meri mixtique imperij tradere voluiſſe. Sed ab his alij diſſentiunt. Cùm enim Vlpianus verbo EST vſus ſit (quæ vox eſſentiam & quidditatem denotat) conſequens eſſe arbitrantur, eum non exempla meri mixtique imperij referre, ſed definire potiùs voluiſſe. Ego quidem non diffiteor, quin meri ac mixti imperij definitiones in Vlp. reſponſo contineantur. Sed tamẽ has definitiones eſſentiales ſeu ſubſtantiales eſſe minimè conceſſerim. Id enim argumentis ſuprà adductis conuincitur: Vt ergo hanc difficultatem tollamus, ſciendum eſt, apud Dialecticos definiendi ſpeciem extare, quæ Græcis [illegible] appellatur, cùm id quod definire volumus, exemplis declaramus, vt Victorinus tradit. Cuius & Boëtius in commentariis Topic. his verbis meminit: Aliæ verò quæ exempli gratia ponuntur, vt cùm volumus deſignare, quid eſt ſubſtãtia: exempli gratia dicimus, homo. hæc vocatur Græcè [illegible]: quæ idcircò, vt dictum eſt, inter definitiones ponitur, quomodo id quid quolibet modo aliquid deſignat, eius quod deſignatur, etſi non propriè, tamen aliquo modo videtur eſſe definitio. Hęc ille. Et ad hanc quidẽ definiendi ſpeciem, meri & mixti imperij definitiones ab Vlp. traditas referri debere arbitror. Quo admiſſo nihil obſtabunt argumenta ſupra in contrarium adducta. Etſi enim in his definitionibus non omnes ſpecies meri mixtique imperij comprehenſæ ſunt, non ideo tamen reiiciendæ erunt. Nam & Boëtius in definitione ſubſtantiæ, vnicam duntaxat ſpeciem, exẽpli loco, adduxit. Idémque & I. C. in capitis pœnæ definitione fecit, Capitis, inquit, pœna eſt beſtiis obiici, vel alias ſimiles pœnas pati, vel animaduerti, *l. reſpiciendum. §. fin. ff. de pœn. & in l. an tantum. ff. de rer. diuiſ.* Vniuerſitatis ſunt non ſingulorum, quæ in vniuerſitatibus ſunt, theatra, ſtadia, & his ſimilia, & ſi qua alia communia ſunt ciuitatum. Nec etiam obſtat, quod ſuprà obiectum eſt, nullum genus, nullámque differentiam in his Vlpiani definitionibus reperiri. Reſpõdeo, in ſubſtantialibus duntaxat definitionibus, genus & differentiã requiri: non autem in his, quæ exemplorum adductione conſtãt, vt ex Boëtio liquet. Cæterùm cùm in prædicto reſpõſo, iuriſdictio definiatur, vt ſit iudicis dandi licẽtia, *d. l. Imperium.* Videndum eſt, quomodo hæc definitio defendi poſſit. Et vt omittam, quod alij *in d. l. Imperium.* contra hanc definitionem obiiciunt: illud ſolùm in medium adferã, quod Viglius *in §. præterea. qui eſt. §. 1. Inſtit. Quibus non eſt permiſſ. fac. teſt. num. 7.* verba *d. l. Imperiũ*, corrupta eſſe arbitratur, & pro IVDICIS DANDI, legendum IVRIS DICENDI. Sed ego antiquam, & vulgatã lectionem facilè mutandam non eſſe, cenſeo. Nam ſicut Iureconſultus merum, & mixtum Imperiũ, exemplis adductis definiuit, vt ſuprà dictum eſt ita cenſeri poteſt, eum iuriſdictionem quoque exemplo adducto, definire voluiſſe. Nam cùm Iuriſconſultus *in l. 1. ff. de iuriſdict. omn. iudic.* exempla iuriſdictionis recenſet, ita ait: Ius dicentis officium latiſſimum eſt, quoniam in poſſeſſionem mittere, tutores conſtituere bonorum poſſeſſionem decernere, iudices litigantibus dare poteſt. Si ergo iudicem dare, exemplum eſt iuriſdictionis: dici poteſt,

Iuriſc.

Iuriſconſultum *in d.l.imperium.* iuriſdictionem hoc exemplo adducto, definire voluiſſe: vt ſit iuriſdictio, iudicis dandi licẽtia. Suprà autem dixi in hoc definiendi genere, ſatis eſſe: vel vnum exemplum adducere, nec opus eſſe, vt omnia adducantur. Et hæc quidem in medium adferenda eſſe duxi: quamuis Alc. lib. 2. Paradoxorum, c. 7. & 8. de meri, & mixti imperij definitionibus, alia quædam adducat. Vide Bernardinum Valtherum in Miſcellaneis, ex quibus hæc collegi.

Ad tit. Quòd quiſque iuris.

Interpretes vulgò non intelligunt, quoddam exemplum quod Affert Vlpianus *in l.3.h.t.* Si quis, inquit, impetrauerit à prætore iudicium purum, & ſimpliciter aduerſus debitorem ſuum ſine exceptione pacti, putà vel doli, aut alia huiuſmodi, quæ addi ſolent iudicio, magis ex æquitate & quadam conſuetudine prætorum, quàm quod lege aliqua id conſtitutum eſſet, quod vt intelligatur, notandum prætorem dici iudicium dare, cùm expoſito à litigatoribus negotio formam totius litis ac controuerſiæ ita componebat, vt iudici à ſe dato præſcriberetur, qua de re ipſi iudicandum eſſet, vt ſcribunt Theophilus *in tit. Inſtit. de interdictis*, Victorinus in lib. 2. Cic. de Inuent. Id autem non vno modo fiebat. nam aliquando purum dabatur iudicium, aliquando ſub exceptione purum hoc modo ſi paret Titium Sempronio ex cauſa mutui centum dare oportere, quo exemplo vtitur crebrò Iuſtinianus. *§. is quoque. quibus modis re contrahatur obligatio. §. ſic itaque. de actionibus. §. præterea. Inſtit. de exceptionibus.* Sextus Pompeius in verbo Paret, id in formulis vſitatum eſſe contendit. Sub exceptione verò iudicium concipiebatur, cùm reus non inficiabatur quod actor intendebat, ſed aliquid opponebat, tamẽ, propter quòd videbatur condemnari nõ debere, tametſi vera eſſet actoris intentio, vt ſi pecunia certa ex teſtamento petebatur, quam heres legatam quidem eſſe non negaret, ſed aſſereret pacto conuento, ne à ſe peteretur conueniſſe, in hunc ferè modum conſtituebatur iudicium, *Si paret centum teſtamento legata eſſe Titio, ſi is pactus non ſit, ne eam pecuniam ab herede petat. Caſsius index eſto.* Hæc ſanè ſunt obſeruanda, cùm non paſſim occurrant, & pauci ea animaduerterint.

Ad l. 4.

Accurſius & Bartolus, & plerique omnes putarunt nõ pertinere pœnam ad eos, contra quos non fuit impetratũ nouum ius, ſed ij peruertunt ſententiam edicti. nam hic non eo poſtulante in quem dixit, ſed aduerſario poſtulante.

Item quod Bartolus de pigneratione perſonarum, rerúmve inter nos liberóſque populos, vel reges adducit, huc non pertinet. Etenim rebus ritè repetitis, aut alioqui poſtulato iure ſi non obtineamus, bellum etiam iuſtè indicimus ſolemni more.

Ad l. ſi conuenerit. D. de Iuriſdictione.

L. Si conuenerit. D. de iuriſd. contra communem ſenſum intellecta, diſſolutúſque fortiſsimus obex, qui ei aduerſabatur.

Africanus lib. quæſt. 7. hæc verba ſcripta reliquit, [Si conuenerit, vt alius prætor, quàm cuius iuriſdictio eſſet, ius diceret, & priuſquam adiretur, mutata voluntas fuerit: proculdubio nemo compellitur eiuſmodi conuentioni ſtare.] *l. ſi conuenerit. D. de iuriſdict. omnium iud.* Quibus verbis aduerſatur, *l. ſi quis in conſcribendo. C. de pact.* vbi ſimilis, aut alius quivis, dignitatis prætextu, aut ſacerdotij prærogatiuam habens, ne ſub ordinario loci conueniatur, pactus ſit, ne vteretur fori præſcriptione. & ita priuilegio renuntiauerit, dicit Imper. quòd cùm ex prætoris edicto omnia pacta, quæ neque contra leges, neque dolo malo inita ſunt, obſeruari debeant, & iuris antiqui regula ſit omnes licentiam habere, his quæ pro ſe introducta ſunt, renunciare: non poterit mutari voluntas, ſed qui ita pactus eſt, conuentioni huiuſmodi ſtare compelletur. Tollunt interpretes communiter ita hoc contrarium, vt in Imp. conſtitutione tractetur de conſeruanda ordinarij iudicis iuriſdictione, quæ priuilegio aliquo declinari poterat. At verò in Africani reſponſo, de tribuenda noui iudici incompetenti, facilius autem nonnihil conſeruatur, quàm tribuatur de nouo, *l. patre furioſo. D. de his, qui ſunt ſui. l. 1. §. caſum. D. de poſt.* eadémque diſſolutione ſubmouent fortiſſimum text. *in c. 1. de iu.* Ego verò, præter alia plura, quæ huic ſenſui opponuntur, implicabiliter obſtare video rationes, *d. l. ſi quis in conſcribendo*, quæ pactis quoque conueniunt, de danda noua iuriſdictione. idcircò aliter *d. l. ſi conuenerit*, intelligendam arbitror: vt ſcilicet loquatur, cùm ab vtraque parte mutata fuit voluntas. Nec dari poteſt ſenſus amicior literæ quem priora illa verba, *ſi conuenerit*, euidenter confirmãt: quæ neceſſariò accipi debent inter vtramque partem, *l. 1. conuentionis. D. de pact.* Ne itaque difformis fiat interpretatio, *l. iam hoc iure. D. de vul.* &, vt præcedens qualitas, in ſequenti repetita videatur, *l. doli verbum. D. de ſeruo corrupt.* quod ſequitur in textu (*mutata voluntas*) ab vtroque etiam litigatore intelligendum eſt. Dubitationem faciebat, quia ab his, quæ ſemel placuerunt, in alterius damnum non licet diſcedere. quare videbatur non permittendum litigatoribus, à prima conuentione abire in præiudicium iudicis, cui conſenſu partium, ius quæſitium fuit. Deciſionis autem ratio eſt, quia nihil tam naturale lex exiſtimat, quàm eodẽ ligamine, quo quid ligatum eſt diſſolui *l. nihil. D. de re. iur.* Et ita, vt à pacto, contrario conſenſu diſcedatur, *l. ab emptione. D. de pact.* Nec eſt hic conſiderabilis perſona iudicis, cuius conſenſus, vt in proroganda eius iuriſdictione, non fuit neceſſarius, *l. 2. §. 1. D. de iud.* ita nec in reuocanda, *l. heredes palàm. §. ſi quid poſt. D. de teſtam.* Quod ad hunc ſenſum (cui pater Dec. vbique videtur adſtipulari) difficultatem faciat, non video: præter illa verba (*priuſquam adiretur*) quæ à contrario innuunt, poſtquam prætor aditus eſt, non poſſe partes à lite diſcedere. contra *l. poſtquam lis. C. de pact.* Sed dic breuiter, *ex d. l. ſi conuenerit*, ſingularem colligi declarationem, vt verum ſit, partes à lite recedere, litique poſſe liberè renuntiare, ita vt nec ſub illo, nec ſub alio iudice, deinceps litigetur. Nam ſi ita diſcedere cupiant, vt cœpta coram adito prætore cauſa, coram alio tractaretur, non poſſent litigatores ita conuenire, tunc enim non dicuntur propriè à lite recedere, quæ finem non accipit. Et fieret tum adito prætori, in quem ſemel, & re, & verbo conſenſum eſt iniuria, contemneretúrque eius maieſtas, & authoritas, *l. ſed etſi in ſermone. § ſi. D. de arbit.* Hæc ex doctiſſimo viro Ioanne Corraſio, quæ ad inſtitutum noſtrum valdè facerent, deſumpſi.

Ad l. Si quis id quod. de Iuriſdictione omnium iudicum.

De Albo Prætoris. & edictis perpetuis. quæ Accurſius ignorauit, neque intellexit eam legem.

Album quid.

Album in municipiis.

Album prætoris.

Edicta olim annua.

Lex Cornelij.

Iuriſdictio perpetua.

Album, viri etiam non indocti, parietem quendam dealbatum eſſe putauerũt: ſed parum rectè, cùm actione de albo corrupto, is quoque teneatur, qui album ſuſtulit, *l. ſi quis id quod, ad fin. D. de iuriſd.* murum autem, vel parietem tolli non poſſe cõſtat. Tabellam enim potiùs dealbatam ſignificat, in qua ſelectorum iudicum nomina deſcribebantur, vt ſcirent omnes, qui ex iis decuriis erant, qui vno quoque tempore iudicabãt. Suetonius in Auguſto, *ſplendidum virum*, inquit, *Græciæque prouinciæ principem, verùm Latini ſermonis ignarum non ſolùm albo iudicum eraſit, ſed etiam in peregrinationem redegit.* Et Plinius in præfatione: *Quid te iudicem facis? cum hanc operam condiceremn, non eras in hoc albo.* Et hoc albũ decurionum, iudicúmve erat, nec Romæ modò, ſed in municipiis obſeruatum eſt, vt in albo decurionum, magiſtratuum nomina, ordine certo cõſcriberentur, *l. 1. & 2. D. de alb. ſcrib.* Habuerunt quoque Prætores album: hoc eſt, pyctatium, ſeu gypſatam dealbatámque tabellam: in qua edicta ſua proponebant, vt ſe præmunirent ciues, ſciréntque quòd ius dicturi eſſent magiſtratus, *l. 2. §. eodem tempore. D. de orig. iur. l. ſi quis id quod. ff. de iuriſd. omn. iu. §. iubemus. de litigio. col.* 8. Erant porrò prætorum edicta annua olim, vt oſtendit Cic. act. in Verr. 3. quæ poſteà lege à Cornelio lata facta ſunt perpetua. Cornelius ſi quidem omnem malefaciendi prætextum ſordidis prætoribus & ambitioſis & præſcindere cupiens, conſtituit, permultis tamen inuitis (ſicut Aſco-

nius Pædianus in orat. pro Cornelio de maieſtate ſcribit) vt perpetua eſſent deinceps prætorum edicta: ex quibus poſteri etiam prętores ius dicerent, author eſt Aſcon. Pædia. in orat. pro Cornelio de maieſtate. ea autem omnia quæ perpetuatione digna viſa ſunt, Saluius Iulianus, Adriani principis optimi tempore collegit, certáq; ſerie ordinauit: quem ideò Iuſtinianus edicti perpetui grauiſſimum conditorem, & ordinatorem nuncupat, *l.2.§.ſed quia diuina.C.de vet.iur.enuc.l.penul.C.de cond.inde.* Inde edicti perpetui, in iure noſtro frequens mentio.*§.1.*& in proœmio D.*l.cum ad eas.C.ad Velleian.l.2.C.ſent.reſcind.non po.l.interpoſitas.C.de tranſact.l.2.C.de cond.inſert.l.2.D.de ſta.hom.l.edita.C.de edend.* Et cùm iuriſdictionem, pro prætoris edicto, non ſemel iuriſconſulti poſuerint, *l.quamuis.D.de in ius vocan.l.1.§.in autem.D.de poſtul.l.poſtquam.§.Imper D.vt legat.no.cau.l.ſtipulationum alia.§.3.D.de verb.oblig.§.alia.de actio.in Inſt.perpetua iuriſdictionis verbo. Vlpian.in d.l.ſi quis id quod,* edicta prætorum, ex Cornelij lege facta, perpetua intellexit.

Ad tit. 2. de eo qui ius dicenti non obtemperat.

Huius legis ſenſum omnes qui nominis alicuius in ſcientia Iuris ciuilis noſtra patrúmque memoria fuerunt, ſummo ſtudio conati ſunt interpretari. nemo tamen eorum, vt mihi videtur, ſenſum huius legis aſſequutus eſt, excepto vno Bulgaro, qui non procul à ſcopo aberraſſe mihi videtur: vnde colligo eum ab Accurſio malè reprehendi. Senſus autem hic eſt: Hoc edicto iudicium datur aduerſus eum qui non obtemperat ius dicenti, Datur autem, vt Duarenus exiſtimat, nō fiſco, ſed ipſi litigatori, non ad id quod intereſt, ſed quanti ea res eſt, de qua mouetur controuerſia, adeo, vt ſi fortè calumnioſa fuerit petitio, nihilominus cōdemnatio fiat, *l.penult.D.ne quis eum qui in ius vocatus.* Malè *in l.vnica, ſi quis ius dicenti non obtemperauerit.* In illo loco omnibus magiſtratibus, non tamen Duumuiris ſecundùm ius poteſtatis ſuæ conceſſum eſt iuriſdictionem ſuam defendere pœnali iudicio. quidam ſcribunt, Accurſio teſte, Non tantum Duumuiris, pro, Non tamen Duumuiris, quia cùm hi municipales magiſtratus ſint, neque iudicationem habeant, multam dicere non poſſunt, *l.11.in fi.de iudiciis.l.aliud.in fine.de verb.ſignif.*

Ad tit. de in ius vocando.

Malè vulgus interpretum iuris citare nihil aliud eſſe putat, quàm in ius vocare, cùm tamen longè diuerſa hæc ſint. Nam citari dicitur reus, cùm ipſa die cognitionis, quæ ante ei dicta fuit, in foro ac tribunali per præconem euocatur, vt præſens ſit, necne appareat. Cuius rei ignoratione plerique Pandectarum loci perperam ab ipſis intellecti atque explicati ſunt. Vnus locus eſt *in l.57.de iudiciis.in princip.* in cuius explicatione exiſtimarunt interpretes poſt edictum peremptorium impetratum denuò abſentem in ius vocandum eſſe itaque opus eſſe quarto edicto. Verùm hæc omnino repugnantia ſunt, & cōtraria. Cùm ideo peremptorium dicatur edictum quod perimat diſceptationem, nec vltra patiatur aduerſarium tergiuerſari. alter locus eſt *in l.10.de publicis iudiciis,* quem dum conantur declarare, ſic obſcurant & peruertunt, vt nihil à menteſententiáque Papiniani excogitari poſſit alienius.

Ad l.2. de in ius vocando.

Quem ſenſum accipiant verba illa apud Vlp. Qui cum equo publico, reiectis aliorum nugis, & præcipuè Accurſij.
Præco in ius vocari non poteſt.
Tranſuectio equitum quid,
Bud. interpretatio num vera.
Explicata nouè Vlpiani verba.
Veredus, & Veredarius.

Leguntur *in l.2.D.de in ius voc.* hæc verba: ***Sed nec eum, qui cum equo publico, in cauſa publica tranſuehebatur.*** In quorum interpretationē nugantur Accur. & cæteri, neſcio quem præconem Theobaldum intelligentes. indéque Bartolus colligit, præconem: vt publicè procinat decreta miſſum, in ius vocari. nec re, nec verbo poſſe: referens, ſe præconem ob æs alienum captum, aliquando liberaſſe. Guiliel. Bud. verò, maximum noſtrorum temporum ornamentum, Trāſuectionem equitum intelligit, à Fabio Maximo inſtitutam, vt ex Liu. lib.9. & Valer. conſtat: Trabeatos verò equites, inquit Val. lib. 2. idib. Iul. Q. Fabius tranſuehi inſtituit. Equeſtris verò ordinis iuuentus, omnibus annis, bis vrbem ſpectaculo ſub magnis authoribus celebrabat, die Lupercalium, & equitū probatione. Equitum probationem huiuſmodi, tranſuectionem appellans: nos hodie monſtram vocamus, cùm equites ſollenniter recēſentur. Similem legem Bud. ex Demoſthene refert apud Athenienſes fuiſſe, eámque legem Euagoram tuliſſe: ne ſcilicet in pompa Liberi patris prehendi aliquem, aut pignora eius capi liceret. Quæ Budæi expoſitio ad ſententiam Vlp. non accedit: quamuis enim equites, vltra frumentum & veſtem equum de publico quondam acciperent: qui eis, ſi delinquerent, à Cenſoribus adimebatur, deſierunt tamen paulatim Romani equū publicum præſtare: equitum neceſſitatibus, ſalutique publicæ commodius ſubueniri putātes, ſi maius darent equitib. in pecuniæ ſtipendium, propter equum quem de publico accipere debebant. Quod & Flau. Forliuien. in vj. Romæ triumphantis oſtendit: vt maximè veriſimile fiat, quod ſæpe docui, Vlpiani tempore, equo publico non fuiſſe equites vſos, ſed proprio, ex ſua, aut ſtipendiaria pecunia comparato, & de eo quidem duplici, vt vni fatigato, alter recens expeditúſq; ſuccedat. Quocirca ipſe ſum aliquando interpretatus; vt equorum publicorum meminerit Vlpianus, qui ſumptu publico alebantur: vt ſi quid ſubiti negotij incidiſſet, mutatis celeriter equis, quò vellet Imperator, aut Reſp. quemcunq; nuntium mittere poſſet. equum iſtiuſmodi, quo maiores vſi ſunt in venatione, Latini Veredum dicunt, *l.fin.§.patrimoniorum.D.de mun.& honor.* Martialis:

> *Parcius vtaris, moneo, rapiente veredo,*
> *Priſce, nec in lepores tam violentus eas.*

Et in Diſtichis:

> *Stragula ſuccincti venator ſume veredi:*
> *Nam ſolet à nudo ſurgere ficus equo.*

Vnde veredarij dicti, qui celeriter equis inuecti, principum literas prouehant. Ab Imp. namque quondam certis locis equi velociſſimi curſus deſtinabantur: quibus non vtebantur alij, niſi facultate impetrata, quam vocarunt Tractatoriam. Cicero pro Quintio, vt opinor, nuntium volucrem appellauit: vulgus Poſtas nuncupat. Ergo Vlpian. hoc loco, de nuntio illo qui equo publico vehitur in cauſa publica, loquitur, vt in ius vocari non poſſit.

Ad eandem l.ij.

Iuſta quid apud eundem Dom. Vlp. ſignificent:
Accurſ. lapſus.

Traditum eſt ab Vlp. *in ea l.2.D.de in ius voc.ad fin.* neque funus ducentem familiare, iuſtáve mortuo facientem obſequia, in ius vocari debere. Quo loco, bene Deus, quàm ineptit, garrit, & fluctuat Accurſius, neſciens quónam pedem figat. Quidam libri (inquit) habent iuſta, ſcilicet obſequia, vt lauare corpus. Alij habent, Buſta, id eſt, combuſtiones: comburebantur enim corpora in rogo, vt cinis reſeruaretur. Itaque ſciendum, Iuſta, ſacrificia eſſe, ſeu exequias, quæ mortuis impenduntur. Cicero pro Amerino: Hūc miſerum, inquit, luctu perditum, qui nondū etiam paterno funeri iuſta ſoluiſſet, nudum eiecit domo. Et lib.2. de leg. Nō ſolùm vita cruciati, atque dedecore, verùm & ſepultura, & iuſtis exequiarum caruerunt. & Plaut. in Ciſtellar.

> *Tunc illic autem Lemnius*
> *Propinquam vxorem duxit cognatam ſuam:*
> *Ea diem ſuum obiit, facta morigera'ſt viro.*
> *Poſtquam ille vxori iuſta fecit illico*
> *Huc commigrauit.*

Quoniam verò pompa huiuſmodi funebris, & funerandi ſolennitas, parentibus potiſſimum impendebatur: Parentalia dicta ſunt à Parento, quod eſt iuſta parentibus celebro, licèt ad alios etiam transferatur. Alij à parendo, parentare verbum deduci putant, quòd qui parentarent, mortuis paſſerent quæ ita viui fieri iuſſerunt. Sed mihi probabilior prior videtur ſententia, ſiquidem Pareo verbum primam producat, Parens verò corripiat: priorem autem verbi Parento corripi crediderim. Vult itaque Vlpianus vt illuc, vnde abij, redeam, eum, qui circa pompam funebrem parentum, aut aliorum propinquorum,

occupa-

occupatus eſt,in ius vocari non poſſe : quod ſatis præpoſita illa verba(funus ducit familiare)indicant. Funus namque pompa exequiarum eſt. Terent.in Andria,

Funus interim
Procedit,ſequimur,ad ſepulchrum venimus.
In ignem poſita eſt,fletur.

Vnde funus ducere , eſt facere eam funerandi ſolẽnitatem. Cic. pro Quintio: De quo homine, præconis vox prædicat, & precium conficit : huic acerbiſſimum viuo videntique funus ducitur:ſi funus id habendum ſit , quò non amici conueniunt, ad exequias cohoneſtandas, ſed bonorum emptores, vt carnifices ad reliquias vitæ lacerandas,& diſtrahẽdas. Porrò funus, dum vritur cadauer , pompam ipſam , vt dixi , exequiarum ſignificat.Exequiæ vero funeris celebrationem, dum corpus effertur.Buſtum poſtquam cadauer crematum eſt ,quaſi bene vſtum.Reliquiæ,oſſa ipſa, & cineres. Sepulchrum,locus in quo oſſa ipſa conduntur. Quod autem in horum verborum enarratione Bart. & alij docent, hinc ſcilicet probari, eos, qui funus comitantur,in ius vocari non poſſe : vt nimium generaliter traditum,non probamus. Parentibus namque & liberis, ſoliſque conſanguineis, & affinibus Iuſtiniani lege conceſſum eſt,vt non ante dies nouem,ab obitu numerandos , moleſtentur. *§.pen.vt cùm de app.cog.col.*8.*auth. ſed neque.C. de ſepulch. vio.*quam nouem dierum dilationem rectiſſimè Alb. *in d. l.* 2. *D.de in ius voc.*in aliis etiam familiaribus perſonis locum non habere prodidit.Ex his etiam ſatis liquet,quid Vlp.in *l.pro herede. D.de acqu.he.*ſenſerit,dum ait: vt puta , patrem ſepeliuit, aut iuſtam ei fecit. Antiquæ quoque cõſuetudinis fuit , vt qui in ius vocatus vadimonium deſeruiſſet , ſi funus faceret familiare,excuſaretur. Quamobrem obiecit Labienus Rabirio filium ſororis occidiſſe, quo funere familiari excuſaretur maritus ſororis Rabirij , in iudicium vocatus,ne dicto die veniret, quod lepidè Cicero in oratione ad Quirites pro C. Rabirio perduellionis reo ſcriptum reliquit. Hæc ex doctiſſimis Coraſij obſeruationibus collegi.

Ad eandem legem.

In verborum Vlpiani interpretatione, ab Accurſio & cæteris vehementer erratum,ex lingua Latina imperitia.

Vlpianus iuriſconſult.*in l.* 2.*D.de in ius voc.* ſcriptum reliquit:[In ius vocari non oportere magiſtratus , qui imperium habent,qui & coercere aliquem poſſunt , & iubere in carcerẽ duci.Nec Pontificem,dum ſacra facit : nec eos qui propter loci religionem inde ſe mouere non poſſunt. Sed nec eum qui cum equo publico in cauſa publica tranſuehatur. Præterea in ius vocari non debet,qui vxorem ducit:aut quæ nubet, nec iudicem oportet,dum de re cognoſcit : nec dum quis apud Prætorem cauſam agit, neque funus ducentem familiare , iuſtáve mortuo facientem.]In horum verborum declaratione Accurſius,Bal.& cæteri ineptiunt,quorum errores ſingulatim annotare operæ pretium nobis viſum eſt. Imprimis Põtificem dum ſacra facit , Epiſcopum dum miſſam canit, interpretantur,quẽ tunc in ius vocari non oportet,cùm & idem in quocunque ſacerdote ſit conſtitutum,*l.omnes.in princ.C.de epiſc. & cler.* ne à ſoluta precatione,cultúque diuino abducatur. Indéque Caſtr. *in d.l.*2.*prodidit,* vt ſi vocetur in ius ſacerdos , hora tertia , qua eum ſacra facere,hoc eſt, miſſam dicere oportet : neque compareat,contumax dici non poterit : quamquam ſi ſacra peregerit,clericus coram epiſcopo , & epiſcopus coram archiepiſcopo,rectè conuenietur, *§. ſi quis contrà. & §. ſi quis verò ſanctiſſimorum.de ſanct.epiſc. col.*9. Rurſus,cùm dicit Vlp.eos, qui propter loci religionẽ,inde ſe mouere non poſſunt, in ius vocandos non eſſe, putant interpretes, de monachis, & eremitis, iuriſconſultum verba facere, quòd aliquando legerint, monachorũ cauſam per Abbates apud epiſcopos agitandam , *§.* 1.*apud quos oport.can.dic.mon.col.*6.*auth.cauſa quæ fit.C. de epiſ. & cler.* atque ita Prælatos ipſos, non etiam monachos citandos, Quæ interpretationes tam alienæ ſunt ab Vlp. mente , quàm Vlpianus ipſe à Chriſti traditionibus alienus fuit , qui Chriſtianam religionem crudeliter,& miſerè ſit inſectatus : nec arbitror Ethnicorum leges, à Chriſtianorum moribus,interpretationem recipere. Annotandum igitur Numam Pompilium, virum omnium religioſiſſimum , aſſumptam diuini cultus inſtitutionem,in octo, vt ſcribit Halicarn. diuiſiſſe partes , quot etiam erant ordines. Vnam ſacrorum miniſteriorum conſtitutionem tradidit triginta Curionibus , ij erant duces minorum partium : diuiſa enim trifariam à Romulo multitudine omni, ſingulis partibus ſingulos præfecit duces clariſſimos : deinde trium rurſus earum partium vnamquamq; diuidens in denas partes æquales , harum quoque duces deſignauit , viros fortiſſimos. Vocant autem partes maiores,Tribus : & minores,Curias:qui verò Tribuum ducatus haberent , Romani Tribunos dixerunt,qui autem curiis præſiderent,Curiones : quibus hoc potiſſimùm oneris impoſitũ erat , vt in ſua quiſque curia,ſacra publica faceret,ferias obſeruaret : pro curiis , publicas immolare hoſtias,hoc eſt,ſacrificium immolare,pro victis hoſtibus. nam vt Ouidius ait,

Hoſtibus à domitis Hoſtia nomen habet.

Secũdam verò diuini cultus partem,dedit iis , qui à Romanis Flamines vocantur,quos à geſtatione pileorum, & infularum,quas adhuc ferunt, flama vocantes : hoc nomine , inquit Dionyſius,appellant. Varro de ling.Lat.Flamines ait,quòd in ſacro , capite velato erant ſemper, ac caput cinctum habebant filo,Flamines dicti. Alij quòd pileum geſtarent, in quo virgula Oleagina modicum lanæ habens,in ſummo inſtar fungi inerat.Flamines quaſi filamines ſunt nuncupati:quem cùm æſtũ ferre non poſſent,dempto pileo,caput ligabant filo quòd nudo capite incedere fas non erat. Cæterùm Numa Pompilius, ſummus religionum cultor,plures (vt Feneſtella loquitur) in vrbe , Romulo , quam ſibi ſimiles reges fore ratus, qui relicta religionis cura,bellorum potius negotiis detinerentur : ſacerdotes quatuor,quos appellauit Flamines , qui rei diuinæ iugiter addicti eſſent,multis deorum alligauit. Flaminẽ vnum Ioui,quem Dialem vocant:Marti duos, Quirino vnum. Horum omnium non minimum ius , poteſtáſque fuit, ſed excelſa erat omnium Dialis flaminis autoritas,vt in Noct. Attic. Gellius ſcriptum reliquit. Tertiam dari voluit Celerum ducibus,hoc eſt,regum cuſtodibus. Nam & iſti ſtatutas quaſdam immolationes perficiebant. Planè conſtituto à Romulo Senatu , conciliíque conceſſu,ex centumuiris:videns Romulus , iuuentute quoque opus eſſe,qua ad corporis cuſtodiam,&ad vigẽtia rerum miniſteria vteretur , trecentos corporibus robuſtiſſimis viros,ex generoſiſſimis familiis elegit , quos ſemper circum ſe haberet,nomẽque omnes commune hi habuerunt . Celeres, ab exequendi miniſterij celeritate , promptos enim veloceſq; ad opera, Romani celeres vocant. Quòd igitur homines huiuſmodi celeriter accurrere voluit , ſi quando eorũ opera Reſpub.indigeret: Romulus appellari Celeres conſtituit. Sunt qui à Celere quodã,qui primus iis ordinibus à Romulo præfectus fuerit,Remi interfectore,nomen inditum eſſe opinentur.Erãt Celeres in exercitu propugnatores , protectoréſque, ac multa in certaminibus corrigebant: primi pugnam capeſſentes,& vltimi prælio excedentes vbi campus eſſet equeſtri pugnæ idoneus,equites,& vbi aſper iniuuſque equis locus eſſet , pedites, ad quos etiam ſacrorum cura ſpectauit. Quartam tradidit Romulus ſigna à diis miſſa interpretantibus,quos quidem ab vna ſpecie ſpeculationũ artis Romani Augures vocãt. Augur nãque eſt,qui futura quomodocunque prædicit, quamquam vox ipſa eum tãtum qui ex auium garritu,aut geſtu diuinat , ſignificare videatur. Fuit Auguralis diſciplina à Numa perpetuum ſacerdotij inſigne conſtitutum : non ſicut Flaminis temporarium.Siquidem Flamen,ſi ſacra non ritè feciſſet , aut neglectæ religionis argui poſſet , ſeu aliquid aduerſus conſtitutum faceret,Flamineo abire oportebat. Vnde Sulp. Flamen quòd inter ſacrificãdũ apex (hoc eſt, flocculus ille lanatus,quem in ſummitate pilei Flamines gerunt) prolapſus fuiſſet , ſacerdotio, vt Valerius refert , deiectus eſt. Hi Augures velut interpretes, internuntiíque Deorum , tantæ dignationis habiti ſunt , vt etiam grauium criminum conuicti , ſacerdotio minimè multarentur,tantáque fuit eorum authoritas, vt, quæq; iniuſta , nefaſta,vitioſa,diráve dixiſſent,irrita,infectáque eſſent. Vnde ſi qui magiſtratus vitio creati forẽt, eorum reſponſo vel admittebantur,vel abire cogebantur : quibus non parẽre capitale erat.Quare cùm Tyb.Gracch. comitia conſularia habuiſſet,dicerẽntq;Ethruſci Augures, rem in augurio experti, vitio conſules creatos fuiſſe?Gracchúſque vt ineptos inſánoſq; Ethruſcos inceſſeret , abiens in prouinciam Senatui reſcripſit , veridicos,non autem inſanos , Ethruſcos eſſe, qui cõſules præſentes,vitio à ſe creatos dicerent : nam cùm ſe collegiſſet meminiſſe ſe,locum tabernaculo extra pomœrium præter maiorum

conſuetudinem, delegiſſe. Quamobrem abdicare ſe conſulatu compulſi ſunt. Horum inter plura munus erat, quibus hoſtiis, quibus ſacris, ac ſupplicationibus, & ad quæ puluinaria tetra prodigia procurarentur, aut expiarentur, conuocare. Romulus hoc ſacerdotio præditus, optimus augur fuiſſe traditur. Quintam virginibus ſacrum ignem ſeruantibus dedit: quas illi à Dea quam colunt, Veſtales vocāt. Deæ huic Veſtæ, quam terram eſſe, eádemque Deorum matrem, volebant: perpetuò vigil ignis conſecrari ſolebat. Eius obſeruationi ac cultui, pleræque virgines, è primoribus patrum electæ, præfici, quarum negligētia ſi fortè ſanctus ignis reſtinctus eſſet, flagris à Pontifice Max. cædi iubebantur. Virginem Vaſtalem, vt Labeo Antiſtius ſcripſit, minorem quàm ſex annis: maiorē quàm annis decem natam negauerunt capi fas eſſe. Triginta annos, Veſtales virgines nuptas & caſtas manere neceſſe fuit: ſacrificulantéſque & alias ceremonias peragentes ex lege. Quo in tempore opus eſt, eas decem annis diſcere, decem ſacra perficere, decem vltimis alias edocere. Expleto autem anno trigeſimo, pro arbitrio nubebant: vittas tamen deponentes, & reliqua ſacerdotij inſignia. Sextam verò partem inſtitutionis, circa diuina his Numa diſtribuit, qui à Romanis Salij vocantur, à continuo motu, ſolenníque ſaltu, ſic dicti; omnes quippe ſaltatores ſunt, & laudatores armatorum Deorum, quorum ſolennitas menſe Martio, ſumptu publico agebatur per multos dies, quibus choreas, per vrbem ducebant. Iis datum eſt, ſupra tunicam inſigne æneum, pectori tegimen, cæleſtiáq; arma, quæ vocantur Ancylia, portare, ac per vrbē canentes carmina cum tripudiis ſolenníque ſaltu incedere: inſtitutúmque, vt in fine omnium carminum ſuorum Mamurium appellarēt. In cauſa fuit Ancyle ſcutum breue, quod regnāte Numa Pompilio, cùm peſtilens annus eſſet è cœlo cecidiſſe fertur. Eo tēpore vna ſimul vox audita eſt, omnium potētiſſimam fore ciuitatem, quamdiu id in ea manſiſſet. Itaque facta ſunt eiuſdem generis plura, quibus admiſceretur, ne internoſci cæleſte poſſet. Probatum maximè eſt opus Mamurij Æturam, qui præmij loco petiit, vt ſuum nomen inter carmina Salij cantarent. Inter cætera porrò ſacrorum genera, inſtituta à Numa rege, hoc in minoribus fuit. Septimam partem ſacræ conſtitutionis, collegio eorum adiecit, qui Fetiales vocantur. Erant autem ex optimis domibus viri electi, per omne ipſi vitæ tempus ſacrati, quorum partes in eo verſabantur, vt fidei publicę inter populos præeſſent: neque iuſtum aliquod bellum fore cenſebatur, niſi id per Feciales fuiſſet indictum: qui, vt Feſtus ait, à faciendo, quod belli, paciſq; faciundæ, apud eos ius eſſet, Feciales dicti ſunt. Vltima fuit, inquit Halic. Numæ conſtitutionis, de ſacris diuiſio, quæ ſortiti ſunt hi, qui magnum apud Rom. ſacerdotium & poteſtatem habent: qui quidem Pontifices appellantur. Quatuor ab initio fuerunt numero creati, deinde alij quatuor ex plebe: M. Valerio, & Qu. Apuleio coss. Sed omnibus vnus à Numa Pōpilio præfectus, iſque Pont. Max. dictus eſt à poſſe, & facere, quòd omnia facere poſſet. Rerum nempe maximarum dominus erat, vt qui ſacras omnes cauſas diiudicaret: cuius ſcitis ſacra omnia, priuata & publica, Numa ſubiecit: inſtituitque, vt idem Pont. non cæleſtes modò cæremonias, ſed iuſta quoque funebria, placandóſque manes edoceret. autor eſt Liu. Sic & Pontificium Latini pro iure, & poteſtate faciendi, dixerunt. Gel. li. noct. Att. cap. 13. [Sūt, inquit, non pauci; qui ſententiam ſuam, vna in parte dixerint: & re ſemel ſtatuta deliberatáq; ab eo, cuius negotium id Pontificiúmque eſſet, nequaquam putauerunt, cōtra dictum eius eſſe faciendum.] Cæterùm M. Varro, & à Ponte, & à Facio pontifices appellatos putat, eò quòd ab his primùm pons ſublicius factus, ac ſæpè reſtitutus eſſe perhibeatur. Is ligneus erat, & nullo ære, aut ferro compactus, quem ſacrum illi æſtimauerūt ita, vt in aliqua parte labantem, niſi cæſa victima, & ſacrificio perfecto, reficere non liceret. Ex his (in quibus paulò verboſior conſultò fui, vt ſexcentos bonorum autorum locos patefacerem) conſtat quid Vlpianus *in d. l. 2. D. de in ius voc.* intellexerit, cùm Pontificem ſacra facientem; neque eos, qui propter loci religionem, inde ſe mouere nequeunt, in ius vocari non poſſe, dixit. Hæc ex doctiſſimo Iuriſconſulto collegi, quæ ad inſtitutum meum facerent.

Ad tit. Si quis in ius voc. non ierit: ſiue quis eum vocauerit, quem ex edicto non debuerit.

Reiicienda eſt gloſſa Accurſij ad eum locum *l. 2. h. t.* In ius vocatus venire debet, vt hoc ipſum ſciatur, an Iuriſdictio eius ſit. Malè enim Accurſius in ea gloſſa dicit, ſi hoc faceret, iudicem ſibimet ipſi ius dicturum, nec fruſtrà: & ineptè vtendum eſt diſtinctione Accurſij, quam ibidem proponit. Nec enim qui exiſtimat & arbitratur, vel ſtatuit, an ſua iuriſdictio ſit, ſibi ius dicit. non enim ſibi ius dicit, aut rei ſuæ familiari, ſed tuetur authoritatem maieſtatémque publicam. Aſconius Pædianus in Prætura vrbana, eum qui poteſtatem ſuam non defendit, imminuti magiſtratus veluti maieſtatis reus eſt, *vt l. u.* Item apud *§. 3. de iniuriis.* magiſtratum, iniuriam factam ſibi dans, præeſt Iuriſdictioni, factā honoris quem ſuſtinet, potius quàm ſibi ipſi, nec tamen ideò ſibi ius dicit, ſi vlciſcatur. alia eſt enim perſona ipſius, alia ciuitatis quā ſuſtinet M. Tullius, ait proprium magiſtratus eſſe, intelligere ſe gerere perſonam ciuitatis.

Nota & obſerua Accurſium in hoc tit. ſatiſdationem iudicio ſiſti, cùm ea quæ de re defendenda eſt, vel permanendo in iudicio vſque ad terminum litis perperam confudiſſe: ſed magna eſt differētia. Illam enim apud officium interpônebat ferè qui in ius non ibat, *l. eum, de in ius vocando.* hac qui iam in ius venerat vel miſerat procuratorem, pro quo ipſe fideiubebat iudicatum ſolui, id eſt, defendi vſque ad finem litis, dolum abeſſe, & quod iudicatum foret, ſolutum iri. *§. 2. Inſt. de ſatiſd.*

Ad titul. in ius vocati vt eant, aut ſatis, aut cautum dent.

Apage te ab Accurſij & Iohannis interpretatione in hac l. 1. huius ti. ac primùm in eo quod putat eo loco huius legis pro rei qualitate *&* rei accipi debere in maſculino genere, vt ſit ſenſus, id eſt, pro conditione rei, conuenti aut accuſati, *cùm l. 5. de verb. ſignif.* ſatis oſtendat contrarium ſenſum, vtpote cùm ſit ex eodem libro, & huc referenda ſit. Item in eo errat vehementer *ad l. 2. ſuper verbo, idem pro patrono:* cùm ibi exiſtimat ſecundùm Ioannem non de patrono vocantis ibi illud debere intelligi: quod nulla ratione id in medium producit. Item frigida eſt omnino ratio, quam adducit in fine illius gloſſæ, quam non eſt opus in medium afferre. Malè etiam Accurſius, quem & Bartolus ſequitur eo loco: Liberos ſuos de liberis etiam parentum intelligunt, vt putà de fratribus. nam id reciprocum ſuos non patitur.

Ad eundem tit.

Iulij Pauli & Caliſtrati reſponſa, aliter declarata, quàm ab alius in præſentem diem fuerint.
Declaratus tit. D. de in ius vocat.
Carnem ſuam nemo odio habet.
Opinio aduerſus omnes.
Explicatus. §. Prætor ait.
Neceſſaria perſona quæ dicantur.
Neceſſitudo.

Sub tit. in ius vocati, vt eant, Paulus, & Caliſtratus, non poſtremi nominis Iuriſconſulti, edicto cautum referunt, vt fideiuſſor iudicio ſiſtendi cauſa datus, pro rei qualitatē, locuples detur: exceptis neceſſariis perſonis. ibi enim, edictū qualemcunque accipi iubet, veluti, pro parente, patrono, patronáve, liberiſve ſuis, vel vxore nurúve. Quin & in eum, qui nō accepit, cùm ſciret eam neceſſitudinem perſonarum, quinquaginta aureorum iudicium competere voluit. Hæc verba ſic ad vnum omnes interpretātur: vt compellatur actor, fideiuſſorem à reo, iudicio ſiſtēdi cauſa oblatum etiā minùs idoneum recipere: ſi ſit fideiuſſor ex neceſſariis perſonis rei cōuenti. Cuius rei eam eſſe rationem, Accurſ. & cæteri dicunt: quòd, vt legi perſuaſum eſt, neceſſarius neceſſarium illaqueare nō ſinat. nemo enim carnem ſuam (vt *Paul. ad Epheſ. 5.* ſcribit:) vnquam odio habuit. *c. non æſtimemus. 13. q. 2.* Quo fit, vt Bald. *in l. filium. in fi. ff. D. de his qui ſunt ſui.* egregiè doceat eū, qui tenetur obſidem dare, omnino liberari, dando vnum ex ſibi coniunctis, licet nō locupletem. ſequitur Alex. *in l. 1. D. de in ius voca.* Ego verò, qui hanc interpretum expoſitionem, nec textuum verbis conuenire, nec æquitate iuuari video: alio ſenſu Iuriſconſultorum verba opinor accipienda: vt ſcilicet velint, eum, qui contra parentem, patronum, patronam, liberóſve ſuos, vel vxorem

xorem, nurum, aliaſve neceſſarias perſonas, experitur, in honorem, & memoriam neceſſitudinis, obſtringi, oblatum à reo, qualemcumque fideiuſſorem de iudicio ſiſti accipere, licet facultatibus minùs idoneum. Quam ſententiam Vlpianus apertiùs exprimit *in l.2.§.prætor au.ff.qui ſat.cog.* ſi quis parentem, inquit, patronum, patronam, liberos, aut parentes, patroni, patronæve, liberóſve ſuos, eúmve, quem in poteſtate habebit, vel vxorem, vel nurum, in iudicium vocabit, qualiſcunq; fideiuſſor, iudicio ſiſtendi cauſa accipiatur. Nec quoquo pacto Doctoribus conſentio, cùm exiſtimant hûc §. *Prætor aut. à tit. ff. de in ius voc.* in eo differre, quòd hic §. loquatur, quãdo coniunctio eſt inter vocatum, & vocantem: leges verò Rubricæ, *in ius vocati*, quando erat coniunctio inter reum & fideiuſſorem. Huic enim declarationi, & æquitas, & verba *l. 1. & 2. eius tit.* euidenter refragantur. Sed quoniam eo loco neceſſariarum perſonarum mentio fit, diſputant illic ſcriptores, quæ dicantur neceſſariæ perſonæ. Et ſatis ex vtraque lege apparet, eos à lege perſonarum neceſſariarum numero haberi, qui vel conſanguinitate, vt parentes, liberi, & fratres, vel affinitate, vt nurus, vel coniunctiſſimo aliquo vinculo, vt patronus liberive eius coniuncti ſunt à neceſſitudine enim, quæ cognationem, affinitatem, & coniunctionem quandam ſignificat, neceſſarij dicti ſunt: in quos, præ cæteris, officia neceſſaria conferuntur. Suorum tamen verbo, Accur. *in l. ſi fœmina. C. ad Turpil.* eos intelligit, pro quibus teſtimoniũ dici non poteſt. qui ſunt vſque ad ſeptimum gradum. *l. lege Iul. ff. de teſtib.* Hæc ex Ioannis Corraſij Miſcellaneis collegi. plura vide apud eundem authorem.

Ad titul. Ne quis eum qui in ius voc. vi eximat.

Solet plerumque Accurſius leges quæ ſibi inuicem contrariæ videntur, in medium afferre: ſolutiones autem prætermittere, quod mihi facile eſſet pluribus exemplis ex eius gloſſa variis in locis allatis comprobare, ſed hoc labore ſuperſedebo: ſufficeret ſuis locis ea demonſtrare. Vnum tamen hoc loco proponã, Accurſius in fine legis primæ huius tit. vbi dicitur, Si deliquit qui vocat, non deliquit qui eximit: id contrarium eſſe putat principio ſequentis legis, in qua dicitur vtrumque delinquere, & eum qui patronum eximat: ſolutio petenda eſt à Bartolo, ſi quis eam velit, qui dicit, non delinquere qui eximit, ſed ſi quis diceret eum delinquere, ſemper deterior eſſet conditio liberti petentis, quàm rei conuenti. ſed non opus eſt vlla ſolutione, quia nulla eſt Antinomia, vt mihi videtur, ſi vterque locus recte intelligatur. Itaque frigida ſatis eſt ſolutio Bartoli.

Ad tit. qui ſatiſdare cogantur, vel iurato promittant, vel ſuæ promiſſioni committantur.

Delenda eſt planè gloſſa ad verbum *in rem ſuam. l.l.8. hoc t.* cùm nulla earum ſolutionum quas affert, valeat, aut probabilis tantum ſit: hæc erat quæſtio, quare præſtatio ſatiſdationis neceſſaria erat, cùm ambo dicantur poſſeſſores immobilium, & maritus, & vxor. Nam poſſeſſor fundorum ſatiſdare non cogitur, ſatiſdare enim eſt fideiuſſorem dare. Atqui immobilia prædia qui plures fundos habet, non debet ſatiſdare, ſed repromittere, vel iurato repromittere. Accurſius ſuo more plures ſolutiones affert, quarum nulla bona eſt. ac primùm dicit conueniri maritum. quia dolo deſijt poſſidere, quod falſum eſt. id enim fingit Accurſius, cùm de re in textu legis nulla fiat mentio. Nos igitur reiectis huiuſmodi friuolis ſolutionibus cum Paulo Caſtrenſi & Alexãdro ab Imola dicamus eum qui non poſſidet, niſi eum fundum de quo eſt cõtrouerſia ſatiſdare compelli, quod comprobatur. *l. Iulianus. h.t.* nõ eum qui alia prædia poſſidet, qua ſolutione nihil eſt aptius, neq; certius.

Ad tit. Si ex noxali cauſa agatur, quemadmodum caueatur.

Plurimi interpretes non intellexerunt quomodo interpretandus eſſe ille locus. idque Iulianus ſcribit, cũ neſciant quo loco id Iulianus dixerit, ſed accipiendum eſt: Iulianus adiecit edicto. Cùm ſcilicet ordinarit edictum perpetuum: quod egregiũ factum Iuliano tribuitur. In eo enim ordinando pleraſque nouas clauſulas adiecit, & noua edicta compoſuit, vt *l. qui duos. de coniungendis cum emancipato liberis.* Iulianus ita

ſcripſit & adiecit edicto. Nam huic edicto tribuitur aliis locis quod hîc dicitur Iulianus ſcripſiſſe.

Ad tit. de eo per quem factum erit.

Solet Accurſius vnius rei confirmandæ cauſa plures rationes afferre, ea fortè de cauſa, vt ſi vna ratio non valeat, altera valeat: ſic ille nihil nunquam certi afferebat: ita & in diſſoluẽdis Antinomiis plerumque facere ſolet, vt plures ſolutiones afferat. Sic in hoc t. Accurſius quærit initio quid opus fuerit, hoc Titulo eum cõuenire videatur cum tit. *Ne quis eum qui in ius vocatus eſt, vi eximat*, &c. vt differentiam magnam eſſe oſtendat, adfert quatuor rationes, quarum vltima omnino falſa eſt. dicit enim hunc tit. locum habere poſt vacationes & ſatiſdationes receptas, illũ ante ſatiſdationẽ locum habere: quę ratio falſa eſt ſecundùm Bartolum. nam hic titulus etiam habet locum ante ſatiſdationem, vt probatur *l. fin. in princ. h.t.*

Ad titul. Si quis cautionibus in iudicio ſiſtendi cauſa factis non obtemperauerit.

Cùm Accurſius *in l.9.§.1. hoc t.* dixiſſet pluralitates nõ conuerti in plures ſingularitates, attulit legem contrariam *l.l. falſa. §. fin. de cond. & dem. & l. qui concubinam. §. ſi Stichus. de legatis. 3.* Ipſe ſuo more cõtrarium iſtud non ſoluit. Solutio petenda à Bartolo, qui hic dicit pluralitatẽ reſpicere vnum & eundem effectum, licet communem pluribus videlicet, quòd iſti plures ſerui ſiſtantur pro vna cauſa noxali, ideò iſta pluralitas non reſoluitur in plures ſingularitates, & neceſſe eſt omnes ſiſtere, aut nullum, quia niſi omnes ſiſtantur, perinde eſt ac ſi nullus omnino ſiſteretur: hic tractatus pertinet ad indiuidua, ſi verò pluralitas illa reſpexit diuerſos effectus, tunc facilè poterit vnum ſeparari ab altero, & poterit reſolui in ſingularitates, hæc eſt ſolutio contrarij illius quod ponit Accurſius nulla addita ſolutione.

Ad l. Id quis. §. quæſitum. ſed ſi quis cautionib.

Explanatè oſtenditur, perperam emendatum locum Vlp. ab Alc.
Vulgaris litera probatur.
Deſerta promiſſio quid.
Lapſus And. Alciati.
Reſtituta in integ. l. Vlpiani.
Ridica quid.

Quæſtionis fuit apud veteres Iuriſc. an poſſit conueniri, nè vlla exceptio in promiſſione deſerta iudicio ſiſtendi cauſa facta, obiiciatur. *l. ſed & ſi quis. §. quæſitum. ff. ſi quis cau.* viſus eſt autem Andreæ Alc. viro ſanè doctiſſimo, nouus hic loquendi modus, vt deſerta promiſſio dicatur, pro ea quæ non obſeruatur: quare legendum cenſet diſerta, id eſt, expreſſa, & ſpecialis. Diſſerere etenim nihil aliud eſt, quàm clarè, dilucidè, & ſpecialiter ſententiam ſuam exprimere: citans in eam rem Liuij verba. Sed mihi videtur, Alciatum non vera loqui. Quid enim per Deum immortalẽ potius & magis propriũ pro cõtempta, violata, & derelicta promiſſione dici potuit, quàm deſerta promiſſio. nonne & deſertum vadimonium, Latini probatiſſimique authores dixerũt? Sed quid tot verbis opus eſt? vt proſternamus hoc Alc. dogma: ſatis erit legiſſe Iul. Pauli iuriſc. *l. ſi duo. §. 1. ff. ſi quis caut.* [Item, inquit, ſi duo rei promittendi ſint, & vnus ad iudicium non venerit, contempta ſua promiſſione, iudicio ſiſtendi cauſa facta, actor autem ab altero rem petat: ab altero pœnã deſertionis, petendo pœnã, exceptione ſubmouebitur.] Hęc ille. Ex cuius verbis liquet, deſertã promiſſionem, non diſertam dixiſſe Vlp. niſi velit Alc. hoc etiã loco inuerecũdè mutare literã, vt pro deſertionis, legat diſertionis, quod quàm verborũ puritati & ſtructuræ ſermonis Pauli cõueniat, vel Alc. ipſe iudicet. Lõgè meliùs itaq; Alc. pręmonẽte tamen Accurſ. reſtituit eodem capitalium Vlp. locum. *l. ſi qui puteum. §. ſi quis vineas. ff. quod vi aut clàm*, in quo ſic vulgò legitur:]Si quis in vineas meas venerit, & radices abſtulerit. hoc interdicto tenebitur.] Neque enim [radices] legendum, quòd de his nulla ſit dubitatio, ſed [ridicas,] de quibus dubium eſſe potuit, cùm facilè extrahi poſſint, nec ſolo adhæreant. Eſt autem ridica, pedamentum ſeu ſuſtentaculum quoddam, quod vitibus adhibetur ad eas muniendas, & fulciendas. Solétque ex quercu & iunipero fieri pedamentum, inquit Varro *lib. de re ruſtic. 1. c. 8.* ferè quatuor generum: vnũ robuſtum, quod optimum ſolet afferri in vineam, è quercu ac iunipero. & vocatur

ridica:& Bud.Pedamentum,fiſſile eſt,vt ridica,quo hodie plurimum vtimur,aut teres,vt palus. Galli vulgari idiomate appellant,[vn Eſchalas.]quod ex lingua Gręca tractum dici poteſt,quia charax Græcè,authore Cæl.pedamẽtum eſt,ſiue Ridica.Hæc ex doctiſſimo viro collegi.

Ad l.legitima.D.de pactis.

Contractum Emphyteuticum iuris ciuilis non eſſe aduerſus Accurſium,& alios probatum.
Contractus iuriſgentium ſunt.
Emphyteuticum,non Emphyteoticum enunciandum.
Emphytheuſis eſt iuriſgentium.
Noue explicatæ duæ Imp.conſtitutiones.

Fuerunt omnes conuentiones ex iure gentiũ inſtitutæ, inquit Hermogenes in *l.ex hoc iure.ff.de iuſt.& iur.*exceptus quibuſdam,quæ à iure ciuili ſunt introductæ.Exceptos autem his verbis quatuor contractus, quos lex ciuilis introduxerit, Accur.& reliqui crediderunt in *l.legitima.ff.de pact.in §.ius autem gentium,de iur.natur.& in d.l.ex hoc iure*, ſcilicet verborum obligationem.*§.de conſtitut.de actio.literarũ.§.1.de literar.oblig.* ſponſalitiam largitatem.*§.1. vt ſponſ.largit.coll.9.* & Emphyteuticũ(ita enim mihi enuntiare placet,non Emphyteoticum, Alciato admonente *lib.1.παρεργῶν*)contractum.*§.adeo.de loca.* Quod vtcunque in aliis obtineat, de quibus nũc diſputare mihi non eſt curæ, in contractu Emphyteutico verum non eſſe ab ineunte ætate æxiſtimauit: cùm iuriſconſultus generaliter dixerit, contractus iuriſgentium eſſe, *d.l.ex hoc iure.* neque Emphyteuticus nominatim exceptus reperiatur, hærebo regulę.Nec me clàm eſt,Zenonianam legẽ latam eſſe, quæ Emphyteuſeos contractus propriam ſtatuit naturam. *l.1.C.de iur.emphyt.& d.§.adeò.* Nã ante eam conſtitutionem hic contractus inductus & efficax erat,licet non planè ab aliis diſtinctus, vt manifeſtum fiat, Zenonem non nouum contractum induxiſſe, ſed confuſum & incertum diſtinxiſſe.: quod vel ex verbis Iuſtiniani, *in d.§.adeò,* liquet, hunc nimirum contractum gentium vſu introductum. Eo autem contrahẽdi genere cùm Romani, Romanóque ſubditi imperio,vſi eſſent:a præſtãtioribus non ſemel dubitatum eſt, an is cõtractus emptionis, vel locationis eſſet. Propterea Zenoniana lex lata eſt,quæ cõuentionem huiuſmodi, Græco vocabulo Emphyteuſim vocauit: ei concedens elegans & proprium nomen contractus,ſed non ideò iuris ciuilis cenſendus eſt, cùm non nouam ſpeciem lex ciuilis fecerit, ſed eam quæ erat, detexerit, vt in ſimili Caius reſpondit,*l.adeò.§.videtur.ff.de acquir.rer.do.* Ex alienis ſpicis excuſſum frumentum eius eſſe,cuius & ſpicæ fuerint. cùm enim grana,quæ ſpicis continentur,perfectam habẽt ſuam ſpeciem: qui excuſſit ſpicas, non nouam ſpeciem facit, ſed eam, quæ eſt,detegit. Quanquam ergo approbatione Emphyteuſis ciuilis dici poſſit: cùm tamen iuregentium conuentio huiuſmodi introducta ſit,iuriſgentiũ cenſeri debet: tum quòd vincat accidens, cauſa naturæ.*l.qui habet.ff.de tutel.* tũ quòd medium de vtroque extremo participans, potentioris naturam induat.*l.quaritur.ff.de ſtatu hominum.* ius autem gentium, lege ciuili potentius eſſe, nemo eſt qui neſciat. *l.eas.ff.de capit. diminut.§.ſed naturalia.de iur.natur.*

Ad tit.de feriis & diuerſis temporibus, & quibus cauſis feriæ non impediantur.

Falſum eſt quod in *l.2.hoc tit.*gloſſa aſſerit circa mediũ, ſuper verbo, *in pecuniariis.* videtur enim ibi innuere poſt iſtas duas vel tres dilationes non dari alias ex cauſa impedimenti in criminalibus. & Bartolus meliùs exiſtimat poſſe dari dilationes vlteriores ex cauſa: & hac ratione nititur Bartolus, quòd defenſionem rei debet iudex perquirere, etiam reo non petente, *vt l.vnius. §.cognitum.de quæſtionibus.& l.ſi non defendatur.de pœnis.* & quanto plures dilationes dedit iudex, tantò meliùs ſe defendere poterit reus, vt manifeſtum eſt.

Ad tit.de edendo.

Malè Accurſius interpretatur. *l.1.de edendo.*cuius legis verba ſic ſe habent. Eum quoque edere Labeo ait, qui producat aduerſarium ſuum ad album, vt demonſtret quid dictaturus ſit,exiſtimat Alciatus nõ pro eo cum quo lis eſt, aduerarſrium, ſed pro tabulis rationum tumultuariè, & ad memoriæ ſubſidium confectis accepiſſe Vlpianum: ſanè hoc ita interpretandum eſſe veriſimile nullo modo eſt. Nam in primis velim is mihi reſpondeat apud quem Latinum authorẽ aduerſariũ numero ſingulari vnquam pro tabulis illis tumultuariis legerit. Nam aduerſaria vbique apud Ciceronem & veteres omnes in numero multitudinis non aduerſarium legitur:deinde non vt producere teſtes ita tabulas,rationes,aduerſaria producere dicimus, ſed proferre potiùs. Accedit quòd in eius capitis initio Vlpianus de editione actionis loquitur,quæ cum editione rationum nihil prorſus commune habet. Itaque hìc aduerſarium intelligamus eum vnde petitur:id eſt,eum quem qui ducit ad album prætoris(in quo ſcilicet actionum deſcriptę ſunt formulæ)eique demonſtrans quam actionem dictaturus ſit,edere intelligitur.

Ad tit.de pactis.

Falſa eſt omnino Bartoli opinio *ad §.cæteri.l.conuentionum,* J.*hoc tit.* qui negat non modò ſeruandam hoſti fidem eſſe (ſed quod longè admirabilius eſt)omnino violari debere contendit. Eius igitur argumenta, quæ contra nos facere videntur, nobis diluenda ſunt:ac primùm nititur *l.1.§.non fuit.de dolo.*vbi dicitur, bonũ dolum eſſe,& pro ſolertia haberi, ſi quis aduerſus hoſtẽ aliquid machinetur. qui locus nihil facit ad eius opinionem,quia non de fide loquitur,ſed de his inſidiis accipiendus eſt:quæ ſtratagemata dicũtur,quibus in bello aduerſus hoſtem non minùs quàm vi aperta vti permiſſum eſt. Dolus enim an virtus quis in hoſte requirat? Reliqua quibus impugnantur argumenta, frigidiora ſunt atque ineptiora, quàm vt accuratè ea refellere operæpretium ſit.

Ad l.j.eod.tit.

Malè,meo iudicio, quidam interpretes inter Pactionem & Pactum differentiam eſſe profitentur:his ego cum doctiſſimo præceptore meo non aſſentior. Sic enim exiſtimat eruditiſſimus ille vir idem hæc omnia poſſe,Pactum,depectionem,pactionem.placitum, pactum conuentum, pactũ & conuentum, pactum nudum,pactum & conſenſum,pactum & conductum. Tot namque idem modis variari animaduertit.Doctiſſimè in ſuis Commentariis *ad l. iuriſgentium. §.ſed cùm nulla. hoc eodẽ tit.* vbi nuda pactio dicitur, quod alibi nudum pactum. Et quemadmodum nuſquam pacta, ita nec pactiones contractus appellantur: vt qui ſcripſerunt pactionis nomen latiùs patere quàm pacti,vbi id repererint,neſciam planè.

Ad l.iij.eod.tit.

Quod ad hunc locum attinet in *l.1. de priuilegiis creditorum.* ſibi ipſi contrarius eſt, dum pactum extranei poſſeſſoris heredi prodeſſe credit. Secundò in *l.ſi tibi.§.cùm poſſeſſor.ĩ.* diuinæ creditores cognatos præferendos extraneis ex reſcripto Diui Marci, quod vt iniquum eſt, *l.maiorem. ĩ.hoc tit.* ita huic loco nullo modo congruit. In tertia ſpecie ſuos heredes duntatat neceſſarias perſonas ſtatuit, & opponit extraneis perſonis, quod à ratione loquendi Iuriſconſultorum omnino alienum eſt. Extraneus enim, verbum ambiguum eſt,ſed ex contrario eius verbi ſignificatio deprehenditur.Hoc loco extraneę perſonæ ſunt, quæ neceſſariæ non ſunt: neceſſariæ ſunt cognatæ affines,& intima familiaritate, & beneuolentia iunctæ perſonæ,*l.1.de priuilegiis creditorum.l.2.in ius vocati vt eant.*

Ad l.24.eod.tit.

Accurſius qui inſcriptiones capitum non habuit in ſuo Codice,proximo capiti coniungere hanc legem fruſtra conatur.

Ad §.eſt pactio duorum.

Iidem illi qui differentiam ſtatuũt inter pactum & pactionem,pacti hoc loco definitionem tradi negant,quorum opinio duplici ratione ſubruitur.Primùm enim ex arte,hoc eſt, vt definitio *ὀνοματώδης* rei definitionem præcedat, quam artem Vlpianus ſequutus eſt *in l.1.ĩ. de iuſtitia & iure.* Sed illi ſic ſe *ad l.pactum.J. de pollicitationib.* vbi eadem definitio pacto tribuitur

bitur, expediunt: (de priori enim ratione nihil dicunt, quia nec eam animaduertunt) vt dicant in *l. pactum*, plenam pacti definitionem non tradi, ſed conſtare eã tantùm ex genere, & ex vna differentia, qua pactum à pollicitatione ſeiungitur: ex omnibus autem differentiis eam non conſtare. At quænam iſta ratio ſit, quæſo conſiderate. Definitio pactionis conſtat ex eodem genere, eadémque & ſola differentia, qua illi quoque pactionem a pollicitatione ſecerni fatentur, & verum eſt. Quis porrò hoc illis renuntiauit, vel vnde hoc ſumpſere hanc ex omnibus differentiis conſtare, illam non item? Sanè ſi verum amamus, dicemus eãdẽ eſſe pacti & pactionis definitionẽ: quia eiuſdem rei, error illorum cauſam quid præbuerit: ſic exponit dominus Cuiacius præceptor meus, in hanc pactionis definitionem contractum cadere arbitrabantur. Eſt enim hoc commune cum contractu duorum pluriúmve in idem placitum conſenſus, contrà aliud eſt pactum, longè aliud cõtractus, nec vſquam pacti appellatione contractum ſignificari intelligebant, quamobrem hanc definitionem pactionis eſſe non pacti profeſſi ſunt, atque adeo inter pactionem & pactum ſine vllo authore differentiam ſtatuerunt, & contractas pactiones quidem non tamen pacta appellari poſſe cenſuerũt: quod perinde eſt, ac ſi quis diceret fabri operam actionem appellari poſſe, non actum. Vtrumque enim æquè abſurdum atque ineptum eſt. Ergo ſic ſtatuo cum doctiſſimo viro aduerſus illorum opinionem hanc eſſe perfectam propriámque pacti definitionem, quia non tantùm à pollicitatione pactum, ſed etiam à contractu ſeiungitur. Id enim hæc definitio notat, pactum nihil aliud eſſe quàm conſenſum duorum pluriúmve, nudum conſenſum, nihil niſi cõſenſum. At contractus amplius quiddam eſt: duorum nempe pluriúmve in id conſenſus, ex quo contrahatur obligatio.

Ad l. ſeruus. §. pactus ne peteret. D. de pactis.

Verus & planus intellectus ad §. pactus ne peteret, Alciatique interpretatio exploſa, & Accurſii error notatus.

Iul. Paul. Iuriſconſulti clariſſimi ad edictum ſcribentis in *l. ſi vnus. §. pactus ne peteret. ff. de pact.* verba hæc ſunt, [Pactus ne peteret poſtea conuenit vt peteret, prius pactum per poſterius eliditur: non quidem ipſo iure, ſicut ſtipulatio tollitur per ſtipulationem, ſi hoc actum eſt: quia in ſtipulationib. ius continetur, in pactis verò factum verſatur, & ideo replicatione eliditur exceptio: eadẽ ratione contingit ne fideiuſſoribus prius pactum proſit.] Quæ verba ita legum doctores interpretantur, vt pactum de petendo præcedentem pactionem de non petendo, ipſo iure non tollat, ſed tantum elidat eam, hoc eſt, vt inquiunt, infirmet & debilitet. Eliſio enim debilitationẽ ſignificat. non quòd in totum eam tolli velit Iul. Paul. quod vel ex eo palàm fit, quia paulò pòſt in verſic. & ideo ſubiicit exceptionem ortam ex priore pactione de nõ petẽdo, per ſequentem de petendo nõ omnino perimi, ſed replicatione opus eſſe, qua maximè iuuatur actio ex principali contractu deſcendens: quæ prorſus ſublata non fuit per pactum de non petendo, ſed eliſa hoc eſt, debilitata, & infirmata, ideo & aduerſus fideiuſſorem, nedum principalem intendi poterit. Atque ita propè omnes intelligunt, actionem vel exceptionem elidi, idem eſſe quod debilitari, non quòd peremptionem ſignificet, cõtra propriam puram, & notiſſimam verbi ſignificationem: quandoquidem elidere idem ſit quod effringere, deſtruere, & diſſipare. Vnde Cicero lib. 3. quæſtionum Tuſculan. [Sicut, inquit ille, omnes fibræ ſtirpium elidẽdæ, ne vlla vnquam poſſit exiſtere.] Et Virgilius. *geminóſque premens eliſerit angues.* Cum itaque per pactum de non petendo, ſi tamen illud perpetuum ſit, naturalis ipſo iure tollatur obligatio. *l. Stichum aut Pamphilum. §. naturalis. ff. de ſolutionibus.* vult Iuriſconſultus in *d. §. pactus*, quod ſi creditor reum cui pactum de non petendo fecit, in ius vocauerit, iſque reus pacti exceptionem oppoſuerit, extincto primùm ſolo pacto naturali ciuilis nunc per pacti oppoſitionem elidatur, hoc eſt extinguatur, & perimatur. Nec quiſpiam tumultuetur cum doctoribus, intelligendum neceſſariò elidi, id eſt, debilitari, propterea quòd ſi ciuilis extincta diceretur: naturali etiam paulò antè ſublata, dicendum eſſet, creditorem nullo iure agere: cùm tamen eodem loco traditum ſit, actorem actionem intendente, quæ quanquam elidatur per pactũ de non petendo, in vim tamen poſterioris pacti de petendo: eius replicatione firmabitur. Nã vt hoc tollamus, eſt conſiderandum, quòd ſi prius duntaxat pactum interueniſſet de non petendo, eius pactionis oppoſita exceptio penitus ciuilem obligationem, ex præcedenti contractu promanantem, ſine controuerſia peremiſſet. Cæterùm quia poſt huiuſmodi pactum non petendi, vt peti poſſet alio pacto conuenit, facta replicatione poſterioris pacti de petendo, prioris exceptionis pacti de nõ petẽdo virtus adeò effringitur, & enecatur, vt ea amplius ciuilis obligatio, ex contractu principali fluens elidi, & extingui nequeat, imò ſuis viribus ſubſiſtat. Creditor igitur in Iulium Pau. ſpecie. quam nos hoc exemplo planam, & expeditam facere non diffidimus, ad debitum aget, in actorem reus conuentus de priore pacto de non petendo excipiet, túmque creditor de poſteriore pactione de petendo, replicabit: quæ poſterioris pacti replicatio exceptionem prioris pacti tollit, eámque impedit, ne contra ciuilem (vt Zaſ. eleganter dicebat) ſæuiat. Proinde cum per eam replicationem, pacti de petendo, ſublata ſit & enecata, virtus omnis præcedentis ciuilis firmabitur, intactáque manebit, quam non effrinxit pacti de non petendo exceptio, propter poſterioris pacti de petendo replicationem. Ideóq; rectiſſimè Iul. Paul. ſubiecit. [Et ideo replicatione eliditur. Nõ item ipſo iure, ſicut ſtipulatio tollitur per ſtipulationem: quia in ſtipulationibus ius, in pactis verò factum verſatur.] Quæ etiam verba conciſa, breuia, atque ideo ſubobſcura. Accurſ. & alij variis modis ſunt interpretati, quos omnes referre præſentis non eſt inſtituti. Communi tamen declaratione verba hæc ita accipiuntur, vt in ſtipulationibus dicat Iuriſconſultus, ius contineri propter maximam illam, quæ adhibenda eſt in contrahendo, ſolennitatem: nam & verba neceſſaria ſunt, atque ita vt præcedere interrogationem, reſponſionem autem ſubſequi oporteat, *lege quinta. §. ſtipulatio. ff. de verborum obligationibus. l. 1. C. de vſuris.* idque ex continenti: continuus ſiquidem actus interrogantis, & promittentis eſſe debet. *l. 1. §. qui præſens. & lege continuus. ff. de verborum obligationibus.* & inter præſentes: nam inter abſentes lex noluit ſtipulationem contrahi poſſe. *d. l. 1. in princip.* Contracta deinde ſtipulatio, verborum obligatio dicitur. *l. 1. §. verborum. ff. de obligationibus & actionibus. & d. §. ſtipulatio.* Et ita iuris vinculum. *§. 1. de obligat. in Inſtitut.* roboris plurimum habens. nam tollit ſtipulatio quamcunque obligationem præcedẽtem, ſiue iuris ſit ciuilis, ſiue gentium. *l. 1. ff. de nouationibus. §. præterea. quibus modis tollit. obligatio. in Inſtitut.* Licet igitur ſtipulatio cum contrahitur, facti ſit, *l. conſilio. ff. de curat. fur.* quia tamen contractus iuris ciuilis eſt. *§. de conſtituta. de act.* quem lex non temerè produci voluit, ſed adhibitis pluribus ſolemnibus. Cúmque plurimum hic contractus ex iure tueatur, in eo rectè dictum eſt à Iul. Paul. ius contineri. Cæterùm in pactis factum verſari, quandoquidem pactorum ſubſtantia in mero & puro facto conſiſtat: nempe in conſenſu, etiam inter abſentes intercedente. *l. 1. in prin. & l. ſecunda. ff. de pact.* vt propterea per ſtipulationem, in qua multum iuris admixtum eſt, præcedens tollitur ipſo iure ſtipulatio, hoc eſt eius virtus & effectus à lege datus perimitur: pactum autem ipſo iure cùm infirmum ſit, neque iuris, ſed facti tantum viribus adnitatur, præcedens ipſo iure non tollit. Verùm hanc interpretationem Andr. Alciat. *lib. 1. Paradox. capit. 21.* non probat, aliumq; intellectum ea verba admittere oſtendit. Neque aliud Iuriſconſ. voluiſſe docet, quàm in ſtipulationibus verſari ius, id eſt actionem: in pactis factum, id eſt exceptionem. Nam actionem, inquit, iuris eſſe, definitio demonſtrat. *l. nihil. D. de obligationibus & actionibus. §. 1. de actio. in Inſtitut.* exceptionem autem pacti ne petatur, eſſe facti. *& Bald. in rub. extra de pact. & Iaſ. in l. unus. D. illo tit.* atteſtantur: quos Alciat. ſequitur, quoniam à iure naturali prouenit, & lex ea quæ ſolo naturali iure inducta ſunt, facti eſſe interpretatur. Cæterùm ne hoc ſenſiſſe Iulium Paulum exiſtimauerim. nam vt actio ipſa ius eſt, ita exceptio. *§. 1. de replicatione. in Inſtitutionibus.* Agit enim qui excepit, & in exceptione reus actor ſit. *l. 1. D. de excep. l. in exceptionibus, D. de probation.* Vnde quemadmodum actor pertinenter, & aptè actionem ſuam proponere debet. *l. 1. §. 1. D. ſi menſ. fal. mod. dix. er. c. examinata. de iudic.* ita reus ſuam exceptionem, quam ineptam, & impertinentem reiicit iudex: atque dilaceret, vt ineptam actionem. *l. 1. §. Labeo. D. de fluminibus* Quod verò Alciatus ſubiiciebat exceptionẽ facti eſſe, quia à Iure naturali fluat, minus probamus,

quamuis ejus ſententiæ author ſit Panormit. *in rubric. de exceptionibus.* ſed credimus eas eius iuris eſſe, cuius ſunt actiones. Actiones autem iuris ciuilis ſunt, vt Bart. & alij docent, *in l. frater à fratre. D. de condict. indebi.* aut quod verius eſt, iuriſgentium: cum & eo iure iudicia viguerint, vnde & actiones eſſe oportuit. Nec quicquam facit quod Pompo. ex his legibus cópoſitas eſſe actiones dixit, *l. 2. §. deinde. ff. de ori. iu.* cùm enim ante. l. xij. Tab. inquit Zaſ. ibidé, legitima agédi ſeries nõ eſſet, ruditer enim eo tempore, pro cuiuſque arbitrio agebatur, iniectum eſt frænum, actionéſque antè informes compoſitæ, & ordine poſitæ ſunt, ne populus prout vellet, inſtitueret. Cùm itaq; exceptio ſit actionis excluſio, *l. 2. D. de exceptio.* & actiones iuriſgentium inuentione ſint à iure ciuili in ordinem poſitæ, dici non poteſt, exceptionem iure naturali inductam: ſic enim ante actioné fuiſſet, quo quid abſurdius dici poteſt? Parum autem me mouet quod Pan. induxit *in rubr. de exception.* & alios pleroſque paſſim vt crederent, exceptionem iure naturali inueptam. exceptio defenſio eſt: atqui inquiunt, defenſionem iuris naturalis eſſe, nemini non eſt cognitum. *clem. paſtoralis. de re iudic.* Fateor etenim, quòd ſi defenſionem in genere conſideremus, exceptio defenſio poteſt appellari. *l. ſiquidem. l. defenſiones. C. de exceptio. c. cum inter. c. ſignificauit. illo tit. in authen. ſed ſi defenſionem in ſpecie attendamus,* vt in iudicio fit, ea iuris naturalis nullo modo dici poteſt, cùm eo iure iudicia non viguerint. Exponebam ego aliquando aliter eũ textum, vt quoniam ipſum ius, in ſtipulatione effectum operatur, hoc eſt, tollit precedentem, ſolo iuris miniſterio, & nullo alio hominis facto intercedente. neque enim neceſſum eſt, vt opponantur: in pactis verò hominis factum, vel excipientis, vel replicantis, vt tollatur præcedens exigitur, ita quòd in effectu tantùm operatur ſola ſtipulatio, quantum pactum ab homine oppoſitum, vel allegatum. Appoſitè dicit Iul. Paul. in ſtipulationibus ius, in pactis verò factum verſatur: hoc eſt, ſtipulatio ſequens præcedentem ipſo iure tollit, etiam non oppoſita: pactum autem nõ, niſi de eo nominatim excipiatur: ideo adiicit iuriſconſult. & ideo replicatione elidetur.

Ad l. iuriſgentium. §. Igitur nuda. D. de pactis.

Reiecta ſcriptorum omnium de pactis veſtitis, & nudis ſententia, aduerſúſque eos probatum nullum eſſe pactum veſtitum.

Tradiderunt paſſim iuris noſtri interpretes, quorum ſignifer Accurſius eſt, pacta alia nuda, alia veſtita eſſe. Nuda ita Bartolus & alii, *in l. iuriſgentium. §. igitur nuda. D. de pactis.* finiunt, vt ea ſint, quæ in ſimplicibus, & puris finibus conuentionis ſtant, nihil circum ſe habentia, vel nomen ſpeciale, vel cauſam, vel contractum, quo ſe tegant, *l. ſi tibi. C. de loca.* exemplo hominis, qui tũc nudus dicitur, cùm talis eſt, qualis ex matris vtero proceſſit. Breuiùs Salicetus *in l. legem. C. de pact.* [Pactũ nudum, inquit, eſt conuſtutio ſtans in fine ſolius placiti.] Permultáque ad hanc nuditatem veſtimenta adferunt. de quibus à nobis alibi ſatis, abundéque acceptatum eſt. Pactum verò veſtitum à nemine finitum, mihi quandoque ſic definire placuit: vt ſit conuentio iuriſgentium, aut ciuilis, in nomen proprium contractus tranſiens, aut alio iuris adminiculo roborata *l. iuriſgentium. in princ. D. de pact.* Ad quæ illud annotare operæpretium mihi viſum eſt, inſipidè nimis, atq; inſulsè hanc nudi & veſtiti diuiſionem à noſtris confictam commentatoribus: ſi quidem nullibi pactum veſtitum legerim. Abſurdum eſt autem, & planè ridiculum, cum eis exiſtimare, pacta ideo nuda dici, quòd aliqua ſint veſtita. Alioqui cùm Iuriſconſulti dicant, [nudã voluntatem] *l. 1. D. de teſt. mil. l. 3. D. de reſcind. vend. l. rem legatam. D. de adi. leg. l. qua ratione. §. interdum. ff. de acq. rer. dom.* [Nudũ cõſenſum.] *l. qui ad certũ. ff. loca.* [Nudam interrogationé.] *l. item apud Labeonem. §. quæſtioné. ff. de iureiur.* [Nudã proprietaté.] *l. videam. §. 1. de vſur. l. 4. ff. de iur. dot. l. ſi vſumfructus. & l. ſi. alij. ff. vſufru. l.* [Nudum vſum.] *l. 1. ff. de vſu & habit.* [Nudum nomen.] *l. 2. §. adoptiui. ff. ad Tertu.* [Nudam indulgentiam.] *l. 1. ff. vnde cog.* [Nudam poſſeſſioné.] *l. ſtipulatio iſta. §. ſi quis forte. ff. de verb. obl.* & ſexcéta his ſimilia. dicendum eſſet, voluntatem veſtitam, eſſe conſenſum veſtitum, interrogationem veſtitam, & cætera id genus, quo nihil abſurdius dici poſſet. Per metaphoram itaque volo exiſtimes dicta eſſe pacta nuda, quòd ſimplicia ſint, & ſine cauſa, hoc eſt, quibus nulla ſubſit obligandi cauſa, præter nudum partium conſenſum, *l. iuriſgentium. §. 2. D. de pact. l. ſi tibi. C. de loca.* præterea ſine viribus & præſidio, omni legis ſolennitate, & auxilio deſtituta: voce à genuina ſignificatione ad cognatam, ſed non propriam, tranſlata. Quomodo dixit Iuuenal. Satyr. 7. nudam ſenectutem.

Terpſicoren odit facunda, & nuda ſenectus.

Sic & Horatius Virgilium conſolaturus, Quintiliani poetę Cremonenſis mortem lugẽtem, *Veritatem nudam* appellauit: per tranſlationem ſignificans, veritatem ſimplicem non fucatam, nec palliatam.

Ergo Quintilianum perpetuus ſopor
Urget? cui pudor, & iuſtitiæ ſoror,
Incorrupta fides, nudáque veritas.

Cadauer quoque inſepultum, eadem figura Vergil. nudum dixit:

Nudus in ignota Palinure iacebis arena.

Similiter noluerunt iuriſconſulti, in proprietate, voluntate, conſenſu, nomine, vſu, & reliquis, veſtimẽtum aliquod notare ſed per tranſlationem ſignificare, ea ſola eſſe ſimplicia, & inermia: quo etiam ſenſu dixit Imperator, [Nudam conſcientiam.] *l. ſi quemquam. C. de epiſc. & cler.* & Iuriſc. [Nudũ miniſteriũ.] *in l. 1. D. ad Vell.* Porrò annotauit quandoq; Andr. Alc. lib. Paradoxo. 4. c. 7. *verb.* [Iuſti pacti,] *Iul. Paul. l. Stichum aut Pamphilum. §. naturalis. D. de ſolut.* intellexiſſe veſtitũ: quæ interpretatio ad eum text. (bona tanti viri venia dictum velim) non conuenit. cùm illic dicat Iuriſconſul. naturalem obligationem iuſto pacto tolli: conſtet autem, pacto etiam nudo, id genus ſubmoueri obligationis. Accurſ. & cæteri *in l. ſi vnus. §. pactus ne peteret. D. de pact.* Ergo iuſto pacto nudum quoque ſignificatur. Propterea malim iuſtum pactum eo loco: cõuentionem veram, non iniquam, non iniuſtam, non improbatam, & in ſumma iuridicam ſignificare. nã & eo ſenſu dixit Papin. iuſtã conuentionem, nudam nihilominus comprehendens. *l. tale pactum. §. qui prouocauit. D. de pact.* Sic & idem Iuriſc. [Iuſtã defenſioné.] *l. miles. §. defuncto. D. ad l. Iul. de adult.* [& iuſtum dominũ.] *l. pen. ff. de publicia.* & Marcel. [Iuſtã libertaté.] *l. qui pœna. D. de manumiſſion.* Porrò quod ad ſubmiſſionem naturalis obligationis pertinet, mirum non eſt, ſi dicamus, eã pacto etiã nudo tolli: quando nihil tam naturale ſit, quàm eodem genere quodque diſſolui, quo colligatum eſt, *l. nihil tam. D. de reg. iur.* Et in ciuilibus rebus naturæ rationem haberi oportet, qua monemur, eadem eſſe deſtructionis, quę & cõſtructionis principia. Hęc cum ad rem facerent ex Ioannis Corraſij Miſcellaneorum capite 1. lib. 1. deſumpſi.

Ad tit. de tranſactionibus.

Dicamus aliquid de verbi huius ſignificatione: in eo enim video erraſſe quoſdã iuris noſtri interpretes, ac primum iuſiurandum ſpeciem tranſactionis continere ait, *l. 2. j. de iureiurando*, hoc eſt, per iuſiurandum tranſigi. *l. admonendi. eodem tit. l. quod ſi deferente. j. de dolo.* Et rectè hoc mihi dictum videtur. vt enim tranſactio decidit controuerſiã, ſic & iuſiurandum: vtrumque eſt de lite, vel de re dubia, nec finita. Neutrum donatio eſt, vt cenſet doctiſſimus Cuiacius præceptor meus in commentariis ſuis eruditiſſimis ad hunc titulum, ſed tamen iuſiurandum, nullo dato, vel retento, vel promiſſo procedit. Itaque tranſactioni ſimile omnino non eſt. Qui latiùs tranſactionis verbum accipi putant, proferunt in medium. *l. 1. §. vlt. ad Senatuſconſultum Trebellianum.* allegant iidem & *l. trãſacta. de verborum ſignificatione.* Verùm grauiter falluntur illi interpretes. nam vtroque in loco earum legum, quas allegant, tranſactum ad ſolam cõuentionem & compoſitionem, vel vt Græci dicunt *ovµbibaciun* refertur, vt in *l. 1. §. conuentionis. ſ. tit. proximo.*

In *§. vlt. l. 3.* fruſtrà dubitatio mouetur ab interpretibus, an pactum poſſeſſoris vero heredi proſit, cùm eius diſputationis ſedes ſit in *l. ſi tibi. §. cùm poſſeſſo. ſ. tit. proxim.*

Ad §. cùm tranſactio. l. 3. hoc tit.

Ex hoc §. colligi ſolet Tranſactioné nõ reſcindi per cauſam inſtru-

inſtrumentorum poſtea repertorum, vt putà ſi tranſactum ſit de hæreditate, & emergant inſtrumenta noua, quibus doceatur ampliorem hereditatem fuiſſe, quàm exiſtimarent tranſigentes, vel eam ad vnum tantùm pertinuiſſe. Sed in hac ſpecie de teſtamento duntaxat tranſactum, vt rectè exiſtimat doctiſſimus Cuiac. de codicillis nihil cogitatum, atque adeò etiam tranſactum eſt. *l. non eſt infra hoc tit.* Ad hæc malè Accurſius putat reſtitutione opus eſſe *in gl. ſuper verbo, habere, hoc §.* idq; tentat probare *ex l. 2. J. de exceptione rei iudicat.* in qua citatur *l. qui cum herede. de oblig. & act.* & hæc eſt mea ratio, vt id improbem, qui tranſegit de teſtamento, non de codicillis, & ex codicillis agit: q̄ ſi agat ex codicillis, quid opus habet reſtitutione? Tunc enim duntaxat reſtitutio neceſſaria eſt, cùm ad eam, à qua depulſi aut reiecti ſumus, reuerti volumus: vt cùm victi iudicio eodem rurſus experiri volumus, *vt in d. l. 2.*

Ad eundem tit.

Malè Accurſius in *l. 10. hoc tit.* exiſtimat de aduectitio peculio filij patrem rectè tranſigere poſſe: quod falſum eſt. Vt enim in agendo, ſic in tranſigendo conſenſus filij exigitur, *l. vltim. §. vbi autem in omnum. C. de bonis quæ liber.* adquiruntur, ne alioqui fructuarius proprietarium lædere videatur. *d. l. vlt. §. ſin autem quæ habeat.*

NOTARVM AD ACCVRSIVM, ET CÆTEROS GLOSSATORES IVRIS tam antiquos, quàm modernos liber tertius, libro iij. Pandectarum iuris ciuilis reſpondens.

Ad tit. 1. De poſtulando.

Malè Accurſius eo in loco huius l. 1. cæcum vtriſque luminibus orbatum Prætor repellit, videlicet quòd inſignia magiſtratus videre & reuereri non poſſit, & quod dicitur ab eodem Vlpiano, cæcum iudicandi officio fungi. ſic malè interpretatur Accurſius, Modò ante cæcitatē index datus fuerit, veritus puto ne aliter intellectus ille locus verbis ſequentibus repugnaret de magiſtratu: quę ſententia nullo modo probabilis eſt. Nam nec vlla lex eſt, quæ iudicem eum dari prohibeat, nec iudicio caret, vt cæteri qui à munere iudicandi idcirco remouentur, *l. cùm prætor. l. quidam. D. de iudiciis.* Verùm Accurſius ignoratione antiquitatis lapſus eſt, qui quid inter iudicem & magiſtratum intereſſet in hoc Vlpiani loco, nè per ſomnium quidem vnquam cogitauit. ratio autem diuerſitatis hæc eſt, quia in iudicio priuato nihil aliud quàm iudiciū, prudentiam, doctrinam, virtutem requirimus. in magiſtratu deligendo, præter hæc omnia decoris cuiuſdam & ſplendoris publici habendam rationem eſſe ſapientiſſimus quiſque ſemper iudicabit. *l. reſcripto. D. de muneribus & honoribus.*

Ad eandem l. 1. eod. tit.

Malè Accurſius & plurimi qui eum ſequuntur, eos qui apud iudices datos ſuis pedaneos poſtulant, edicto contineri putat: cum id ipſis Iuriſconſulti verbis planè contrarium ſit. Nam Vlpianus in interpretatione edicti prætoris, quo certis perſonis, ne apud ſe poſtulent prohibet dignitatis ſuæ videlicet & decoris tuendi gratia, ſic ait: [Poſtulare (inquit) eſt deſiderium ſuum vel amici ſui in iure apud eum qui iuriſdictioni præeſt exponere, vel alterius deſiderio contradicere,] *l. 1. ff. de poſtul.* Sic enim poſtulare verbum interpretatus eſt ex mēte prætoris, quamuis alioqui latiorem habeat ſignificationem, quod veriſſimum eſſe ſic comprobari poteſt, vt calumniæ cauſa publico iudicio damnatus, ne apud eos pedaneos ſcilicet iudices poſtulet, non eo edicto, ſed Senatuſconſulto quodam effectum eſt, *l. 1. §. Item Senatuſconſultus. eod. tit.*

Malè Accurſ. in *hoc tit.* ait excuſauit impropriè poni: cum inquit ille, nec volentes admittātur. nam illi, vt ait ille, ſed excuſare dicuntur, qui inuiti non loquuntur, & volentes admittuntur. *Inſtitutionibus de excuſationibus tutorum. §. minores autem.* ſic idem malè impropriè id poni in marito dicit qui dicitur excuſari à cura vxoris, *vt § penult. de excuſatorib. tutorum.* Dicas igitur contra Accurſium hic propriè poni, & ſic explicandum eſſe, pueritiam, aut caſum excuſauit, id eſt, in excuſationem adduxit, qui eos poſtulare nō ſinat. Quomodo Fabius Quintilianus ait excuſare flatus & mare: Liuius excuſare valetudinem oculorum dixit: nam excuſari non dicuntur, qui prohibentur, vtrunque in hoc locum hunc Accurſius laudet.

Ad tit. de his qui notantur infamia.

Malè Accurſ. ad *l. 5. hoc tit.* ſcribit paria eſſe confiteri crimen in iure, & paciſci extra ius, quia non notatur infamia, qui depectus eſt, licèt in verbo depectus inſit pacti turpitudo: neque enim qui honeſtè pactus eſt depectus dicitur: non igitur notatur infamia qui depectus eſt extra ius quòd ꝓ damnato habeatur, quia ea tantum confeſſio pro damnatione habetur, quę fit in iure. *l. 1. §. perinde. ſi quid in fraudem patron. l. 4. §. penult. ad l. Iuliam maieſtatis. l. 4. de repudiand. hered.* ſed is notatur infamia qui cōuictus famoſo iudicio, ea de re cum actore depectus eſt ſimpliciter, quia pro confeſſo habetur qui corrupit actorem.

Ad l. vj.

Quod in extremo huius legis ait Iuriſcōſultus, cōtrario iudicio damnatus non erit infamis: nec immeritò. nam in contrariis non de perfidia agitur, ſed de calculo qui ferè in iudicio ſolet dirimi. Quod ait ferè, Accurſius id malè interpretatur ad difficultatem, id ad vniuerſitatem & regulam pertinet, id eſt, ferè ſemper. Itaque reiicienda hoc loco Accurſij interpretatio.

Ad l. Athletas. eod. tit.

Qui ſint apud Vlpianum Thymelici, Xyſtici, agitatores, aſperſores aquæ, & deſignatores, quod Accurſius non intellexit.

Neque Thymelicos, neque Xyſticos, nec agitatores, nec qui aquam equis ſpargunt, cæteráque eorum miniſteria, qui certaminibus ſacris deſeruiunt, ignominioſos haberi omnes opinantur: & vtile videtur, inquit Vlpian. adiiciens, Deſignatores, quos Græci [illegible] appellant, artem ludicram non facere: cum & locus iſte à principe hodie non pro modico beneficio detur. l. Athletas. in princip. ff. de iis qui no. infam. Hæc verba varij variè exponunt: ego breuiter, & dilucidè dicam. Athletharum ſpecies multifarias eſſe, nemini incognitum puto, veluti gladiatorum, quia gladiis depugnabant: Luctatorum, qui luctando certabant, & alio nomine Palæſtritæ dicuntur: Pancratiaſtarum, qui totis corporis viribus pugnis, animoſáque neruorum contentione, veluti, pugnis, cubitis, calcibúſque dimicabant. Nam Pancratium, certaminis genus eſt, in quo omni impetendi, prehendendique modo certatores vtuntur. l. qua actione. §. ſi quis in colluctatione. ff. ad l. Aqui. Pugillum qui pugnis congrediebātur, vel etiā qui pugnādi artem probè nouerant. Diagoram filios tres habuiſſe, luctatorem vnum, alterum pugilem, Pancratiaſtem tertium, cùm à Gel. in noct. Atti. tum ab aliis ſcriptorib. relatum eſt. Pantathlorum, quos Latini à quinq; artibus, quinquatriones dixerunt. Et vtroque nomine vocati ſunt, qui artes gymnaſticas quinq; in ludis exercebant. Diſcum ſcilicet, curſum, ſaltum, palæſtram, & iaculationem. Arenariorum, qui in arena amphitheatri cū beſtiis colluctabātur, quos ideo Iul. capitol. in Antonio Philoſopho beſtiarios vocat. Xyſticorum denique: hi gladiatores erant, qui haſtili in certamine vtebantur. Sic ideo dicti, quòd [illegible] Græcè, haſtam prælongam ſignificet. Vel, vt aliis magis placet, à porticu illa lata, & ampla, in qua potius quàm in gymnaſiis Athletæ, per hyberna tempora, ſub tecto, vt ab imbribus tuti eſſent, exerceri ſolebant, quam [illegible], aut xyſtos, Græcè appellatione vocati,

Vitru. *in 6. de Græc. ædific.* autor eſt. Erant & hiſtriones in ſcenis: horum alij Pantomimi, hoc eſt, effictores, & imitatores aliarum omnium perſonarum in ſcenis, *l. ſi libertus artem. D. de ope. liber.* quorum opera in recitandis tragœdiis veteres præſertim vſos, nemo neſcit. Alij chironomi, qui taciti, veluti præſcriptis motibus, & nutibus, cum manuum geſticulatione ſaltabant. vnde & Chironomia, ſaltatio geſticulatrix dicta eſt. Thymelici quoque fuerunt inter Scenicos, quales ſunt citharœdi, cythariſtæ, pſaltæ, lyriſtæ, tibicines in ſcena diſpoſiti, vt ſpectatorum aures demulcerent, a thymele ſic dicti, quo verbo alij pulpitum, alij aram ſignificari volunt. Erat autem pulpitum iſtud vel etiam ara, in orcheſtra chori, hoc eſt in loco ſaltantium honoratiore, qui in ima parte theatri erat, in quo ſenatores, & alij viri ampliſſimi ſedebant: ſic dicto: q in eo ſaltationes per ſcenicos artifices fieri conſueuiſſent. ὀρχεῖσθαι enim apud Græcos, idem quod tripudio, & ſalto ſignificat: vt & Vitruuius in 5. de Architectura indicat. Hinc item illi Epitaphio, quod etiamnum Romæ, inter ſemiruta veſtigia, in veteri ſepulchro legitur, lux affertur plurima.

L. Theodorus Xyſticus.

Paridi Thymelico, bene merenti fecit.

Fit quoque mentio ab eodem Vlpiano de Agitatoribus, quorum non obſcura eſt interpretatio ſecunda, ſiquidem aurigæ erant in Circenſibus ludis certamine curruli ſeſe exercentes, pannis & tunicis diſtincti. Nam alij Ruſſati, quidam Albati, paraſini alij, & nonnulli Veneti. Quibus pro præmio, à prætore, qui ludis præerat, mappa proponebatur, quam primùm oſtendebat, non ſine magno aurigarum applauſu, & gaudio celebrationem futuram ſignificās. Deinde in ſpectaculis mappam aurigæ victori pro præmio dabat: vnde Iuuen. 11. Sat.

Interea Megaleſiaca ſpectacula mappæ,
Idæum ſolenne colunt, ſimiliſque triumpho,
Præda caballorum prætor ſedet.

Qui verò ſint hi, qui aquam in ſacris certaminibus ſpargunt, dubitationis pluſculum habet. Et diuinaci quadam coniectura, verè tamen Accurſius eos eſſe interpretatur, qui in ſtadio diſpoſiti, quò celeriùs & acriùs equeſtri certamine refocillati equi currerent, velociuſque metam attingerent, equis frigidam aquam ſuffundebant, & aſpergebant: cui interpretationi conſentit magnus ille Eraſmus in expoſitione eius parœmiæ, *Frigidam aquam ſuffundere.* Ante quem in eam Alexand. Neap. lib. Gen. die. 3. conceſſerat. Huic etiam ego album calculum adiicio, multòque ſanè mihi probabilior videtur, ea, quàm ad me, ex vobis vnus, politè tamē, & eruditè ſcripſit. Aſperſores aquæ eos eſſe confirmās, qui in cauea, vbi feræ incluſæ erant, priuſquam in theatrum prodirent, feris aquam multis ex cauſis ſpargebant, vt ne inuicem pugnarent, ſeſe excuterent, politæ in ſpectaculum prodirent, nitidęque emergerēt. Nam hæc interpretatio *d. l. Athletas*, repugnat, quæ non feris, ſed equis aquam in certaminibus ſacris veteres aſperſiſſe refert. Deſignatores, qui Brabeutes à verbo Græco βραβεύειν, quod conſtituere & arbitrari ſignificat: hîc eos dici volo, qui gymnicis ludis præficiebantur, vt ſpectatores in officio continerent, compoſitéque reprimerent, locum & ordinem vnicuique præſcribentes. Sic dicti, quòd deſignent, & ordinent ſpectatores. Idque terrore virgarum, quas lictores deferebant. Plaut. in prologo Pœnuli,

Scortum exoletum, ne quis in proſcenio
Sedeat, néve lictor verbum aut virga mutiant:
Neu deſignator præteriens obambulet.

Inde conſtat, perperam ſentire, qui autumant Deſignatores tantùm pompæ funebri præfici, cùm & cuicúnque pompæ præſint, locum & ordinem incedendi vnicuique deſignantes, eodem propè olim functi munere, quo hodie Romæ magiſtri cæremoniarum. Brabeutarum, in Nerone Tranquil. meminit, Luctabatur, inquit, aſſiduè, nec aliter gymnica certamina, Græcia tota ſpectauerat, quàm Brabeutarum more, in ſtadio humi aſſidens, ac ſi qua paria longiùs receſſiſſnt, in medium manibus ſuis protrahens.

Ad tit. de his qui notantur infamia.

Lex Ictus fuſtium. D. de his qui notantur infam. aliter intellecta, quàm vulgò ſoleat, ab Accurſio & aliis interpretibus.
Ab executione non inchoandum.
In notoriis executiuè proceditur.
Explicata communis ſenſus ad Lectorem.
Neceſſaria in notoriis ſententia.
Noue explicata l. Ictus fuſtium.
Notorium quid.
Enarrata l. ab accuſatione.
Emendata verba l. ea quidem.

Seruato ordine, actio in aduerſarium dirigenda eſt: & cauſa cognita, ſententia accipienda, non etiam ab executione inchoandum. *l. ſi cum nulla. D. de re. iud. l. 1. C. de execut. rei iud.* præterquàm ſi factum euidens eſt, quod vulgò notorium dicitur: vt, ſi publicè crimen patratum eſt, aut quis per iudicis familiam ſit in flagranti crimine repertus. In his ſiquidem quæ euidenter omnibus conſtant, executiuè procedi poteſt: neque iudicis ſententia neceſſaria eſt, Innoc. *in cap. ex parte in Chriſto, de verborum ſignificatione*, cùm notorium vim habeat ſententiæ, *l. emptorem, in princip. D. de act. empt. cap. fin. aſt. de cohab. cleric. & mulier.* dicique ſolet, in notoriis ordinem iudiciarium minimè ſeruandum. *capit. ad noſtram. 2. de iureiurand.* Proinde commendatur à noſtratibus Marcelli conſtitutio, *l. Ictus. D. de his qui not. infam.* qua ſanciam putant, pœnæ corporalis executionem, tametſi ſententie non præceſſerit, infamiam irrogare: cùm delictum notorium erat, aut delinquentem apparitores in actu compererunt: quem ſenſum neſcio quantum candidus lector ſit probaturus. Ego certè omnino ei acquieſcere non poſſum. Siquidem perridiculum ſemper exiſtimauerim, quod plerique temerè credunt, ſuper notorio iudicis pronuntiationem minimè neceſſariam: acta namque iudicij notoriorum faciunt, *cap. fin. de cohabit. clericor. & mulier. l. cum olim. de verborum ſignificat.* poſt concluſionem in cauſa, quo tempore probationes ſine controuerſia rem faciunt euidentem, & notoriam. *Gloſſ. in cap. ſignificauerunt, de teſti.* abſurdum autem eſſet putare, ea abſque iudicis ſententia ſufficere. de qua re quippe iudex cognouerit, de ea quoque pronuntiare cogendus eſt. *l. de qua re. D. de iud.* Rectiùs itaque Bartolus *in d. l. emptorem.* etiam in notoriis, ſententiam neceſſariam eſſe tradidit, pontificia ſanctione ſubnixus, *cap. cùm ſit Romana. §. fin. de app.* Quare cùm hic ſenſus verus non ſit, Marcellique verbis minimè conueniat, noſtra tandem opinio recitanda eſt. Mihi planum, & admodum clarum Iuriſconſult. reſponſum ſemper viſum eſt: quod non familiariùs, quàm ſui ipſius verbis explicari poteſt. [Ictus fuſtium (inquit) infamiam non importat: ſed cauſa, propter quam id pati meruit, ſi ea fuit, quæ damnato infamiam irrogat.] His verbis ſignificans, quem infamem eſſe ictu fuſtium, ſi cauſa propter quam fuſtibus cæditur, infamiam importet: vt, quia ob furtum cædatur. Nam ſi cauſa, ob quam caſtigetur, infamiam non irroget, infamis non erit: veluti ſi ſcholaſticus arma contra municipij legem ferret, ob idque fuſtibus cæderetur. cauſa enim: propter quam cæditur, infamiam non importat, cùm citra legem municipalem, delictum non eſſet, Paul. Caſt. *in l. 1. D. de legib.* Sic qui ab ædilibus leui de cauſa cædūtur, infames non eſſe. Caliſtratus reſpondit, *l. eos. D. de decur.* Verumenimuerò vocāt noſtrates Notorium, voce (inquit Alc. *lib. de verb. ſign. 1.*) inſolenti, & minùs proba, id quod palàm conſtat, cùm veteres notorium pro denuntiatione facinoris acciperēt, cùm in id publicè conſtituti emiſſarij, aut auſcultatores indicium perpetrati facinoris Præſidi faciebāt, quos notariis ſuis aſſiſtere, Iul. Paul. in *l. ab accuſatione. D. ad Turp.* in hęc verba iubet, [Nūtiatores qui per notoria indicia produūt, notariis ſuis aſſiſtere iubētur.] Indicium autē prodere authore eo loco Budęo eſt, rem arcanā aliunde, quàm ex criminis cōſcientia compertam in medium afferre. Quare eius loci hic ſenſus eſt. Nuntiatores, hoc eſt, emiſſarios, & internuntios, in id publicè conſtitutos, vt reos per notoria, hoc eſt, per id genus teſtificationis deferant. Quod munus, vt Alc. docet in pagorum ſyndicos, vt plurimum hodie tranſlatum eſt: licet citra calumniæ metum accuſent, quoniam per officium pręſidibus denuntiantur. *l. ea quidem. C. de accuſa.* Debere tamen aſſiſterę ſuis indiciis, id eſt, ea quæ attulerunt notoria tueri interim, dum quæſtio de crimine habetur. Cùm autem patrato facinore ita per officium deferuntur, & enuntiatur iudicibus, non perpenduntur, accuſationum ſolennia: ſed illud tantum perpenſo indicio diſpici debet, falſis necne notoriis ſit quis inſimulatus. *dict. l. ea quidem. quem text. ita ex Budæo in integrum reſtituimus.* Vbi enim legitur: [Verum ſi falſis nec notoriis inſimulatus, id eſt, accuſatus ſit, perpenſo indicio diſpic

ſpici debet. legendum eſt: [Verùm falſis necne notoriis inſimulatus ſit, perpenſo indicio diſpici debet.] Nam illud, inquit Budæus, id eſt, Accuſatus, ſpurium eſt, à ſciolo quopiam ex margine additum: atque ita innerſus text. ſi rectè legatur, dilucidus apparebit.

Hęc ex doctiſſimi Corraſij obſeruationibus collegi, quæ ad inſtitutum meum facerent.

Ad l. j. eod. tit.

Cur fiducia, tutela ſocietatiſve damnatus infamis ſit, ex Cicerone notatum, & ratio allata, quam Accurſius non potuit afferre.
Tutor, mandatarius ſocius, cur infamis.
Fides vitam continet.
Amicitiæ, & fidei violator.
Socium fallere turpiſſimum.
Pupillorum defenſio ſanctiſſima.
Nouaratio.
Depoſitum quando creſcat inficiatione.

Prætor ait, cum infamia notari, qui pro ſocio, tutelæ mandati, ſuo nomine damnatus erit. *l. 1. ff. de his qui not. inf.* à qua ſententia non multum abhorrent, quæ Cic. pro Roſcio Comœdo ſcribit. Si qua, inquit, ſunt priuata iudicia, ſummæ exiſtimationis, & penè dicam capitis, tria hæc ſunt: Fiduciæ, Tutelę, Societatis. æquè enim perfidioſum, & nefarium eſt, fidem frangere, quæ continet vitam, & pupillum fraudare, qui in tutelam peruenit, & ſocium fallere, qui ſe negotio coniunxit. & paulò plenius, pro Roſcio Amerino, rem ipſam attingens, in priuatis rebus, ait, ſi qui rem mandatam non modò malitioſius geſſiſſet, ſui queſtus, aut commodi cauſa, verumetiam negligẽtius: eum maiores ſummum admiſiſſe dedecus exiſtimabant. Itaq; mandati conſtitutum eſt iudicium, non minus turpe, quàm furti: credo, propterea quod quibus in rebus ipſi intereſſe non poſſumus in his operæ noſtræ vicaria fides amicorum ſupponitur: quàm qui lædit, oppugnat omnium commune præſidium, & quantum in ipſo eſt, diſturbat vitæ ſocietatem. Non enim poſſum' omnia nos agere. alius in alia eſt re magis vtilis, idcirco amicitiæ comparantur, vt commune commodum mutuis officiis gubernetur. Quid recipis mandatum, ſi aut neglecturus, aut ad tuum commodum conuerſurus es? cur mihi te offers, ac meis commodis officio ſimulato officis? & obſtas? recede de medio, per alium trãſigam. Ergo idcirco turpis hæc culpa eſt, quod duas res ſanctiſſimas violat, amicitiam, & fidem: nam neque mandat quiſquã ferè, niſi amico: neque credit, niſi ei quem fidelem putat. Perditiſſimi eſt igitur hominis ſimul & amicitiam diſſoluere, & fallere eum qui læſus non eſſet, niſi crediſiſſet. Hactenus de iudicio mandati. De ſocietate, paulo poſt in hæc verba ſcribit. In rebus minoribus, inquit, ſocium fallere, turpiſſimum eſt, æquéque turpe, atque illud, de quo antè dixi, neque iniuria, propterea quod auxilium ſibi ſe putat adiunxiſſe, qui cum altero rem communicauit: ad cuius igitur fidem confugiet, cum per eius fidem læditur cui ſe commiſerit? Atqui ea ſunt animaduertenda peccata maximè, quæ difficillimè præcauentur. tecti eſſe ad alienos poſſumus, intimi multa apertiora videant neceſſe eſt. Socium verò cauere qui poſſumus? quem etiam ſi metuimus, ius officij lędimus. Rectè igitur maiores, eum, qui ſocium feſelliſſet, in virorum bonorum numero non putarunt haberi oportere. At verò de tutelæ iudicio nunc dicendũ, de quo idem Cic. in 3. Offic. ſic ſcribit: Doſus malus in tutela ſi quis interuenerit, lex xij. Tab. vindicabitur, neque iniuria. Siquidem primum iuxta parentes locum tenere pupillos debere fidei tutelęque noſtræ creditos, ex moribus pop. Rom. ſatis conſtat. Gel. autore in 5. noct. Attic. cap. 13. ideoque M. Cato, in orat. quam apud cenſores in Lentulũ dixit, maiores ſanctius habuiſſe pupillos defendi, reſque eorum fideliter agere, quam clientem non fallere, refert. Hinc itaque patet, cur damnati iudiciis tutelæ pro ſocio, mãdati, & depoſiti, notentur infamia: non etiam damnati mutui, precarij, commodati, aliorúmve contractuum. neque enim mouentur quatuor illa infamatoria iudicia, niſi aduerſus eos, quorum fidei, principio maximè credidimus: quique, vt inſigniter probi nec vulgares amici, ſeſe nobis exhibuerunt. neque enim quiſpiam tam ſtultus credendus eſt, qui negotia gerenda, liberos ſuos tuendos, rem caram cuſtodiendam, cuiquam mandet: aut cum eo ſocietatem coeat, quem ſuſpicetur vel improbum hominẽ, vel parum ſibi amicum. Quare nefarius, perditus & verè proditor cenſeri debet, qui eum fraudat à quo ipſe bonus, & amicus exiſtimatus eſt: cuique talem ipſe exhibuit. *l. 1. §. prætor ait. in fi. ff. dep.* Eadémque propè diſſolutione finitur & illa controuerſia, cur, ſi agatur iudicio depoſiti eo nomine, [Quod tumultus, incendij, ruinæ, naufragijve cauſa,] depoſitum ſit, ob inficiationem, in duplum actio creſcat: nõ item ſi ex alia cauſa debitum proceſſerit, aut in commodato, precario, mutuo cæteriſque contractib. Quoniam maior eſt perfidia, fortuna laborantem aduerſa, defraudare, quàm felici fortunatéque degenti, inferre iniuriam. Et certè non poteſt non eſſe grauiſſimum perfidiæ crimen, inficiantis depoſitum, in tam miſerabili cauſſa deponentis, vt meritò ſeuere fuerit vindicandum. *d. l. 1. §. præto. & §. rei. de actio. Inſtitut.*

Ad tit. de Procuratoribus & defenſoribus, ad l. xxxvj.

Circunſcripta omnino Accurſ. Gloſ. qui ſe ab hoc loco nullo modo expedire poteſt, nec ſanè mirum. locus enim eſt difficillimus. Sic igitur hanc l. referamus ad ſuperiora, & res erit perſpicua. Vicinus, ait Nuntiatum eſſe nouum opus interdictum, ne ædificaret petit à prætore remiſſionem noui operis nuntiationis, vt ſibi liceat ædificare quaſi ſc. nuntiatori ius nuntiandi, aut prohibendi non fuerit. Et ex parte nuntiatoris cum is abeſſet interuenit procurator quaſi defenſor. Is defenſor defendere abſentem videtur etiamſi patiatur à prætore nuntiationem vicino remitti, ſed ſi hoc patiatur & pari conſultius eſſe patet, cauere debet ratam rem dominum habiturum, quia poteſt reuerſus dominus, qui nuntiauerat nouum opus aduerſus vicinum, qui ſe abſente & forte falſo procuratore conniuente impetrauit remiſſionem, & ædificauit, agere interdicto reſtitutorio, vt ſc. demoliatur quod contra denuntiationem ſuam ædificauit. Nec enim falſus procurator abſenti nocere debet. vide *l. 17. §. vlt. de no. op. nun. quæ huc valde facit.*

Ad l. xvj.

Quod ad hunc locum pertinet, variat admodum Accurſius in *l. quæ omnia. §. fin. hoc titul. & l. in rem. de compen.* Sic autem ſtatuendum eſt, Qui in rem ſuam procurator datus eſt, actionem vtilem habet. *l. procurator. hoc ti.* etiam ante litem, ſed poſt litem, demum carere propria lite non debet.

Ad l. xxxix. eodem.

Accurſius perperam creditores domini procuratorem conſtituentis intellexit eo loco huius l. Quæritur apud Iulianum, vtrum dominum ſolum ratam rem habere debet ſatiſdare, an etiam cæteros creditores; hoc enim loco propter diuerſitatis relatiuum vſurpat Vlp. Qui enim dat procuratorem ad agendum, creditor dicitur debitoris, quem conuenire vult: qui ſi aliis quoque debeat cæteros creditores appellat.

Ad l. xlvj.

Accurſius Iuſtiniani locum huic opponit velut repugnantem, vbi procuratorem præſentis cauere putat: ſed ille locus huic nullo modo repugnat. nam hic dominus eam cautionem quoque exponit.

In l. 39. eo loco, Si quis remiſerit exceptionem procuratoriam, non poterit ex pertinentia eam apponere. pro, remiſit, Accur. malè legit, omiſerit. vti vulgo excuſum eſt: quæ lectio defendi nullo modo poteſt. lege ergo, remiſit, aduerſus Accur.

Ad tit. Quod cuiuſque vniuerſitatis.

In l. 1. huius tit. Accur. & plerique alij interpretes, qui eum ſequuntur, quaſdam voces miſerè confundunt, & illicitas omnes coitiones ſodalitia vocant, vt monopolarum, & vim publicam facientium turbatim. *l. 2. C. de monopol. l. 1. de vi armat.* quod falſum eſt, hoc præſertim loco. collegia enim hic & ſocietates dicuntur, quæ communia quædam habent, quæ nec pro parte quidem ſingulorum ſunt. *l. hoc tit.* Et horum quædam ſunt, quæ in commercio non ſunt, ſed in commmum vſu

quædam in pecunia quidem vniuerſitatis ſunt, ſed communiter tantùm vtuntur, nec inter ſe partiri poſſunt, ſed quæ ſuperſunt vniuerſitatis ſemper manent *l. ſicut. hoc tit.* Reiicienda eſt etiam Bart. quædam diſtinctio, quæ ad hunc tit. facit, licet non ſit in hoc tit. ſed in *l. in tantam. de contrah. empt.* quæ eſt de teſtimonio vnius in vniuerſitate, cùm ea quæ vniuerſitatis ſunt, nunquam ad ſingulos pertineant.

Ad l. vj. hoc tit.

Accurſius hoc loco Vlp. Quòd in bonorum petitione erit ſeruandum, niſi lex municipij: vel perpetua conſuetudo prohibeat,' Accurſius inquam perperam legem pro conſuetudine vſurpat, quæ omnino eſt abſurda interpretatio, cùm Vlpia. legem hic pro conſuetudine accepiſſet non opus fuiſſet poſtea conſuetudinis mentionem facere.

Accurſius etiam in l. vlt. hoc tit. perperam actorem vniuerſitatis à procuratore in omnibus differre putat: nam per omnia actor Vniuerſitatis procuratoris partibus fungitur & iudicatum ſolui ſatiſdat, licet tutor ex lege noua ad hoc non redigatur. *l. fin. C. de adm. tutor.* & ſine ſpeciali mandato iuſiurandum dare non poteſt, vel referre. *l. iuſiurandum. de iureiur.*

Ad tit. de Negotiis geſtis.

Ex iis verbis Pauli huius l. 13. huius hæreditatis curationem ſuſcepi, malè Gloſſa & qui eam ſequuntur colligunt Creditorem fuiſſe à Prætore curatorem datum cuſtodiendis bonis hæreditariis, quod plerunque fit *l. 1. in fi. de mun. & hon. l. 6. de priu. cred.* quod falſum eſt. nam cum fuiſſe datum à prætore bonis curatorem hic non ponitur nullóve verbo ſignificatur, ſed eum vltro accepiſſe ad procuranda & gerenda negotia hæreditaria, in quæ negotia fortè de ſuo impendit decem, ac præterea vendidit quaſdam res hæreditarias quas vendi expediebat, quod vel ſteriles eſſent, vel infructuoſæ, vel ſemper perituræ aut deteriores futuræ, ſic hic locus eſt accipiendus reiecta illa gloſſa.

Ad l. v.

Quod ait Accurſius in l. 5. hoc tit. aliud eſſe negotium reipſa meum, aliud ipſo geſtu non placet. Nam quod ipſo geſtu meum fit, reipſa meum dicitur propter ratihabitionem. Sed aliud eſt ab initio: reipſa meum aliud ipſo geſtu & ratihabitione fit meum.

Ad l. xxvj. eodem.

Ad illum locum l. 26. Quæ pietatis reſpectu dantur donata intelliguntur, nec in hoc iudicium veniunt. conſtat *l. patrem. C. de nupt.* quam Accurſius velut contrarium huic opponit nullo modo huc pertinere. Eſt enim hoc loco pietas per quam ſanguine coniunctis, & patriæ beneuolis officium & diligens tribuitur cultus, authore Cic. lib. 2. Rhetoric.

Ad l. Si pupilli §. idem ait. eod. tit.

Magnum videtur eſſe diſſidium inter hunc §. & l. ex mandato. in fin. *ff. mand.* & *l. ſi pecuniam. ff. de neg. geſt.* Hoc diſſidium pluribus modis diſſoluere conatus eſt Accurſius in *d. §. idem ait.* Verum adeo nihil ne probabile quidem hac in re ab eo eiúſque ſequacibus prodiuum fuit, vt conſultius ſibi cauiſſe videantur: qui cum nodi eius diſſoluendi nullam rationem excogitare poſſent, ſilentio id prætererint. Ego ſic rectè conciliari poſſe arbitror, vt ea differentia conſtituatur inter eos qui ſine mandato alicuius negotium geſſerint; vt ſiquidem is qui geſſerit falſus procurator fuerit ratihabitione ſubſecuta mandati oriatur actio: ſecus ſi affectione ſola ductus ad abſentis negotia acceſſerit, nequid illi periret. tunc enim etiam ſi ratihabitio ſubſecuta ſit, non alia quàm negotiorum geſtorum actio dabitur. *arg. l. 3. §. hac actione. ff. de neg. geſt.* ex his facilis erit ſolutio.

Ad tit. de Calumniatoribus.

Non rectè percepit Accurſius quid ſibi voluerit Iuriſconſultus in l. 2. hoc titul. cùm dixerit pecuniam vtendam datam fuiſſe. Vtendi enim dari nomine non tantùm commodatum, ſed etiam mutuum intelligimus. Plautus in Perſa nummos dare vtendos mutuos, ſed quæ datur pecunia mutua datur ad abvſum potius, non ad vſum dominio in accipientem tranſlato. Commodata res propriè ad vſum datur dominio in accipientem non tranſlato ea lege, vt eadem pecunia reſtituatur. Commodantur enim ſæpe numero dicis cauſa. *l. ſæpe. commod.*

Ex *§. vlt. l. 7. hoc tit.* Nota quòd Gloſſæ prætermittunt. Negotia in hoc edicto, non pro lite tantùm accipi calumnioſa, vel pro actione calumnioſa, ſed etiam pro vexatione qualibet iniuſta. ibi enim tenetur publicanus hoc edicto, qui pecuniam accepit, ne mancipia vexaret, ne iniuria ea detineret.

NOTARVM LIBER QVARTVS

LIBRO QVARTO

Pandectarum Iuris Ciuilis reſpondens.

Ad l. vj. tit. de in Integrum reſtitutionibus.

HOc loco huius l. quo Vlpia. oſtendit ex lege heredes, ſignificari. Itē q; eos qui ex S.C. ſuccedūt, vt puta fideicōmiſſarios, quibus ex Senatuſcōſulto Trebelliano reſtituta eſt hæreditas, & eos ex Conſtitutionibus, nullū Accurſius exēplū accommodatum adferre poteſt. quod enim affert ex *§. ceterum. Inſt. de leg. agn. ſuc.* cuius origo eſt ex xij. Tabulis, vt vt maximè ſit ex Conſtitutione Iuſtiniani ſublata lege Voconia reductum. illud exemplum huic loco nullo modo cōuenire poteſt, quia de Iuſtiniani Conſtitutionibus nihil cogitauit ſupradict. l. 3. author. nihil etiam valet aliud exemplum quod adfert de Antoniana. nam huius quartę actio perſonalis eſt, non realis. Ideóque in hæreditarium nomen non cadit. *l. 1. §. ſi impubere. ꝭ. de collation.* Aliud accommodatius exemplum quæramus, & nullum puto aptius eſſe, quàm quod à Domino Cuiacio adductum primum fuit ex *l. 3. §. vlt. de petitione hereditatis.* nimirum ſucceſſores filiifamilias militis, quos ipſe ſcilicet ſibi teſtamento inſtituerit, & hoc hereditatis ex conſtitutionibus delatæ exemplum apponi oportet.

Ad l. 1. quod metus cauſa.

Non audiendi ſunt Accurſiani, qui Proconſulem prætorem appellatum putent. Erat enim proconſulis in prouincia plena iuriſdictio, vt omnium magiſtratuum vrbanorum partes ad eum pertinerent, *l. ſi in aliquam. in fin. de officio proconſulis.* Itaque vt prætor vrbanus Romæ, ſic in conſulari prouincia proconſul, in Prætoria Prætor edicta proponebant, quæ prouincialia appellabantur.

In inſcriptionibus vehementer fallitur Accurſius, quarum tamen vtilitas eſt maxima, vt doctè animaduertit Antonius Auguſtinus *lib. 1. Emendationum ca. 6.* In eo autem fallitur Accurſius, quòd Plautium ſæpe teſtatorem, ſæpe Iuriſconſultum appellet. Notandum autem eſt libris ad Sabinum aut Plautium interpretationes Sabinianorum aut Plautianorum ſignificari, quod primus doctiſſimè animaduertit Viglius *lib. 2. Inſtit.* idq; percepit ex Iuſtiniani verbis, *ſub tit. de heredibus inſtituendis.*

Ad l. Item ſi cùm. eod. tit.

Quæ Accurſius *ad. §. poſt annum,* illius legis de actione iniuriarum tractat, aliena ſunt à propoſito, nec enim metus aut vis, iniuriarum actioni ſubiicitur, & malè eam continuo anno finiri ait: lex enim anno tātùm dicit, nec adiicit continuo: *l. 5. C. de iniur.* intelligitur ergo iuris interpretatione vtilis potius quàm continuus; vt *in l. vel poſt annum. de alienatione iudicij mutandi cauſa facta,* vbi quoque quidam malè annum pro anno continuo accipiunt.

Ad §. hæc autem actio. eiuſdem l. falſum eſt quod Accurſius notat

noſt duas in hac actione ſententias interuenire. nam res ita procedit, vt ſi ante ſententiam reus actor quemadmodum iudex æſtimabit ſatisfacere paratus non ſit tum quadrupli ſententiam patiatur, quod fit ſemper ſi is cum quo agitur metum intulerit. Quod ſi metum non intulerit, interdum abſoluitur, non quidem quod ad eum res bona fide peruenerit: ſed quod reſtituendæ eius facultatem non habeat, putà quia interiit ſine eius dolo. *§. aliquando. euſd. l.*

Ad l. non debet. tit. de Dolo.

In hoc loco huius l. vbi Vlp. ſic temperandam verbis de dolo actionem ſuadet, vt bonę fidei mẽtio fiat, non exiſtimo bonam eſſe Accurſij interpretationem, vt bonæ fidei mentio fiat, id eſt non malæ per abrogationem, ſicut grande damnum pro non minimo, *l. penult. ff. de min.* nec enim adſtringendus eſt libertus dicere fidem malam abeſſe, vt ferè conſtat ex *l. aduerſus. C. de crim. expil. hær.* alioquin quomodo ageret contra reuera doloſum, non permittent iura actorem ſibiipſi repugnare. *l. fi. C. de furt. l. 11. § 1. ff. quan. ap. ſit.* aget igitur deceptus facta bonæ fidei mentione, id eſt læſæ bonæ fidei nomini improbetur: quod bonam fidem hic læſam eſſe ſubintelligo, cum in *l. fi. ff. de crim. ſtel.* verbo iurauit malè & falſo iuratum addamus. & in *l. ſed ſi vir. §. pen. ff. de don. inter vir.* donatio dicatur eſſe nempe quæ reprobata eſt. Adde malæ fidei contractus in *l. ſi fraude. C. de præſcr. long. temp.* poni pro contractibus qui malam fidem oderunt.

Ad tit. de Dolo malo.

Malè Accurſius ad l. 11. hoc tit. optimam lectionem mutat, & deteriorem eius loco reponit. eo enim loco huius l. Sed nec humili aduerſus eum qui dignitate excellit debet dari, vt puta Plebeio aduerſus Conſularem receptæ authoritatis Accurſius contra veterum Codicum fidem pro Receptæ legit Præceptæ, id eſt præ aliis acceptæ, quæ lectio omnino falſa eſt. Receptum enim id ab authoribus Latinis dicitur quod à pleriſque prudentum approbatum eſt.

Ad l. xviij.

Falſum eſt quod ait hoc loco Accurſ. emptorem qui ignorauit iniquitatem menſurę non teneri, niſi ſupra dimidium iuſti pretij venditor deceptus ſit. decipere enim vſque ad dimidiam iuſti pretij partem in cõtrahendo licet. *l. in cauſæ. de min. l. 2. C. de reſc. ven.* nõ etiam plus accipere, vel minus dare, quàm in contrahendo conuenerit: & ideo condictio etiam hoc caſu cum actione ex contractu concurrit.

Ad l. xxxvij.

Hunc locum huius l. quando quid dictum videatur, vt præſtetur obſcurat omnimodo Accurſius tantum abeſt, vt explicet, ſed rectè Azo apud eundem Accurſium eum locum explicat, niſi mendoſus eſſet. Lege igitur ſic vt illum locum corrigas. Ex ſic ex promiſſione ſecundum hoc agi non poteſt ſecundum eum: quare de dolo dicit hic dari.

Ad tit. de Minoribus xxv. annis.

Quod initio huius tit. ait Vlp. prætorem naturalem æquitatem ſequutum fuiſſe id videtur Accurſio & quibuſdam aliis malè iudicantibus falſum: & hac ratione mouentur nimirum id quod Vlp. ait hoc edictum naturalem rationem habere tantum abeſt (inquit) vt id verum ſit cùm naturæ contrarium planè videatur: quia reſcinduntur contractus qui iuris gentium ſunt, veluti ſi minor locauerit, vel conduxerit, quod æquum eſt hoc remedio impetrato reſtituitur. Hoc inquiunt illi naturæ maximè repugnat, cui nihil magis eſt cõgruum, quàm ſeruare quod conuenit. *l. 1. ſ. de pact. & l. 1. de conſt. pec.* Ergo non eſt naturale quod conuenit reſcindere. Cùm nihil ſit tam congruum fidei humanæ, quàm ea ſeruare, quæ omnibus inter eos placuerunt, & peſſimè Accurſ. conatur ſoluere iſtum nodum: ſic enim interpretatur naturalem æquitatem ſequutum, id eſt (inquit ille) naturali ingenio inductum contra æquitatem nos ſic dicamus. Æquum quidem eſſe ſeruare, quod conuenit, ſed æquius eſſe quod cum minore geſtum eſt non ſeruari.

Malè Accurſius in l. 3. hoc tit. Credidit in hæreditate per fideicommiſſum reſtituẽda: ideo ius ſingulare conſtitutum eſſe quod filio reſtituendũ ſit, ſed ideo puta ius illud ſingulare cõſtituendum eſſe ne amittat fideicommiſſarius relictum quaſi non peruenerit ad viceſimum annum. Nam peti fideicommiſſum ante nouiſſimum diem non poteſt quod fauore fideicommiſſarij reſponſum eſt qui prodigere poteſt reſtitutum. *l. non putabam. de condit. & demonſtrationibus.*

Ad eum locum l. 37. huius titul. victu tam apud Prætorem, quàm apud Præfectum vrbi Accurſius malè putat, bis petitam reſtitutionem ex noua cauſa, quod falſum eſt, nam ſemel apud prætorem poſtulatum potius, & ex prætoris decreto Præfectum appellatum Paulus hic ſignificat. Et dubium non eſt quin Præfectus vrbi ex appellatione cognoſcere Romæ ſolitus ſit: *l. 1. de appel.* & Valentiniani temporibus omnibus vrbanis magiſtratibus antecelluerit. *l. 3. C. de offic. præfect. vrb.*

Eodem titulo.

Ad eam quæſtionẽ vtrum minor xxv. annis iudex eſſe poſſit, Bart. ineptiſſimæ opinionis grauis autor ſibi non perſuadet minorem 18. annis, rectè iudicare antiquitatis ignoratione lapſus eſt, & cum Vlp. ait certè ſi magiſtratum minor gerit dicendum eſt iuriſdictionem eius non improbari, non ſuſpicantur de minore dici, qui maior 18. annis nõ ſit: malè illi quidem cum in verſic, ſed & ſi eodem modo velit nolit Bartolus accipiatur, & coactus eſt fateri Accurſius: nam in maiore 18. annis minore vero 25. conſenſus litigantium non requireretur, vt dictum eſt, in hanc rem facit quod Plin. ij. lib. 10 epiſtol. Trajano ſcribit: Cautum eſt, inquit, Domine, Pompeia lege, quæ data ne quis capiat magiſtratum neue ſit in ſenatu minor annis. 30. eadem lege comprehenſum eſt, vt qui cœperint magiſtratum ſint in ſenatu, ſecutũ eſt dein edictum Diui Auguſti, quo permiſit minores magiſtratus ab annis duobus & 20. capere.

Accurſius, & qui eum ſequuti ſunt in annorum varia dinumeratione, valde errarunt, vt in *§. minore. ver. ad diem. de mino.* vt & in ſpecie hac quando impleuiſſe decimumquartũ annum dicendus ſit qui Calendis Ianuariis hora ſexta natus eſt diem illum natalem ad initium diei ciuilis Calendarum Ianuarij anni decimiquarti incipientis reducamus per cõſequens ad diem pridię Calendas illas exactum, eo quod ſex horæ noctis ſubſequẽtis acceſſerint, quæ eum ad initium diei Calendarum à prima noctis hora ciuiliter inchoantis perduxerint. Sic fit vt dies ille pridie Calendas poſtremus ſit decimiquarti anni, non autem penultimus, vt Accurſium ſubſecuti reliqui interpretes vtranque hanc dinumerationem confundentes aſſumunt: quibus locis poſterior hæc computatio accommodanda fuit, diem cœptum pro completo haberi præter rem commenti in *l. in vſucapionibus. cum l. ſeq. de vſuc.*

Ad l. iij. §. Sed vtrum. eod. tit.

Cur inter patrem & filium ciuilis non cadat obligatio, nouè tractatum, & variæ rationes confutatæ.

Obligatio naturalis.
Obligatio ciuilis.
Filiusfam. ex contractu obligatur.
Executio quomodo fiat in filiumfam.
Ciuilis obligatio cur inter patrem & filium non ſit.
Noua ratio.
Natura nihil fruſtra agit.

Sic aliquando naturalem obligationem finiuimus, vt ſit naturæ æquitatiſque vinculum quo aſtringimur ad aliquid faciendum. *l. cum amplius. §. is natura debet. ff. de regul. iur.* ea ſiquidem propriè fluit ex æquitate illa fidei ſeruandę. *l. Stichum. §. naturalis. ff. de ſolu.* cui lex ſubſeruiens, nihil magis congruum humanæ fidei eſſe dicit, quàm ea, quæ inter homines placuerunt ſeruare. *l. 1. ff. de pact.* Ciuilis verò obligatio, iuris ciuilis vinculum eſt, quo ad aliquid faciendũ quis aſtringitur. *§. 1. de oblig. ſic dicta,* quòd eam ciuilis legis ratio induxerit Accurſ. *in l. generaliter. C. de non nu. pec. Bart. in l. Iulianus. col. ix. ff. de cond. indeb.* vtraque obligatione filiusfamilias ex contractu teneri poteſt, & cum eo agi tanquam cum patrefamil. *l. tam ex contractib. ff. de iudi. l. filiusfam. 2. ff. de act. & obl.* executionem ta-

men ſententiæ in tempus exiſtentiæ ſui iuris differendam cenſe. Accur. *in l.5.§.ſed verum.ff.de min.* ſed perperam. vt illic Bar. *& in l.ſi dubitetur. §. filiusfam.ff.de fideiuſ.* docet. fieri namque poteſt executio, durante etiam patria poteſtate, vel in Caſtr. peculio. *l.2.ff.ad Maced.* vel in profectitio, aut aduentitio peculio, cuius adminiſtrationem pater ei conceſſit. *l. quoties. ff. de noxa. act. l.3.§.idem ſcribit.ff.de pecul.* vel ſi nihil habeat, cedere bonis cogetur, ſi carceres effugere velit. *l.1. & l.pen.C.qui bon. cedere poſ.* Vno porrò caſu, filiusfam. ex contractu ciuiliter nō obligatur, cum ſcilicet contrahit cum patre, aut cum fratre, in eiuſdem patris poteſtate conſtituto: licèt natura obligetur. *l.frater.ff.de cond.inde.* ſi tamen iuſta debendi cauſa ſubſit. *l.non ſolum.§.fi.ff.de pecul.* Sed nec contrà filiofam. pater ciuiliter teneri poteſt. *d.l.frater à fratre.ff.de condi.indeb.* Cur autem inter patrem & filium ciuilis non cadat obligatio, Accur. *in §.1.de obligatio.* rationē eſſe dixit, quia iudicium (propter quòd obligationes ſunt inſtitutæ) inter patrem & filium eſſe non poteſt. *l.lis nulla.ff.de iudic.* Alij, quia ſibi ipſi nemo obligari poteſt. *l.ſi quis pro eo.§.item ſi filius.ff.de fideiuſſorib.* iure autem ciuili, pater & filius, & in conſequens fratres, ſub vnius patris poteſtate conſtituti vna perſona cenſentur. *l.fi.C.de impub.* Quæ ratio in naturali obligatione obtinet, cùm iurisgentium ſit. *l. cum amplius.§.in natura.* alleg. quo iure perſona patris alia eſt, à perſona filij. Tertij, vt Bart. rationem eſſe dixerunt, quòd pater in filij perſonam, & bona, ſtatuendi ius habeat. *l. Serui & filij.§.de furtis.* Et à me ſtipulando nihil agat, quod quis ab alio ſtipulādo mihi acquirit. *l.ſi ſeruo.in princip. ff. de vſufruct. l.liber homo, in principio.ff.de verbo.obligat.* Alij verò, quoniā filius omnino patris eſt. *l.1.§.per hanc.D.de rei vendicatio. l.2.C.de patr.qui fil. diſtrax.* & rei ſuæ nulla ſit obligatio. *l.ſi rem alienam. 2.ff.de pigneratitia actio. l.ſua rei. ff. de contrah.empt.* ego veram rationem eſſe puto, quia noluit lex naturæ imitatrix, obligationem producere, quæ nullius plane effectus eſſet, aut modicò tempore duratura, *l. qui ſic.ff.de ſolutio.* inutiliter autem filium qui nihil habet, quod non cōfeſtim patri quærat, patri obligaſſet: inanis quippe eſt obligatio, quam egeſtas debitoris excludit. *l. nam his.ff.de dolo.* tum maximè, quod ſi quicquam de facto filius inuaderet, poſſet pater id ſuo iure apprehendere. *l.ſerui & filij.ff.de furtis.* inutiliter quoque patrem filio obligaſſet, cùm patri omnia filius acquirat. adeò, vt nec momento, apud filium reſideat, quod quęritur: *l.1.§.1.ff.ſi quis à parent. l.placet.ff.de acquir.hære.* Artem autem ad inſtar naturæ fruſtra nihil operari, manifeſtiſſimi iuris eſt. *l. hæc ſtipulatio.§.diuus.ff.vt legat.no.ca.* Accedit his, quod vbi non inutilem futuram obligationem, inter patrem & filium lex proſpexit, eam non grauatè induxit, vt de Caſtrenſi peculio. *l. adoptiui.ff.de in ius vocan. l.lis nulla.ff. de iud.* Et in aduentitiis hodie. *l.iubemus.§.1.C.ad Trebell.* Acc. *in d.l.frater à fratre. & in l.ſi quis pro eo.§.1.ff.de fideiuſſ.*

Hæc ex doctiſſimo viro collegi, quæ ad inſtitutum meum prorſus facerent.

Ad tit. de Capite minutis.

Non mirum ſi Accurſius illum locum non intellexerit. *l.7. hoc tit.* exceptis iis quæ Iure alieno perſonis poſitis deferuntur, quem locum duobus modis exponit: & hic eius mos eſt, vt cum aliquem locum non intelligit, nec ab eo ſe expedire poſſit, plures explicationes afferat, præſtaret vnam bonam afferre, & prima expoſitio abſurda eſt, qua ait hūc locum ita intelligendū, vt deferatur filiisfamilias qui ſunt in alieno Iure, id eſt aliena poteſtate: idque ait euenire duobus caſibus, ſed ne diu moremur in iſtis interpretationib. Confutandis, dicamus ex mente Domini Cuiacij quōdam præceptoris mei hunc locum eſſe mendoſum, & ita legendum eſſe exceptis iis quæ Iure adgnationis deferuntur, & hoc mendum promanauit ex praua notarum explanatione quod poſſet pluribus exēplis comprobari, ſed plures eiuſmodi locos paſſim in Pandectis extantes animaduertit Doctiſſimus Cuiacius in ſuis obſeruationibus.

Ad tit. ex quibus cauſis maiores. ad l.xxxij.

Accurſius nullo modo intellexit *l. 32.h.tit.ob verba quadam.* quæ abſque hiſtoria nullo modo intelligi poterant. non intellexit enim qui ad ærarium aut Commētarium principis delati eſſe dicantur, ac primū quod ad ærarium attinet malè interpretatur ad ærarium delatos, id eſt ad procuratorem fiſci qui præeſt ærario, cum non intelligeret quomodo id aliter fieri poſſit. Nota igitur ex Cicerone & Tranquillo Senatuſconſulta ad ærarium deferri ſolita fuiſſe legéſque in æreis tabulis inciſas, in quo eodem ærario quod erat in æde Saturni, acta publica recondebantur ad memoriam publicam poſteritati prodendam. Itaque in propoſito ſenſus eſt. Proconſulares legatóſque eorum & prouinciarum præſides, procuratores principum, Tribunos prætorióſque militum non aliter reip ublicæ cauſa abeſſe cenſeri, quam ſi in acta ærarij, quæ publica ſunt referendos ſe curarint, quod ad commentarium attinet, malè Accurſius commentarium interpretatur locum, vbi captiui retinentur: Cum Commentarius liber ſit quem ſibi quiſque noſtrum priuatim facere conſueuit, quaſi quoddam memoriæ promptuarium eorum quæ agimus, id eſt Diarium & Ephemeris actionum noſtrarum, Regiſtrum vulgo vocatur, & huiuſmodi librum ſibi fecerunt Principes Romani, vt Probari poteſt multis authoritatibus hiſtoricorum, Tranquillius in Liberio Commentario (inquit) quem de vita ſua ſummatim breuitérque compoſuit, auſus eſt ſcribere, Seianum ſe puniſſe, quod comperiſſet facere aduerſus Germanici liberos filij ſui. Igitur qui proficiſcebantur ex illis Iudicibus debebant curare ſe referre in Commentarium principis. Malè etiam Accurſius commentarienſes dictos putat à Commentario carceris loco, imò ita appellati ſunt, quod in Commentarios cuſtodias referebant, & veluti diarium cuſtodiarum conficiebant.

Ad l.xv.

Ad illum locum huius legis, non minus autem ab hoſtibus capto, quàm ibi nato, qui poſtliminium habet ſuccurſum videtur. Accurſius malè figurate hoc dictum putat: optimi enim interpretes putant eſſe argumentum à comparatione hoc modo. Natus apud hoſtes qui ex ſua perſona poſtliminium non habet priuilegio vtitur. *l.Diuus.de captiuis.l.1.C.eodem.* Ergo & captus ab hoſte qui ſuo nomine habet poſtliminium. Natum autē apud hoſtes priuilegio vbi receptū innuit Vlpianus.

Male idem Accurſius in *l.16.eodem titulo.* in quondam loco eius legis deteriorem Bulgari ſententiam probat, reiecta aliorum opinione, quæ verior eſt: vt & apud eundem in explicatione. *l.1. huius titul.* vera eſt Azonis ſententia. Ipſe autem multum laborat in alia interpretatione inuenienda, & in explicitione. *l.2.huius tituli.* Idem Accurſius neque cœlum attingit, neque terram.

Ad tit. de alienatione iudicij mutandi cauſa facta. ad l.viij

Nota gloſſam non intellexiſſe rationem quare huic edicto locus non ſit, nec hoc edicto teneatur qui alienat aliquid ex ſuis bonis heredem inſtituendo, aut legando: vt autem illam rationem intelligas, obſerua per totum hunc titulum alienationis verbum accipi de alienatione inter viuos, non de alienatio. quæ fit mortis cauſa, & ratio huius eſt, quoniam alienatio quæ fit mortis cauſa, plerunque non fit doloſè iudicij mutandi cauſa. Neque enim lites quiſquam poſt mortem ſuam futuras extimeſcit.

Nota etiam, in principio huius legis, quod gloſſa omiſit in verbo nō reſtituere, debere actorē rem exhibere in eadem cauſa in qua fuit ante alienationem, nempe cum omni emolumēto: vnde dicit textus, non tantùm eam rem exhibere debet: ſed etiam reſtituere. plus eſt enim reſtituere quā exhibere, vt Gaius ſcripſit ad hoc edictum *l.22.de verborum ſignificatione.*

Ad tit. de receptis qui arbitrium receperint. ad l.iij.

Accurſius in explicatione huius legis turpiter errauit, quod vt intelligatur locus eſt in medium proferendus, qui ſic ſe habet. Et quidem arbitrum cuiuſcunque dignitatis coget officio quod ſuſceperit perfungi, etiam ſi ſit conſularis niſi fortè ſit in aliquo magiſtratu poſitus Conſul fortè: dicit enim hūc textum ſibiipſi contrariū eſſe hacque nititur ratione quod ſupra dixerit conſularem cogendum, hic neget: deinde vt magnum iſtud dubium ſoluat dicit cōſularem eſſe qui habet dignitatem non admi-

adminiſtrationẽ vt filius cõſulis (inquit) ille vel nepos at conſulem eſſe qui habet vtrúmque, quæ omnia abſurda ſunt. Is enim ignorauit conſulem eum dici cum eſt in conſulatu conſularem cum magiſtratu abiit. Spartianus in Adriano conſulares quatuor per omnem Italiam Iudices conſtituit. Valerius Maximus lib. 7. de Quinto Metello fecit ea, vt eodem tempore tres filios conſulares vnum etiam cenſorium, duos triumphales, & quartum Prætorium videret.

In l. 16. verbum impetret compromiſſorem reſpicit non arbitrum vt perperam Accurſius putat & cogi poſſe, dicit hoc caſu aduerſus Iureconſulti ſententiam apud quem an non hoc loco negat, quod verba ſequentia demonſtrant,

Ad tit. de receptis arbitris.

Arbitria recipiuntur, non etiam Arbitri: contra vulgarem omnium ſententiam. Et reſtituta Rubrica. D. de recept. arb. verba.

Recepti arbitri.
Arbitria recipiuntur, non arbitri.
Rub. D. de recept. arbit. reſtituta.
Arbitrium recepiſſe quis dicatur.

Extat in Pandectis tit. de receptis arbitris. Sic enim vulgò legitur. Exiſtimant autem expoſitores, Arbitros ob eam cauſam receptos, à Iuriſconſult. dici, quòd communi partium conſenſu recepti ſint, hoc eſt, admiſſi & electi, vt ſententiam dicant, inter litigatores. Quæ locutio, [Recepti arbitri,] nedum interpretatio, nulli naſum habenti, cognita, tam abſurda eſt quàm noua. Quis enim vſquam legit, [Arbitrum recipi,] aut [Arbitros receptos?] inducendus igitur, circumſcribendúſque hic indoctus loquendi ſcribendique modus. neque enim Arbitri, ſed Arbitria recipiuntur. *l. 2. §. 1. & l. ſed & ſi in ſeruum. §. ſi quis iudex ff. de rec. arbitris.* (Sic enim, non arbitris, legendum cenſeo) Recepiſſe autem Arbitrium videtur, inquit apud Vlpianum Pedius, qui iudicis partes ſuſcepit, finémque ſe ſententia ſua cõtrouerſiis impoſiturũ, pollicetur. *l. eadem Pomp. §. recepiſſe, illo titul.* Porro de Arbitris & Arbitratoribus, quædam nõ contemnenda, videri poſſunt apud Corraſium in miſcellaneis ex quo pleráque deſumpſi, quæ ad Inſtitutum meum facerent.

Ad tit. de receptis.

Malè Accurſius in l. 29. h. t. putat denegare actionem, hic ſignificare ipſo iure non competere actionem, ſed hoc ſignificat iure, apud prætorem non dare actionem, cùm de excuſatione conſtet: ſi non conſtet, exceptionem addet Prætor in iudicium: ſi non reipublicæ cauſa abſens.

Ad tit. nautæ caupones ſtabularij.

Accurſius non intellexit qui ſit Meſonauta, in huius legis. §. 1. dicit enim ſecundùm quorũdam opinionem eſſe meliorẽ nautã qui omnibus aliis in naui præeſt, Hermolaus rectè exiſtimat Meſonautam, ita in naui vilis mancipij nomen eſſe, vt mediaſtinus domi, eſt enim mediaſtinus, mancipium abiectius quod viliſſima & ſordidiſſima miniſteria obire domi, cogitur domum verrere, purgamenta efferre, ligna congerere & huiuſmodi alia facere ad huius exemplum puto Meſonautam dici qui aquam ex carina haurit quiq; plurima eiuſmodi vilia munia obit tantum, abeſt igitur vt melior ſit nauta qui omnibus aliis in naui præſit.

Et ſi Alciatus libro Parergôn capite. 45. contra Hermolaum exiſtimet Meſonautum idem eſſe quod ναυτέπιβάτας: nititúrq; l. fi. hoc ti. vbi dicit legi ipnia in Florentina editione non ita legitur, vt ille putat. Sed tantum in Norica quæ non ita certa eſt. Hoc animaduertit Antonius Auguſtinus lib. 4. Emendationum. capite 16.

Non intellexit etiam Accurſius quid ſit χειρίζειν. nos cum Alciato libro. 1. Parergô, capite, 44. putam° hic à Iureconſulto dici χειρίζειν, quod magiſter in prora reſidẽs manu dat, cùm nautis Imperat, vt aliquid faciant, ſeu aliquem recipiant, vel non recipiant.

NOTARUM LIBER QUINTUS

LIBRO QUINTO

Digeſtorum reſpondens.

Ad partem ſecundam digeſtorum. De Iudiciis.

AD illam quæſtionem vtrũ cæcus iudicãdi officio fũgi poſſit, nõ ſat rectè Accurſius reſpõdit, an indiſtinctè id accipiendũ ſit, vel quia inter iudicandi officium, & magiſtratũ, nihil intereſſe exiſtimaret; vel quia diuerſa quidem hęc eſſe aſſumeret, aliquam tamẽ rationẽ eſſe crederet, ob quã iudicãdi quoque officium, cæco minimè deferendum ſit, ſuſceptum ante cæcitatem iudicandi munus, cæcum effectũ munus retinere poſſe ſenſit. At non cæco iam effecto, id muneris deferri, vt idem quod in magiſtratu obtineat, cum tamen eius rei rationem, nullo modo proferat. Ego qualiſcunque illo loco Accurſij ſententia fuerit ſic exiſtimo conſimilem in vtroque rationem obtinere.

Ad l. pars literarum. eod. tit.

Accurſij, Bartolique & cæterorum interpretatio ad hanc legem, huic legi nullo modo conuenit: hi enim generaliter hanc legem in omnibus ſummis magiſtratibus locum ſibi vindicare exiſtimarunt, qua in re quantum decepti ſint, nemo eſt vel mediocriter in iuris ſtudio verſatus, qui non cognoſcat. Nam quòd οἱ ἄρχοντες exponuntur, ſummi magiſtratus, de eis tantùm intelligendum eſſe putamus, qui Athenis conſtituebantur, quòd verùm eſſe facilè erit comprobare: Neque enim id nominis, apud Græcos frequentius pro alio magiſtratu accipitur, quàm pro Athenienſi, quòd non ſolùm apud Græcos, ſed etiã apud Latinos, in Spartiano quoque, & Trebellio Pollione reperies, & id hiſtoricorum teſtimonio comprobare poſſemus, Suidas enim ſcribit hos magiſtratus, Athenis fuiſſe ἄρχοντας, quos ferè principes Latinè dixeris, hi erant nouem, igitur quòd Adrianus ſcribit οἱ ἄρχοντες, intelligendum eſt ſpecialiter ab eo, in Athenienſium iudicibus, ita conſtitutum, vt minime trahenda ſit pars epiſtolæ ad omnes, vt peſſimè Accurſius fecit, qui cùm cæteris interpretibus, qui eum ſequuti ſunt, cum plura reſponſa ſuæ ſentẽtiæ, aduerſari viderit exempli gratia *l. Antiochenſium. D. de priuilegiis creditorum.* Antinomiam per quædam ſubterfugia quærit euitare, nec hoc exemplo caret aliquid in iure ciuili relatum, quod vnius tantùm ciuitatis iura reſcipiciat.

Ad l. vj. eiuſdem tituli

Malè Accurſius, & Accurſiani omnes ſic interpretantur hanc legem quaſi cæcus non poſſit iudex dari: ſed ſi in cæcitatem inciderit, poſtquam datus eſt Iudex iudicem manere, ſic interpretantur illud ſextum caput, contra vim verborum, & ſententiam iuris authorum, ad hanc diſtinctionem, confugit Accurſius cum non intelligeret differentiam magiſtratus, & Iudicis, quæ traditur ab Vlpiano, in. *l. Caſum. ff. de poſtulando.* Prætor, inquit, cæcum repellit à poſtulando, quia inſignia magiſtratus videre & reuereri non poteſt: Sed ſenatorium ordinem retinet, & iudicandi officio fungitur. deinde Vlpianus explicata quæſtione de iudice, tranſit ad quæſtionem, de magiſtratibus: Sed melius eſt, inquit, vt cæcum quidem retinere dicamus iam acceptum magiſtratum, adſpirare autem ad nouum prohiberi. Hæc verba ad magiſtratus pertinent, non ad iudicem, Accurſiani, cum non intelligerent, quid interſit, inter magiſtratum & iudicem, putabant hoc caput ad iudicem pertinere.

Ad tit. de inofficioſo teſtamento.

Mirum in modum ſe exagitat Accurſius ad. l. 4. h. t. quomodo fieri poſſit, vt pater moueat querelam inofficioſi teſtamenti, & ſuccedat ad bonorũ poſſeſſionem contra tabulas idcirco ille, vt ad querelam interpretatur contra tabulas bonorum poſſeſſionem. Nota igitur patri præterito, vt manumiſſori dari

quaſi patrono bonorũ poſſeſſionẽ contra tabulas certæ partis dari, deinde vt patri querelã inofficioſi teſtamẽti, querelam in aſſem. Nec putes pugnare, hæc duo remedia vt perperam exiſtimauit Accurſius, cum non eodem Iure concedantur: ſed vnum, vt patrono alterum, vt patri. Nam vt patri cõſultum eſt alia via. vt ſuccedat ad hereditatem filij, vt patrono alij inde conſtat reſtiſſimè, Doctiſſimũ Vigliũ, in commentariis ſuis, ad titulum Inſtitution. de inofficioſo teſtamento, rectè putare aduerſus omnium. Interpretum ſententiam hic eſſe, quoddam Ius ſingulare, vt patri manumiſſori, & bonorũ poſſeſſio contra tabulas, & querela inofficioſi teſtamẽti, aduerſus teſtamentum filij competat. Idque doctiſſimus Cuiacius Viglio acceptum refert, in ſuis ad Papinianum Annotationibus.

Ad l. Papinianus. § Papinianus. eod. tit.

Cur aduerſus veterani Patrisfamilias teſtamentum inofficioſi querela detur. Et quis ſit in iure veteranus, quod Accurſius ignorauit.

Militia prærogatiua.

Veteranus miles quis.

Excuſſus ſenſus. §. Papinianus. contra Accurſium.

Filiusfam. heredem non habet.

Papinianus *lib. 2. reſponſ.* & apud Vlp. contra veterani patrisfamilias teſtamentum eſſe inofficioſi querelam, & ſi ea ſola bona habuit, quæ in caſtris quæſierat. *l. Papinianus. §. Papin. ff. de inoffi. teſta.* quod ſanè mirum pleriſque videri poterat. cum milites pro communi ſalute vigilantes, & per quos aduerſus hoſtium iniurias publicus ſtatus conſeruatur, præſigni priuilegio donati ſint, vt in vltima eorum voluntate, iuſta ſolemniq; ſententia opus non ſit: ſed ſimplex, & nuda mẽtis teſtatio ſufficiat, declaratáque quomodocumque voluntas. *l. 1. ff. de teſtam. mil.* adeò quidem, vt inofficioſi querela, à filiis, aut parentibus exhæredatis, militaris volũtas, ſubuerti non poſſit: tametſi milites quoque ſint, qui querelam proponunt. lege, ſi inſtituta. *§. inofficioſo. ff. de inoffi. teſt. l. de inofficioſo. C. eo. titu.* Cæterùm, hoc tanto priuilegio noluerunt legiſlatores ornari. Veteranos milites, hoc eſt, eos, qui poſtquam plures annos militauerunt, veluti rude donati ſuis ſedib. degunt: tametſi enim de bonis, quæ in caſtris quæſierant, liberam habeant teſtamenti factionem. *l. ſi à milite. §. fi. ff. de mili. teſta.* contra eorum tamen teſtamenta, inofficioſi querela datur. *d. §. Papinianus.* ceſſat quippe tunc cauſſa fauoris, nempe iuſta armorum occupatio, quare & fauor ipſe ceſſare debet. *l. fi. vbi Bal. C. qui ad lib. perue. non po.* in eorũq; teſtamentis iuris communis obſeruatiõ adhibenda, cùm non liceat alioqui, iure militari teſtari, quam ſi expeditionis tempore teſtamentum fiat. *§ illis autem. de milit. teſta. in inſtit. l. penul. C. eod. tit.* quamquam & illud verum eſt, vt ſi quis in militia teſtamentum fecerit, & poſt militiam intra annum deceſſerit, teſtamẽti potius, quàm mortis tempore ſpectato, militari iure teſtamentũ defendatur: & ita inofficioſi querela ceſſet. *d. §. Papin.* Veteranos autem milites, quorum in iure non infrequens mentio, eos interpretamur, qui poſtquam per plures annos in militia ſeruierunt, depoſita militia, velut rude donati, ad proprias domos redierunt, quo ab armis ſacramento ſoluti, honeſtè ferientur. *l. 1. 2. & to. tit. ff. de priuil. veterano. l. fi. C. de inoffi. teſt. l. veteranis. C. quand. prou. non eſt ne.* apud Ciceronem verò, Cęſarem, & alios bonos authores, veteranum militem eum quoque dici ſcio, qui per viginti annos, in legione, vel vexilatione militauit, nondũ militia ſolutus, in qua ſignificatione accipi non poteſt Vlp. reſponſ. *d. l. Papin. §. Papin.* nã eorũ teſtamenta, qui adhuc in expeditionibus ſunt, inofficioſi querela à militibus etiam (vt diximus) propoſita, haudquaquã ſubuertuntur. *l. ſi inſtituta. §. de inofficioſo. ff. de inofficio. teſtam.* Cur autem de patrefamilias egerit Papinia. cum aduerſus veterani teſtamentum, inofficioſi querelam eſſe dixit? *d. §. Papinian.* in promptu cauſa eſt quia querela non datur niſi his, qui ab inteſtato bonorum poſſeſſionem habituri ſunt. *l. poſthumus. ff. de inoffic. teſtam.* filiofa. autem quoniam hæreditatem non habet, nemo ab inteſtato ſuccedit, ſed poſſidentur à patre bona iure peculij. *l. 2. ff. de caſt. pecul.* ideoque ſi de caſtrenſi, aut quaſi caſtrenſi peculio, hoc eſt, de iis, quæ in caſtris, vel ſtipendiis publicis, quæſiuit, *l. 2. §. hoc autem. ff. ad Treb. l. 1. § nec caſtrenſe. ff. de colla. bono. filiusfam.* teſtatus ſit, non patitur iſtiuſmodi teſtamentum, quamuis ceſſante belli neceſſitate factum. inofficioſi querelam. *l. teſtamentum, & l. ſi. C. de inoffic. teſtam.*

Hodie verò, cum non liceat filiofa. rebus à ſe quoquomodo quæſitis, filios parentéſue ſuos, ſine iuſta cauſa priuare: aliud conſtitutum videtur. *§. aliud quoque. & §. ſancimus: vt, cum de app. coll. viij.* nec aliter de caſtrenſibus, aut quaſi filiusfa. teſtari conceſſum eſt, quam aſſignata filiis, parentibúſve legitima. *Aut. presbyteros. C. de epiſc. & cler.*

Hæc ex doctiſſimi conſiliarij Tholoſatis obſeruationibus collegi, quæ ad inſtitutum meum facerent.

Ad l. Papinianus. §. quarta. eod. tit.

Non ſatis à noſtratibus interpretibus animaduerſum, quando datione ſubſtituti vulgaris, ſuitas tollatur, quapropter ſua luci, quod ante nos tenebroſum fuit, reſtituitur.

Enarrata vulgares ſententia.

Fatigant ſeſe, ac plus quàm par ſit contorquent, quotquot hactenus de ſuitate ſcripſerũt: an donationẽ vulgaris ſubſtituti, ſuitas tollatur: crebriúſque in eam ſententiam deceſſum videmus, vt ſuitatem tollat vulgaris ſubſtitutio. Accurſius *in l. Papinia. §. quarta. ff. de inoffi. teſt.* quam *Africani* reſponſo roborant. *l. ſi filius heres ff. de lib. & poſthu.* & ratione quæ pleriſque impoſuit: facta quippe videtur abſtinẽdi poteſtas filio, cui vulgaris ſubſtitutus datus. *l. 1. §. ſi proponatur. ff. ſi quis omiſ. cau. teſt.* nam cum ei, ſi noluerit heres eſſe, alter ſubſtituitur, perinde eſt, atque ſi ſub contraria conditione, ſcilicet, ſi voluerit, ſubſtitutus eſſet. *l. ſi legatum ff. de adi. leg.* quo proculdubio caſu de ſuo, voluntarius ſit. *l. Cornelius. l. iam dubitari. ff. de here. inſti.* atque ad inſtar extranei redigitur. *l. nam nec emancipatus. ff. de lega. 1.* vt mirum non ſit, ſi ſuitas tollatur. alij verò, vt Caſtellio, vterque Raph. Caſt. & alij plerique negant tolli, cùm Papin. aliquando reſponderit, filium vulgariter ſubſtitutum ſub arbitraria conditione, quæ extremo vitæ momento impleri poterat, non priùs hæreditatem ex ſubſtitutione capere, quam filius animam efflauerit, perfectéque (vt dicunt) moratuus ſit. *l. fi. ff. de cond. inſtit.* nam & ſi mori incipit, ſpes eſt ſuum futurum, impleta per ſe, vel per alium, in vltimo vitæ ſpiritu cõditione, quo ſuitatem ſublatam non fuiſſe conſtat: alioqui fruſtra vltimus ille flatus expectaretur, quo ab extraneo adiri non poteſt hæreditas. Accurſius *in l. fin. ff. quan. dies legat. ced.* Præterea, ſi infans qui ſubſtitutum habet vulgarem, ad matrem tranſmittit. *l. Lucius. ff. de vulgar.* quo pacto ſublatam ſuitatem dicemus, cuius virtute ſit trãſmiſſio? *l. ex militari. §. fi. ff. de teſt. mil. l. apud hoſtes. C. de ſuis & leg. Bal. verò & Ang.* has diſſidentes opiniones ita componebant, vt vulgari ſubſtitutione neceſſitas, non item ſuitas, aut eius effectus ſublati intelligantur, exemplo beneficij abſtinendi, quod prætor nobis largitus eſt. eo nempe neceſſitas tollitur: *l. neceſſariis. ff. de acquir. hered. §. ſe permittit. de heredita. qualit. & different.* ſuitate, in filij perſona, ſemper tenaciſſimè hærente. *l. ſi filius, qui patri. ff. de vulgari.* Nos cùm exactè has doctorum phantaſias aliquando expẽderemus, animaduertimus ex his nullam tutò defendi poſſe, qua in re nõ pluribus agemus, quòd hæ à Moder. extenſiſſimè tractentur. *Iaſ. in d. l. filius heres. Ang. per gl. in tract. ſuitatis, vlt. quaſt.* Erit itaque duntaxat nobis negotium, veritatem multis, & faſtidioſis ob cæcatam interpretamentis, aperire. Dicebam, per vulgarem nullo caſu ſuitatem ſubmoueri, ſiquidem teſtator vulgariter ſubſtituat, vt ſibi proſpiciat relinquendo hæredem, quod maximè eius intereſt. *§. ſi modo, quibus ex cauſ. man. non lic. in Inſtit.* Hac in re mentem legis ſequutus, quæ ideò ſubſtitutiones adinuenit, ne teſtantium iudicia, irrita, caducáque fiãt: néve teſtator ſine hærede decedat. *l. vnic. ad prin. C. de cad. tol.* ergo prouiſio huiuſmodi in teſtãtis fauorẽ ſibi prouidere, & cauere volentis, non etiã in damnũ filij (ad cuius vtilitatem ſemper eum reſpexiſſe credendũ eſt. *l. nihil intereſt. § 1. ff. de bonis libert. l. nec in ea. ff. ad leg. Iuliam. de adulter.*) referri debet. Maximo autem filij damno effectum haberet vulgaris ſubſtitutio, ſi ea tolleretur ſuitas, quæ licet nonnunquam in teſtantis fauorem, principaliter tamen, & omni tempore in filij gratiam operatur. *d. l. ſi filius qui patri.* vnde ea ſecundæ tabulæ confirmantur. *l. filius qui paterna. l. ſi pupillus. ff. de acquir. heredit. & d. l. ſi filius qui patri.* Fideicommiſſum vniuerſale defenditur. *l. ita tamen. §. ſi pater. ff. ad Treb.* Tutelarũ dationes ſuſtinentur. *Bart. in l. ſi nemo. ff. de teſt. tutel. & in d. l. ſi filius qui patri.* Trãſmittit filius *l. ſi fratres. C. de iur. deliber. l. apud hoſtes.* Qui etiam adire neceſſum nõ habet. *l. in ſuis. ff. de liber. & poſthu.* Et quanquam abſtinuerit, legatum libertatis ſolo ſui hæredis

redis nomine cõſeruatur. *l.ſciendum.ff.de man.teſt.l.cum quaſi.§.ſed & ſi quis.ff.de fideicom.liber.* quæ omnia cũ vel teſtantis vel filij fauorem reſpiciãt, neutiquam nobis veriſimile ſit, dationi ſubſtituti tolli. Alioqui prouiſio, quam in ſui gratiam teſtator induxiſſet, in maximam eiuſdem perniciem reflecteretur. Non autem credendus eſt quiſquam id genus teſtandi elegiſſe, quo ſuum aut filij commodum tam grauiter lædatur. *l.3.ff.de teſtam.milit.* Itaque ſi ſuitas cum defuncti voluntate concordet, per vulgarem non impeditur, veluti, ſi filius non adita patris hæreditate deceſſerit. eam namque ad deſcendentes, defuncto ſubſtituto vulgari tranſmittet, & ita Iulian. Paul. verb. accipienda ſunt. *l.ſi quis filium.§.1.ff.de acquir.hered.* Neque enim videtur teſtator alienas ſucceſſiones propriis anteponere. *l.cum acutiſſimi.C.de fideic.* Quod ſi de tranſmiſſione, ad exteros faciunda tractetur, non ſubmouebitur ſuitas: ſed eius affectus, per vulgarem impedietur, ne habeat teſtator hæredem, de quo non cogitauit: iſque explodatur, quem hærede inſtituto deficiẽte, ad hæreditatem ſuam nominatim vocauit. *l.1.C.de neceſſ.ſer.hered.inſtitu.* Porrò quod ex Papiniano dicebant. *d.§.ſi proponatur.* teſtatorem videri facere abſtinendi poteſtatem, ei cui ſubſtitutum vulgarem dedit, in ſpecie eius §. verum eſt, cùm videlicet ex parte inſtitutus, cohæredi ſuo ſubſtitutus, omittẽs ex inſtitutione, ex ſubſtitutione agnoſcit: vtitur quippe facultate, quam teſtator ei conceſſit. *l.qui autem. §.plane.ff.ſi quis omiſſ.cauſ.teſt.* Nam inſtitutus qui alium ſubſtitutum habet, eam facultatem à teſtante non conſequitur, ſed à Prætore, qui ſuis hæredibus abſtinendi poteſtatem fecit. *l.neceſſarius.ff.de adquir.hered.§.ſed prator.de heredit.qualit.in Inſtit.* Quapropter rectiſſimè Caſtrenſ. adnotauit in *d.l.ſi filius heres.col.4.ff.de lib.& poſth.* teſtantem ſubſtituendo, ſi hæres non erit, in eum caſum ſubſtituiſſe videri, quo filius ſuus beneficio Prætoris abſtinuerit. Vide Corraſium in Miſcellaneis.

Ad tit.de petitione hæreditatis.l.xx.

Ignorauit Accurſius, quare in *§.Pridie idus.* Iuriſconſultus quatuor Conſulum meminerit: putat enim ſecundùm Iohannem duos conſtitutos & duos in futurum deſignatos fuiſſe, vnde concludit in adminiſtratione tantum fuiſſe duo, & ſanè ſatis magna fuit cauſa dubitandi: quare his quatuor Conſulum mentio fiat. Cum cõſtet eiectis Regibus à populo Romano conſtitutos fuiſſe duos conſules tantũ, qui ſingulis annis ſuffragiis Plebis crearentur, donec Tiberius Imp. eligẽdi, ius ad Senatum tranſtulit, ſanè vt omnem dubitationem ſubmoueam. Id intelligi poteſt ex libris Coccei Dionis Aproniani, filij hiſtorineum ac præſertim ex libro 43. & 46. quæ verba quoniam nimis lõga ſunt, breuitatis cauſa hic omittam, ea videre poteris apud Alciatum libro quinto Parergon cap. 10. Sed breuiter concludamus, ex illis Dionis verbis rationem intelligi poſſe, cur quatuor Conſulum nomina in eo Senatuſconſulto adſcripta ſint, Baldi ſcilicet & Celſi, qui Kalendis Ianuariis Conſulatum ſuum bimeſtrem inierant, & quorum nomine annus inſcribebatur. Aufidij verò & Seueriani qui minores Conſules erant, & Kalendis Martiis Conſulatum inierant.

Ad l.ſi poſſeſſor.§.finali.eod.tit. D.de petitione hæreditatis.

Vnicum eſſe iuramentum in litem, contra cæteros: & nonnulla de intellectu.l.qui reſtituere. contra interpretum opinionem.
Iuramentum in litem, vnicum.
Vtilitatis verbum.
Iurare in infinitum, quando liceat.
Rei vendicationis ſingulare.
Explicata l.ſi poſſeſſor.§.fin.contra Accurſium.
Enucleata nouè l.Qui reſtituere.
Taxationis verbo quæ veniant contra Accurſium.

Triplex iuſiurandum in litem doctores communiter faciunt, aduerſus quorum traditionem probauimus, nullum eſſe iuramentum affectionis. Hic verò illud amplius oſtenſuri ſumus, vnicum eſſe iuſiurandum in litem: quo videlicet actor iurat, quanti ſua interſit. quod ideò [vtilitatis,] rectè appellabitur: cum ad vtilitatem iurantis, aut eius cuius nomine iuratur, æſtimationem referat iuſiurandum. *l.videamus, verſ.ſi tamen.ff.de in lit.iur.* Et vtilitatis verbo, id quod intereſt contineatur. *l.2.in princ.& §.fin.de eo quod cer.loc.l.ſi procurator.ff.ſi quis cautio.l.ſi ſterilis.§.cùm per venditorem.ff.de actio.emp.* hoc autem ideo conſtitutum, ne dolus reique proteruia, & contumacia, reo prodeſſe, & actori obeſſe poſſit: qui difficulter æſtimationem rei probaturus eſt. Vnde actori iuſiurandum defertur, quod aliquando communem rei æſtimationem, aliquando ſingularem vtilitatem. (ſi eius interſit ſingulariter) continebit, nulla, vt iam probauimus, affectionis ratione habita. In infinitum tamen actori iurare licebit. verùm ne hac arrepta occaſione, in immenſum iuretur, poterit iudex, vel modum iureiurando ſtatuere, vt intra certam quantitatem iuretur: vel non ſequi iuramentum, ſed ex magna cauſa, & poſtea repertis probationibus, in totum abſoluere, aut etiam minoris condemnare, quàm iuratum ſit. *d.l.videamus.§.iurare.* Tanta tamen eſſe poteſt calliditas, & proteruia rei conuenti, vt in infinitum ſine vlla taxatione iurare liceat. Veluti, cum dolo eius factum eſt, ne actor rem, de qua erat controuerſia, habere poſſit, ſed æſtimatione contentus eſſe cogatur. *l.arbitrio.§.1.ff.de dol.l.qui reſtituere.ff.de rei vend.* Qua in re diligenter obſeruandum eſt, nuſquam in iure legi, quem ob contumaciam, quanti in litem ſine vlla taxatione iuratum ſit, damnari. Præterquam in rei vendicatione, vbi dolo deſitum eſt poſſidere. *l.ſi fundus.§.in vendicatione.ff.de pig.& d.l.qui reſtituere.* nam cæteræ leges, quæ permittunt in infinitum iurari, ſimul dant arbitrium, & poteſtatem iudici, referendi iuſiurandum, facta quantitatis taxatione, ne in immenſum iuretur. *l.4.§.1.ff.ad exh.d.l.videmus.§.iurare.& d.l.arbitrio.§.1.* In rei vendicatione verò, & ita in ſpecie. *d.l.qui reſtituere.* ſine vlla taxatione iuratur, in odium rei, qui facto & dolo ſuo fecit, ne res petita recuperari poſſet. *l.ſi.§.ſi.ff.quæ in fraud.cred.* dolo ſi quidem deſinendo poſſidere, actorem facultate rem controuerſiam recuperandi, priuauit: tantum igitur dolum lex acerrimè punire volens, conſtituit, iuriiurando actoris, quanti ſua interſit, tum omnino ſtari, non propter affectionem, ſed ſimpliciter iurantis. nec obſtat, quòd contra poſſeſſorem hæreditatis malæfidei, qui dolo deſiit poſſidere, rebus perditis aut diminutis, non iuretur in litem. *l.ſi poſſeſſor.§.ſi.ff.de pet.hered.* nec enim illic malæ fidei poſſeſſor dolo fecerat, quo res apud emptorem extantes, perderentur deminuerentúrve. licet dolo feciſſet, transferendo res alienas ſcienter in alium. & hanc eſſe rationem *d.l.qui reſtituere.* vel ex eo conſtat, quod ſi reus iuſſus reſtituere contumax ſit in reſtituẽdo, nec manu militari, poſſeſſionem ab eo transferri, ſed æſtimationem iureiurando ſuo fieri velit actor, aut non poſſit reſtituere reus, nec dolo malo fecerit, quò minus poſſet, quanti tantum actoris interfuerit, damnandus ſit, tùmque ſi in litem actor iurare velit, poſſit iudex iuriiurando taxationem adiicere: vt illic ſentit Vlp. cuius mens ita aperienda eſt: reiectis Accurſ. & aliorum nugis: qui verba illa, [Sine vlla taxatione,] abſurdiuſculè interpretantes, legis dum taxationem, non item iudicis, excludi cenſent. quaſi verò lex ipſa taxet, & taxationis verbo non veniat, quæ à iudice ſit. *§.ſi vero per iuſiurandum, de exhib.re.coll.5.& §.oportet.de iud.coll.6.* Et ita ego ſentio, licèt alij aliter, atque aliter hunc & illum nodum explicent.

De hac materia amplius & copioſius tractauimus in notis noſtris ad tit.de in litem iurando.

Ad l.qui reſtituere.D.de rei vindicatione.

Affectionis iuſiurandum nullum eſſe, aduerſus receptam Doctorum opinionem.
Iurare in litem quid.contra Accurſium.
Iuſiurandum in litem triplex.
Affectionis ratione an iuretur.
Affectionis ratio non habetur.
Affectus ratio quando habeatur.
Declarata l.qui reſtituere.

Iurare in litem, quemadmodum Cicero pro Roſcio Comœdo oſtendit, aliud nihil eſt, quàm iureiurando rem, de qua in iudicio agitur, æſtimare. Vnde non male iuſiurandum in litem dicemus, illud eſſe, quod ob difficultatem probationis, concurrere dolo, aut contumacia rei conuenti, actori defertur, ad rem, de qua litigatur, æſtimandam. Quod Doctores triplex eſſe dicunt, affectionis videlicet, ſingularis intereſſe, veritatis. Affectionis, veluti, cùm res quæ probabilem recipit affectionem, dolo non reſtituitur. tunc enim vltra rei pretium, de affectione, etiam in infinitum iurare licet. *l. qui reſtituere. D. de rei vend. l. 1. & 2. & l. videamus. §. iurare. D. de in litem iur.* Singularis intereſſe, extra rem: ſicuti, cùm ob moram non ſolutæ ſua die pecuniæ, incidit in pœnam creditor, aut eius alio modo ſingulariter intereſt. *l. numis. 2. reſpon. D. de in lit. iuran.* veritatis, cum apud debitorē, qui dolo rei debitæ ſolutionem differebat, ſpecies perempta eſt: iurat quippe tunc creditor, quanti res poſt moram communi æſtimatione fuerit. *l. in actionib. u. ad fin. D. de in lit. iur.* Nunc agitandum propoſui, quod de iuramento affectionis, in ſtudioſorum ore quotidie verſatur. Et ea eſt omnium fermè calculo recepta ſententia, ratione affectionis, in litem iurari, dum quatuor concurrant. Rei cum primis petita natura, quia videlicet talis ſit, in quā probabilis affectio cadat. in numis enim (in quos peculiariter affecti eſſe nō poſſumus, ob functionem illam & ſimilitudinem omnimodam, quam recipiunt in genere ſuo. *l. 2. §. 1 ff. de reb. cred.*) nō iuratur in litem. *l. numis. ff. de in lit. iur.* Deinde actionis qualitas, quia bonæfidei ſit, aut ſtricti iuris, in qua verſetur exhibitio, aut reſtitutio: *d. l. in actionibus, & d. l. qui reſtituere.* Dolus præterea rei conuenti, in non parendo iudici, circa exhibitionem, aut reſtitutionem, adeo quidem, vt latam culpam non ſufficere viſum ſit. *d. l. in actionib.* niſi contra tutorem. *l. alio. C. de in lit. iur.* Denique habilitas perſonæ iurantis, quia pubes ſit, & ſanæ mentis. *l. videamus. in pr. D. de in lit. iur.* Ac dominus litis, vel quaſi dominus. *d. l. videamus. verſ. ſi tamen. & l. vulgo. eod. tit.* Et hęc eſt ſcriptorum opinio, quę, vt ingenue dicam, mihi ſemper ſuſpecta fuit. Vixque adduci poſſum, vt credam iurari de affectione: Nam præterquam quod nuſquam in iure hic iurandi modus tractatur: clamitat Iul. Paul. Pretia rerum non ex affectu ſingulorum, ſed communiter fungi, & æſtimari. *l. ſi ſeruum. D. ad l. Aquil. l. pretia rerū. D. ad l. Fal.* Et alibi Iulia. voluptatis, affectionisve exiſtimationem non haberi, docet: veluti, ſi dilexerit ſeruū dominus, aut eum in deliciis habuerit. *l. fin. D. de oper. ſeruor.* vt non ab re Vlpian. reſponderit, patronum rem iuſto pretio venditam non ideo reuocare poſſe, quod ſua intereſſe dicat, propter affectionem oportunitatis, vicinitatis, cœli, vel quod illic educatus ſit, vel parentes ſepulti. *l. 1. §. & alias videamus. D. ſi quid in fraud. patr.* Iuuerit hęc maxime, quod conſtitutum legimus, aduerſus occidentem ſeruum, aut ſurripientem filiumfa. affectionis rationē nullam haberi. *l. eum qui. §. ſi filiuſf. D. de furt. & d. l. ſi ſeruum. D. ad l. Aquil.* quanto minus igitur aduerſus contumaces: qui tametſi delinquere dicantur. *l. omne delictum. in princ. D. de re milit.* Accu. in *l. ſi filius. D. de interrog. actio. & in l. vnica. §. fi. ff. ſi quis ius dic.* illorū tamen delictum in omittendo conſiſtit, quod non perinde graue eſt, atque quod in faciēdo committitur. Accurſ. in *l. Cornelia. D. ad Syllania. & in l. ſi mora. D. ſolut. matrim.* Nec ignoro quandoque affectus rationem haberi, ad actionem videlicet concedendam, quæ alioqui non competebat: & in actibus, in iis, quibus ex bono & æquo agitur: vt in iudiciis bonæfidei. *l. cùm ſeruus. D. manda.* & iis, quæ iuxta ea iudicia aguntur. *l. pater filia. D. de euiction. l. ſeruus. ea. l. D. de ſer. expor.* Reſtitutionéque in integrum. *l. ſi in emptionē. D. de min.* At quod affectio ſola, rei æſtimationem creſcere faciat, nuſquam legitur: pretia námque rerum, vt ante diximus, non ex affectu funguntur. *d. l. pretia rerum. D. ad l. Falcid. & d. l. ſi ſeruum. D. ad l. Aquil.* Sed maximè in iureiurando in litem affectio ſpectanda non eſt: cum illud ratione eius quod actoris pecuniariter intereſt, deferatur. Damnum autem pecuniarium in affectione non conſiſtit. *l. ſi liber homo. & l. pen. D. ad exhib.* licet ratione amœnitatis conſideretur: cum eo nomine res pluris ſit, & magis vendibilis. *l. competit. §. 1. ff. quod vi aut clam. l. quod ſi ea res. ff. de impenſ. in reb. dot. fac.* Denique quòd nō iuretur de affectione, ſed quanti actoris interſit, probant. *l. numis. & l. in inſtrumentis. D. de in litem iur. præterea. l. videamus, ad fi. princ. eod. tit.* vbi hoc expreſſim Ful. notat, nota, inquit, iuramentum in litem, eſſe de eo quod intereſt, quod verbo vtilitatis ſignificatur. *l. ſi ſterilis. §. cum per venditorem. D. de actio. empt. l. ſi procurator. ff. ſi quis cautio.* Quoniam autem propter contumaciam rei iurat actor in litē: & ſic id quod intereſt, proprio probat ſacramento. *l. 2. & l. ſi tutor. ff. de in lit. iur.* omniſq; probationis difficultas tollitur: ſatis dicitur puniri contumacia, ex quo actor ſit quodammodo iudex, & teſtis, in propria cauſa, nec vltra dici poteſt, actorem de affectione iurare poſſe: nam & alioqui violaretur protrita illa reg. Nequeunt duo ſpecialia circa idem concurrere. *l. 1. C. de dot. promiſſion.* Nec huic noſtræ ſentētię quicquam obſunt. *d. l. 1. & 2. ff. de in lit. iur.* quę in pœnam contumaciæ, & doli rei conuenti permittunt iurari, vltra verum rei pretium: nam fateor ſi pluris actoris interſit, at non ideo ſequitur, actorem de ſua affectione iurare: non itē nos mouerit. *l. qui reſtituere. alleg.* quæ in litem iurari vult, ſine vlla taxatione in infinitum, hoc enim non contingit propter affectionem iurantis, quam leges nullatenus conſiderant: ſed ob dolum inexcuſabilem rei conuenti. *l. arbitrio. §. 2. ff. de dolo.* nec recte infertur à doctoribus, iuratur in infinitum, ergo de affectione. Quod latius videre poteris apud Corraſium in miſcellaneis.

Ad tit. ſi pars hæreditatis petatur.

Malè Accurſius *in l. Antiqui. 3. hoc tit.* legit, Treſgeminos pro Tergeminos, & ſimilis error extat apud Solinum, locus eſt eiuſmodi. Tamen fauſta quædam ex plebe quatuorgeminos edidiſſe legitur: corrupte, vt arbitror, pro Quater geminos. male item Accurſius, cūctos expeditos ſeu ſuccinctos interpretatur, quia hoc Epitheton, malè Horatio Senatori conuenit, quia milites non ſenatores cincti dicuntur. Ideo rectiſſime animaduertit Doctiſſimus Cuiacius, legendum Tergeminos cinctos non Horatios, quia Paulus ſua ætate, eos Horatios videre non poterat: quos tamē hic affirmat ſe vidiſſe. Itaque legendum putat Cinctos Senatores, à quibus Cincia, locus Romæ dicitur, vbi Cinciorum monumentum fuit, teſte Feſto. Malè etiam Accurſius pro Horatios, Oratores legendū putat, quia hūc locum ita legendum eſſe nulla editio antiqua præfefert, nec vlla coniectura Accurſius adductus ita legit, male etiam idem pro cincios cunctos legit.

NOTARVM LIBER SEXTVS
LIBRO SEXTO PANDECTARVM Iuris ciuilis reſpondens.

NOn potuit Accurſius diſſoluere antinomiam, quę videtur eſſe inter *l. in depoſiti. D. de re iudicata. & l. is qui dolo. ff. de rei vindicatione.* In illa dicitur, in depoſiti vel cōmodati iudicio quanquam dolo aduerſarij res abſit cōdemnato ſuccurri, vt ei actionibus ſuis Dominus cedat contra Paulus in *l. is qui dolo, de rei vindicatione.* Is, inquit, qui dolo fecit quominus poſſideret, hoc quoque nomine punitur, quod actor caueri ei non debet, actiones, quas eius rei nomine habeat ſe ei præſtiturum: in quo nodo diſſoluendo, quàm parum ſibi Accurſius cohæreat, quámque in eo à ſcopo procul reliqui aberrarint, ex eius, quam ea in re pręter eorum ſententiam magis probamus, interpretationis collatione diiudicandum malo relinquere, quàm in eis accuratius referendis refellendiſque prolixum eſſe.

Ad tit. de rei vindicatione. l. xvj.

Non intellexerunt interpretes in §. 1. quodnam tempus nauigationi ſit congruum. Id nobis petendum eſt ex Vegetij lib. 4. ca. 39. Is enim de menſibus loquēs, quibus tutius nauigatur, Ita ſcribit. Ex die, inquit, 3. Iduum Nouemb. vſque ad diem ſextum Iduum Martij maria claudūtur: nam lux minima nóxque prolixa nubium denſitas, aeris obſcuritas, ventorum Imbrium, vel nimium geminata ſæuitia, non ſolum claſſes à pela-

(PF

Digitized by Google

à pelago, ſed etiam commeantes à terreſtri itinere deturbat. Poſt natalem verò (vt ita dicam) nauigationis, qui ſolenni certamine, publicóque ſpectaculo multarum gẽtium celebratur, plurimorum ſyderum ipſiúſque temporis ratione vſq; in idus Maias periculosè maria tentantur. Ex his verbis Vegetij apparet, quod tempus nauigationis Paulus hic intellexerit, quod nullus ex veteribus interpretibus intellexit.

Ad l.xviij.eod.tit.

Hanc legem malè interpretatur Accurſius: lex autem eſt eiuſmodi, Si poſt acceptum iudicium poſſeſſor vſu hominem ceperit, debet eum tradere eóq; nomine de dolo malo cauere. Periculum eſt enim ne eum vel pignorauerit vel amiſerit: fruſtra enim præſtaretur illa cautio niſi teneret ea pignoris obligatio, quam ipſe poſt vſucapionem completam, ſed ante ſententiam feciſſet. Hic eſt text. legis in cuius interpretatione inſignis eſt error Accurſij, & eorum qui eum ſecuti ſunt, qui iſta putant locum habere in mobilibus rebus tantum, quarum vilis ſit & non pretioſa poſſeſſio: ſecus autem in immobilium vſucapione, quam volunt litis conteſtatione impediri, quod falſum eſt.

Ad tit. de Publiciana in rem actione. l.xxiiij.

Non animaduertit gloſſa Iuriſconſultũ facere differentiam inter prohibitionem & denunciationem, quæ ſic eſt facienda ex mente Iuriſconſulti. Denunciatio fit ante traditionẽ, prohibitio initio traditionis: ex hac etiam lege obſeruandum eſt, non eſſe verum quod plerique interpretes putant actiones arbitrarias imitari actiones bonæfidei. Actio enim hæc publiciana eſt in rem, & tamen in ea ſi omittas exceptionem competentem non ſuppletur officio iudicis, ſed pro omiſſa eſt, eritque id tibi fraudi, quod non eſt in bonæ fidei iudiciis, & ſic in hac actione, licet ſit arbitraria non veniũt fructus capti ante litem conteſtatam, qui tamen veniũt in iudicio bonæ fidei. Ex his igitur omnibus, concludimus falſo exiſtimaſſe quoſdã interpretes iuris, noſtri, actiones arbitrarias imitari actiones bonæfidei, nec etiam poteſt dici, Publicianam actionem mediam eſſe inter ſtrictas & bonæfidei, quandoquidem ad actiones ſtrictas magis accedat, quàm ad actiones bonæfidei.

NOTARVM LIBER SEPTIMVS
LIBRO SEPTIMO PANDECTARVM Iuris ciuilis reſpondens.

Ad tit. de vſufructu.

ACCVRSIVS non intellexit quid ſibi velit Iuriſconſultus eo loco. *l.7.h.tit.* Quoniã omnis fructus rei ad eum pertinet reficere quoq; eũ ædes per arbitrium cogi, Celſus *lib.18. Digeſtorum.* ſcribit hactenus tamen vt ſarta tecta habeat: non enim percepit Accurſius, quid ſibi vellent poſteriora hæc verba ſarta tecta. Sic enim interpretatur vt reficiat tignum vel coppum apponendo, vel vt habeat ea quæ remouentur occaſione emendationis, qua interpretatione nihil ineptius videri poteſt: ſed videamus quid hæc verba ſignificent. Sartè, inquit, tectus ponebant pro integrè, ob quam cauſam opera publica quæ locantur, vt integra præſtentur ſarta tecta vocant. Sarcire enim eſt, integrum facere, Sarta tecta exigendi cura ad cenſores ſpectabat: Interdum etiam ad Ædiles, raro ad Prætores, nec niſi cum ſenatus decernebat.

Ad l.Item ſi fundi.§ ſeminarij etiam.eod.tit.

Hic locus huius §. debet tamen conferendi agri cauſa ſeminarium paratum ſemper reuocare, quaſi inſtrumentum agri, ab Accurſio minime rectè intellectus fuit. Is enim hunc locum de frumento ſeminario intellexit, vt ex ſcholio vel gloſſemate eius apparet, ſuper verbo inſtrumentum citata per eum. *l. quæſitum.in fi. de fundo inſtructo legato.* Vbi & huius loci mentionem facit. Idem etiam Accurſius quodam loco Pandectarum ſeminarium locum eſſe dicit, vbi frumentum electum ad ſeminanda arua reponitur, quæ Accurſij interpretatio valde à vero aberrat. Videamus igitur quid ſit ſeminariũ, & dicamus eſſe locum ſubactum, in quo ſemina aut vitium, aut arborum panguntur, vt cum ad certam quantitatem excreuerint, in vinctum vel arbuſtum vel pomarium transferantur. Proinde ſeminarium (inquit Celſus) quaſi inſtrumentum eſt agri. Quemadmodum enim inſtrumentum id dicitur, ſine quo re aliqua vti commodè non poſſumus, ita ſine ſeminario vtilis ſatis arboratori aut vinitori ager eſſe non poteſt, duntaxat in iis locis vbi ſeminaria inſtitui ſolent, vt hodie apud Normannos.

l.vſufructuarius.§.ædificium.eod.tit.

Paragraphum, ædificium, malè à Doctoribus accipi, ideò à nobis nouè, &, vti debuit, declaratum.
Facta ex conſummatione formam recipiunt.
Curt. conſideratio exploſa.
Voluntas morte finitur.
Nouè declaratus. §. ædificium.

Adnotatione verò dignum illud animaduertimus, quod Neratius in *l.vſufructuarius.§.ædificium. D. de vſufruct.* ſcripſit. [Ædificium, inquit, inchoatum, fructuarium conſummare nõ poſſe, placet: etiam ſi eo loco aliter vti non poſſit.] Quæ verba cum doctores in *l. 2. D. de iuriſd. omnium iudic.* contorquent, auditorum ingenia nimium inuoluunt, & maximè conturbãt. Si quidem vulgò dicatur, ei cui non nihil permiſſum eſt, omnia videri permiſſa, ſine quibus conceſſum explicari nequit. *d.l.2.* Hunc obicem Accurſ. & reliqui ita diluunt, vt ideo fructuarius cœptum à proprietario ædificium conſummare non poſſit: quod ædificio rei forma mutetur, rei autem mutatione vſusfructus intereat. *l.repe.§.pen. & fin. D. quib. mod. vſusfr. amit.* quod leuius an abſurdius ſit, neſcio. Ædificia quippe, & facta omnia, ex conſummatione formam recipiunt. *l. ſi is qui quadringenta. §. quadam. D. ad l. Falcid.* vt conſummatione formam mutent, tantum abeſt. Præterea cum fructuarius caſam, cuſtodiæ cauſa earum rerum quæ in area ſunt, ædificare poſſit. *l. ſi area. D. de vſufructu.* modo ad fructum percipiendum cuſtodiẽdúmve neceſſaria ſit. *l. æquiſſimum. §. ſed nec ædificium. D. de vſufr.* cur non & iam cœptum, ſi aliter vti non poſſit, conſummabit? & Curt. in *d.l.2. col. pen.* aliud eſſe cœptum perficere, & aliud nouum ædificare: hócque illo facilius permitti tradidit. Si quidem hominum induſtria diuerſa ſit, vnde alia potuit eſſe proprietarij voluntas, & induſtria, qui ædificare cœperat, in eius ædificij conſummatione, & fructuarij: ideo non nouum facere ædificium, ſed iam cœptum perficere prohibetur. Quæ diſſolutio parui eſt apud me momenti Nam etſi proprietarius, poſtquam ædificium incœpiſſet, legato Titio vſufructu, diem ſuum obierit, cum voluntas, & quæcunque hominis induſtria, morte finiatur. *l.4. D. locat.* nulla eius qui ædificare cœpit, poſſet induſtria conſiderari: quo tamen caſu, verum eſſe Nerat. reſponſum, ambigit nemo. Mihi prõnunciatum illud, parcè detortum, planum videtur. Itaque ſciendum, fructuarium, & de nouo ædificare, & ædificiũ iam cœptum ad fructum percipiendum neceſſarium, conſummare poſſe. *d. §. ſed nec ædificium.* Nec tumultueris, quòd Iuriſc. dicat. *d. §. ædificium.* inchoatum ædificium, fructuarium conſummare non poſſe: etiamſi eo loco aliter vti non poſſit. Neque enim propterea negat, quin conſummari ædificium poſſit, ſi vſufructu aliter nequeat vti fructuarius. Sed vult, fructuarium, qui vſumfructum percipere, & colligere poteſt etiam ſi eo ædificij loco (qui à proprietario voluptatis fortaſſe gratia, aut alia quauis de cauſa, cœptus eſt) aliter vti non poſſit: ædificium illud inchoatum, conſummare non poſſe. Nam ſi aliter vſufructu vti nequeat, quàm ſi ædificium abſoluatur, quod cœptum eſt, fructuarium perficere poſſe, ipſe crediderim, & verius eſt. *l.1.§.1. D. ſi vſusfr. pet.* cùm & vſusfructus ſeruitus ſit, ſeruitute autem conceſſa omnia ad eam neceſſaria tributa intelliguntur. *l. ſi iter. D. de ſeruit. l. ſeruitutes. §.1. D. de ſeruit. vrbanorum prædio.* Et cum alibi Iulia. reſpõderit, eum qui excepto ædificio fundum legat, de ſolo etiam cogitaſſe videri, ſine quo ædificium conſtare non poteſt. *l. ſi fundum. §. qui fundum. D. de leg. 1.*

Ad l.x.eod.tit.

Eo loco huius legis, ex ſylua cædua pedamenta & ramos. Accurſius hæc verba perperam intellexit, dicit enim pedamenta eſſe paruulas arbores, ad pedes arborum grandium naſcentes quæ dicuntur germinales, vel ſuo more dubitans, dicit eſſe ſtipites arborum: Sed vt hoc intelligamus, id repetendum ab authoribus rei ruſticę Varro libro 1. *de re ruſtica*. Pedamentum ferè trium generum, vnum robuſtum, quod optimum ſolet afferri in vineam, è quercu ac iunipero, & vocatur ridica, alterum palus e perƈtica, melior e duca. Tertium, quod horum Inopiæ ſubſidio miſit arundinetum. Hæc ſunt verba Varronis: pedamentum igitur & adminiculum aut fiſſile eſt, vt ridica quo hodie plurimum vtimur, aut teres, vt palus. quibus expoſitis, intelligimus quæ Accurſius non intellexit.

Ad l. xiij. §. Item ſi domus. eod. tit.

Húnc locum huius legis. Nec per cœnacula diuidere domum, haud dubiè Accurſium nõ intellexiſſe affirmare auſim, quem vt intelligamus, ſciendum eſt Cœnacula eſſe loca altiora domus ad quæ ſcalis aut cochleis aſcenditur. Hæc autem incolebant tenuiores & inquilini, vnde Cœnacularius Vlpiano. l. Solutum. de pignoratitia actione. Videtur, inquit, tacitè, & cum Domino ædium hoc conueniſſe: vt non pactio cœnacularij proficiat Domino: ſed ſua propria, Quo in loco Accurſius modeſtè obmutuit: in hoc autẽ loco, hic ſenſus eſt, vſumfructuarium: vt locare poſſe vniuerſam domum, ita diſtrahere diuelleréque locationibus cœnaculatim cubilatimque non poſſe: quod ſine incommodo domus fieri non poteſt, quæ à domus vniuerſa forma ad cœnacula transfertur.

Ad l j §. interdum. ff. de vſufructu accreſcendo.

Hæc verba huius legis, paulò obſcuriora (vſusfructus quotidie conſtituitur & legatur, non vt proprietas eo ſolo tempore quo vindicatur) non rectè ex Azone interpretatur Accurſius eúmque ſubſecuti, & ex recentioribus quoque nonnulli, ita dici conſtitui quotidie vſumfructum, quia non aliter quàm patientia debitoris adquiratur, quæ in huiuſmodi incorporalibus traditionis loco eſt. *l. quoties. D. de ſeruitutibus*. hoc enim repugnat, quod tot locis legimus, acquiſitum vſumfructum à Iuriſconſultis dici, & ſecundum eorum interpretationem quot multorum dierum patientiæ ſunt, ſic in futurum tempus protractum, tot etiam vſusfructus eſſe intelligantur. Ac nullæ id ratione colligant, quot dierum patientiæ interueniant, tot vſusfructus acquiſitiones factas videri. Si quidem vt patientia debitoris quæratur, vſusfructus non tamen, vt cùm patientia ab initio interueniente quaſi traditus & acquiſitus eſt, iam pati nolente debitore, minus noſter eſſe intelligatur.

Ad l. vti frui. in principio. D. ſi vſusfructus petatur.

Vſumfructum non duplicem, cauſalem, ſcilicet, & formalem, vt Doctores communiſcuntur, ſed vnum eſſe.
Vſusfructus duplex, Cauſalis, & Formalis.
Noua opinio.
Explicati. §. ſi fundum. & §. Titius.
Seruitus pro commoditate.

De vſufructu, Doctor. cùm agunt, cum ita partiuntur, vt alius cauſalis ſit, proprietatis perpetuus comes: quem in rebus propriis habemus. *l. ſi cum teſtamento. §. ſi fundum. D. de exceptionib. rei iudic.* Alius formalis, ſic dictus, quòd eius forma à proprietate ſeiuncta ſit, eo quippe apud vnum, proprietate verò apud alterum exiſtente. *l. permiſceri, in princ. D. de acqui. poſſ.* & ita hunc in rebus alienis eſſe conſtat. *l. 1. D. de vſufru. l. vti frui in princ. D. ſi vſufru. pet. § 2. vbi Acc. de vſufru. in Inſtit.* Quam vſusfructus diuiſionem interpretes ad vnum omnes, vt ſacroſanctum receperunt: cum tamen ea tota commentitia ſit, alienáque à iuriſconſultorum traditionibus, qui vſumfructum finientes, [ius illis eſſe] dicunt, [alienis rebus vtendi] quæ verba diligenter perpendẽda ſunt. Nam cum finitionem rei definitæ ſubſtantiam continere oporteat, eandémque cùm diffinito conuerti, euidens ſit, vnum eſſe vſumfructum, qui in vſu, & fructu rerum alienarum conſiſtit: & quòd, ſi alius detur, nempe conſiſtens in iure vtendi rebus propriis, accuſari meritò potuerunt inſcitiæ, & ineptiæ legiſlatores: illa verba [alienis rebus] cõtra rei veritatem, diffinitioni vſusfructus infarciẽtes: cùm & vſusfructus, in rebus propriis reſideat. Sed qui hæc dixerit, hoc eſt qui doctorũ commenta tueri maluerit, quàm Iul. Paul. iuriſconſultum ſupremi nominis, & diſciplinarum omnium theſaurum, vſumfructum in *d. l. 1.* finientem, vix ſanæ mentis eum exiſtimem. vſumfructum itaque cum iuriſconſulto, vnum facio, & eum in reb. alienis. Quod & apertiſſimè Tripho. differit. [Cũ in fundo mariti, inquit, mulier habens vſumfructũ, dotis cauſa marito eum dedit, quamuis ad ea vſusfructus diſceſſerit, maritus tamen vſumfructũ non habet: ſed ſuo fundo quaſi dominus vtitur] *l. cum in fundo. in prin. D. de iur. dot.* Exprimit quoq; Vlp. dum tradit eum ſolum, ius ſibi eſſe vti frui intẽdere poſſe, qui habet vſumfructum: quare dominus non poterit, cum vſumfructum non habet. *l. vti frui. in princip. D. ſi vſusfr. pet.* Et cùm vſusfructus ſeruitus ſit. *l. 1. ff. de ſeruitut.* nec res propria cuiquã ſeruire poſſit. *d. l. vti. & l. in re commun. D. de ſeruitut. vrba. præ.* dici non poteſt, vſumfructum eſſe in rebus propriis. Quæ cum vera ſint, non faciunt huic noſtræ ſententiæ negotium iura, quæ vſumfructũ aliquem eſſe dicunt, qui proprietatem committatur. *l. ſi cum teſtamento. §. ſi fundum. D. de excep. rei iud. l. ſi ita ſtipulat. 6. §. Titius. D. de verb. obli.* nam illa non de vſufructu, vt ius eſt, agunt: ſed de ipſa commoditate percipiendi fructus, cum ipſo vſufructu nihil commune habente. *l. fundi Trebatiani. in fi. D. de vſu & vſufr. leg. l. neceſſario. §. fi. D. de peric. & commod. rei ven.* Cum in hoc ius, in illa purum & nudum factũ verſetur. *Ang. in l. ſtipulatio iſta. §. ſi quis ita. D. de verbor. oblig.* nam & hoc modo ſeruitus, quandoque pro ſimplici vtẽdi cõmoditate, & quocunque rei grauamine, accipitur. *l. ſeruitutes. 4. vbi dixi. ff. de ſeruit. l. ſi tibi homo. §. fin. ff. de legatis. 1.* perperam tamen quandocunque grauamen, & quancũque commoditatem vſus appellauerim ſeruitutem: quæ propriè deſignat ius, quo prædium vicino prædio ſeruit, vt pleniſſimè poſui *in rubric. ff. de ſeruitutibus*.

Hæc ex Corraſio, plura vide apud eundem.

NOTARVM LIBER OCTAVVS
LIBRO OCTAVO PANDECTArum iuris ciuilis reſpondens.

Ad tit. de ſeruitutibus.

In pariete communi quando inuito ſocio facere liceat, & quid ſit incruſtatio. quidque vulgaria tectoria, aliáque ad parietes pertinentia, non inuenuſtè tractata, quæ ab Accurſio & aliis obſeruata, non fuerunt.
Crates parietes, quid ſit contra Accur.
Socius in pariete communi nihil poteſt inuito ſocio.
Niſi ad neceſſariam refectionem.
Moroſus ſocius in refect. impenſarum dominium perdit.
Incruſtare.
Cruſta, cruſtum.
Deaurata, templum Tholoſanum.
Vaſa cruſtata.
Tectoria.
Iuuenalis locus enarratus.
Vulgaria tectoria

PArietes, qui communiter vtriuſque domus onera gerunt, & ſuſtinent, naturali ratione communes ſunt. *l. parietem. D. de ſeru. vrban. prædior.* quos *Marcus Vitruuius in libro de Architectura,*

Inter

Intergerinos appellat: quòd à vicinis extructi, veluti intergerant, hoc eſt, communiter gerendo ſint. Alij Craticios, vel etiam Concraticios, dicunt. *l. ſi fratres. §. item Mela. ff. pro ſoc.* In quibus illud obſeruandum, *in d. l. parietem.* Caius docet, vt alterutri vicinorum, demoliendi parietem communem, & reficiendi, ius non ſit: cùm non ſolus ſit dominus. Sed nec feneſtram, aut aliud quiduis facere, quo deterior reddatur, *l. quidam Hyberus. & l. eos qui. ff. de ſeru. vrb.* Si tamen paries refectione indigeret: quia non ſatis idoneus eſſet ad onera ſuſtinenda, poteſt vnus ex ſociis, altero etiam inuito, ruiturum parietem reficere: quodque impendit, à ſocio recuperabit. *l. ſi parietes. cum duab. ſe. ff. de dam. infe. l. ſi communes. ff. de nege. l. ſi ædes. ff. comm. diu.* cum & quodcunque commune ædificium, ſecundùm neceſſitatem, ab vno ex ſociis, altero etiã nolente, refici poſſit: & ita, vt ſi in reſtituendis impenſis, ſocio reficienti per quadrimeſtre ſocius moram faciat, qui refecit, in ſolidum dominus fiet. *l. ſi fratres. §. idem reſpon. 2. ff. pro ſoc. l. ſi vt proponis. C. de ædific. priuat.* vſque adeò legiſlatores reipubl. intereſſe putauerunt ruinis ædificiorum aſpectum publicum non deformari. *l. 2. §. ſi quis nemine. & l. fin. ff. ne quid in loc. pub.* Parietem quoque communem, ſecundùm Capitonis ſententiam, incruſtare licet, inquit Proculus, ſicut licet picturas precioſiſſimas habere in pariete communi. *l. quidam Hyberus. §. parietem. ff. de ſeru. vrb.* Incruſtatione etenim non fit paries communis deterior, & ex pacto eius qui incruſtat, melior redditur, & ornatior meritò incruſtare conceſſum. *l. in fundo. ff. de rei vend.* nec hoc caſu potior erit vicini prohibentis conditio. Eſt autem incruſtare, parieti, pauimento, aut alteri operi, cruſtam adiungere, inducere, & applicare. Cruſta verò fœm. genere fragmẽtum eſt quoddam tenuè, vel lapidis, vel ligni, vel vitri, vel alterius eiuſmodi eorum, quæ non comeduntur. Virgil. iij. Georg.

Concreſcunt ſubita currenti in flumine cruſta.

Cruſtum verò, & cruſta, neutro genere dicimus, de his quæ eſui ſunt. Virg. vij. Æneid.

Fatalis cruſti. patulis nec parcere quadris.

Et Horat. per diminutionem, in Satyris,

Vt pueris olim dant cruſtula blandi

Doctores, elementa velint, vt diſcere prima.

Iuuenaliſque. ix. Satyra.

Nos colaphum incutimus lambenti cruſtula ſerui.

Illis porrò cruſtis, parietes ad voluptatem, & ornatum operiuntur. *l. impenſa. §. ſi. ff. de verb. ſig.* Hac incruſtatione exornatos fuiſſe parietes, contectùmque pauimentum, antiqui illius templi Toloſani, quod Deauratam vocant, vel ex ipſa vetuſtate coniecturam facio: indéque ſibi aſciuiſſe. Deauratæ nomẽ arbitror, quòd incruſtatio aurata tota eſſet, vt ex fragmentis illis tenuibus, quæ adhuc apparent, ſatis conſtat. Sed & vaſibus, quandoque cruſtæ applicantur: vnde & vaſa cruſtata dicimus, quæ vitreis cruſtis intecta ſunt. Incruſtationem à Gallis Lambriſſuram vocari Bud. docet. Sunt & tectoria illinimenta illa, quibus ad maiorem ornatum parietes dealbantur, ex calce, aut hypſo confecta, à tegendo ſic appellata. *l. in rutis. ff. de verbor. ſignificat.* quorum Iuriſc. nõ vno in loco meminerunt. *l. quidam. Hyberus. §. fin. ff. de ſeru. vrb. l. ſi duo. §. ſi vicinis. ff. vti poſſid. & l. vſuſfructus nouum. ff. de vſufruct.* vnde Iuuen. Satyr. metaphoricôs, medicamenta illa, quibus mulier faciem domi linit, & operit, vt tenera, & cãdida cutis fiat, Tectoria vocat.

Ad mœchum veniunt, tota cute quando videri
Vult formoſa domi, mœchis foliata parantur:
Hiſque emitur quidquid graciles huc mittitis Indi:
Tandem aperit vultum, & tectoria prima reponit,
Incipit agnoſci.

Hæc tectoria, pleranque vulgaria ſunt & non pretioſa. *l. quidam Hiberus. §. fin. de ſer. vrb.* hoc eſt vſitata, vilia, communia, & conſueta. *l. 1. ff. de preſcri. verb.* quæ ideo non magni æſtimantur. *d. §. ſi.*

Vide Coraſium in Miſcellaneiſuis.

Ad l. ſi Domus. ff. de ſeruitutibus vrbanorum prædiorum.

Remiſſa vna ſeruitute, alteram nullo caſu ſublatam videri perindeque intellectam hactenus. l. ſi domus.

Notæ ad Accurſ.

Renuntiatio ad ius non expreſſum producitur.
Repudiationis ab inteſtato virtus.
Seruitute vna ſublata, altera remanet.
Doctorum omnium opinio improbata.
Expoſita. l. ſi domus.

Quoniam ſeparata eſt, & diuerſa *ſtillicidij recipiendi* ſeruitus à ſeruitute *altius non tollendi*: vna ſublata, altera remanet. *l. ſi prius, in principio. ff. de aqua pluu. arc.* & cum nihil commune habeant, remiſſio vnius, alterius non infert remiſſionem. *l. naturaliter. §. 1. ff. de acquirend. poſſeſ.* nam & limitatã cauſa, limitatum effectum habet. *l. in agris. ff. de acquirend. rer. dom.* inceſſione maximè iuris proprij, quæ ſtrictiſſimè eſt interpretanda, *c. ſuper hoc. de renunc.* quando iactare ſuum nemõ facilè præſumatur. *l. cum de indebito. ff. de proba.* Vno planè caſu ad ius non expreſſum producit effectum renuntiatio. vbi ſine eius remiſſione expreſſa renunciatio inutilis eſſet. *l. nec ei. §. hæres. ff. de acq. hær.* quo loco docet Vlp. eũ qui ſciens hæreditatẽ ex teſtamento ſibi delatã, ab inteſtato repudiat, vtrãque nihilominus ſucceſſionẽ repudiaſſe videri: quòd alioqui inefficax redderetur renuntiatio, neque enim inteſtati ſucceſſioni locus eſſe poteſt, quandiu viget teſtamentaria, *l. quandiu. ff. de acquirend. hæred. l. antequam. C. communia. de ſucceſſ.* ideo ab inteſtato ſucceſſio repudiari non poteſt: quia nondum delata. *l. ſi ita ſcriptum. §. ſi ſub conditione. ff. de lega. ij.* niſi prius intelligamus, repudiatam ex teſtamento. Hac ratione Accurſ. & alij in *l. ſi dominus. ff. de ſerui. vr.* exiſtimant, quòd ſi vnius l. ſpecie, [ſtillicidij recipiendi] ſeruitus remiſſa fuiſſet, ſeruitus quoque [altiùs nõ tollẽdi] remiſſa intelligeretur. quod niſi hæc remiſſa cenſeatur, illius ceſſio inefficax ſit. *l. 2. ff. de iuriſd. omn. iud.* neque enim (inquiunt) poteſt non recipere, vt niſi altiùs tollat. Quam opinionem tam abſurdam puto, vt abſurdius nihil dici poſſit. quis enim tam ſtupidus eſt, qui neſciat [ſtillicidij recipiendi] ſeruitutem, ſine ſeruitute [altius non tollendi] & ab initio, & ex poſt facto eſſe poſſe? Quis eſt præterea qui non intelligat debita à vicino mihi vtraque ſeruitute, ſi ei duntaxat conceſſerim, ne teneatur recipere ſtillicidia mea, iniuſtum ob id eſſe, me iure priuari, quo præterea mihi obſtringitur, ne tollere ædes ſuas altiùs poſſit? Diuerſam quippe cauſam habent hæ ſeruitutes: namque quæſij à vicino ſeruitutem [ſtillicidij immittẽdi] ne aqua in meum cadens, ædium, putà, mearum fundamentis noceret. Seruitutem [altiùs non tollendi] quærere volui, ne luminibus meis officeretur. Quare perquam eſſet iniquum, vnam tantum remittentem altera priuari. *d. l. ſi prius. in princ.* Ridiculum autem eſt, quòd doctores dicunt, non poſſe vicinum non recipere, niſi altiùs tollat: poterit quippe agere negatoria, & cogere vicinum, qui remiſit, aliò, vel in ſuum, ſi opus eſt, fundũ, ſtillicidium auertere: & ita nec altiùs tollet: nec ſtillicidium recipiet. Verumenimvero, ſi vna ſeruitus à te mihi debeatur, & permiſero tibi, ius eſſe in loco ſeruiente, ædificandi ſeruitutem amitto. *l. ſi ſtillicidij. ff. quemadmod. ſeruitus amittat.* Satis enim hoc ipſo remittere videor, quicquid iuris in eo fundo habeo. Et tunc alioqui verum eſt, conceſſionem inutilem, cum poſſit dominus prædij ſeruientis in eo liberè ædificare: dum nõ impedit vſum ſeruitutis. *l. ſeruitutes. §. fin. de de ſer. vrb.* Diſpoſitio autem etiam in ſeruitutibus ita interpretanda eſt, vt nonnihil operetur: néve ſit inanis. *l. ſi tam anguſti. ff. de ſerui. l. ſi quando. ff. de leg. 1.*

Vide Corraſium in Miſcellaneis.

Eodem titulo.

Malè vulgo cenſent interpretes in *l. 15. de ſeruitutibus vrbanorum prædiorum.* Paulum de luminum ſeruitute loqui, ego id falſum eſſe puto, & exiſtimo de ſeruitute, ne luminibus officiatur eum potius loqui. Idque confirmo authoritate inſcriptionum. Vlpianus enim libro 29. ad Sabinum de ea ſeruitute diſcreuerat oſtendere, volens quid inter eam & ſeruitutem nẽ proſpectui officiatur, intereſſet ex eóque, Vlpiani libro ſumptum eſt caput 14. & 16. Inter quæ duo capita, hæc verba Pauli interiecta ſunt, quibus differẽtia illa ab Vlpiano tradita fuſiùs explicatur.

Malè accipiunt interpretes locum illum *l. vltim. hoc titulo.* Lucium Titium quatenus ſtillicidij rigor, & tignorum

protectus competebat, ianuam in publico aperuiſſe, id enim ita accipiunt, quaſi ob ſtillicidium & protectum id ei licuerit, quę interpretatio falſa eſt. Nam de ſtillicidio, non minus apud Scæuolam dubitatur, quàm de ianua: Sed quod non vltra protectum ſolerent veteres ianuas ſuas in publicum reiicere veriti, ſcilicet, ne pluuia & aëris intemperie corrumperentur.

Ad l. fiſtulam. eod. tit.

Cur fiſtulam iuxta parietem communem, ſicuti balneum habere non liceat: Et de caſtelli, Triclinij, Tepidariique, ſignificatione, quã Accurſius ignorauit.
Fiſtula iungi parieti communi nequit.
Balneum iuxta parietem communem extruitur.
Caſtellum.
Triclinium.
Cœnabatur olim in terra.
Tepidarium.
Vas ahenum.

Quandoque quæſitum eſt, cur cõſtituerit Iul. Paul. poſſe vicinum habere balneum iuxta parietem communem: quamuis humorem capiat paries, ſicut & in triclinio, vel cubiculo ſuo aquam effundere: fiſtulam autem, quæ ex caſtello, aut ex cœlo, aquam capiat iunctam parieti communi, non iure haberi. *l. fiſtulam. ff. de ſeruitut. vrb.* Reſpondi diuerſitatis rationem non obſcuram eſſe, ſi meminerimus, in ſuo cuique facere permiſſum, modò in alienum non immittat. *l. ſicuti §. Ariſto. ff. ſi ſer. vind.* At qui fiſtulam, aut canales adiungit parieti communi, in alienum immittit: non item qui balneum, quod nec impedit parietis communis humorem capiat, ſublato quippe pariete, manet balneum: quod nec impedit parietis communis refectionem. *d. l. fiſtulam. §. iuxta.* vnde & eo caſu, quo aſſiduus humor ex balneo vicino nocere poſſet, Neratij ſententia obtinuit, vt rectè prohibeatur. *d. l. fiſtulam. ad prin.* multóque magis iuxta parietem alterius ſterquilinium facere. *l. ſi quando. §. fin. ff. ſi ſer. vin.* Quoniam autem caſtelli, Iul. Paul. meminit. *ad l. fiſtulam.* Sciendum caſtellum nonnunquam locum muris munitum ſignificare, vt author eſt Seruius, vrbem, ſicuti apud Ciceronem, pro Cæcin. de Caſtello Auxia agentem, & frequentiſſimè apud Matth. Marcum & Lucam Euangeliſtas, quandoque verò receptaculum aquę per quod aqua in varia loca diſtribuitur. Et caſtella huiuſmodi, quædam publica ſunt, quædam priuata. Publica dicuntur receptacula illa, quæ publicam aquam ſuſcipiunt. *l. 1. §. hoc interdictum. ff. de aq. quot. & æſt.* priuata verò, vt ex Iul. Frontino de aquæductibus, Budæus oſtendit, receptacula ſunt aquæ vel cubis deriuatæ, vel machinis hauſtæ, ex quibus aqua per fiſtulas, & ſaliẽtes ad eum locum quo opus eſt, emittitur. *l. fund. §. Labeo. ff. de act. emp.* Eſt autẽ Triclinium, de quo pariter Paulus verba facit *d. l. fiſtulam.* vox Græca, latinitate donata, ſignificans locum, & conclaue, in quo conuiuio accepti, diſcumbebant cœnando, à tribus lectis, ſic dictum. τρεῖς enim tres, & κλίνη, lectus vocatur, nam veteres, qui iacendo cœnabant (vt & Turcas hodie facere narratur) tres menſas conuiuio adhibebant, & totidem lectos, quos inter ſe contiguos, ſternere ſolebant, & inde dictum Triclinium, *l. ſi vt certo. § ſi de me. ff. commod.* Meminit quoque Paulus, ex Neratij ſententia, Tepidarij, quod interdũ cellam, in quam ex balneis exeuntes, plerunque ingrediebantur, plerunque vas quoddam ahenum, ex quo aqua tepida (hoc eſt, temperata, & media, inter calidam & frigidam) hauriebatur. Et quo veteres præſertim, vſi ſunt, in hypocauſtis, & balneis: in quibus parua quædam fornax erat, qua incluſus ignis, partim calefaciebat ea loca, partim aquas, ad lauandum temperabat. Super eum tria ahena vaſa componebantur: vnum, caldarium, ex quo aqua calidæ: alterum frigidarium, ex quo frigida: Tertium, tepidarium, ex quo tepida aqua, & temperata hauriebatur.

Ad l. qui in ſella. eod. tit.

In hoc loco huius legis. Qui in ſella aut lectica vehitur ire, non agere dicitur. Accurſius malè de equo intellexit. Sella enim curulis, intelligenda eſt, vt ſellã qua magiſtratus Romę vehi ſolebant: Iuuenalis,

Viſne ſalutari ſicut Seianus? habere
Tantundem? atque illi ſellas donare curules?
Illam exercitibus præponere.

Sella illa curulis, vectabulum erat quo ſedentes magiſtratus geſtabãtur quod geſtatorium etiam dicitur, & geſtatoria ſella.

Ad l. Lucius. eodem.

Et loco huius legis, vbi digiti fit mentio, Accurſius neſcio quid nugatur hic diuinaciter, & vt ſolet de digitis & toſtis, ſtatuarum, digitus autem, pro fiſtula digitaria intelligendus, aut etiam vnciaria, vnciæ enim modulus habet diametri digitum vnum, & digiti trientem, Hyſotomum autem terram inter duo maria interpretatur, quòd ſi ita eſt non Hyſotomum, ſed Iſthmum legendum.

Ad titulum communia prædiorum, tam vrbanorum quàm ruſticorum.

Id l. proprium. hoc titulo. eo loco. Seruitutem recipere, niſi ſibi nemo poteſt, & paulo poſt, ita vt tota ſeruitus ad eum qui receperit pertineat, malè Accurſius aliàs ait, excipere legi, videlicet id commẽtus: quia verbum hoc non intelligebat: videamus autem quid ſit hoc loco recipere. Recipere (inquit Nonius) eſt exceptum facere. Eſt autem recipere antiquum verbũ iuris, *Gellius lib. 17. cap. 6.* Quando mulier, inquit, dotem marito dabat, tum quæ ex ſuis bonis retinebat, neque ad virum tranſmittebat, ea recipere dicebatur.

Ad l. venditor. eodem.

Malè Accurſius eo loco huius legis legem dederat, ne contra eum piſcatio, thynnacia exerceretur, legit tignaria, & neſcio quid de huiuſmodi piſcatione dicit, Thynni ſunt piſces prægrandes.

Ad l. ſicuti. §. Ariſto. D. ſi ſeruitus vindicetur.

Accurſianorum nemo intellexit quid in hoc *§. ſignificet* Tabernaria Caſearia, ſanè pro ea accipere debemus, in qua fumigari ſolent caſei. Moris enim fuit veteribus Romæ, ac in pleriſque Italiæ locis colorandi, ſiccandíque caſei gratia fumum, aut ex curulis, aut ex malignis, viridibúſque lignis facere Plinius *lib. 11. cap. 42. Columella lib. 7. cap.* 8. de caſei faciẽdi ratione loquens. Eſt etiam (inquit) non ingrati ſaporis muria perdũratus atque ita maligni ligni vel culmi, fumo coloratus, Explicationem integram liuius. *§. vide apud Duarenum diſputationum anniuerſariarum. lib. 1. cap. 24.*

Ad l. x. eod. titulo.

Quod Accurſiani, ius pro titulo in hac lege accipiunt, in eo vehementer falli nobis videntur, cùm longè amplius & maius ſit in hoc tractatu, ius quam titulum habere atque ita paſſim eo verbo vſos fuiſſe veteres cõperimus. *l. 2. §. vlt. ſi ſeruit. vindicetur. l. 1. §. vlt. De aqua pluuia arcenda. l. appareat de itinere actúque priuato.* Nam probabilius eſt in rebus quoque incorporalibus, lõgo tempore acquiſiti, titulo opus eſſe, cùm præſertim nulla ſatis firma ratio ſit cur à iuris regula, de rerum vſucapione recedamus, *§. Nullo. C. de rei vindicatione,* Itaque Vlpiani reſponſum aliter interpretandum eſt, ne id ex eo colligitur. Nam in actione confeſſoria de qua ſub eo titulo diſſeritur, de iure tantum quæritur, non de facto, id eſt, iam actionem ei tantum dari, qui ſeruitutem ſibi competere docuerit, nec vllam vſus ſeu poſſeſſionis rationem haberi. *l. 2. §. vlt. eodem titulo.*

NOTARVM LIBER NONVS
LIBRO NONO PANDECTARVM Iuris ciuilis reſpondens.

Ad l. Si ſeruus. eodem. ad l. Aquiliam.

MAlè Accurſius extricatas margaritas ab inuicem ſeparatas interpretatus eſt naturã vtique margaritarum ignorans. de quib' Plin. lib. 9. ita inquit, Dos omnis in candore, magnitudine, orbe læuore, pondere haud promptis rebus, in tantum, vt nulli duo reperiantur indiſcreti, vnde nomen vnicum humanæ ſcilicet impoſuere deliciæ. Accurſius igitur extricare malè pro ſeparare intellexit. Extricatos autem vniones Vlpianus eos intellexit, qui ex rudi & natiuo habitu arte gemmarij politi ſunt. Eſt enim extricare quod Græci ἐκλέπειν, hoc eſt dempto cortice expolire.

Ad eandem l. eod. tit.

Non intellexit Accurſius in *l. qua actione. 7. §. ſi quis in Colluctatione.* quid eſſet Pancration, nos dicamus Pancratium eſſe certaminis genus, ex eo dictum, quod aduocatis omnibus corporis viribus, omniúmque neruorum contentione tranſigitur. Calcibus enim etiam & cubitis non modò pugnis Pancratiaſtæ vtebantur, omnique impetendi prehendiq; modo. de hoc more meminit Gel. *lib.* 13. *c.* 8. *&* 26. meminit Plin. *li.* 34. his verbis: Fecit & Satyram admirantem tibias, & Mineruam, Delphicos Penthalos, Pancratiaſtas, Quintilianus *lib. 2. de inſtit. oratoriis capite. 9.*

Ad l. Si quis teſtamentum. eodem.

Malè Accurſius in eo loco huius legis, Quemadmodum æſtimatio inibitur pro Inibitur legit inhibetur. Inire enim æſtimationem dicimus, vt inire rationem.

Ad tit. de his qui deiecerunt.

In l. *Si verò.* 11. *hoc tit.* eo loco: ex cuius cubiculo vel exhedra deiectum eſt, Accurſius diuinaci coniectura feneſtram interpretatur. Exhedra Grecè à ſedium frequentia & ſeſſitandi commoditate nomen accepit. Vitruuius de his ſic loquitur, Conſtituantur, inquit, in tribus porticibus exhedræ ſpacioſę habentes ſedes in quib philoſophi rethoreſq; ac reliqui qui ſtudiis delectantur ſedentes diſputare poſſint.

Ad l. Iulianus. §. Quantum. ad exhibendum.

Eo loco huius §. Poſſit exequi actione quod deſtinauit, & in nulla cauſa quam intendit, læſa malè ab Accurſio legitur, pro cauſa nullo caſu, & ſic legendum, vt initio dixi, nemo niſi tardiſſimus non intelligit, vt ſit cauſa quam intendit in nullo læſa, id eſt, nullo modo.

Ad l. 5. §. ſi id quod. eod. tit.

Quod Accurſius addit huic legi in dominum aut habitatorem dari directam actionem nõ puto omnimodo recipiendum. Nam ſi dominus vel habitator neſciuit poſitum, etſi deciderit, non tenetur. *§. poſitum hac lege.* ſi ſciuit, tum etiam tenetur, tanquam ipſe poſuerit, *dicto §. poſitum.* potiùs tamen is qui poſuit, tenetur in factum actione, quia euidentior eſt culpa ponentis quàm habitantis: idque ad exemplum eius actionis quæ proponitur poſteriore loco huius edicti, quemadmodum datur etiam actio in factum, ad exemplum legis Aquiliæ, in ſpecie, *l. boues. ff. ad legem Aquiliam,* cùm non ſufficiat ſeu deficiat actio à lege data. *l. ſi verò. §. de viro. ff. ſoluto matrimonio. § ult. in fin. de lege Aquilia.*

NOTARVM LIBER DECIMVS
LIBRO DECIMO PANDECTARVM Iuris ciuilis reſpondens.

Ad tit. familiæ erciſcundæ.

HOc loco Accurſij quendam errorem detegere conamur ex quadam l. *tit. fa. erciſ.* Accurſius paſſim in ſuis gloſſis plerũmque in hac fuit ſententia: in diuiſione hereditaria in qua tranſigi videtur pro parte euinci poſſe, & ꝓ parte cõdici quod meritò reprobatum fuit. Nam *legis Cùm putarẽ. fam. erciſc.* verbis generalibus conuincitur: dum enim ibi dicitur condictionem dare quis, coarctationem & limitationem hanc æquo admittat, vt intelligimus, pro parte tantùm dari pro reliqua rei vindicationem. nam ſic rectè legendum eſt ſub finem illius reſponſi. Planè ſi ſine Iudice diuiſerint res, etiam condictionem ei qui fuit hæres competere dici poteſt, non enim trãſactum inter eos intelligitur, Cum illi cohæredem eſſe putauerit, ex quibus verbis colligitur ſi tranſactum intelligeretur, nullius partis condictionem dari, cuius rei contrarium ſentit Accurſius. Nec ius mouerit eius ratio quæ eſt eiuſmodi: Cùm rem meam quaſi tuam trado non transferri dominium, quoniam qua ratione pro dimidia transfertur eadem, & pro tota transfertur. Cum in diuiſione vniuerſitatis altera res in locum alterius ſuccedat, & quod vnus hæres habet ex ſeipſo habere non à cohærede creditur.

Ad tit. Communi diuidundo.

Malè interpretes colligũt *ex l. 20. communi diuidundo.* eius qui edicto magiſtratus per contumaciam non paret domum dirui poſſe, quod durum & incredibile omnino eſt. ſufficit enim pignus aut mulcta, vt Cicero in Antonium diſputat, aut aliud genus coercitionis legibus proditũ. *l. 1. ſi quis ius dicenti non obtemperauit. & 11. quibus ex cauſis in poſſeſſionem eatur.* Cùm præſertim Reipublicæ interſit ne ædificia diruãtur, *l. 1. de tigno iuncto. l. 3. C. de ædif. priuatis.* Itaque ne id ex eo loco colligi poſſit, approbo cum Duareno lectionem Haloandri qui ſic legit: Si is cum quo fundum communem habes ad delectum non reſpondit, quæ lectio confirmari poteſt authoritate Arriani *l. 4. de re militari. & declamatione. 3. Quintiliani.* Eo tamen vſque populus Romanus vindicta proceſſit vt ardẽtibus bello finibus ad delectum nemo reſponderet, niſi & pœna corruptoris, & abrogatione legis ſatisfactum eſſet.

NOTARVM LIBER VNDECIMVS
LIBRO VNDECIMO PANDECTARVM Iuris ciuilis reſpondens.

Ad l. de ætate. §. quod autem. de interrogationibus in iure faciendis.

IN hac lege ridiculus planè eſt Accurſius, qui Gręcas voces tanquam Latinas exponit. Nam cùm in illa lege cuiuſdam loci hic ſenſus ſit, omnino non reſpondiſſe videtur, qui ad interrogatum non reſpondit, id eſt οὐκ ἴσος. Accurſius hanc Græcam vocem tanquam Latinam exponit pro ſepos: cui deinde quoniam vltima ſyllaba nihil ſignificabat, facile fuit addere, vt diceretur, poſcit; atque ita ſic interpretatur. Accurſius οὐκ ἴσος pro ſe poſcit, qua re nihil abſurdius videri poteſt. Sed quid ego hic Accurſium quaſi vel hic vnus eius error ſit, alióſque nihilo leuiores fuerit, vel iuſtam cauſam non habeat, qui eorum vitiorum reus fiat, quæ temporis magis erant quàm hominis.

Cum l. 1. hoc tit. actiones interrogatoriæ ſublatæ dicuntur,

Digitized by Google

interrogatoriam non hic vocamus, qua interrogationi cogitur reſpondere aduerſarius, vt quidam opinantur malè: nulla enim eo nomine vnquã fuit actio, nec actionis nomẽ huic rei conuenit, ſed dicitur interrogatoria, quę ex interrogati reſpõſione datur, perinde ac ſi obligatus eſſet. *l. de atate. l. vlt. eodem tit.* & hæc etiam actio confeſſoria dicitur, *l. proinde. D. ad legem Aquiliam.*

Ad tit. de iureiurando, ſiue voluntario, ſiue neceſſario, ſiue iudiciali.

In *l. Iuſiurandum, & ad pecunias*, eo loco, [ſi de qualitate iuramenti fuerit inter partes dubitatum, conceptio eius in arbitrio iudicantis eſt.] Et paulò poſt: [Ideo ſi quid tale inciderit, officio iudicis conceptis huiuſmodi iuriſiurandi terminetur.] Hæc verba Accurſius neutrobi intellexiſſe videtur, quia ignorat quid ſit cõcipere iuſiurandum. quid autem ſit cõcipere iuſiurandum, ex verbis Taciti intelligere poſſumus: ſic enim inquit de delatoribus loquens, [Signo vltionis in accuſatores dato. petit à Cæſare Iunius Mauricus, &c.] deinde paulò poſt: [Senatus, inchoantibus primoribus, iuſiurandum concepit, quo certatim omnes magiſtratus, cæteri vt ſententiam rogabantur, Deos teſtes aduocabant, nihil ope ſua factũ, quo cuiuſquam ſalus lęderetur, &c.] ex quibus verbis manifeſtum eſt quid ſit concipere iuſiurandum.

Ad titul. Si menſor falſum modum dixerit, ad l. ſiue.

In h. l. valdè errauit Accurſius: ſed id intelligi non poteſt, niſi textus legis proponatur, qui ſic ſe habet: [Si menſor falſum modum dixerit, cum ex edicto prætoris teneri cõſtat,] addit Paulus hic, [idem eſſe, ſiue de itineris latitudine feſellerit, ſiue de ſeruitute immittendi proiiciendíque quæratur.] Contorſit hic ſe Accurſius, quid enim (inquit ille) commune habet menſoris officium cum ſeruitute immittẽdi & proiiciendi: Illa enim menſuram non accipiunt, quare peſſimè iſtud intellexit. vt cùm agitur de latitudine loci in quem mittatur proiiciatúrve: quam expoſitionem nemo ſanę mẽtis probare poterit: cùm tunc non de ſeruitute ipſa quæratur, vt Iuriſconſultus dixit, ſed de loco in quo ſeruitus conſtituatur. Et vt hæc rectè intelligamus, nobis ſciendum eſt, menſorum officium apud antiquos non ſolùm in eo verſari ſolitum, vt agros metirẽtur, ſed vt etiam pronuntiarent, & non de menſuris tantùm, ſed etiam de ſeruitutibus. Oſtendit id rectè Aggenius Vrbicus in libro de limitibus agrorum, qui cùm de ſeruitutibus itineris aquæ pluuiæ, & ſimilibus diſſeruiſſet, ſubiungit difficillimum eſſe menſori, in eis plerumque iudicare. [Sed & in indicando, inquit menſor virum bonum & iuſtum agere debet, neque vlla ambitione aut ſordibus moueri, ſeruare opinionem & acti & moribus: omniſque illa artifici veritas cuſtodienda eſt, excluſis illis ſimilitudinibus, quæ falſæ pro veris ſubiiciuntur, &c.] quæ loca oſtendunt menſoris officiũ etiam ad ſeruitutes pertinuiſſe.

Ad tit. de ſeruis fugitiuis ad l. Limenarchæ.

Limenarchæ non à limine dicuntur, vt Accurſius perperam exiſtimauit: dictio enim merè Gręca eſt, non bigena: raro enim antiqui eiuſmodi dictionibus vſi ſunt, quæ ex Latino peregrinóque componuntur. λιμήν Græcè, Latinè, portus dicitur: vnde Limenarcha, qui locis maritimis præeſt, vnde traiectus eſt ad exteras nationes.

NOTARVM LIB. DVODECIMVS

AD III. PARTEM DIGEST.

Ad tit. de rebus creditis, Si certum petatur.

NOn probatur mihi ratio ordinis quam hic Accurſius ponit, cùm dicit ſuprà dictum eſſe de actionibus realibus, vti de rei vindicatione & Publiciana, nunc de perſonalibus dicendum, quæ quia ex contractibus naſcuntur, ideò primò agitur de rebus creditis: hac ratione nitor vt improbem hanc continuationem (vt illius vocabulo vtar) quia in hoc titulo & ſequentibus non tractatur principaliter de perſonalibus actionibus, ſed de contractibus variis, ex quibus iſtæ oriuntur. Deinde notandum maximam eſſe differentiam in Inſtitutionibus inter titulos contractuum, & tit. de actionibus. Item errat Accurſ. in afferenda ratione, quare primò ſubiiciatur tractatus mutui. dicit enim ideò id eſſe, quia mutuum habet multa ſpecialia: & in hanc rem adducit *l. ſingularia. h. tit.* ſed hoc falſum, quòd ea quæ habeant, multa ſpecialia debeant præponi. nam ratio doctrinæ repugnat: & hoc cõcedo quod illi volunt, non tamen eſt verum quòd contractus mutui plura habeat ſpecialia: nec probat id *l. ſingularia.* quia iſta ſunt ſingularia non reſpectu cæterorum contractuum, ſed ſui ipſius, nec rectè Decius ex Baldo conatur defendere rationem gloſſæ.

Ad l. xxviij. eod. tit.

Accurſius ſubaudit ad contextum huius legis, vel alius contractus: quæ expoſitio non interpretatur, ſed aliam legem condit, nec tantùm, opinor, licuit Accurſio cõdere, ſcilicet nouas leges: interpretari enim tantùm leges poſſumus, emiſſa ſupplendi ius non habemus.

Ad id quod in hac eadem lege dicitur, mutui dationem cõſiſtere in iis rebus quæ pondere, numero, menſura conſiſtunt. Addit Accurſius ſuo more alterum quoque requiri, nempe vt naturaliter res mutuatæ ad id inuentæ ſint, vt pondere, numero & menſura diſtrahantur: addit tertium vt communis vſus talium rerum is ſit, vt functionem in genere recipiant. Hæc omnia addere neceſſe non erat, quia in hac lege noſtra apparet aptitudinem ſufficere, nec inuentionem vſumve conſiderari.

Accurſius vtitur quadam voce quæ nuſquam reperitur. dicit enim eſſe aliquod mutuum ciuile, quam vocem negari non poteſt nuſquam in iure reperiri, ſicut nec propriè contractum ipſum, quod Alexander rectè animaduertit: aut enim ſtipulatio interuenit, & verborum obligatio naſcitur, *l. ſi ita ſtipulatus. §. Chryſogonus. de verb. obligationibus*, aut non interuenit, & literarum obligatio appellatur. Supereſt igitur vt id vocabulum ab Accurſio confictum eſſe dicamus.

Ad illum locum huius legis ſi poſt nuptias dos promittatur, quæri poteſt, cur idem non dicimus, cùm ante nuptias mulier marito dotem promiſit. Accurſius non ſat bonam rationem affert: id enim ait ideo fieri, quia talis promiſſio conditionem tacitam habet. ſi matrimonium ſequatur, *l. ſtipulationem. l. promittendo. de iure dotium.* vnde ante conditionem nata non eſt obligatio. *C. item quia de pactis.* Sed hæc ratio parũ me mouet, quia conſtet creditorem dici etiam eum, cui ſub conditione debetur, *l. is cui. de obligationibus & actionibus.* Nec hic dubitatur nata ſit obligatio, necne, ſed an dicatur creditum, *l. creditores, de verb. ſignif.* Qui meliùs interpretantur, ſic ſentiunt: Si ante nuptias dos promittatur, videri aliquid à marito proficiſci, nempe factum ſuum, vt ſcilicet eum in vxorem ducat, vnde talis promiſſio ob cauſam facta cẽſetur: ſecùs ſi iam contracto matrimonio facta eſſet promiſſio. & hæc mihi ratio optima videtur, cur idem non dicamus, cùm ante nuptias mulier marito dotem promiſit, reiecta omnino Accurſij ratione, quæ nullius eſt momenti, ſi eam quis propiùs examinet.

Idem Accurſius eundem verſiculum alio modo intellexit, quàm oportuit. ita enim accepit vt hæc verba poſt nuptias intelligãtur ſolutas, cùm maritus vxori iam ſoluto matrimonio dotẽ promiſit, quam voce non acceperat. Valebit enim tunc promiſſio. *l. ſi diuortio, ſoluto matrim.* cum cõſtante matrimonio ſecus ſit. videretur enim fraudem legi feciſſe inquit ille, donationem inter coniuges prohibenti. hic ſanè intellectus verbis non eſt, nec verbis Iureconſulti congruit, licèt aliàs quæ hic dicuntur, vera ſint. Cùm enim nuptiæ celebritas ipſa coniugij ſit, cùm mulier obnubitur, id eſt velata ad maritum deducitur, propriè non dicimus ſolui nuptias, ſed ipſum matrimonium, vt patet ex *Rubr. ſoluto matrimonio.* Deinde dos poſt ſolutum matrimonium propriè non dicitur. *l. 3. de iure dotium.* Quæ cùm ita ſint, veriſimile non eſt, Iurecõſultum impropriis verbis vſum. nam & tunc non tam promittitur dos, quàm id in ſpecie agitur, vt reſtituatur, deinde cùm nuptiæ modico tẽporis interuallo celebrentur, durum eſt, vt ſolutas intelligamus, & non potiùs contractas. quæ enim ſolutæ ſunt, nuptiæ

non

non ſunt: Satiùs eſt igitur priorem interpretationem ſequi.

Malè Alexander in *l. certi. 9. § compens. hoc t.* exiſtimauit variationem ſolutionis quæ ex æquitate conceditur, nihil impedimento eſſe, quamuis certi condictio competat, quia hoc nullo iure probatur. Iuriſconſulti autem erubeſcere debent ſine lege loqui. Idem Accurſius ſentire viſus eſt, qui ambo legis ipſius verba aduerſus ſe habent: lex eſt, *ſi pacto quo. C. de pactis*.

Bartolus aduerſatur Accurſio in hac eadem lege, cùm Accurſius dicit, non ſolùm vtilem, ſed neceſſariam tunc eſſe certi condictionẽ, cùm quis fieri aliquid ſtipulatus eſt, & id quod ſua intereſt petit, *l. ſtipulationes non diuiduntur, de verborum obligationibus*. & hęc eſt ratio Accurſij: cùm id quod intereſt verbis ſtipulationis comprehenſum non ſit, ſola certi condictione peti poteſt, ſed in eo fallitur. hæc enim actio non competit ad id quod intereſt, vt rectè docet Alciatus.

In eadem lege vbi de Ariſtonis ſententia mentio fit eo loco: quin ſi meam pecuniam tuo nomine voluntate tua dedero, tibi adquiratur obligatio, violat & corrumpit Accurſius hunc textum, cùm ad verbum Voluntate ſubaudit Maximè. Nec obſtat quod Iaſon & Socinus huic Accurſij errori accedant. Ij enim nullo Iure nituntur, vt id probent.

Malè Accurſius putauit duos contractus eſſe, ſi incontinenti numeratio & ſtipulatio concipiantur. vnicus enim cõtractus, eſt. fateor quidem duos eſſe, ſi ex interualio non incontinenti numeratio & ſtipulatio concipiantur. & malè Bartolus ſi poſt numerationem ex interuallo ſequuta ſit ſtipulatio, exiſtimat hoc caſu iure veteri nouationem fieri. quia, vt rectè recentiores interpretes tradunt, cùm ſequens ſtipulatio idem quod prima obligatio continebat, nulla fiebat nouatio, *l. penult. de prætoriis ſtipulationibus*. ſed ex vtraque agi poterat, dum tamen diuerſa eſſet actio, l. qui bis idem. de verborum obligationibus, vt hoc caſu, quo altera re, ex numeratione, altera verbis ex ſtipulatu contracta erat.

Malè Accurſius in fine legis ſoluit contrarium, quo dicitur ſolo animo neminẽ poſſe poſſidere, hic autem dicitur animo poſſe poſſidere: dicit Accur. hic rẽ fuiſſe in cõſpectu, *vt l. quod meo. § ſi per venditorem. de adquirenda poſſeſſione*. non enim requiritur quod ſit in conſpectu, ſed quod teneat & habeat domini voluntatem, vt hîc rectè Bartolus annotat: nihil igitur valet illa ſolutio Accurſij.

Ad l. 13. reiiciendæ ſunt omnes Accurſij dubitationes. ipſe enim ſolet varias lectiones, & varias interpretationes in medium afferre nihilque reſoluere, vt hoc loco animaduertitur in gloſſa ſuper voce Nondum.

Ad l. ſi filius familias. verſicul. denique per errorem.

Malè Accurſius hîc de errore Iuris intelligit, quia ea interpretatio hunc textum reſtringit, & indubitatam quæſtionem reddit, & quod magis eſt, huic loco nullo modo conuenit. Iuriſconſultus enim loquitur tantùm de eo qui bona fide, id eſt, ignorans factum, conſumpſit, non de eo qui iuris ignorantia ſe tueri vellet. Verior eſt ergo interpretatio, vt intelligamus etiam de facti errore.

In l. re. hæ. malè Accurſius ita intelligit hãc legem, vt à conteſtatione in ſententiam deminutam fuiſſe æſtimationem finxerit: nobis enim non licet tantùm diuinare. hæc fingere, leges cõdentis potiùs eſt, quàm interpretis. Caius *in l. finali. de tritico*, tanti litem æſtimandam hoc caſu ait, quanti cùm iudicium acciperetur, id eſt, lis conteſtaretur, cur non potiùs cum ſententia ferretur, ſi maior eo tempore fuiſſet æſtimatio. falſum igitur eſſe quod Accurſius in hac lege dixit, ex allegata lege facilè videri poteſt.

Ad l. ij. § 1 D. Si certum petatur.

Quomodo intelligenda ſit l. § 1. D. Si certum pet. contra ſuperiorum opinionem.

In l. 2. § 9. D. Si certum pet. hæc verba extant. Mutui datio conſiſtit in his rebus, quæ pondere, numero, menſurâve conſiſtunt: quoniam earum datione poſſumus in creditum ire: quia in genere ſuo functionem recipiunt, per ſolutionem magis quàm per ſpeciem: nam & in cæteris rebus, ideò in creditum ire non poſſumus, quia aliud pro alio inuito creditore ſolui non poteſt. Quæſitum eſt, quomodo genus, & ſpecies in hoc reſponſo accipi debeant: Nam ſi Dialectico more genus accipiatur, quæ prædicatur de pluribus differẽtibus ſpecie: & ſpecies, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero: non rectè dixiſſet Iuriſconſultus in genere deberi, quæ pondere, numero, & menſura conſiſtunt: cùm potius in ſpecie deberi cenſendum ſit. Ideò Bart. *in d. l. 2. § 1. nu. 3.* ſpeciẽ, in hoc reſpõſo pro indiuiduo ſumi aſſerit. Nam aliàs quoque in iure genus pro ſpecie, & ſpecies pro indiuiduo ſumitur, vt idem Bart. in *l. legato generaliter. ff. de leg. 2. & in l. Maximum. § duobus. ff. de fundo inſt. & inſtru. leg. tradit.* Eſt igitur ſenſus huius reſponſi: cùm mutuum alicui datur, putà frumentum, vel vinũm: non idem frumentum, vel vinum vti indiuiduum: ſed aliud frumentum, vel vinum eiuſdem generis, vel (vt Dialectici loquuntur) eiuſdem ſpeciei, reſtitui debere. Verùm Zaſ. in ſingularibus intellectibus genus *in d. l. 2. § 1.* pro commutabili qualitate ſeu conditione interpretatur, quæ rebus accidit, natura, vel quaſi ſimilibus in numero, pondere, & menſura conſiſtentibus. Sed quamcumque interpretationem recipiamus, nõ in magno poſuerim diſcrimine, tametſi cauſam non video, cur à Bartoli opinione recedendum ſit. Maior autem in hoc verſatur difficultas, quam Zaſ. à nullo interprete, quos ipſe legerit, explicatam dicit. Nam ait Iuriſconſultus, earum rerum datione, quæ numero, pondere, & menſura conſiſtunt in creditum iri: quia in genere ſuo functionem recipiunt, per ſolutionem magis, quàm per ſpeciem. Quomodo autẽ, inquit Zaſius, fieri poteſt, vt functionem recipiant hæ res, magis per ſolutionem, quàm per ſpeciem? Imo tota conuerti debuit, vt functio potiùs ex ſpecie, rerúmque ſimilitudine, quàm ex ſolutione appareret: ſcilicet quod ſpecies in mutuo omnino ſit neceſſaria, cùm ſit contractus, qui re celebratur, in quo etiam eſt rès ipſa, & ſpecies potẽter dominatur: ſolutio autem ſpeciei in eo cõtractu, velut ſeruire videatur. Quomodo ergo ſeruientẽ ſolutionem, dominanti ſpeciei præferimus? Huic igitur difficultati Zaſius nouo modo reſpondet: cuius reſponſionem ego quidem non refello: puto tamen aliter quoque reſpõderi poſſe. Nam arbitror *in d. l. ſecunda. § 1.* non ſolutionis, & ſpeciei: ſed potiùs ſolutionis in genere, & ſolutionis in ſpecie, comparationem fieri. Dicit enim textus: Ea quæ in pondere, numero & menſura conſiſtunt, magis in genere ſuo per ſolutionem, id eſt, magis per ſolutionẽ in genere ſuo, quàm per ſpeciem, id eſt, per ſolutionem in ſpecie ſua functionem recipere. Et hic loquendi modus Latinis peculiaris eſt, quem Græci Ecclypſim nominant, hoc eſt, cum verbum, ex verbo ſubintelligitur. Senſus igitur *dicta l. 2. § 1. erit*: ea quæ põdere, numero & menſura conſiſtunt, functionem recipere, magis per ſolutionem generis, quàm per reſolutionem ſpeciei. Quid autem genus hoc loco ſignificet, quidque ſpecies 3. ex Bartoli ſententia dictum eſt.

Ad tit. Si certum petatur.

Peſſimam Accurſius affert ſolutionem *in l. præſidis, ſi certum petatur*. nam cùm ibi dicat Paulus præſide prouinciæ mutuam pecuniam funebrem ſumere, non prohiberi: viſum eſt id Accurſio aduerſari Conſtitutioni cuidam quæ extat in *l. quiſquis. C. eodem*. qua quiſquis ille ſit iudici funebrem pecuniam mutuare, & ſi collectarius ſit, pecuniam illi dare, qua iudex honorem acquirat, prohibetur, diſſoluitque Accurſius hunc nodũ, nonniſi quater diuinando, cùm ex verbis legum euidens appareat differentia. Pauli enim reſponſum non in eo loquitur: qui à litigante pecuniam mutuò ſumat, cùm Honorius de Iudice loquatur, neque de eo loquitur qui idcirco ſumit vt dignitatem emat: Iudex enim in Conſtitutione Honorij de Inferiore magiſtratu accipitur, quales ſunt municipales non de præſide prouinciæ, vel procõſule, & hiſce maioribus, quos vel Imperator, vel ſenatus cum Imperio in prouincias mittebant. *l. 1. D. ad l. Iuliam de ambitu*. in his enim nullum ſubeſt eiuſmodi Nundinationis periculum.

Ad l. Si pecuniam. eodem, ſi certum petatur.

Malè Interpretes hîc diuinarunt procuratorẽ nomine proprio, non autem militis pecuniam mutuaſſe, quo quidem caſu dubium non eſt Iure communi nihil ei acquiri potuiſſe, etiam ſi eius fuiſſet pecunia, *l. ſi patronus. C. Communia vtriuſque Iudicij*. non enim ſpectamus cuius ſit pecunia, ſed cuius nomine fiat acquiſitio, *l. ſi de ea. C. de rei vindicatione*. ſed hæc interpretatio verbis legis non conuenit, cùm refragentur huic inter-

pretationi omnes Codices. omnes enim habent procuratorem militis ex eius pecunia mutuaſſe, non autē quod nomine proprio mutuauerit.

Ad l.41.

Ad illam quæſtionem in ſine hujus legis, qua fingitur Stichum mutuaſſe pecuniam, ſtipulatúmque eam ſibi dari: quæritúrque quo remedio conſulatur cohæredibus, qui Stichum ſciebant ſeruum ſuum non eſſe. male Accurſius putauit Sticho vtilem actionem ex ſtipulatu tantùm dari, quia, inquit, ille, in animo non agebat, vt ſibi acquireret. qui melius interpretantur, putant reſpectu ſuæ partis certè Stichum agere, & directam actionem competere crediderunt: cum etiam ignoranti ex re ſua directò quæri poſſit, *l.certi.§.ſi nummos.ſ.hoc tit.*

Ad tit. de rebus creditis.

Malè Accurſius in *l. qui negotia. verſic. his argumentis. ff. de rebus creditis*, pro nihilo magis, legit nihilominus. textus ita ſe habet, Eum, inquit, qui cum mutuam pecuniam dare vellet, argentum vendendum dediſſet, nihilomagis pecuniam creditam rectè petiturum, & tamen pecuniam ex argento redactā, periculo eius fore qui accepiſſet argentum: hanc lectionem veriorem eſſe puto, cùm & in emendatioribus Codicibus extet, & omnino intelligēdum non fuiſſe in hac ſpecie mutuam pecuniam effectam, idque voluiſſe Africanum comprobat apertè poſtremus ille verſiculus: Et tamen.

Ad l. Qui negotio. mandati. & l. ſingularia. D. de rebus creditis.

Omnes communi calculo reiiciunt ſolutiones Accurſij, quibus nititur conciliare has duas leges, ſed non ſolùm in ſolutione harum legum errat Accurſius, ſed & alij quamplurimi, inter quos eſt Alciatus.

Ad l. vlt. §. Labeo ait. eod. tit.

Quod Accurſius hoc loco Dari Curari legit, Latinitas non admittit, nec loquendi Iuriſconſultorum conſuetudo. Latini enim ita loqui ſolent, Curabo faciendum, &, mandaui faciendum, & delegaui, & conduxi, & recepi.

Ad l. cùm is. §. vlt. D. de condictione indebiti.

Futilis eſt Accurſij diſſolutio, qua conatur conciliare. *l. cùm is. §. vlt. de condictione indebiti. cum l. Si is cui. D. de leg.* 1. in qua diſſolutione Accurſius interpretatur apud Iulianum non conferri cum obligatione generis obligationem alternatiuam duarum ſpecierum, ſed eam qua quis promiſerit hominem in genere, aut decem. Quod falſum eſt, nam ſi ita eſſet, abſurdiſſimè hanc ſuperiori ſimilem diceret, ſiquidem eſſet eadem non ſimilis. nec enim aliud quàm vtriuſque generis contineret promiſſionem, & hominis, & pecuniæ quantitatis vt nuſquam legimus hanc obligationem diuerſam à generis obligatione conſtituiſſe Iuriſconſultos, aut eam illi ſimilem feciſſe. nam quamuis illic meminerit eius qui hominem aut decem tantum promiſit, hanc tamen hominis vocem quotiens obligationis alternatiuæ mentio fit, ad hominem certum referri conſtat.

Ad eundem titulum.

An pupillus naturaliter obligetur, diſſoluta quadā antinomia, quam Accurſius diſſoluere non poterat.
Pupillus an naturâ obligetur.
Infans voluntatem non habet.
Adultus contrahendo an obligetur.
Noua diſſolutio.
Naturâ debere, aliud quàm naturâ obligari.
Ius vim habet cogendi.
Obligatio naturalis quando efficax.

Non parua eſt etiam inter iuris autores diſſenſio, An pupillus contrahens ſine tutoris authoritate, naturâ obligetur. Alij enim reſponderunt, pupillum naturâ non debere, nec iure naturali obligari, atq; ideo ſoluti repetitionem eſſe. *l. quod pupillus. ff. de cond. ind. l. pupillus. ff. de act. & obl.* quam tamen, vt dici ſolet, impedit naturalis obligatio, *l. naturaliter. ff. de cond. indeb.* Alij verò apertè, & nulla circuitione vſi contrarium omnino reſcripſerunt, pupillum ſine tutoris autoritate promittendo, aut mutuam pecuniam accipiendo naturaliter obligari. *l. 1. in fi. ff. de nouatio. l. ſi eius. in prin. ff. ad Trebel. l. cum illud. §. heres. ff. quan. di. leg.* proindéque ſequuta ſolutione, repetitionē ceſſare, *d. l. ſi eius.* viſa eſt omnibus certè hæc antinomia fortiſſima, ſed præſertim Raphaeli Fulg. viro & acuto, & erudito, *in d. l. quod pupillus.* qui tandem ingenuè faſſus eſt, Iuriſconſultos alios ab aliis ex profeſſo diſſenſiſſe. Nec poſſe ſingulas eorum ſententias, ſine cauillo, inſolentique diuinatione, conciliari, defendique. Ad omnes namque leges, quæ in hanc controuerſiam citari ſolēt: manifeſtè diuinat, quod Accurſius & cæteri celeberrimè prodiderunt *in l. pupillus nec. ff. de reg. iur. in d. l. 1. D. de noua. in d. l. quod pupillus.* & aliis locis communibus. Pupillum infantem, infantiæve proximum, quia nec velle, nec nolle credatur *d. l. pupillus*, nec naturâ non obligari *d. l. pupillus. ff. de actio. & d. l. quod pupillus.* Poſitum verò extra infantiam, qui non multùm abeſt à pubertate, quamuis locupletior factus non ſit, naturaliter obſtringi, *d. l. 1. D. de nouatio. l. ſi pupillus. ad fin. prin. ff. ad l. Fal.* ſi tamen cum tutore pupillus non contraxerit, *l. pupillus. ff. de autor. tut.* factus autem locupletior, non tantum naturaliter, ſed etiam ciuiliter, actione ſaltem vtili tenetur, *l. naturaliter. §. fin. D. de condict. ind. l. 3. §. pupill. D. de negot. geſt. l. 3. in princ. D. commod. & d. l. pupillus. in fin. princ. D. de autor. tutor.* Nec prætereà minùs diuinant, quod veteres quidam putauerunt, quorum Accurſius meminit *in d. l. pupillus.* nec diſtinguentes, inter pupillum tutorem habentem, & non habentem, vt hic naturaliter obligetur, ille verò ſine ſuo tutore contrahens, nec quidē naturalē contrahat obligationem, argum. *l. ſi curatorem. C. de in integ. reſtit.* vbi in adulto minore xxv. annis, eadem fermè adhibetur diſtinctio, vt ſi curatorem habeat, ciuſque ſpreta autoritate contrahat, ſit nullus ipſo iure contractus. ſi verò non habeat curatorem, teneat contractus, licet ex eo læſus, in integrum reſtitutione iuuetur. At putauerim ego, pugnantia huiuſmodi, citra cauillum, alia ratione diſſolui poſſe: vt pro regula teneamus, pupillum, qui non multum abeſt à pubertate, ex contractu, naturaliter obligari. *l. 1. ff. de nouatio.* cum in ea ætate conſenſum habeat, & aliquem intellectum, *§. pupillus. de inutil. ſtipul.* Et conſenſus, quamlibet nudus, naturalem pariat obligationem. *l. Stichum. §. naturalis. ff. de ſolutio.* verùm hanc naturalem, in pupillis obligationem, ius gentium, nedum ciuile deſeruit, in puriſque principiis naturalibus reliquit, nullum contra obligatum tribuens eidem effectum. Ob idque à Neratio reſponſum, ſolutum ex ea obligatione, per pupillum repeti poſſe. [Quia, inquit, pupillus nec naturâ debet, *l. quod pupillus. ff. de condict. indebit.* Quæ verba diligenter expendenda ſunt. neque enim dixit, [Pupillum non obligari, ſed naturâ nō debere.] Quoniam debere naturâ, id tantum, vt mea fert opinio, dici poteſt, ad cuius præſtationem aliquo iure gentium, quis cogitur, *l. cùm amplius. §. in natura. ff. de reg. iuris.* Ex quo patet reſponſum clarū ad *d. l. quod pupillus*, cùm inter hæc duo [Naturâ debere, & naturaliter obligari, plurimum ſit, me iudice, diſcriminis. Non obſtat etiam, quod Venuleius ait, Pupillū mutuam pecuniam accipiendo, nec iure quidem naturali obligari, *l. pupillus. D. de actio. & obligatio.* licèt enim dicat illic Iuriſconſultus, Pupillū iure naturæ non obligari, non tamen ideo pupillum naturaliter obligari negat. ſicut enim aliud eſt, vt docuimus, [naturâ debere, à naturaliter obligari,] ita aliud iure naturali obligari, ab obligari naturaliter: cum iuris verbum, vim quandam habeat cogendi, & iuſſum: vnde & nomen tractum videtur, inquit Rodolph. Agric. lib. de inuen. 1. cap. 5. & ita verba illa, [iure naturali obligari, aut, naturâ debere, effectum aliquem exactionis, aut retentionis, ex iure ſaltem gentium, demonſtrant, *d. l. cùm amplius. §. in natura. D. de reg. iuris.* licèt autem naturalis obligatio ad exigendum. plerumque ſit inefficax. *l. fideiuſſor obligari. §. fideiuſſor. ff. de fideiuſſoribus.* hoc verum ciuili lege ſpectata, ſecundùm quam etiam certis caſibus, effectum exactionis habet: quibus videlicet proditum eſt, ex pactis nudis actiones dari, *l. iuriſgentium. §. igitur nuda.* vbi Accur. & doctores. *D. de pact.* Nec obſtat denique quòd naturali pupillorum obligationi fideiuſſor accedat, *l. ſi pupillus. ff. de verb. obligat.* hoc enim ad alterius, quàm pupilli damnum, obligationémve pertinet. Qua etiam ratione dicimus, in eo, qui pro pupillo naturaliter obligato ſoluit, ceſſare repetitionem. *l. ſi eius. in princ.*

D. ad

D. ad Trebellian. quòd ſoluendo pro eo, qui nec quidem naturâ debebat, licèt naturaliter obligato, vires addere, inutili & deſertæ alioqui obligationi quodammodo adiicere videatur, *l. 1. §. debitum. ff. de cõſtit. pecu.* quamuis conſtet, ipſi pupillo ſoluendi concedi repetitionem, *d. l. quod pupillus. ff. de condictio. indebiti.* Hæc ex Iohanne Corraſio doctiſſimo viro collegi.

Ad tit. de iureiurando.

Neſcit Accurſius quid ſit liquidò iurare. Interpretatur enim id eſſe manifeſte iurare: quæ interpretatio quam inepta ſit, & huic loco parum conueniens, difficile non eſt iudicare. quid enim quæſo, hoc ſignificat manifeſtè iuraſſe? Liquidò autẽ iurare nihil aliud eſt, quàm verè iurare. Cic. in Verrẽ, lib. 6. [Confirmare hoc liquidò iudices poſſum, valuas magnificentiores ex auro atque ebore perfectiores nullas vnquam vllo tempore fuiſſe.] Ouidius libro 3. de Ponto, Eleg. 3. ad Maximũ,

Scis tamen, & liquidò iuratus dicere poſſes,
Non me legitimos ſollicitaſſe toros.

Ad l. In actionibus. D. de in litem iurando.

In actionibus contrariis, nunquam in litem iurari. contra Accurſianorum diſtinctionem.
Contraria directarum naturam imitantur.
Iuramentum in litem, an in contrariis locus ſit.
Declarata l. ſi pignore. §. ſi poſt.
Contraria quando imitentur directas.

Cùm dixiſſet Martia. in actionibus bonæ fidei, in litem iurari, *l. in actionibus. ff. de in litem iuran.* Accurſius id in directis verum eſſe, interpretatus eſt, non etiam in contrariis, *l. ei apud quem. ff. depoſ.* Quoniam verò alioqui videbat, quod in directis actionibus à lege conſtitutum eſt, in contrariis quoque ſibi locum vendicare (nam ſicut directæ bonæ fidei ſunt, Accurſius & cæteri in *§. actionem. de actio.* veniúntque in iis, ſicut in directis, vſuræ à tẽpore moræ, *l. ſi verò. §. ſi mihi. ff. mandat. l. quid ergo. §. conſequitur. ff. de contr. & vtil. actio. tutel.* admittitúrque compenſatio, *l. in reb. §. quod autem. ff. commod.*) hanc ſententiam alibi temperat, cæterique ſequuntur, niſi de fide rupta agatur, in contrario iudicio. *l. ſi pignore. §. ſi poſt.* vbi Accurſius, *ff. de pigneratitia actione.* Ego verò in contrariis iudiciis, nullo caſu in litem iurari, iamdudũ defendi: cum in eis nõ agatur ad rei reſtitutionem, vel exhibitionem, quod tamẽ neceſſarium eſſe, vt illi iuramento ſit locus, hoc ipſo libro, cap. 4. probatum eſt. Nec in ſola perfidia, iuſiurandum in litem fũdatum eſt, licèt in actione depoſiti directa, quæ rectà agitur ad rei depoſitæ reſtitutionem, mirùm in modum augeat dolum rei conuenti, *d. l. ei apud quem, quæ ita tolli debet.* Nec facit nobis negotium. *d. l. ſi pignore. §. ſi poſt.* in quo nullum verbum, de iuramento in litem. vt etiam fieri non poteſt, nam licet agatur contrario iudicio, aduerſus debitorem, non reſtituentem pignoris poſſeſſionem, quam conduxerat, aut precariò rogauerat: non tamen ea actione agitur ad reſtitutionem, ſed ad id quod intereſt, vt indemnem præſtet creditorem, *l. ſi ſeruus pignori. ff. de pigneratit. actio.* quod & illic ſubſentit Accurſius. ad reſtitutionem etenim experiri debet actor vel hypothecaria, vel actione ex contractu locationis, precariíve, aut interdicto vnde vi. Et quod dici ſolet, contrarias actiones directarum naturam ſequi & imitari: Accurſius *dicto. §. actionum obtinet*, vbi eſt eadem ratio, ſecùs ſi diuerſa: vnde nec contrario iudicio damnatus, infamis erit, *l. furti. §. finali. ff. de iis qui notantur infam.* De hac materia tractauimus in notis noſtris ad Titulum De petitione hereditatis, ad l. ſi poſſeſſor. §. fin. ff. eodem.

Ad l. Numis. eod. tit.

In interpretatione l. Numis, ab aliorum expoſitione receſſum, probatumque aduerſus eoſdem, numos æſtimationem recipere.
L. Numis nouè expoſita.
Numi an æſtimationem recipiant.
Declarata l. ſi ita fideiuſſorem.
Tempus contractus in æſtimatione pecuniæ obſeruandum.

Omnibus ſatis manifeſtum eſt, vanam eſſe ad *l. numis. ff. de in lit. iur.* communem interpretationem, dum putant doctores illic ideò iuſiurandum in litem non differri, quia in numis nõ cadat affectio: ſtante ſiquidem hac ratione, in rebus quæ affectionem reciperent, conſtituẽdum eſſet iuramentum affectionis, quod falſum eſſe ſuperioribus obſeruationib. oſtendimus. Vera igitur eius l. ratio eſt, quam illic Vlpianus ſcripſit, [Cum certa ſit numorum æſtimatio.] quaſi dicat, quia delatio iuramenti in litem fit, vt æſtimetur res de qua litigatur, atque ita patefaciat actor, quanti ſua interſit. Numi autem ſi certam habeant æſtimationem: in iis fruſtrà iuſiurandum in litem defertur. Quæ verba ſi accuratiùs Doctores expendiſſent, non ſe tam pudẽdo immerſiſſent errori, Quos præterea malè docuiſſe cõſtat, numos æſtimationem non recipere. vel ex *d. l. numis.* quæ cùm dicit numorum æſtimationem certam eſſe, euidens facit, Numos æſtimari: non entis enim qualitates nullæ ſunt, *l. eum qui. ff. de reb. credit.* Huc pertinet quod Iul. Paul. ſcripſit *in l. 1. ff. de contrahen. empt.* numorum materiam electam eſſe, cuius perpetua, ac publica æſtimatio, permutationum difficultatibus, æqualitate quantitatis ſubueniret. Denique quis eſt qui non videat, Aureum 60. ſolidis, ſolidum autem duodecim denariis, apud nos æſtimari? Nec quicquam me moueri Iaboleni reſponſum, *l. ſi ita fideiuſſorem accepero. ff. de fideiuſſo.* in quo illud duntaxat traditur, pecuniam merce non æſtimari vt mercium per pecuniam fit æſtimatio. At quin quantitate, numeróque, alterius pecuniæ, æſtimentur numi, non negat Iuriſc. nec quiſquam ſanæ mentis eſt negaturus. Et ſi dicatur videri, numos certam non habere æſtimationem aduerſus *Vlp. d. l. numis.* ex quo ea quotidie creſcit, & decreſcit: Indéque frequens illa quæſtio agitata, cuius temporis habenda ſit ratio, in pecuniæ mutuo datæ æſtimatione: receptúmque obſeruari tempus contractus. *c. cum canonicis, de cenſib. glo. c. conquerente. de offic. ord.* modo in mora non fuerit debitor: quo caſu in numis etiam ducendam æſtimationem quanti plurimi, docet *Bart. l. Paulus. ff. de ſolut.* Reſpondeo, quòd cùm iidem numi, qui accepti ſunt, aut promiſſi reſtitui, ſoluive non debeant. *l. 2. ff. de reb. cred.* ſed eorum æſtimatio, obſeruato tempore contractus præſtari, licèt cremento, aut decremento, eorum valor varietur. æſtimatio tamen, quæ per aliud genus monetæ fit: ſecundum tempus contractus, certa eſt, atque inuariabilis.

Ad l. finalem. D. de condictione cauſa data cauſa non ſecuta.

Compoſita nouè ab aliis haudquaquam percepta Domitij Vlp. & Iubentij Celſi conſtitutiones, quæ ante ex diametero pugnare videbantur.
Si do pecuniam vt rem accipiam, an ſit emptio.
Do accipio. verborum differentia.
Periculum ad quem pertineat.
Communis ad §. & ſi quidem, ſenſus exploſus.
Nouus ad eum text. intellectus.
Conuentiones à negotio contracto pendent.
Nouè explicatum Iul. Paul. reſponſum.
Reiecta communis opinio.
No. declaratio contra quorundam interpretum opinionem.
Condictio ob cauſam quando ceſſet.
No. intellect. ad l. fin. de cond. ob cauſ.

Verſabamus nuper tractatum de præſcriptis verbis, in quo Iul. Paul. in *l. naturalis. §. & ſi quidem. ff. de præſcriptis verbis*, ita loquentem deprehendimus, [Si, inquit, pecuniam dem, vt rem accipiam, emptio & venditio eſt.] Et paulò pòſt: [Sed ſi ſcyphum tibi dedi, vt mihi Stichum dares, periculo meo Stichus erit, ac tu duntaxat culpã præſtare debes.] Qui cum Iubentio Celſo in *l. fin. ff. de cond. cau. da.* non ſatis conuenire videtur. [Dedi, inquit, tibi pecuniam, vt mihi Stichum dares, vtrum id contractus genus pro portione emptionis & venditionis eſt? an nulla hic alia obligatio, quam ob rem dati re non ſequuta? in quo procliuior ſum. Et ideò ſi mortuus eſt Stichus, repetere poſſum: quia ideò tibi dedi, vt mihi Stichum dares.] Hæc ille. Suis planè verbis à Iul. Paulo dupliciter diſſidens: cùm enim dicat Paulus in *d. §. & ſi quidem*, Si pecuniam dem vt rem accipiam, emptionem & venditionem eſſe, contra *Cel. in d. l. fin.* exiſtimat, ſi dem pecuniam, vt mihi Stichum des, non emptionem, ſed contractũ innominatum eſſe, do vt des. Rurſum cum Vlpianus doceat, quòd ſi dem ſcyphum, vt mihi Stichum des, Sticho mortuo, periculó meo pereat, tradit aduer-

ſans Celſus, ſi dem pecuniam, vt mihi Stichum des, ſi moriatur Stichus, non periculo meo intereat: quandoquidem ipſe pecuniam repetere poſſim. In quorum obiecum diſſolutione miris crucibus ſe cruciant Doctores, qui tãdem eò venerunt, vt putẽt quod ad primum vtriuſq; Iuriſconſulti reſpõſum attinet, in Celſi Conſtitutione, *d.l.fin.* ita datam fuiſſe pecuniam, vt res daretur: cúmque verbum dari contineat dominij tranſlationem, *l.vbi autẽ.§.fin.de verb.oblig. §.ſic itaque.de action.in Inſtit.* & de natura emptionis ſit, vt non ad dandum, ſed ad tradendum obligetur vẽditor, *l.ex empto.in prin.D.de actio.empt.* vt non mirum ſit ſi res aliena vendi poſſit, *l.rem alienam.ff.de contrah.empt.* quo contractu vſucapiendi dũtaxat conditio paretur. *l.clausbus.illo tit.* obſeruata verborum proprietate, à qua non temerè eſt recedendum, *l.non aliter.1.D.de lega.3.* illic cõtractus innominatus fuit. At in Paul.reſponſo data fuit pecunia, non vt res daretur, ſed vt acciperetur: quod verbum Accipere, dominij tranſlationem nequaquam ſignificat, niſi adiectum eſſet quantitatis aut generis obligationi, *l.non amplius.§.fi.D.de le.1.cum mota.C.de tranſ.* quo caſu non ex verbi proprietate, ſed ex rei cui adiicitur, natura, vt transferatur dominium, ſignificat: vt & alibi de verbo tradi legimus. Accurſ. *in l. quæ de legato.ff.de leg.1.* & de venditione generis, quantitatis Bart. egregiè docuit in *d.l.ex emp.* Quod autem ad vltimum vtriuſque l. reſponſum ſpectat, ſi ſcyphum, aut pecuniam tibi dederim, vt mihi Stichum des, cuius periculo Stichus mortuus pereat, exiſtimant iidem interpretes periculo eius, qui ſcyphum aut pecuniam dedit, vt Stichus daretur, Stichum perire, hoc nomine, vt neque actione præſcriptis verbis, ad implementum contractus, hoc eſt, ad præſtandum Stichum mortuum, neque in id, quod intereſt conueniri poſſit: atque ita *d.§.& ſiquidem*, intelligunt, ſatiſque titulus ipſe ſub quo is §. inſertus eſt, indicat. Verùm pecuniam ob id datam repetere non prohibetur, condictione ob cauſam, *d.l.fi.* cuius condictionis reſpectu non dicitur Stichus periculo eum recipere, debenti perire. Cæterùm quòd ad priorem interpretationem ſpectat, non puto tam ſuperſtitioſè iuriſconſultos ſcrupuloſas verborum ſignificationes inſectatos, in quibus, vt Celſus adoleſcens dicebat, pernitioſè errari poſſet, *l.ſi ſeruũ.§.ſequitur.ff.de verb.oblig.* In quam ſentẽtiam me plurimum impellit quod Paulus mox ſubiicit in *d.§.& ſi quidem.* [Si, inquit, do rem vt rem accipiam, quia non placet permutationem, rerum emptionem eſſe, &c.] Quo loco, verbo, accipiã, vſus eſt, adiecto certæ rei, & tamen cenſet eo caſu permutationem eſſe, in qua rem accipientis facere, hoc eſt, transferre dominium oportet, *l.1.§.fi.D.de re.permuta.* Quòd ſi ea eſſet verbi Accipere proprietas, vt dominij trãſlationem non importaret, in horum locorum altero Iul.Paul. ineptè, perperam, & impropriè loquutum fuiſſe dicendum eſſet. Nec prætereà verũ eſt verbum Dari ad venditorem relatum, venditionis contractum impedire, *l.ſi ſtipulatus.D.de vſur.* Quare vt tandem quod ſentio, dicam, in ea ſemper ipſe fui ſententia vt, cùm pecunia ſimpliciter non alio expreſſo datur, vt res viciſſim detur, vel accipiatur, (neque enim in iis verbis ſuperſtioſus ſum) ſit contractus innominatus, d.l.fi. quòd alium contractum partes non egerint. Cæterùm ſi pretij mentio facta ſit, cùm tunc ſemper emptio præſumatur, *d.l.fi.de præd.curial.lib.10.C. Acc.in l.apud Celſum.§.ſi cum legitima.ff.de exc.do.in l.cùm dotem.C.de iur.dot.* quod pretium ad emptionis ſubſtantiam pertineat, *§.pretium de empt.in Inſtit.* emptionem ſemper celebrari intelligam. Idémque ſi actum ſit nominatim à partibus, vt res vẽderetur, quemadmodum quotidie fit. priuſquam enim ad contractus concluſionẽ & abſolutionem partes deueniant, tractatum faciunt, qui principium cuiuſque rei & negotij dicitur, *Bal.in c.in cauſis.de elect.* à quo omnes nominatæ præcipuæ conuentiones pendent, *l.5.§.cõuentionales.ff.de verb.obl.* quod vel maximè in emptione obſeruatur, ad quam vix poſt multas contentiones, paulatim venditore, de eo quod petierat detrahẽte, emptore autem huic quod obtulerit addente, accedunt contrahentes, ad certumque conſentiunt pretium *l.ſi voluntate.C.de reſcind.vend.* Nec quicquam me mouerit, *§.& ſi quidem.* qui ſimpliciter tradere videtur, vt ſi dem pecuniam, vt rem accipiam, emptio & venditio ſit. Non enim eò Iuriſconſulti verba ſpectant, vt per modum regulæ docere velit, quòd [vbi datur pecunia vt accipiatur, ſit emptio:]ſed oſtendat articulum illum, do vt des, de quo primùm dicturus erat, ſic in genere conſideratum, ita in duo membra diduci poſſe, vt alterum emptio ſit. quod contingere non poteſt, niſi vbi eius contractus ſubſtantialia interuenerunt, res nempe & pecunia, *l.2.ff.de contrah.empt.§.item pretium.illo tit.in Inſtit.* de quo ideò illic breuiſſimè & ſummatim agit, quòd ad tractatum contractuum innominatorum nõ pertineret. Alterum verò membrum, quo vtrinque res datur & accipitur, emptio non eſt, cùm pretium nullum interuenerit, proinde permutatio dicetur, quæ ciuilem parit obligationem, de qua ſatis abundéque in eo præſcriptorum verborum tractatu. Sed nec aſſentior communi interpretationi circa vltimum eiuſdem *§.& ſi quidem*, reſponſum, vt ſi dem tibi ſcyphum aut pecuniam, vt mihi Stichum des, periculo meo ſit Stichus, quantum ad hoc, vt non poſſit agere contra aduerſarium vt impleat vel pręſtet id quod intereſt per actionem pręſcriptis verbis. At ſi volo repetere per condictionem ob cauſam ex capite cauſæ non ſequutæ, poſſum. *d.l.fi.* Nam vt permulta miſſa faciam, quæ huic communi declarationi aduerſantur, illud eam omnino expugnat. quod *d.§.& ſi quidem*, antea condictionis ob cauſam, nedum actionis præſcriptis verbis meminerat. moxque ſubiicit: Stichum periculo meo fuiſſe. Quòd ſi ad alterum tantùm actionum, de quibus verba fecerat, relatio faciũda eſſet, ad condictionem ob cauſam, de qua proximiùs loquutus erat Iu. Paulus, potiùs ea verba referenda erant, vel ex protrita regula, quæ docet ad proximiora debere fieri relationem. Mihi igitur quandoque placuit, vt diceremus ideo in *§.& ſi quidem.* traditum fuiſſe, ſi ſcyphum tibi dederim, vt mihi Stichum dares, periculo meo Stichum eſſe: quia tu qui dare Stichum debebas, in mora nõ fueras. Vnde cùm nihil ſit quod tibi imputari poſſit, æquum non eſt Stichum periculo tuo perire. Quòd autem in mora non fueris, ſatis ibidem Iul. Paulus ſignificat, dum inquit: [ac tu duntaxat culpam præſtare debes.]Nam ſi moram feciſſes, in culpa proculdubio fuiſſes. Hinc contra doctor. nouè infero, quòd nõ ſolùm actione præſcriptis verbis ad Stichum peremptum, vel eius æſtimationem, aut in id quod mea intereſt, te conuenire non potero, ſed nec condictione ob cauſam pecuniam repetã. quandoquidem ſi ceſſat cauſa propter quam pecunia data eſt, non culpa accipientis, ſed caſu fortuito, condictio quoque ob cauſam ceſſet. *l.pe.C.de con.ob.cau.* quæ ex capite cauſæ non ſequutæ minimè locum habet, niſi culpa vel mora eius qui dare debebat, præceſſerit, *l.3.§.ſed ſi tibi.& §.ſed ſi Stichus.ff.de con.cau.da.* ex iis patet facilis ad *d.l.fi.ff.de con.cau.da.* diſſolutio in ea quippe vel culpa, vel mora præceſſerat: quod vel ex eo palàm fit, quia condictione ob cauſam vti re nõ ſequuta, datam pecuniam repeti poſſe tradit. Id autem ex eo capite fieri nequit, mora aut culpa eius qui Stichum dare debebat, non præcedente, vt iam probatum eſt: Hæc ex doctiſſimo viro quę ad inſtitutum noſtrum facerent, collegimus.

Ad l.interdum.D.de condictione indebiti.

Optimè ſanè Iuris interpretes ab illa Accurſij interpretatione receſſiſſe videntur in explicatione *l.interdum.de condictione indebiti*, qua rei alioqui clariſſimæ opinionum plurium inuolueris tenebras offendens ſentiebat Accurſius, pupillum ſi indebitum abſque tutore ſoluerit, putà id quod naturâ tantùm debeat, ſi ſoluerit, quamdiu nummi extant, eos propter eius perſonæ conditionem vindicari ipſo iure poſſe: cõſumptos autem non aliter pupillum cõdicere, quàm petita priùs in integrum reſtitutione, atque ita illud Vlpiani cum Mætiani reſponſo conciliat in *l.ſi eius.in princ.ff.ad Senatuſconſultum Trebellianum.* aliud ſtatuit in furioſo, vt conſumptos condictione ſine cauſa abſque vlla in integrum reſtitutione repetere poſſint. Rectiùs Bartolus ita interpretatur, tribus iſtis perſonis eandem condictionem abſque vlla reſtitutone dari. Vide diſſolutionem apud Robertum lib.1.Sententiarum, cap.10.

NO

NOTAE AD LIBRVM DECIMVMTERTIVM PANDEctarum iuris ciuilis.

Ad l.3.tit.de condictione triticaria.

Nota Gloſſa Accurſij ſuper voce ἰνταῦθα in h.l.eſt reiicienda.nam cum illud aduerbium ibi tripliciter interpretatur, oſtendit planè ſe textum non intelligere, Inducenda igitur circunſcribenda eſt vox illa antea quæ loco Græcæ dictionis ſuppoſita fuit, vt variæ illæ & inconſtantes Accurſij expoſitiones explodantur, ſed videamus quid ibi ſignificet illa vox ἰνταῦθα, hic autem idem ſignificat, ac ſi latius dicas ne ita tempus mortis ſpectetur, vt ad leuiſſimam æſtimationem rem redigamus, ſed potius quod bonum æquúmque eſt,æſtimemus.Et hæc vox nõ ſolùm hoc loco,ſed tribus ſforum locis reperitur, nimirum *l.pen.de probat. & in l.ratam.de ſolutionib.& in l.quo enim.D.rem ratam haberi.*

Ad l.centum Capuæ.de eo quod certo loco.

Quemadmodum intelligendum ſit, mora rei non augeri fideiuſſoris obligationem,dilucidatáque præter alias.l.quæro.D.loc.

Variis opinionibus inter ſcriptores certatum eſt, quando per moram rei principalis adaugeatur fideiuſſoris obligatio. cum enim Africanus in *l.centum Capuæ. D.de eo quod cert.loc.* tradiderit, eum qui centum Capuæ dare ſtipulatus, fideiuſſorem accepit,ſi per reum ſteterit,quominus ea cẽtum Capuæ ſoluerentur, neque fideiuſſor moram fecerit, non poſſe fideiuſſorem in id quod ſua (putà ſtipulatoris) propter locum intereſt,vrgero: quòd ob moram principalis acceſſoriã fideiuſſoris obligationem augeri non oporteat.Et Iul.Paul.in *l.quæro.D.loc.*reſponderit,fideiuſſorem coloni, vſuras etiam nõ illatarum penſionum præſtare debere, quo palàm fit,propter rei,id eſt,coloni moram,fideiuſſoris augeri obligationem:tenetur namque vltra ſortem vſurarum onus agnoſcere. In cauſa fuerunt duo hæc reſponſa (quæ prima facie ex diametro pugnare videntur) vt in diuerſas & longe alienas à vero ſententias,ab interpretibus noſtris itum ſit:quas omnes ſi pergerem referre,lectori plane faſtidioſus eſſem. Quã ob rem eam tantum quæ creberrimè recepta eſt,referam: eiúſque veritatem exacte excutiam. Exiſtimant itaque Accur.Bart.& alij in *d.l.centum.& d.l.quæro.ex Io.antiqui gloſſatoris ſententia,* Iuliũ Paul.in *d.l.quæro.*loqui de acceſſoriis, quæ veniunt ſecundùm naturam actionis, vt vſuræ in bonæ fidei iudiciis. *l.mora. §.in bonæ fidei.D.de vſu.*Ad ea autem fideiuſſor ex mora principalis ideo tenetur, quòd ſimpliciter acceptus, intelligatur in omnem cauſam fideiubere,quæ ſit de natura actionis.Cęterùm id quòd intereſt in arbitrariis, præter naturam ſtricti iuris petitur:cum enim in iudiciis ſtricti iuris,quę ſola arbitraria efficiuntur.*l.in bonæ fidei,D. de eo quod cert. loc.* præduro, exacto, & ſtricto iure vtamur, in quibus ideo nõ veniat,niſi quod palàm verbis expreſſum eſt.*l.quicquid aſtringendæ.D.de verb.obl.* patet in iis acceſſoria, non ſecundùm, ſed præter aut contra naturam venire:ad quæ propterea fideiuſſor teneri nõ debet, ex mora rei principalis, quanquam ex ſua mora quam impunitam eſſe non oportet, in id quod ſtipulatoris intereſt, propter loci adiectionem,conueniri poſſit.*d.l.centum.*ſi tamen & ipſe quoque reus in mora fuerit.*l. ſi teſtamento. §.fi. D. de fideiuſſ.* Neque eſt quod dicat fideiuſſor, ideo non obligari, quòd in duriorem cauſam adhibitus videatur.*l.Græcè.§.illud. & l.hi qui acceſſionis.D.de fideiuſſ.* tametſi enim reſpectu eorum, quæ principaliter in obligationem deducũtur, in deteriorem cauſam accipi fideiuſſores nequeant, in iis tamen quæ acceſſoriè, & ex accidenti, propter culpam aut moram veniunt, in plus quàm reus principalis,fideiuſſor obligari poteſt: vnde & pœnam ad quam debitor non tenetur,fideiuſſor rectè promittit. Acc.in *l.ſicut reus.D.de publ.iud.*qui ex mora ſua ſine controuerſia, in contractibus etiam ſtricti iuris,ſe in aliud quàm deductum ſit,in principalem obligationem aſtringit. *d.l.cẽtum. in prin.*modò tamen obligationes in dando conſiſtunt. Nam ſi in faciẽdo,fideiuſſoris nulla mora eſt.*l.ſi libertus moram. D. de oper.lib.l.cum filius.§.1.D.de verb.obl.*Si etenim dominum ædificandam promiſeris, dato fideiuſſore, cum factum perſonæ promiſſoris cohæreat, inutiliter fideiuſſor interpellatur,quandoquidem non ab ipſo,ſed a reo factum explicandum eſt: vnde licet non faciat fideiuſſor, non dicitur contra ſuã promiſſionem venire,quòd non factum ſuum promiſerit. Sed quoniam de iis ſatis,ad rem ipſam redeundum eſt, & excutiendum nam rectè ab interpretibus noſtris,& Africi & Iul.Paul.mens in *d.l.centum.& d.l.quæro.*percepta ſit. Et quanquam hæc communis conciliatio coloris habeat plurimũ, mihi tamen nunquam placuit.Si enim ad vſuras, quæ exoſæ ſunt,quæque, vt lucrum percipiũtur,fideiuſſoris obligationem legiſlator propter moram rei principalis,augeri voluit.alle.*l.quæro:*cur non & in eo quod intereſt, propter loci adiectionem, idem conſtitutũ intelligi debet,in *d.l.cẽtum.* in hoc enim maior ratio proculdubio videbatur, quando id quod intereſt ratione damni emergentis, vt plurimum petatur.*l.3.§.nunc de officio. D.de eo quod cert.loc.* & ſoleant leges magis fauere iis,qui de damno, quàm qui de lucro certant.*l.fin.§.licẽtia.C.de iur. delib.* vt non iniuria ab Imp.dictum ſit, non parem eandémque rationem eſſe damni & lucri.*l.fi.C.de codicil.* Nec mihi facit ſatis, differentiæ ratio,quam ſcriptores noſtri prodiderũt: cum enim locus deſtinatæ ſolutionis,vti dies,pars ſit ipſius obligationis.*l.1.§.diem.D.de eden.* nam & eius detractione, adiectionéve,plus aut minus deberi dicitur. *§.loco.de act.in Inſt.* cum item pacta incontinenti facta, contractui ineſſe credantur. *l.lecta verſ.dicebam.D.de reb.cred.*imò pars intelligantur ipſius contractus. *l.fundi partem.D.de cõtrah.emp.* datũ in arbitriũ iudici propter loci adiectionem, nõ præter naturam contractus ſtricti iuris, (quem cum qualitate loci ſpectamus, non etiam per ſe, & in ſuo ſtatu originali primo, & genuino) ſed maximè ſecundùm eiuſdem contractus, cui ita nominatim locus deſtinatæ ſolutionis adiectus eſt,naturam cenſemus. Nec Iul. Paul. in d. l. quæro,vim in eo aliquo modo facit,ſed tantũ quia in omnem cauſam fideiuſſor interceſſerit. Quamobrem ipſe breuius & melius crediderim, vt ſi acceptus fideiuſſor ſimpliciter interceſſerit ex mora rei principalis, eius non augeatur quoquo modo obligatio. cùm enim ſemper effectus contractus, ſe referat ad tempus contractæ obligationis.*l.Rutilia Polla.D.de contrah.emp.* non videtur fideiuſſor ſimpliciter intercedens,in aliud ſe obligare,quàm interceſſionis tempore debitum eſſet. *l.per retentionem.& l.pignorib.C.de vſur.* Ideò nec ei morã debitoris obeſſe in futurum oportebit,vt eius creſcere debeat obligatio.*l.libertus.§.fi.D.ad munic.* neque eſt imputandum fideiuſ.quod reus propter moram ſuam nan præſtitit. *l.fi.D.de fideiuſſ.tradit Ro.conſ.507.*quandoquidem iniquum ſit,ex alterius facto alterum damnificari. *l.ſi ex duob.D.de neg.geſt.l.paterfam.D.de her.inſt.*At Iul.Paul.ſpecies in *d.l.quæro,*longè diuerſa eſt. Nanque illic fideiuſſor nõ ſimpliciter,ſed generaliter in omnem cauſam interceſſerat:in quo intercedendi modo duntaxat vim feciſſe ibidem Iuriſc. manifeſtiſſimum eſt. Hæc autem fideiuſſionis verba palàm faciebant, fideiuſſoris mentem eam fuiſſe,vt ſe ad acceſſoria quoque obligaret. Qui ſenſus Placentini fuit literæ apiciſſimus, vt quandoque dixerit Fulg.in *d.l.centum.col.3.* vix potuiſſe à capite ſuo extirpare, (ita enim loquitur)quin opinio Placen.vera fuerit. Sed tãdem pollicetur eam falſam eſſe ſe oſtenſurum, cùm tamẽ nihil adferat quod vel tantillum Placentinum offendat.Nam quod in *l.quæro.*induxit,vt oſtẽderet eo ipſo quòd ſi fideiuſſor intercedit ſimpliciter, intelligi ſe in omnem cauſam applicare, ſcilicet in noſtrâ iuriſprudentia indefinitam elocutionem vniverſali æquipollere. *l.ſi neceſſarias.§.ſi annua. ff.de pig.act. l.ſi plurib.ff.de leg.2.*Prætequã quod eſt contra mentẽ Iuriſc.qui differentiã egregiã inter fideiuſſionẽ ſimplicem,& in omnẽ cauſam ſemper fecerunt,nihil vrget:ſiquidem quòd indefinita æquipolleat vniuerſali,ſit ſpecialis quædam,& fauorabilis legis interpretatio, ex æquitate & humanitate promanans, contra proprietatẽ verborũ.*l.ſi ſeruit.impoſ.ff.de ſer.vrb.præd.*Et vt rectè dicebat Per.cui adſtipulantur Bar. & cæteri in *d.l.ſi plurib.* hæc oratio,omnis homo currit.quę falſa redditur vno nõ currente, longè diuerſa eſt ab hac.homo currit. *l.ſi is qui ducenta. §.vtrum.ff.de reb.dub.* Vnde in materia fauorabili tantum vulgaris illa regula obtinet. *l. ſi quis ita.§. 1. ff. de teſt.tutel.*non etiam in odioſa.*l.2.ff.de lib.& poſth.*Idq; omnes in locis cõmunib.tradiderunt. Quare perperã in propoſito detorquet hanc regulã Fulg.cùm ſimus in materia odioſiſſima. Mihi itaq; vt dixi,Placẽtini ſenſus ſemper veriſſimus viſus eſt, quẽ maximè

iuuant,& *l.in initio.C.de pact.inter empt. & vend. & l.fideiuſſores magiſtratuum.§.1.D.de fideiuſſ.* Conſtituit enim in hoc. §.1. Iul.Paul.Petronium Thallum, & alios fideiuſſores, qui pro Aurelio Romulo conductore vectigalis interceſſerant, in vſuras non teneri:quod ex ſubſcriptione fideiuſſionis conſtitiſſet,in annuis centum, non in omnem conductionem ſe obligaſſe, Qui text. velut Achilles communem proſternit ſententiam:agebatur quippe illic de contractu bonæ fidei,in quo vſuræ ſecundùm iudicij naturam veniunt ,& tamen ad vſuras qui fideiuſſerunt non aliter conueniuntur quàm ſi pro conductore vectigalis,in vniuerſam conductionem fideiuſſerint. Idémque alibi Vlpianus reſpondit. *l.2.§.fi. D.de admin.rer.ad ciuit.pertin.* Sed nec noſtræ ſententiæ offecerint leges,quibus adducti Accurſ.& reliqui à Placentini opinione veriſſima receſſertũ. Nam quod in primis dixit Africanus in *l.ſi poſt ea. D. rem pup.ſaluam fore*, fideiuſſores qui rem ſaluam fore pupillo cauerunt, & fructuum, & vſurarum medij temporis nomine teneri,ſpeciali pupillorum fauore induxit *l.etiam.l.ſi cum fideiuſſoribus.& l.pen.D.de fideiuſſ.tute.*& alia pleraque in illorum gratiam,aduerſus etiam illos ipſos fideiuſſores legiſlator conſtituit:quale & illud non contemnendum quod Vlpianus ſcriptum reliquit in *l.cùm oſtendimus.§.fi.D.de fideiuſſ.tutor.* [Fideiuſſores, inquit, à tutoribus nominati ſi præſentes fuerunt, nec contradixerunt, & nomina ſua referri in acta publica paſſi ſunt:æquum eſt perinde teneri, atque ſi iure legitimo ſtipulatio interpoſita fuiſſet.] Id autem pupilli fauore conſtitutum dubium non eſt:& plenè docent ſcriptores in *d.§.fin.& in l.1. in princ. D.de verb.oblig.* vt & in Reipubl. gratiam inductum legimus, vt pater qui præſens nominationi filij ad decurionatum non contradixit, pro filio ſit quaſi fideiuſſor obſtrictus. *l.2.D.ad municip.* Non etiam nos mouerit quod idem Vlpianus ad edictum ſcribit. *l. 2. §.fin.D.qui ſatiſd.cog.*in fideiuſſorem, qui aliquem iudicio ſiſti promiſerit, tanti, quanti ea res erit,actionem dari: vt in veram quantitatem fideiuſſor teneatur,niſi pro certa quantitate acceſſerit. Subiicitque Caius in lege, ſiue in duplum,quæ ſequitur : quod ſiue in duplum ſit actio,veluti furti nec manifeſti : ſiue tripli veluti cõcepti oblati:aut quadrupli, veluti furti manifeſti, tanti eundem fideiuſſorem teneri dicemus,quanti res eſſe intelligitur. Nam illic ideò traditũ eſt, fideiuſſorem de iudicio ſiſti, in id quod intereſt,vel etiam duplum, triplum, aut quadruplum teneri : quoniam actio, ſuper qua reus principalis cõueniebatur, ad id originaliter competebat,alioqui ad augmentum proueniens ex mora vel culpa principalis debitoris,non teneretur fideiuſſor, qui in id tantùm ſe obligaſſe intelligitur,ad quod actio origine dabatur. *l.fin.D.de fideiuſſ.l.libertus.§.fin.ad municip.* Idque rectiſſimè Accurſ. Caſtrenſ. Iaſ. & alij in d.l. ſiue in duplum, annotauerunt. Quo palam fit,aliam eiuſdem Paul. cõſtitutionem, in *l.ſi quis pro eo.§. ſi nummos.D.de fideiuſſ.*non obſtare. Neque enim illic agitur de obligatione acceſſoria, quæ ex accidenti propter moram, aut culpam debitoris enaſcitur, ſed de ea quæ principaliter venit ex re ſuper qua facta eſt interceſſio, & ita reſpiciebat principalem obligationem: erat quippe data aliena pecunia,in qua mutuũ non cõſiſtit, quandiu nummi extant,ideò nec fideiuſſor tenetur.Quod ſi conſumpti ſint, facta mutui reconciliatione, fideiuſſor quoque obſtringetur. Sicque non dicit Iuriſconſultus, ex mora aut culpa debitoris, augeri fideiuſſoris obligationem:vt in aliud prȩter ſortem teneatur:ſed tantum eam ante inualidam confirmari,& roborari,tã reſpectu rei, quàm fideiuſſoris, ſed & reſpectu eius quod principaliter deductum erat in contractu : in mutuo namque fit reconcaliatio, ſequuta conſumptione, quæ etiam fideiuſſori obeſt.

Hæc quæ ad inſtitutum noſtrum facerẽt, collegi ex Miſcellaneis Io.Corraſij olim Conſiliarij regij apud Tholoſates.

Ad l.centum Capuæ de eo quod certo loco.

Lex Centum,aliter declarata quam ab aliis in præſentem diem fuerit.

Declaratur l.centum Capuæ.
Communis ſenſus exploſus.
Mora eſt delictum.
No.intellectus ad l.centum
Loco non deſtinato,nec reus ſoluit,nec actor petit.

De *l.centum Capuæ*, intellectu aliqua dicere operæpretium duxi : quòd annotauerim priorem huius reſponſi partem, ab anterioribus malè intellectam. Africani in ea l.verba hæc ſunt : [Centum Capuæ dari ſtipulatus, fideiuſſorem accepiſti: ea pecunia ab eo ſimiliter vt ab ipſo promiſſore peti debebit, id eſt, vt ſi alibi quàm Capuæ petatur, arbitraria agi debeat, liſque tanti æſtimetur, quanti eius vel actoris intersfuerit, eam ſummam Capuȩ potiusquàm alibi ſolui. In horum verborum interpretatione,ſcriptores omnes exiſtimant Africanum decidere, quòd ſi promiſeris mihi ſolenni ſtipulatione, centum Capuæ dare, fideiuſſorémque eius rei nomine dederis, vtroque & reo & fideiuſſore moram faciente, poſſum alibi quàm Capuæ petere à fideiuſſore, nedum à reo principali: contráq; fideiuſſorem ob ſuam moram, fit actio, propter locum arbitraria,quemadmodum aduerſus debitorem principalem. Vnde iudex in id quod mea,ſtipulatoris intereſt, Capuæ ſolutum eſſe, fideiuſſorem ex ſua mora condemnabit, modò & eius quod ſua quoque intereſt,ratio habeatur. Qui intellectus, bona ſcriptorum venia dixerim, parum verbis, minus menti Iuriſc. conuenit : cum quod illic non fiat mentio de mora, quam ſubaudire non oportet,tum quod mora ſit delictum,licet in omittendo conſiſtat.Accurſ.in *l.ſi mora.D.ſolut.mat.*delicti autem præſumptio ſemper effugienda.*l.merito.D.pro ſoc.* Et huic noſtræ ſententiæ ſuffragatur. *verſic. nec oportebit. d. l. centum.*dum inquit Iuriſconſ. [Quòd ſi fortè per reum ſteterit,quo minus pecunia debita loco deſtinato ſolueretur, non oportere fideiuſſoris obligationem augeri.] Apertè innuens, in priore parte legis per debitorem non ſtetiſſe, quominus ſe debito liberaret. Hac igitur interpretatione tanquam abſurda, miniméque rationi conſentanea, exploſa, non fortaſſe incommodum eſſet prius illud Africa.reſpõſum ita interpretari, vt in eo de mora,nec rei,nec fideiuſſoris agatur : ſed hoc vnũ ibi doceat Iuriſconſ.quod ſi creditor alio loco quàm deſtinato ſolutioni à fideiuſſore debitum exigat, tunc eius, hoc eſt fideiuſſoris propter locum,ratio habeatur. Item etiam actoris,id eſt creditoris,ſi ei à fideiuſſore,alio loco debitum offeratur. Vt enim is quis certo loco dare promiſit, nullo alio loco, quàm in quo promiſerit, ſoluere inuito ſtipulatore poteſt.*l.penult.D.de eo quod cert.loc.* niſi promiſſor id totũ quod ſtipulatoris intereſt, offerat. Accurſius in *l.qui Romæ.vbi doct. D.de verb.oblig.& in l.qui pecuniam.D.de reb.cred.* Ita nec alio loco ſoluere cogi poteſt.*l.vſuras.C. de ſolut.* niſi eius quoque quod ſua intereſt,ſtipulator rationẽ habere velit. Accurſ, in *l.2.D.de eo quod cert.loc.*

Ad l.ſi pecunia.de pignoratitia actione.

Accurſius hic cum in corruptum Codicem incidiſſet meras nugas effutiuit in declaratione huius legis, quem & ſequutus Bartolus.Exiſtimarunt enim hic probari, pignus quod ſub alterius nomine datum eſſet repeti per pignoraticiam actionem. Sed neſcio an maiora fuerint Pauli Caſtrẽſis ſomnia,qui neſcio quid hic de prætorio pignore intelligit, quod nihil prorſus ad rẽ pertinet, & omnis eorũ error procedit ex praua lectione, nimirum quia Antiphonam legunt pro ἀντίχρησις, eſt autem ἀντίχρησιν, vt ex etymo vocabuli coniicere licet, pignus quòd ita datur vt eius vſum & fructum pro vſuris ſibi creditor computet, putà ſi tibi tradam fundum,ea cõditione vt eum pignori habeas, donec tibi centum ſoluerim, & vt interim fructus colligas pro vſuris, quas alioqui tibi præſtare debuiſſem. malè etiam in eodem titulo Accurſius & cæteri de prætorio pignore accipiunt,qua expoſitione nihil frigidius eſt.

Ad l.4.eod.tit.D.commodati.

L.4.D.commod. ab Alciat.perperàm accipi, vndéquè rationes Accurſ.& aliorum expoſitio reiecta.

Communis interpretatio explanata.
Alciatus fœdè labitur.
Dis pro diuite.
Terentij locus expoſitus.
Dis pro Deo infernorum.
Ditis gratia quid.

Cum Vlpianus docuiſſet, quod vſu conſumitur, niſi fortè ad pompam vel oſtentationem,commodari non poſſe:adiecit Caius, ſæpè ad hoc commodari pecunias, vt ditis gratia, numerationis loco intercedat. *l. 3. §. finali. & l.4.D.commodati.* Quæ verba, vt Accurſius, Bartolus, & cæteri exponunt, hunc ſenſum habent, poſſe pecuniam, & quod vſu conſumitur,

tur,commodari gratia ditis,hoc eſt,ad hoc, vt diues appareat, cui pecunia numeratur, ne facultatibus eum fortè labi, alij creditores exiſtiment. Quem ſenſum, inquit Alciatus,quem ego virum, honoris cauſa, non contumeliæ nominari ſemper cupiam,*lib.1. diſpunct.4.cap.15.*nec legis verba patiuntur:nec Gaius exprimere voluit.nullibi enim gentium Alciatus exiſtimat, ditem ſingulari numero,pro diuite legi.ideo non [ditis,] ſed [dantis,] legendum opinatur. Audacter profectò,magis quàm vere.Dis enim,pro diuite in Romana lingua recipitur,vel authore Terentio, authorum Latinorum doctiſſimo, qui in Adelphis illa dictione, in eum ſenſum vſus eſt.dicebat enim ad Demeam ſenem,Syrus ſeruus,

Dis quidem eſſes Demea,
Ac tuam rem conſtabiliſſes.

Ditem autem,pro diuite poni,à Plutone,inferorum Deo,tractum videtur: quem antiqui ditem vocauerunt, ob id quod diuitiæ omnes è terris oriantur,in terráſque recidant. Plutoni verò terrenam omnem vim, atque naturam dicatam putabant.*Cicer.in 2.de natura Deor.*[Terrena autem vis omnis,inquit, atque natura Diti patri dicata eſt, qui diues, vt apud Græcos Pluton: quia & recidant omnia in terras, & oriantur è terris.] Magis ergo conuenire videtur communis expoſitio Caij verbis: nec tamen deſunt, qui probabiliter ſatis, neque [Ditis,]neque[dantis,] illic legendum cenſeant: ſed [Dicis gratia,] Antonio Auguſto. *lib.2.opin.*nec videatur inſolens hic loquendi modus, quo Vlpianum præterea vſum offendimus. [Excuſantur,inquit,ſerui,ſi auxilium tulerunt,ſine dolo malo. nam ſi finxit ſe quis auxilium ferre, vel dicis gratia tulit: nihil hoc commentum ei proderit.]*leg.prima.§.excuſantur. D.ad Senatuſconſultum Syllanianum.* vſus quoque eſt Cicero actione in Verrem 6. [Attamen,inquit, vt poſſit ſe dicere emiſſe, Arthagato imperet; vt aliquid illis,quorũ argentum fuerat, nummorum, dicis cauſa daret. inuenit Arthagatus paucos, qui vellent accipere,his dedit,] & cætera,quæ ſequuntur.Aliud autem nihil, quantum coniectura aſſequi poſſum, his locis, [Dicis gratia] aut [cauſa] ſignificat, quam neglectè,remiſsè, & eo tantum animo, vt officio functi videamur: non ſeriò,non accuratè,ſed profunctoriè, quatenus ſatis ſit, ad vitandam reprehenſionem: veluti, cùm Vlpianus ait, non prodeſſe ſeruo, ſi finxit ſe ferre auxilium, aut [Dicis gratia,hoc eſt,vt interpretor,non ex animo, ſed ne officio ſuo videretur defuiſſe. ſic & in Caij reſponſo. *d. l. ſæpe. D. commod.* commodabatur pecunia,non animo contrahendi mutuum,licèt numeratione facere ſimulauerit, qui tradebat,nec eo conſilio,vt qui accipit,vteretur, niſi ad pompam fortè,vel oſtentationem,ſed tradidit commodans,vt ſuo munere defungi videretur,accipientis precibus peruictus. Cuius tamen ſignificationis cauſam,& originem,in compertam,adhuc mihi candidè fateor.

Ad l.3 commodati.

In *hoc titulo*.Accurſius mirum ſe interpretem oſtẽdit, quod vt intelligatur verba legis ſunt ponenda, quæ ſic ſe habent, Sæpe ad hoc,inquit,commodãtur pecuniæ, vt ditis gratia numerationis loco intercedant, Accurſius hîc noua interpretatione ditis interpretatur, diuitis verbáque reſponſi in eo accipit,qui vt diues appareat, commodata vtitur pecunia, ne eũ facultatibus labi cernentes.alij creditores nimis duce ſtatim exigere velint, quem ſenſum ſi illis verbis exprimere voluit Gaius mirũ quam bardus Latinique ſermonis imperitus fuerit. Primum id ab eo lubens quæſierim vbinam gentium dice pro diuite ſingulari numero in Romana lingua ex communi vſu recipiatur? rurſúſque & ſi maximè admiſſum ſit illud reperiri nunquid ea verba illum intellectum patiantur? ſenſus eius legis facilis eſt abſque vlla mutatione, nec in hac re ſequendus Alciatus, qui pro ditis legit dantis, cum nullorum veterum ſcriptura id comprobari poſſit.

NOTAE AD LIBRVM DECIMVMQVARTVM PANDECtarum iuris ciuilis.

Notæ ad Accurſ.

Ad titulum ad legem Rhodiam de iactu.

IN *l.2.§.1. hoc titulo*. Accurſius inſcitè interpretatur exarmare.dicit enim hic paſſiue accipi debere. Tu dicas exarmare hic eſſe armis ſpoliare: vnde exarmare nauẽ, eſt eam armamentis ſpoliare, vt malo,roſtro, antenna, carchefio, clauo, pede, anchora,& reliquis.

In hoc eodem titulo Accurſius vrinatores malè interpretatus eſt.Sunt enim vrinatores, natatores, ſubaquales Latinè, eos quidam ab vrina dici volunt, cum in aquam mergitur. Vrinari enim in caput mergi eſt, quo verbo Plinius ſæpe vtitur.

In *l.nauis. hoc titulo*. Accurſius non intellexit quid eſſent tumultuaria armamenta. nam ſi intellexiſſet melius verba Iuliani enarraſſet.notandum autem tumultaria Iulianum pro ſubitaneis poſuiſſe, & ex tempore conquiſitis, non iuſtis & planè fabrefactis eleganter.

Ad legem Rhodiam de iactu.ad l.quandam Græcam.in qua eſt Eudæmonis ſupplicatio.

Hic etiam valde errauit Accurſius, dum ipſe & Bartolus ita accipiendam hanc legem exiſtimant (atque ex ea male colligunt) vt valeat conſuetudo, cui lex non aduerſatur, cum nihil omnino hic de conſuetudine dicatur. Imo τῷ νόμῳ,inquit, [illegible] enim apud Græcos, ſi propriè loquamur legem ſcriptam,magis ſignificat, ſicut [illegible] legem non ſcriptam, & quandam potius conſuetudinem refert. Nam & Iuriſconſultus vbique hanc Rhodiam legem appellat, vt non videam, qua de cauſa hic eam legem pro conſuetudine accipiunt interpretes. Alius error interpretum eſt non quidem Accurſij, ſed Ioannis Ignei in tractatibus, & Baldi in rubrica de rerũ diuiſione,dum dicitur hic,[ego autem mundi Dominus, lex autem maris] exiſtimant propter aduerſatiuam,maris imperium ad Imperatores non pertinuiſſe,quod ſanè perridiculum eſt: tametſi Baldus & Iaſon hac ratione exiſtimauerint Venetos Romano Imperio ſubditos non eſſe, & ne hic hæreamus huius legis ſenſum genuinum aperire oportet, & hic eſſe ſenſus,cùm Imperator ſit mundi Dominus,certè non terra tantum,ſed & mare ipſius legibus parere debuerant, & ipſa in eis leges ſtatuere, cum tamen in mari non lege propria iudicat, ſed Rhodia quæ ab eo approbata eſt, huic accedit quod particula δὲ non ita aduerſetur, vt præcedentia ſemper concludat, vt putauit Baldus.

Ad titulum de inſtitoria actione.

Ad l.quicunque.

Eum locum huius legis (ſi pecunia accepta præſente, vt per dies ſingulos panem cui præſtaret conturbauerit) non eſſe intellectum ab Accurſio, minimè mirãdum eſt cùm à nullo vetuſtiorum rectè interpretatũ videam, & hoc accidit ex ignoratione vocis conturbauerit, quam non intellexerunt, Accurſius enim ſic hoc verbum interpretatur, ſi nõ fecit quod conuenit,qua interpretatione nihil abſurdius videri poteſt. Conturbare autem eſt decoquere, & pecuniam ſuam diſſipare ſignificat, & propriè de ſeruis dicitur, qui cum rationibus Dominicis paria non faciunt,vt in *l.quadam.de in rem verſo.* quam legem rectè adduxit Accurſius.

Ad titulum ad Senatuſc.Macedon.

In hoc titulo ſic Iulianus ait,Si quidem hac conditione donata ſit ei pecunia, vt creditori ſoluat videri à donatore profectã protinus ad creditorẽ,& fieri accipientis.Si verò ſimpliciter ei donauit alie nationẽ eorũ filium nõ habuiſſe,& ideo ſi ſoluerit conditionẽ patri ex omni euẽtu competere.Cuius reſponſi poſterior pars difficillima eſt ad intelligendum. nam ſi ſic interpretabimur patrẽ ex omni euẽtu poſſe cõdicere, quod ſiue extent adhuc nummi vẽdicare poteſt, aut ſi cõſumpti ſint

condicere contra ipſe dicet Marcellus qui conſumptis nummis nullum relinquit cõdictioni locum, vt teſtatur Vlpianus *l. 14. de rebus creditis.* horum Iuriſconſultorum verba ſic recenſentur, vt per quam arduum ſit vllum ex iis ſenſum elicere, vt non repugnent inter ſe. Nam quod dicit Accurſius Iulianum eſſe intelligendum, quando creditor ſciens nummos patris eſſe, conſumpſit eos. Itaque ab eo condicere patrem poſſe tanquam à fure apud Marcellum vero bona fide accepiſſe id quidem verum eſt, ſed diuinationis plus habet, aut coniecturæ quam vel veritatis, vel veriſimilitudinis, nam qua fide creditor acceperit, nullum in vtroque verbum. Et præterea huic interpretationi refragantur hæc verba Iuliani condictionem patri ex omni euentu competere. Sanè mihi nõ probatur hæc expoſitio, melius tamen adhuc ſentit Accurſius, quam Iaſon, quia interpretatione Iaſonis nihil abſurdius aut ineptius videri poteſt.

Ad l. 4. de bonis libertorum.

Refert quorundam ſententiam Accurſius, qui libertum exiſtimant appellatum fuiſſe ὀρθινον, id eſt, rectum & directum, quia libertatem directo acceperit, ſed hoc falſum eſt, vbique enim legimus, & ita Græci verterunt interpretes ὀρκινον, quo verbo ad aliam rem vſus eſt Suetonius in Auguſto Senatorum affluentem numerum deformi & incondita turba (erant enim ſupra mille & quidam indigniſſimi, & poſt mortem Cæſaris per gratiam & præmium allecti, quos orcinos vulgus vocabat) ad modum priſtinum & ſplendorem redegit. Orcinos appellat quaſi nec à Iulio, nec ab Auguſto, aut cenſoribus in Senatum conſcripti, ſed per gratiam & præmium admiſſi.

NOTAE AD GLOSSAS IN LIBRVM DECIMVMQVINtum Pandectarum iuris ciuilis.

Ad titulum de peculio.

Ad l. 3. §. ſi ſeruus.

EX hac lege colligitur à Doctiſſimo Cuiacio, quod cæteri interpretes ignorauerunt, aduerſus quos hoc illa ſenſit, fideiuſſores à ſeruo interceſſore datos non teneri, quod ſic probat doctiſſimus vir aduerſus plurimorum interpretum opinionem, ex huius legis. §. is duob. Comparatur omnino ſeruus interceſſor ſeruo iudicio condẽnato *l. 3. §. ſi filium. & §. ſi ſeruus. hoc tit. de peculio.* hęc eſt propoſitio maior, quæ vera eſt, ſequitur aſſumptio. At ex iudicij cauſa fideiuſſor à ſeruo datus non tenetur. *l. quoties. D. ſi quis cautionibus.* Deinde concludit optimè. Ergo et interceſſionis cauſa fideiuſſor à ſeruo datus non tenetur, quia ſcilicet ex interceſſione naturaliter non obligatur, qua in re tamen fatetur pręceptor meus diſſenſionem fuiſſe inter Sabinianos & Proculianos, & hoc eſt quod ait. *l. 3. §. ſi filium. hoc titulo.* de hac re tractatum fuiſſe. Obtinuit ſententia Sabini & Caſſij differentiam conſtituentium inter ſeruum & filiumfamilias, vt pater obligatum de peculio quacunque ex cauſa filius interuenerit, Dominus, non item niſi in rem Domini, vel in rem peculiarem interuenerit. *d. l. 3. §. ſed ſi filium. l. quoties. § 1. eod. tit. de pecul.* quam ſententiam Iulianus & Iauolenus probant, qui & Sabiniani fuerunt. *l. 19. & 20. D. de fideiuſſ. d. l. in perſona. §. 1.* Ex diuerſa ſecta probauit etiam Celſus, vt refertur in *d. l. 3. §. ſi filium. hoc titulo.* Ex his omnibus concludit Iuriſconſultorum huius temporis facilè princeps. Sabiniani, quorum ſententia obtinuit, in his quatuor cauſis, ſi ſeruus interuenerit, ſi compromiſerit, ſi iudicio condemnatus fuerit, ſi actori in iudicio iuſiurandum detulerit, obligationem naturalem (quæ tamen ſubeſſe videtur) non agnouerunt, & ideo de peculio actionem in Dominum non dederunt. Nam nec ciuili, nec naturali iure ſeruum idoneum interceſſorũ, idoneum compromiſſorem, idoneum litigatorem, idoneámve in iudicio perſonam eſſe cenſuerant, Ex aliis cauſis indiſtinctè, ſiue è re peculiari eſſent, ſiue extra in ſeruilem perſonam naturalem obligationem, & in Dominum de peculij actione admiſerunt, vide Cuiacium in libro octauo Obſeruationũ, capite vndecimo, ex quo pleraque hæc collegi.

Ad titulum de peculio.

Malè Antonius Goueanus quædam verba in *l. 3. §. ult. D. de peculio.* interpretatur, vt doctiſſimè animaduertit. D. Cuiac. præceptor meus, libro ſeptimo Obſeruationum, capite 31. qui indignari ſe dicit, quoties ea verba, (Quoniam Rempublicam ſaluam fore pater obſtrictus eſt) virum doctiſſimum ſic interpretari legit. Pater Decurio, qui ſalutem Reipublicæ ſuæ conſeruaturum ſe iurauerat, ordinem augere debuit eum, ex quo magiſtratus creari poſſent, ſine quibus Reſpublica ſalua eſſe nullo modo poteſt, vt ei imputari non poſſit quid eius voluntate, factus decurio filius eſt, ſpecioſa hæc dicta ſunt non vera, vt cenſet Doctiſſimus Cuiacius fax Iuriſconſultorum huius ætatis, Accurſius, veriſſimè hæc interpretatur, vt in libro Benedictor. Accurſij notauimus. Quoniam, inquit, Rempublicam ſaluam fore pater obſtrictus eſt, non rem pupilli. ídque loci ab Accurſio rite notati comprobant manifeſto. Pater, inquit, alius decurio. imò & non Decurio. Qui iurauerat, iuriſiurandi nouum genus, ordinem augere debuit.

Ad titulum de peculio.

Ad l. 6.

Quinam ſint ſerui ordinarij, vicarij, & Mediaſtini, Accurſius non explicat: quorum tamen nominum explicatio multum facit ad intelligentiam huius tituli in quo paſſim horum ſeruorum fit mentio. Quoniam igitur hoc non conſtat omnibus, in medium proferam: quæ optimorum Authorum diutina & vſu contrita lectio mihi hac de re ſuppeditauit. Ac primum notandum Iacobum Rauardum virum ſanè acutiſſimum, & de noſtro iure bene meritum, in libro ſuo Variorum quinto, capite ſecundo, ſcribere ſe in manuſcripto ſuo de verborũ iuris ſignificatione, antiquiſſimo libello ſic ſcriptum inueniſſe. Seruus ordinarius eſt, qui aliis ſeruis præpoſitus eſt. Seruus vicarius eſt, qui ſeruo ſubminiſtrat ordinario. Seruus Modeſtinus eſt, qui medium gerit actum, nec inter ordinarios ſeruos, nec inter vicarios, ſed medius inter hos & illos connumerandus eſt, hæc ſunt ipſiſſima verba antiquiſſimi illius libelli, de verborum iuris ſignificatione, ex quibus ſanè notum eſſe poteſt, quod hactenus à multis interpretibus iuris noſtri ignoratum fuit, ad quæ addendum mihi videtur, quod Vlpianus in *lege, ſexta, ſeptima, & decimaſeprima. de peculio, ait, & lege, quinta, de tributoria actione.* Ordinarios ſeruos ſub ſe vicarios habuiſſe, iiſque velut Dominos ſic imperaſſe, vt vicarij eſſent cum ſuis peculiis. In peculio ordinariorum, indéque vicarios ſeruos peculiares nuncupatos eſſe, paſſim traditum eſt *l. 3. §. miles. de ſuis & legitimis. l. 21. de peculio legato.*

Vnde etiam perſpicuum eſt, quo ſenſu ſcripſerit apud Vlpianum Pomponius in *l.3.§.1.in fin.ff.de his qui notantur infam.* eum qui in ſeruitute peculiaria mancipia proſtituta habuit infamia notari poſt libertatem. Dubium enim non eſt, quin de ſeruis ordinariis vicaria mancipia ſua proſtituentibus, ſenſerit in hoc loco Pomponius. Ad ampliorem intelligentiam horum nota diligenter inter ordinarios illos ſeruos, actores, procuratores, diſpenſatores, & ſilentiarios eſſe referendos, vt ex Saluiano colligi poteſt libro 4. de prouidentia Dei, cuius verba quoniam nimis longa ſunt, non referam, ſufficit locum indicaſſe. reperies eum locum relatum à Iacobo Ræuardo, *libro 5.Variorum, c.20.pag.328.* vide Suetonium in Nerone, qui hac de re ſcripſit. Vide Columellam libro 1.de re ruſtica. Apuleium libro 8.de Aſino aureo, hæc de ordinariis ſufficiant. De mediaſtinis & vicariis dicendum, de quibus mentionem facit Vlpianus *l.15.§.13.ff.de iniuriis.* his verbis, Etenim multum intereſt qualis ſeruus ſit, bonæ frugi, ordinarius, diſpenſator, an verò vulgaris, vel mediaſtinus, an qualis qualis, quo in loco tres haud dubiè viſus eſt mihi ſeruorum differentias poſuiſſe Vlpianus ſic quidem vt alios contenderit, ordinarios eſſe alios vulgares, ſiue vicarios, alios denique Mediaſtinos: per Mediaſtinos intelligens, qui nec inter ordinarios, nec inter vicarios referebantur. *§.pœna autem.inſtit.de iniuriis.* Vnde malè concludimus Porphyrionem & Acronem aliter ſenſiſſe, quàm nos hîc ſentiamus de Mediaſtinis ſeruis, in hunc Horatij verſum.

Cum Mediaſtinus tacita pede rura petebat.

Rectius in à Nonio Marcello non balneorum duntaxat, ſed ædium quoque miniſtri & curatores Mediaſtini definiuntur, hoc eſt, vt ſentio cum Doctiſſimo Ræuardo qui curam habebant ſartorum tectorum. Curatores enim & miniſtri ædium, nec vicarij ſunt, nec ordinarij, ſed tertiam quandam ſeruorum conſtituunt differentiam, & Mediaſtini quaſi inter ordinarios & vicarios medij nuncupantur. Nec obſtat quod Vlpianus *lib.1.§.4. nautæ caupones ſtabular.* viſus eſt atrienſes inter Mediaſtinos referre. De his enim hauddubiè atrienſibus cenſet, qui nullos in peculio ſeruos habebant. Nam ſi haberēt vicarios, non amplius Mediaſtini, ſed ordinarij dicerentur. Nec nouum eſt quod Vlpianus ita Mediaſtinum acceperit. Eodem enim ſenſu Modeſtinus accepiſſe Mediaſtinum videri poteſt *l.vlt.D.de operis ſeruorum.* Nota poſtremò inter vulgares (qui alio nomine vicarij appellantur,) Topiarios, paſtores, ſalmarios, hoſtiarios, dietarios, aquarios, numerandos eſſe, horum omnium meminit Vlpianus *l.8.& 12.§.22. de inſtructo legato.*

NOTAE AD LIBRVM DECIMVMSEXTVM PANDECTARUM iuris ciuilis.

Ad titulum ad Senatuſconſultum Velleianum.

Accurſius non rectè intellexit *l.24. hoc titulo.* quod vt intelligamus locus in quo errauit proponendus eſt. Eſt autem eiuſmodi, debitrix mulier à creditore delegata, pro eo cui delegata eſt, promiſit, non vtetur exceptione, ſed ſi pecuniam promiſit ne delegetur interceſſiſſe videtur. Si non eſt facta delegatio, ſed maluit mulier nouam inire pro ſuo creditore obligationem quam delegare, vtetur exceptione. Nam reuera interceſſit pro creditore ſuo cui obligata manet, & nihilominus eius etiam creditori, vt ſi debitricem meam cum vellem creditori meo delegare, noluerit, ſed pro me apud eam fideiuſſerit: rectè cùm non ſit nouatio facta obligationis, & adhuc mihi teneatur, haud quicquam dici poteſt cur non pro me interceſſiſſe dicenda ſit. Accurſius

Nota ad Accurſ.

perperam hunc locum aliter exponit, ſed nihil præter meras nugas affert. Neceſſe eſt enim delegationem fieri, ipſámque eadem opera à ſuo creditore liberari mulierem, quæ pro eo alteri obligatur, ſic vt transfundatur obligatio. Iſto enim pacto nullam nouam ſuſcipit obligationem, ſed ſuam mutat & innouat, in quo nihil damni patitur, quare nec Senatuſconſulto comprehenditur.

Ad titulum Depoſiti.

Eum locum huius legis *§.quo ſic dicitur.* Eum tamen deponere tumultus vel incendij, vel cæterarum cauſarum gratia intelligendum eſt qui nullam aliam cauſam deponendi habet, quam imminens ex ſupradictis cauſis periculum ab Accurſio & ſequacib. eius parum animaduerſum eſſe puto. Ignorant enim quomodo hic tumultus intelligendus ſit. Seruius in 8. Æneidos dicit, Tumultum eſſe bellum Italicū, vel Gallicum, in quib. ex periculi vicinitate erat timor multus. Hæc eſt etymologia huius nominis, quam probat etiam Cicero in Antoniana octaua, his verbis, Poteſt bellum eſſe ſine tumultu, tumultus ſine bello eſſe non poteſt. Quid eſt enim tumultus, niſi perturbatio tanta, vt maior timor oriatur, vnde etiam nomen ductum eſt tumultus.

Ad titulum de Compenſationibus.

In l.debitor 29.de Compenſationibus. illa verba peculij fini ita obſcura interpretibus viſa ſunt, vt eam lectionem ſuſpectam habuerint, veterémque lectionem, quamuis mendoſiſſimam ſequi maluerint, cum tamen elegātiſſima ſit phraſis, nec quidquam mutandum ſit. Igitur ea verba ſic explicanda ſunt, hócq; ſignificant dari compenſationem ad eum finem & modum ad quem ſeruus habebit, ſcilicet peculium, & vt vulgò ſolemus dicere, quatenus erit in peculio ſerui, quo genere loquendi pluribus locis vſi ſunt Iuriſconſulti. *l.1.de pignoribus. Idem Papinianus l.5. de dotis collatione. l.15.ad leg.Falcid. Gellius lib.1. Noctium Atticarum cap.3.* Quatenus quaque fini amicitiæ venia dari debeat.

Ad l.1. §.ſi quis ſeruum.D.Depoſiti.

Non eſſe neceſſe mercedem in pecunia numerata conſiſtere, vt ſit locatio, aduerſus omnes defenſum, & præſertim aduerſus Accurſium

Communis ſententia refutata.
Nouè explicata duæ leges.

Animaduertimus quandoque, & in illo erratum eſſe à doctoribus, cùm dicunt, familiaritatem tantam eſſe inter venditionem, & locationem, vt, quemadmodum in venditione certum, & in pecunia numerata pretium eſſe debet. *l.2.D.de contrahenda emptione. §.item pretium.de emptione & venditione.* ita in locatione, quod Accurſius & alij vbique tradiderunt in *l.1. §.ſi quis ſeruum. D.depoſit.in §.1.de location.* & alibi ſæpè. Sed, vt breuiſſimè dicam, verum non eſt. iura namque tantùm deſiderant mercedem, non etiam pecuniam numeratam. ideò Caius, Locatio & conductio, inquit, proxima eſt emptioni & venditioni, eiſdémque iuris regulis conſiſtit. Nam & emptio & venditio contrahitur, ſi de pretio conuenerit: ſic & locatio, & conductio contrahi intelligitur, ſi de mercede conuenerit. *l.2. in princ. D.locat.* quæ verba & ab Imp. referuntur in *§.1.de locat.in inſtit.* ſed & alibi Papinianus in *l.ſi vir vxori. D. de donat.inter vir.& vxor.* [Hoc ideo, inquit, tam variè, quia locatio quidem ſine certa mercede contrahi non poteſt,] Abſurdum autem eſt, quod Accurſius & alij paſſim ſubaudiunt, mercedem ſcilicet (aiunt) in pecunia conſiſtentem. Nec nos mouerint leges, quæ de contractu locationis verba facientes, ita demum contractum intelligunt locationis, ſi pecunia

interueniat, alioqui præſcriptis verbis actionem dari cenſent. *l.1.§.ſi quis ſeruum.ff.depoſ.l.naturalis.§.at cum do.ff.de præſcrip. verb.* Nam illic pecuniæ verbum, eas etiam res comprehendit, quæ pondere, numero, menſuráve conſtant: cum & quamcunque rem, aut quodcunque corpus, veteres pecuniæ appellatione, ſignificari voluerint. *l.fin.§.fin.C.de cõſtu.pec.* quòd omnes res in pecuniam conuerti poſſint. Accurſ. in *l.pecuniæ nomine.ff.de verb.ſign.* idque Ariſt. in Ethic. prænotauit. At in iure ciuili frequens eſt, vt pecuniæ verbo, res pondere, numero, menſuráve conſtantes intelligantur. *l.2.§.creditum.ff.de reb.credit. l.talis ſcriptura.ff.de leg.1.* Nec in tractatu noſtro abſurdum videri debet. cùm, vt oſtẽdimus, de locatione agentes, iuriſconſulti mercedem duntaxat exigant, idque euidenter. *l.1.§.fin.ff.mand.* demonſtrat. [Mandatum, inquit Iul. Paulus, niſi gratuitum, nullum eſt: nam originem ex officio, atque amicitia trahit: contrarium porrò eſt officio merces. interueniente enim pecunia, res ad locationem & conductionem potius reſpicit.] Cæterùm & Imper. audiendus eſt, qui in *l.ſi olei.C.de locat.* Antoniæ in hæc verba reſcripſit: [Si olei certa ponderatione, fructus anni locaſti, de contractu bona fide habito: propter hoc ſolùm, quòd alter maiorem obtulit põderationem, recedi non oportet.] Et ludo autem, & riſu dignus eſt communis ſenſus, cum inprimis verbum locaſti, id eſt, vſui conceſſiſti, exponit: vt ſic de contractu innominato loquatur Imper. non etiam de locatione: quo nihil magis inconcinnum, & repugnans verbis legis, dici poſſet. Præterea titulo qui cum de locato inſcriptus ſit, manifeſtum facit, conſtitutiones omnes ſub ſe inſertas, de aliis contractibus accipiendas non eſſe. Sed & non agi illic de contractu innominato, alia ratione liquet. Nam, vt docet Imp. in ea ſpecie partes pœnitere non poſſunt, aduerſus innominati contractus naturam. *l.ſi pecuniam.ff.de condic.cauſ.dat.* quem obicem vt tollant, ita cauillantur interpretes *d.l.ſi olei.* vt illic res non fuerit integra. Acutius itaque Salyc. qui cauillos huiuſmodi ferre non potuit, illic exiſtimauit, etiam quod pondere & menſura conſtat, vt vinum, oleum, frumentum, & ſimilia, ſi dentur pro vſu rei, quæ ſuapte natura fructus ſimiles producit, locationem non impediat, vt cum oleum, pro oliueto, vinum pro vinea, frumẽtum, pro terra aratoria, quod tunc, quam ita conducit, colono partiario, ſit ſimilis. Verum hæc diſſolutio arguta ſanè plus nimio diuinat, ad Imper. reſponſum illúdque ſuprà modum cõſtringit. Proinde nec à vera noſtra ſententia recedimus, vt ad locationem & conductionem, pecuniam numeratam interuenire non oporteat, ſed mercedem: indéque conducere mercede dicimus. Cicer. in 2. Offic. Aut ſpe largitionis, inquit, promiſſioníſque capti, aut poſtremò, vt ſæpè in noſtra Rep. videmus, mercede cõducti. Mercedis autem verbo, bonarum literarum ſtudioſis conſtat, non tantum pecuniam numeratam intelligi, ſed generaliter quodcunque præmium, quod pro labore ſeu ſtipendio datur: vt Varro *lib.4.* de lingua Latina ſcriptum reliquit.

Hæc ex doctiſſimi viri obſeruationibus collegi, huc autem tranſtuli, quia ad inſtitutum meum facerent.

Ad l.quod nerua.D.depoſiti.

In expoſitione culpæ, & graduum eius, Doctores omnes quotquot ſcripſere, toto cælo erraſſe: ideò aliter, quàm in hanc diem factum fuerit, declaratum.

Culparum communis diuiſio.
Dolus verus & præſumptus quid.
Lata culpa.
Culpa leuis.
Improbata dictorum partitio.
Lata culpa dolum continet.
Zaſij diſtinctio exploſa.
Noua de culpis ſententia.
Culpa dupliciter accipitur.
Culpa quadrupliciter contrahitur.
Culpa gradus tres duntaxat.
Lata culpa, leuis, & leuiſſima quid noud.
Lata culpa an dolus ſit.
Lata culpa & latior idem.
Comparatiuus pro poſitiuo.

Fecerunt Bart. & alij communiter in *l.quod nerua.D.de poſ.* quinque culparum ſpecies, latiſſimam, latiorem, latam, leuem, & leuiſſimam.

Latiſſimam cenſentes, eandem cum dolo vero, & manifeſto. & ita machinationem quamcunque ad alterum circumueniẽdum adhibitam. *l.1.§.1.D.de dol.* latiorẽ verò, dolo præſumpto adſcribentes. *d.l.quod nerua.* vt ſit machinatio, ad alterum decipiendum veriſimiliter, &, vt dicunt, præſumptiuè adhibita. Quòd ſi quiſpiam tumultuetur, nullum manifeſtum dolum eſſe, ſed omnem præſumptum: ex eo, quod in animo conſiſtat, cuius ſolus Deus ſcrutator eſt, quique non niſi ex indicibus probatur. *l.dolum.D.de dol.* Reſpondet Bart. indicia quædam eſſe manifeſta: hoc eſt, dolum neceſſariò inferentia, quæ verum & manifeſtum dolum arguunt. *d.l.dolum.* Alia verò, quæ præſumptiuè tantum dolum concludunt. ex quibus ideò præſumptus duntaxat dolus colligitur. *l.ſi procuratorem.§.dolo.& l.dolus.D.mandat.* Veluti, cum quis præcepto iudicis non parẽt. *l.non poteſt dolo.D.de re iu.* Aut non ſoluit vel reſtituit, quod poteſt, & ſcit, ſe debere ſoluere, aut reſtituere. *l.qui reſtituere.ff.de rei vend.d.l.dolus. & d.§.dolo. Alexan.conſil.103.vol.5.* Sanè poteſt quis ab hoc dolo præſumpto mereri excuſationem, propter ætatem aut ſexum, puta. Licet à vero dolo excuſatio nulla ſit. *l.auxilium.§.in delictis.D.de mino.l.1.C.ſi aduer.dolu.l.ſi decipiẽdi.D.ad Velleia.l.vbi exigitur.D.de eden.l.2.C.ſi minor ſe maior.dix.* Item cùm ex præſumptionibus damnari nemo debeat. *l.abſentẽ.D.de pæn.* & oporteat in negotiis criminum, probationes luce meridiana clariores eſſe. *l.fin.C.de probat.* ad condemnationem, dolus præſumptus non ſufficit, niſi violenta eſſet præſumptio. *l.ſi hi qui adulterij.& auth.ſi quis eſt.C.de adult.* Latam verò culpam Bart. dicit eſſe deuiationem incircunſpectam, ab ea diligentia, quam communiter habent homines eiuſdem profeſſionis & conditionis. *l.lata culpa.D.de verb.ſign.* veluti ſi quis ignorare ſe dicat, quod publicè factum eſt, aut præconis voce proclamatum. *cap.cum in tua.qui mat.accuſ.poſſ.* aut ſi Doctor, Medicus, vel Artifex, erret circa ea, quæ communiter alij eiuſdem conditionis ſciunt. hæc enim imperitia culpæ adſcribitur. *l.illicitas.§.ſicuti.D.de off.præſid.l.ſi quis fundum.§.Celſus.& l.item quæritur.§.ſi gemma.D.locat.l.imperitia.D.de reg.iur.§.imperitia.ad l.Aquil.in inſtit.* quamuis ſi erretur in eo, quod excellentes duntaxat artifices ſciunt: non lata, inquit Bart. ſed leuis culpa ſit. & ſi in eo, quod excellentiſſimi tantum intelligunt, leuiſſima. *l.1.§.1.D.ſi menſ.falſ.mod.* leuem porrò culpam Bart. tripliciter conſiderat: vel in rebus alienis, vel in rebus communibus, incidenter, vel in communibus ex conuentione. In rebus alienis, deuiationem eſſe dicit incircunſpectam, ab ea diligentia, quam adhibent diligentes homines, eiuſdem conditionis, & profeſſionis. *l.ſi putator.D.ad l.Aquil.l.in rebus.D.de iur.dot.& d.l.1.§.1.D.ſi menſ.falſ.mod.* In rebus communibus incidẽter, Bart. leuem culpam dicit, eſſe deuiationem incircunſpectam ab ea diligentia, quam ipſe deuians tunc temporis in rebus propriis adhibet. *l.heredes.§.non tantum.D.famil.erciſc.l.ſi conſtante.§.ſi maritus.D.ſolut.matr.* In rebus communibus ex conuentione, deuiationem incircunſpectam eſſe ſcribit, ab ea diligentia, quam ipſe deuians in rebus ſuis cùm contrahebat, vel ante contractum, ſolebat exhibere. *l.ſocius ſocio.D.pro ſoc.§.fi.de ſocieta.inſtit.* Poſtremò, leuiſſimã culpam finiẽs Bart. incircunſpectam deuiationem eſſe dicit ab ea diligentia, quam habent homines diligentes, & diligentiſſimi, eiuſdem conditionis, & profeſſionis. *l.in reb.in princ.D.commod.l.1.§.is quoque.D.de oblig.& act.§.item is cui.quib.mod.re contra.oblig.in inſtit.*

Hæc à Bart. & ab aliis, creberrimè tradita ſunt, quæ mihi non vſquequaque vera videtur, neque inprimis placet, quòd dicunt, culpas eiuſmodi latiſſimam, latiorem, latam, leuem & leuiſſimam ſpecie differre: ſiquidem plus, & minus, diuerſas ſpecies non conſtituant. *l.ſi is qui.D.quemad.ſeruit.amit.l.fi.D.de fund.inſtr.* tametſi qualitate, & quantitate ſubiecta diſtinguantur. *Accur.in §.præterea.de inutil.ſtip.* deinde defendi non poteſt, quod Bart. adiicit, dolum manifeſtum, cùm latiſſima culpa, idem eſſe: cùm dolus verus, non niſi ex propoſito committatur: culpa autem per imprudentiam ſemper. nam, vt doctiſſimi Grammaticorũ cenſuerunt, culpa eius eſt, qui inſciens alterum læſit. Quocirca Donatus in Hecyra Terentiana, ſuper eum Soſtratæ locum,

Non mea opera, neque pol culpa euenit.

Culpam ab Opera ita differre dicit, vt opera ſit, ſi ſcientes læſerimus: culpa, ſi neſcientes: quorum alterum ſceleris eſt, alterum

rum ſtultitiæ: neque vllus in iur. text. reperietur, qui non omnem culpam à dolo manifeſto ſeiungat, ſegregandúmque alterum ab altero, vel ipſa nominum diuerſitas oſtendit. *l. ſi idem. C. de codicil.* nec magis eiſdem rationibus ferendum eſt, quod Bart. adnectit, latiorem culpam, dolum eſſe præſumptum. Et quoniam culpa latiſſima, dolum verum, & latior, præſumptum contineret, culpa, in abſtracto conſiderata, & dolum, & quamcunque ſpeciem culpæ comprehenderet: atque ita genus eſſet, & dolus ſpecies contra diffinitionem doli ſcriptam *l. 1. §. 2. ff. de dol.* in qua nullum prorſus de culpa verbum: cùm tamen eius (ſi vera eſſent, quæ Bart. cæteríque hac in re docent) meminiſſe oporteret Iuriſconſultum: quandoquidem certum eſt, rectam diffinitionem, genere & propriis differentiis, quibus ab aliis ſpeciebus diffinitum ſeparetur, conſtare debere. Obtrudit nobis aliud Bart. grauiore animaduerſione dignum, latam culpam, nec verum, nec præſumptum dolum habere: aduerſus ſexcentas leges, quæ dicunt, ſublata culpa præſumptam fraudem contineri. *l. 1. §. hæc actio. ff. ſi menſ. falſ. mod. d. l. quod nerua. ff. depoſit. l. impuberib. §. 1. ff. de ſuſpect. tuto. l. mulier. §. ſed enim ff. ad Trebel. l. ſi is cui. §. dolum. ff. vt in poſſeſſ. legat. l. 1. §. is quoque. ff. de act. & oblig. l. 1. §. non autem. ff. ſi quis teſtam. lib. eſſe iuſſ. l. magna. ff. de verb. ſign.* Et euidens ſit, quia iura dicunt, in depoſito (quoniam eius, apud quem deponitur, nulla verſatur vtilitas) ſolum dolum præſtari. *l. ſi vt certo. §. nunc videndum. ff. commod. l. cum qui. §. is autem. ff. de fur. & l. contractus. ff. de reg. iur.* non etiam culpam, id eſt, deſidiam & negligentiam. *§. præterea. quibus mod. re contra. obl.* niſi ea magna ſit, hoc eſt, lata, quæ ſicut dolus, in depoſitum venit *d. l. quod nerua. & l. 1. ff. depoſit.* quemadmodum in precario legimus, in quo licèt annotatum ſit, dolum ſolum præſtari. Venuleius, tamen ſcripſit, culpam dolo proximam contineri. *l. quæſitum. §. illud tamen. ff. de precario.*

Vdalric. Zaſius Iuriſconſ. grauiſſimus, totam hanc culparem materiam aliter tractat, Culpam in duas duntaxat ſpecies diuidens, in latam & leuem, tametſi non improbet, leuem & leuiſſimam diſtinctis nominibus vſurpare, dum non ad ſpeciem referantur. Latam, duplicem facit: ignauiæ, quæ à dolo abeſt: & verſutiæ, quæ dolo eſt proxima. *d. l. quod nerua. l. mulier. §. ſed enim. ff. ad Trebell. & l. ſi conſtante. §. ſi maritus. ff. ſolu. matr.* Culpam ignauiæ eſſe dicit, quæ ſupinam, & craſſam negligentiam refert, quam ignaui & ſocordes homines in tractandis negotiis adhibent, *l. nec ſupina. & l. regula. §. ſed facti. ff. de iur. & fact. ignor. l. lata culpa. ff. de verb. ſignific.* Nec dicas ex Bart. eiuſmodi deſidiam fatuis & mente captis conuenire. nam cum de culpis tractamus, inquit Zaſius, conſequens eſt, nos de eo hominum genere loqui, in quos rationem, licet craſſam habentes, qualitas culpæ cadere poteſt: furioſos autem & fatuos, vtpotè rationis expertes, à culpa ſecluſos eſſe, neminem clam eſſe puto. *l. diuus. ff. de offic. præſid. l. ſed & ſi quemcunque. §. 1. ff. ad legem Aquil. l. fin. ff. de admin. tut. clem. 1. de homi.* Culpam verò verſutiæ eorum Zaſius eſſe dicit, qui cùm in rebus ſuis prouidi ſint, & diligentes, alienas tamen res affectata quadam negligentia, & improuidentia malignè, vel negligunt, vel diſſimulant. *l. ſi fideiuſſor. in princ. ff. mandat.* Verùm nec hæc Zaſij traditio arridere poteſt, vt latam in primis culpam in duo genera diſtinguamus, cùm hoc nec lege nec ratione probetur. Et leges de lata culpa in ſingulari numero vbique verba faciant Denique quoniam, vt diximus, culpa qua de agimus, ab imprudente. non etiam à ſciente committitur quamuis lata. *l. lata culpæ. ff. de verb. ſign.* vt meritò explodenda ſit culpa illa verſutiæ, quam comminiſcitur Zaſius, quæ propriè dolus dici debet, *l. ea quæ. §. fin. ff. de contrahend. empt.* Sed tota eius diſtinctio. commentitia eſt, cùm nuſquam culpam, ſub his nominibus ignauiæ, & verſutiæ legamus. Explicaturus igitur hunc culparum tractatum, aliter omninò quàm aliquis doctorum hactenus fecerit, conſidero culpam dupliciter accipi, in genere & in ſpecie, nec eſt nouum in iure noſtro eiuſdem verbi & generalem & ſpecialem eſſe ſignificationem, vt de adoptione legimus. *l. 2. ff. de adopt. de legitim. hæreditate. l. 3. §. de illo. ff. pro ſoc. l. lege. ff. de verb. ſign.* & de pecunia creditóque. *l. 2. §. fin. & l. ſingularia. ff. de reb. cred. l. talis ſcriptura. ff. de leg. 1.* culpa, in genere conſiderata, delictum includit, & quodcunque factum illicitum. *l. ſi ſeruum. §. 1. ff. de verb. obli.* de qua hic loqui propoſitum non eſt. Deinde in ſpecie, vt à dolo vero ſeparata eſt. Et de hac agimus, quam ſic finire ſolitus ſum, vt ſit [Imprudentia, qua homines circa res alienas, vel negligunt, quod fieri oportet: vel faciunt, quod omitti debet. Dico cum primis [Imprudentia] quia ſi quid ex his fieret, à ſciente, prudentéque, factum illud doli nomen aſſumeret. *l. 1. §. 1. ff. de do.* nec poſſet dici culpa, quàm inſcientes, & improuidi duntaxat contrahunt. Significante etiam id Plauto in Epidico, vbi Periphanem Athenienſem, ad Epidicum ſeruum, ſic loqui refert:

Oro te Epidice.
Mihi vt ignoſcas, ſi quid imprudens, culpa peccaui mea.
At ob eam nunc rem liber eſto.

Dico [circa res alienas] quòd in rerum propriarum adminiſtratione culpa propriè non conſideretur. *l. etiam. §. 1. ff. ſolut. matr.* Et quoniam, vt Donatus Grammaticus ait, culpa eius eſt, qui inſciens alium læſit.

Dico [vel negligunt, quod fieri oportet.] Quoniam plerunque culpa, in deſidia, & negligentia conſiſtit. *l. ſocius ſocio. D. pro ſocio. l. ſi vt certo. §. nunc videndum. D. de commodat. §. finali. de ſocietat.*

Dico [vel faciunt, quod omitti debet.] propterea quòd culpa non in deſidia modò, & negligentia, ſed etiam in facto quandoque verſetur. *l. ſi putator. ff. ad legem Aquil. l. fideiuſſor. ff. mandat.*

Poteſt autem culpam quis contrahere quadrupliciter. Et imprimis, immiſcendo ſe rei ad ſe non pertinenti. *l. culpa eſt. ff. de reg. iur. l. non eſt, ſine, eo. tit. in 6.* veluti, qui rei illicitæ operam dat. *l. nam luſus. ff. ad legem Aquil. Cod. continebatur. de homicid.* Aut ſi quis Iuriſperitum ſe profiteatur, & ob id ad iudicis officium deiectus, per imprudentiam malè iudicauerit. pœnam namque ſubſtinebit, inquantum de ea re, æquum religioni iudicantis, viſum fuerit. *l. 2. ff. quod quiſque iur. l. fin. ff. de vari. & extraor. cog.* Idem in medico. *l. illicitas. §. ſicuti. ff. de offic. præſid.* Chirurgo, Pharmacopola, *l. qua actione. §. fin. cum l. ſeq. D. ad legem Aquil. cap. tua nos. de homicid.* & quocunque artifice. *l. ſi quis fundum. §. Celſus. & l. item quæritur. §. ſi gemma. ff. locat.* & hoc eſt, quod paſſim auribus noſtris occinitur: Imperitiam culpæ annumerandã. *l. imperitia. ff. de reg. iur. §. imperitia, ad legem Aquil. in inſtit.* Rurſus contrahit culpam, qui non adhibet eam diligentiam in rebus alienis, fidei ſuæ commiſſis, quam in propriis. *l. ſi vt certo. §. quod vero. ff. commodat. d. l. quod nerua. D. depoſit. l. tutor. 2. §. 1. ff. de adminiſtr. tutor.* Deinde, qui, quod à diligente prouideri poterat, non prouidit. *l. ſi putator. ff. ad legem Aquil. l. ſi merces. §. qui columnam. D. locat.* Et ita, qui aliud agit ab eo, quod prudentes eiuſdem conditionis homines agere ſolent. Veluti, qui in flumen, aut mare, tempeſtatis tempore, aut ſine gubernatore nauem immittit. *l. item quæritur. §. ſi magiſter. D. locat.* quique ægrotans medicum non adhibuit. *l. qui occidit. §. ſi. D. ad legem Aquil. l. quod ſi nolit. §. ſi mancipium. ff. de ædil. edict.* Item colonus, qui opera ruſtica ſuo tempore non facit. *l. ſi merces. §. conductor. D. locat.* Denique contrahit culpam, qui quod ignorat, temerè confirmat, & aſſeuerat: licet bona fide, & per imprudentiam. *l. Iulianus. §. quid tamen. ff. de actione empti.* Gradus culpæ (non dico ſpecies) tres ipſe facio: leuiſſimam, leuem, & latam: quarum omnium æſtimatio arbitrio iudicis committitur. *l. ſemper. §. culpam. ff. quod vi, aut clam.* quem ante omnia æſtimare diligenter oportet qualitatem, & conditionem perſonæ de qua agitur. *l. eum. §. fin. D. de operis liberto.* Leuiſſimam, cuius Vlpianus ad Sabinum meminit. *l. in lege. 2. ff. ad legem Aquil.* is mea ſententia contrahit, qui exactiſſimam non præſtat diligentiam: hoc eſt, eam quam prudentiſſimus & diligentiſſimus paterfamilias, ſupra communem hominum naturam, ſuis rebus adhibet. *l. 1. §. is quoque. 1. ff. de act. & oblig.* veluti, in commodato. debet namque commodatarius, perfectiſſimam diligentiam cuſtodiendæ rei præſtare: adeò, vt non ſufficiat ei, tantam commodatæ rei adhibuiſſe, quantam ſuis adhibet, ſi modo alius diligentior, cuſtodire potuerit. *l. in rebus. in princ. ff. commodat. §. item, is cui, quibus modis re contr. obligat. & d. §. is quoque.* Quo circa omnis culpæ, etiam leuiſſimæ, commodatarium reddere rationem oportet. *l. cuſtodiam. ff. de pericul. & commod. rei vend.* cùm enim ob eius gratiam duntaxat contractus initus ſit, debuit diligentiſſimus eſſe, ne beneficium commodanti damnoſum fiat. *l. ſi ſeruus. §. iuſtiſſimè. ff. de furt.* Hæc etiam culpa in iudicium legis Aquiliæ venit *d. l. in lege.* veluti ſi defendendi mei cauſa, lapidem in aduerſarium miſero, & non eum, ſed prætereuntem occidero, lege Aquilia tenebor. *l. ſcientiam. §. penult. ff. ad legem Aquiliam.*

Leuem culpam committit, qui non præſtat exactam illam

diligentiam, quam prudens paterfamilias in rebus ſuis ſecundum communem hominum naturam adhibere ſolet. *l. heredes. §. non tantum. ff. familiæ erciſcund. l. cùm res. §. culpa. ff. de legat. 1. & l. ea igitur. ff. de pignor. actio. & l. mulier. §. ſed enim. ff. ad Trebell.* Et hæc præſtatur in contractu emptionis. *l. ſi vt certo. §. nunc videndum. D. comm.* talis quippe cuſtodia ſi nihil appareat conueniſſe) deſideratur à venditore, qualem bonus paterfamil. ſuis rebus exhiberet. *l. quod ſæpè. §. ſi res vendita. ff. de contrahenda emptione.* Idem in locatione, pignore, ſocietate, tutela, negotio geſto, mandato & omnibus contractibus, qui in vtriuſque gratiam celebrantur, dicimus: vt regulare ſit, non ſolùm latam culpam ſed etiam leuem venire. *d. §. nunc videndum, & l. contractus. D. de regulis iuris.* præterquàm certis caſibus quos doctores in locis communibus attingunt. Ad hæc obſeruaui, legiſlatores ſolere, cùm culpam ſimpliciter exprimunt, de leui intelligere. *l. 1. §. lata. ff. ſi menſ. falſ. mod. Accurſ. in l. ſi filiofam. §. maritum. ff. ſol. matr. & in l. in venditione. §. de tempore. ff. de bon. author. iud. poßid.* niſi forte aliud ſuadeat ſubiecta materia. *l. imperitia. ff. de regul. iur. §. imperitia. de leg. Aquil. in inſtit.* Latam verò culpam, cum Vlpiano, & Paulo Iuriſc. celeberrimis, finio, vt ſit [magna, & nimia negligentia, per quam ignoramus quod omnes intelligunt.] *l. cedere diem, & l. latæ culpæ. D. de verb. ſign.* vnde & appellata ſæpè hæc culpa, in iure, [magna negligentia] *l. 1. §. is quoque. 2. ff. de act. & oblig. l. magna. ff. de verb. ſign.* [Summa diſſoluta aut culpa grauiori.] *l. regula. §. 1. ff. de iur. & fact. ignor. l. ſi fideiuſſ. ff. mandati. & l. homo liber. ff. de acquir. rer. dom.* veluti, ſi, quod loco, & edicto publico proſcriptum eſt, ignorem. *l. ſed & ſi pupillus. §. 1. ff. de inſtit. act.* aut quiduis aliud, quod cæteri omnes ſciant. *d. l. regula. §. 1. Accurſ. in l. fin. ff. de decret. ab ord. fac. pulchrè Roman. conſil. 59. col. 2.* aut, ſi vulnerato ſeruo, medicum non adhibeam, vel malum, imperitúmque exiſtimatum, ſubminiſtrem *l. qui occidit. §. fin. ad legem Aquil. & le. quod ſi nolit. §. ſi mancipium. ff. de ædil. edict.* Hanc latæ culpæ finitionem Accurſius vbique probat: ſed præſertim, in *§. præterea, quib. mod. recontr. obl.* Petrus verò, Bart. & cæteri omnes in dicta lege quod nerua, ſtructis in eam technis pluribus non ſequuntur, vt & ipſi aliquid, quod iuriſconſultum lateret, ſcire iudicentur. quæ mihi propoſitum non eſt ſcrupuloſius hic excutere, quod præſertim, ex ſuperioribus ſatis conuellantur. Hanc porrò latam culpam, dixerunt paſſim Iuriſc. dolo proximam eſſe, aut propè fraudem accedere, atque ideò dolo comparari. *l. 1. vbi. ff. de eden. l. 1. §. 1. ff. ſi menſ. falſ. mod. l. impuberibus. §. 1. D. de ſuſpect. tut. l. mulier. §. ſed enim. ff. ad Trebell. l. is cui. §. dolum. D. vt in poſſ. legat. l. 1. §. non autem. D. ſi quis teſt. lib. eſſe iuſſ.* Aliquando verò dixerunt abſolutè, dolum eſſe. *d. l. quod nerua. & l. magna. ff. de verb. ſign.* non quòd dolus propriè ſit, (longè enim, vt probauimus, abeſt à vero dolo. *l. magiſtrat. ff. de admin. rer. ad ciuit. pert. & d. l. impuberibus. §. 1.*) ſed præſumptus. tanta quippe eſt negligentia, támque diſſoluta, & immoderata, vt ea inexcuſabilis ſit, & prope fraudem accedens, dolo fere ſemper comparata, in præſumpti doli crimen cadere dicatur. *l. 1. §. is quoque. ff. de act. & oblig.* Et ita cum Celſus ait, [Latiorem culpam dolũ eſſe:] de dolo præſumpto agit. *d. l. quod Nerua.* Cum verò Iuriſconſulti, latam culpam dolo comparari dicunt, aut dolo proximam eſſe. *d. l. vbi, d. l. mulier. d. l. is cui,* cum ſexcentis ſimilibus: dolum præſumptum, in caſibus quibus loquuntur, dolo verò comparant: vt exemplo veri doli præſumptus puniatur. *Accurſ. l. fideiuſſ. ff. mand.*

Cur autem latioris culpæ nomine, Celſus latam intelligat, *d. l. quod nerua.* vt & illic Accurſius rectè: tametſi cæteri repugnent, interpretatus eſt, rationem eam eſſe puto, qua Comparatiuum, pro Poſitiuo, vt Grammatici dicunt, concinnè non vno in loco ponitur. *l. minus, l. verbum amplius. & l. ſi à te ſtipulatus. D. de verb. ſign. c. conſilium, de celeb. miſſa. c. auaritiæ, de elect. in 6. vt Apud Virgil. 1. Æneid.*

Atque illum tales iactantem pectore curas.
Triſtior & lacrymis oculos ſuffuſa nitentes,
Alloquitur Venus.

Stat illic [Triſtior,] comparatiuum pro poſitiuo. Quando enim triſtis eſt Venus, vt triſtior nunc dici poſſit: nec dubium igitur quin ex veriſimili loquentis mente dictio [latior,] vim comparationis amittat. Pro poſitiuo, inquit Quintilianus, comparatiuo vulgò vtimur, vt ſi quis infirmiorem ſe dicat. Nec præterea abſurdum videri debet, latioris culpæ verbo, latam intelligi, cùm & grauiorem eam, ſimili comparatiuo vſus, Modeſtinus quandoque dixerit. *l. homo liber. ff. de acquir. rer. dom.* Obiicies, culpam latiorem à lata ob id diuerſam cenſeri, quòd illam certum ſit in depoſitum venire, quia dolus eſt, *d. l. quod nerua.* latam autem culpam, non præſtet depoſitarius, ſed de ſolo dolo teneatur. *l. ſi vt certo. §. nunc videndum. ff. commod. l. cum quis. §. is autem. ff. de furt.* in qua ſententia eſt Ioan. Igneus præſes Rothomagen. digniſſimus, & grauiſſimus author, in *l. contractus. ff. de reg. iur.* Quæ tamen, bona tanti præſidis venia, vera non videtur, cùm & in depoſito, præter dolum, lata culpa veniat. *l. 1. C. depoſi.* Nec obſtat, quòd vtique dicat legiſlator in depoſito ſolum dolum venire, *l. contractus. D. de reg. iur.* Nam immoderata hæc negligentia, quam latam culpam dicemus, tam diſſoluta eſt, & grauis, ſicut paulò antè poſui, vt in ea fraudis ſuſpicionem veniat, atque ideo dolo à lege comparata cadat in doli crimen. Hæc ex Doctiſſimo Corraſio collegi.

NOTAE AD LIBRVM DECIMVMSEPTIMVM Pandectarum.

Ad titulum Mandati.

MAlè Accurſius interpretatur reſponſum quoddam Papiniani, in titulo mandati, quod ſic ſe habet. Sed venaliciarium ex prouincia reuerſum Publiciana actione non vtiliter acturum, malè Accurſius eo loco venaliciarium ſeruorum emptorem interpretatur, melius cognoſcitur quis ille fuerit ex lege *mercis de verb. ſignif.* quo loco mangones appellantur, qui ſeruos vendere ſolent, quod ex eius legis initio cognoſcitur.

Ad eundem titulum mandati.

Malè in *l. ſi quis mihi.* 16. hoc titulo, exiſtimat ſphæriſterium eſſe locum amœnum herbis Notandum autem fuiſſe locum in balneis, vt colligi poteſt ex Tranquillo in Veſpaſiano capite 10. cuius hæc ſunt verba, Valetudine proſpertina vſus eſt quanuis ad tuendam eam nihil amplius quam fauces, cæteráque membra ſibimet ad numerum in ſphæriſterio defricaret, inediámque vnius diei per ſingulos menſes interponeret. Hypocauſtum autem quod etiam Accurſius non intellexit, eſt locus in balneis, quod ſuccenſum vel ſubuſtum Latinè interpretari poſſumus. Huius os præfurnium vocatur ab hoc hypocauſto cellæ caldariæ calorem accipiebant. Hypocauſta ſuperpoſita erant ahena tria, vnum frigidarium, aliud tepidarium & tertium caldarium.

Ad l. qui negotia D. mandati.

Alio ſenſu, quàm cæteri hucuſque fecerint, diſſoluta fortiſſima antinomia, quæ in Vlpiani, Africanique verbis eſſe videbatur.

L. ſingularia, explicata.
Conuerſio in cauſam mutui quomodo fiat.
Intellecta noui. l. qui negotia.
Præſentia varius.
Epiſtolam recipiens conſentit.
Conſentire quis propriè dicatur.

Libro tricesimoprimo ad edictum, Vlpianus commemorat ſingularia præcepta, circa pecuniam creditam. [Nam, inquit, ſi tibi debitorem meum iuſſero dare pecuniam, obligaris mihi, quamuis numos meos non acceperis. Quod igitur in duabus perſonis recipitur, hoc in eadem perſona recipiendum eſt. Vt cum ex cauſſa mandati pecuniam mihi debeas: & conuenerit, vt crediti nomine eam retineas, videatur mihi data pecunia, & à me ad te profecta.] *ſingularia. ff. de reb. cred.* Ab Vlpian. in cauſa mandati, Africanus diſſentire videtur. [Reſpondi, inquit, non eſſe creditam: Alioqui dicendum, ex omni contractu

d by Google

contractu nuda pactione,pecuniam creditam fieri poſſe.] *l. qui negotia. ff. mand.* Hunc gryphum vt diſſoluerent Doctores, variis modis, vtriuſque iuriſconſulti verba interpretantur: crebrius tamen receptum, vt, in Vlpiani reſponſo, pecunia extaret ſolutioni deſtinata paratáque, & ideo eius facilis ſit conuerſio, in cauſam mutui *l. ſi ſponſalibus. §. 2. D. de iur. dot.* in Africani verò conſtitutione, pecunia, neque numerationi parata erat, neque extabat, ſed fuerat conſumpta. Proinde non potuit in cauſam mutui conuerti. Quæ diſſolutio illis Africani verbis, [qua ſignificaret certam ſummam, ex adminiſtratione apud ſe eſſe,] manifeſtè contradicit, aliiſque argumentis, à recentioribus refellitur, in *d. l. ſingularia.* Adferuntur & aliæ multæ, ad vtranque legem expoſitiones, quas ab eiſdem acutiſſimè reiectas, ſilentio tranſgrediendas duxi. Raphael Fulgoſ. pugnam eſſe inter Vlpianum, & Africanum, aliúdque in eadem ſpecie vni aliud alteri viſum eſſe, audenter confirmat. Quæ aſſertio maximè aliena à iuris profeſſoribus eſſe debet: quibus hoc exploratum oportet, in iure noſtro nihil ſuperfluũ, nihilque contrarium *l. 2. §. contrarium. C. de veter. iur. enucl. & l. 1. §. quib. C. de no. Cod. conf.* Expendere mihi placuit, aliquando aliorum omnium expoſitionibus reiectis, tres circunſtantias, quæ in Africani conſtitutione concurrentes, conuerſionem impédiebant. Prima, quia conuentio, ſi qua illic præceſſit. inter abſentes fuit celebrata, quorum alia cauſa eſt quàm præſentium. *l. falſus. §. ſed & ſi. ff. de furt.* Efficit quippe præſentia breuem illam manum, qua, quod ab alio meo nomine, & me præſente datur, à me ipſo datum intelligitur. *l. quod ſtatulib. ff. de don. cauſ. mort. d. l. falſus. §. ſed & ſi.* Altera quia pecunia, in *d. l. qui negotia.* credita fiebat ſub vſuris: quas in fœnebri pecunia citra ſtipulationis vinculum deberi non poſſe certum eſt. *l. Titius. D. de præſcrip. verb. l. quamuis. C. de vſuris.* ſtipulationémque inter abſentes non confici. *l. 1. ff. de verb. oblig.* Tertia quia ſolus procurator, qui conſcripſit epiſtolam, egit, vt pecunia in creditum conuerteretur, cuius ſola voluntas, non debuit poſſe hanc conuerſionem operari. Nec obſtat, quod recipiens epiſtolam, ſi non contradicat, conſentire intelligatur. *l. ſi filiusfam. 2. ff. ad Maced. clem. 1. de procur. Bart. in l. quo enim. §. 1. ff. rem rat. hab.* tacitúſque conſenſus etiam inter abſentes, conuentionem perficiat. *l. Labeo. ff. de pact.* Nam nego tacitum hunc & præſumptum conſenſum, propriam pactionem inducere poſſe. *l. 1. §. ſi quis ita. in fin. ff. de verb. oblig.* cum pactum conſenſum deſideret. *l. 1. ff. de pact.* conſenſus autem propriè non dicatur, niſi, qui verbis expreſſus eſt. *l. 2. §. voluntatem. ff. ſol. matr. c. fin. de ſud. in 6.* Et in ſpecie Philipp. Dec. in *rub. C. de pactis.* Præterea, quamuis ex eo præſumpto conſenſu, pactum flueret: eſſet tamen omni ex parte nudum, & inerme, quod ideò conuerſionem pecuniæ creditę, maximè ſub vſuris, vt diximus, nõ poteſt operari. *d. l. 1. ff. de verb. obl. & d. l. quamuis. C. de vſur.* Et ita mihi videtur, cõtrouerſiam hanc, & fortiſſimam Antinoniiam, dirimi poſſe.

Plura vide apud Corraſium in Miſcellaneis ſuis ex cuius libro hæc deſumpta ſunt.

Ad titulum pro ſocio.

Malè Accurſius in *l. cum duobus. §. qui coeundo, hoc titulo. legit*, agrum pollicitatori damus: legendum enim eſt agrum colendum licitatori damus. Accurſius autem facillè deceptus eſt propter verbum pollicitus eſt, quod præcedit. In hoc eodem loco Accurſius nos admonuit hunc locum citra præuaricationis crimen præteriri ſilentio non poſſe, qui multum in eo æſtuaſſe videtur poſt Azonem.

Accurſius non intellexit quid eſſent cæmenta: nos dicamus cæmenta non eſſe calce durata, ſed interlita luto, aliter autem cenſuit Accurſius in *l. qui domum. j. locati.*

Ad titulum pro ſocio.

In *l. cum duobus. §. quidam. hoc titulo.* Accurſius non intellexit quid eſſet ſagaria negotiatio. Inire enim id interpretatur, & dicit eſſe negotiationem ſalis, vel ſacrorum, vel vilium veſtium attritarum, vt autem intelligamus quid eſſet ſagaria negociatio, videndum quid ſit ſagum. Sagum autem erat index belli, vt toga pacis ſagati etiam tum erant ad bella exeuntes; vt paludati Conſules & reliqui exercituum duces, eſt alioqui ſagum veſtis ſtragulæ genus non diſſimilis cilicio à ſago ſagaria negotiatio dicitur.

Ad l. ſi hominem §. quoties. eodem.

Malè Accurſius in hac lege, eo loco. Quoties foro cedunt nummularij, ſolet primo loco ratio haberi depoſitariorum; foro cedunt interpretatur litigare nolunt, quaſi de foro iudiciorum Vlpianus intellexerit, quod falſum eſt. Foro igitur cedere dicebantur argentarij cum tabernis, id eſt, menſis ſuis cedentes quæ in foro Roman. erant alio habitatum migrabant. Argentarij enim Romæ tabernas in foro publico conductas habebant.

NOTAE AD LIBRVM DECIMVMOCTAVVM PANDECtarum iuris ciuilis.

IN *l. 1. de contrahenda emptione*, operæpretium eſt legere Accurſij hominis diuinaculi fanaticum deliramẽtum, cuius inſcitia locus ille pulcherrimus iamdiu obſoleuit, præſertim eo loco in quo à Iuriſconſulto allegãtur verſus Homeri. Accurſius in eodem Inſtitutionum loco, vbi hi verſus allegantur. Nota argumentum, inquit, quod auctoritates Philoſophorum & Poëtarum ſunt in cauſis allegandæ, quanquam interdum redarguantur, vt hic, hæc ſunt verba Accurſij. Hoc dictum Accurſianum quod ad Poëtas attinet, falſum videtur. Non enim redarguitur illic dictum Homeri, ſed Iuriſcõſulti vnius dictum, alia Homeri authoritate reprehenditur.

Ad l. fiſtulas. §. 1. de contrahenda emptione.

Tutorem nullo caſu ſibi ſoluere poſſe, inaudita vulgò ſententia, contra Accurſium & cæteros.

Tutor pupilli creditor an ſibi ſoluat.
Reſtitutionem hæreditatis non facit tutor.
Expoſitio nouè l. fiſtulas. §. 1.
Executio contractus non deſiderat ſolennia.
Declaratus §. ſicut. l. quoties.
Tutor quando ſibi authoretur.

In tractatu ſingularium, quæ ſunt circa pecuniam creditam, ſolet alia in re Accurſius vno omnium ore reiici: cum ſcilicet, tradit in *l. ſingularia. D. de reb. credit.* in contractu mutui ſpeciale eſſe, vt poſſit tutor, propria authoritate, debitam ſibi à pupillo pecuniam ſoluere. Etenim, inquiũt Bart. Angel. & reliqui, ſi pupillus tutoris debitor ſit, ex quocunque contractu contingat, poteſt tutor ſibi ſoluere & ſatisfacere. *l. fiſtulas. §. 1. ff. de contrahen. empt. & l. quoties. §. ſicut. & §. non tantum. D. de admin. tut.* Vrget tamen eos. *l. 2. §. fuit quæſitum. D. ad Trebell.* qua traditum eſt, pupillo hærede inſtituto, & rogato, hæreditatem tutori reſtituere, non poſſe tutori, ſe autore reſtituere hæreditatem: quia in rem ſuam author eſſe nequeat. Dici ſolet ex Bart. ſententia; reſtitutionem quandam meri facti eſſe, & hanc tutor de re ſibi debita facere poteſt. *d. l. fiſtulas. §. 1. & l. tutor. in fin. D. de fideiuſſ.* Quandam verò mixturam juris habentem, vt hæreditatis, per quam de hærede in fideicommiſſarium iura transferuntur. *§. reſtituta. de fid. hæred.* & hanc tutor non facit. *d. §. fuit quæſitum.* Sed huic ſolutioni fortiter obſtat, quia contractus, non magis, quàm hæreditatis reſtitutio, facti cenſeri debet. Vt enim reſtitutio huiuſmodi, iuris parit effectum, ita contractus, licet prout finiunt & in eſſe deducuntur, facti ſint. *l. conſilio. D. de curat. furioſ. l. 5. §. ſtipulatio. D. de verb. oblig.* Ex his tamen iuris effectus reſultant. *l. licet. §. obligatio. D. de procur. l. ex placito. C. de rer. permut.* Attentaui quandoque, nouam in hac quæſtione ſententiam, vt nullo caſu tutor ſua authoritate ſibi ſoluere poſſit; *d. §. fuit*

quæſitum. cùm in rem ſuam nemo author fieri valeat. *l. pupillus. §. item ipſe tutor. D. de author. tutor.* & quoniam, ſi hoc tutori permitteretur, poſſet modus ea in re non adhiberi, atque ita grauius aliquid in damnum pupilli contingere, *l. 3. §. liberti. ff. de ſuſpec. tut.* Quo caſu, prohibitionis viam ſequi tutius eſt. *l. adoptiuus. §. 1. in fi. D. de. rit. nupt. l. officium. § pen. ff. de re milit.* præſertim, cùm tutoris hac in re intereſſe non poſſit, ſi vel contutoris, vel iudicis authoritatem adhibere cogatur. *l. non exiſtimo. D. de admin. tut. & d. §. item ipſe tutor.* Nec me mouebat Labeonis reſponſum, dicentis poſſe ſibi tutorem, fundi à pupilli patre emti poſſeſſionem, tradere fiſtulas. *§. 1. de contrahend. empt.* hic enim actus duntaxat exequitur contractum, cum patre defuncto geſtum, & idcirco non aliam ſolennitatē deſiderat. *l. 1. C. quand. decret. op. non eſt. Accurſ. d. l. fiſtulas. §. 1.* Iura verò, quæ dicunt tutorem ſibi ſoluere poſſe. *l. quoties. §. ſi eut. & §. non tantum. D. de adm. tut.* neceſſariò exaudienda ſunt contutoris, aut ſi contutor non extet, iudicis authoritate intercedente. *l. pupil. item ipſe tutor. ff. de author. tut. l. profectitia, in fin. princ. D. de iur. dot. l. non exiſtimo. ff. de adminiſt. tut.* Aut conſidera & acutius, Iulianum, in *d. l. quoties. §. ſicut*, non ſimpliciter dicere, tutorem ſibi ſoluere poſſe, ſed duobus concurrentibus. Primum ſi fuerit pecunia vnde ſoluatur, in bonis pupilli. Alterum ſi vſuræ graues ſint, tuncque vt releuetur pupillus, non tantum potuit tutor, inquit Iulianus, ſibi ſoluere, ſed debuit. Nec obſtat, quod in rem ſuam non poſſit tutor authorari. *d. l. 1. §. fuit quæſitum.* quia hoc verum, niſi hæc authoritatis interpoſitio, ad vtilitatem pupilli, principaliter referatur, quo caſu, licèt in conſequens contingat, tutorem ſibi negotium gerere, poterit authoritatem accommodare. *l. 1. & l. quod dicimus. ff. de author. tut.*

Hæc habui quæ dicerem ad hanc legem: plura vide apud Iohannis Corratij Miſcellanea, ex quibus hæc deſumpta ſunt.

Ad l. qui fundum. de contrahenda emptione

Hunc locum huius legis (nam ſi ita dictum ſit, vt emptor & reliqua) Accurſius obſcurum eſſe dicit, videlicet conſtructionem textus non intelligens, licèt mentem Iuriſconſulti rectè aſſequutus ſit. Mihi ſatis clarus ac perſpicuus videtur legis textus, modo rectè ac diſtinctè legatur. Hoc autem modo legendum cenſeo, ne obſcuritati locus vllus eſſe videatur, vt poſt verbum. Nihil ei profuturum, diſtinctionem adhibeam: deinde ita inſeram, Si ita pactum eſſet, & initium alterius membri faciam, hoc ſenſu, Si verò ita pactum. Plura vide apud Budæum hoc loco in Annotationibus ad Pandectas.

Ad l. qui tabernas.

Ad titulum de contrahenda emptione.

Hoc in loco Accurſius nihil planè intellexit. Intelligi autem poteſt ex Vitruuio libro quinto, capite primo, vbi de foris ædificandis loquitur. Italiæ verò vrbibus, inquit, non eadem ratione eſt faciendum, ideo quòd à maioribus conſuetudo tradita eſt gladiatoria munera in foro dari. Igitur circum ſpectacula ſpacioſiora intercolumnia diſtribuantur, circáque in pedibus argentariæ tabernæ mœnianáque in ſuperioribus coaxationibus collocentur, quæ & ad vſum & ad vectigalia publica rectè erunt depoſita. Hæc ſunt verba Vitruuij, quibus rectè intellectis facilè percipitur ſenſus huius legis, quem Accurſius non eſt aſſequutus, Interpretatur enim tabernas argentarias, vbi argentum vendebatur, qua interpretatione nihil poteſt abſurdius eſſe.

NOTAE AD LIBRVM DECIMVMNONVM PANdectarum.

Ad titulum de actionibus empti.

Ad l. penultimam.

NOn intellexit Accurſius quid eſſet Catadromus. de hoc enim miranda cecinit, id eſt, vaticinatus eſt. dicit enim eſſe curſum fluentium: quæ interpretatio nihil omnino ad hunc locum facit, nos dicamus cum quibuſdam viris doctis eſſe decurſionem ex machina aliqua fieri ſolitam: aut potius funem protenſum, per quem hiſtriones ingrederentur, ſaltarent ac decurrerent. Suetonius in *Nerone capite 11.*

Ad l. ſi venditor. de actionibus empti.

Eo loco huius legis, Si de plumbeo caſtello fiſtulæ ſub terram miſſæ, aquam ducerent, malè legit Accurſius in equum lateribus circunſtructum pro in ſpecum. Specus enim inter opera aquariorum numerentur.

Ad l. ſed addes. § inquilinus locati.

Malè Accurſius cameratam arcam habentem plures cameras interpretatur, nos dicamus cameratam arcam eſſe arcuatam & conforniçatam. Camera enim fornix eſt, vnde camerata vehicula, adde quod cameram Accurſius pro cubiculo intellexit, qua in ſignificationem Vlpianus nunquam nouit. Malè idem Accurſius in *l. Dominus. hoc eodem titulo.* compilatis horreis pro ruptis expoſuit. Idem expilatam fortè hæreditatem pro effracta interpretari, eodem modo potuiſſet.

Ad l. videamus

Quid ſit villa vrbana, non omnes credo Accurſius ſcire voluit, quum de hoc nihil dixerit, villa vrbana, quæ à palladio prætorium dicitur, ea eſt pars quam Dominus ſibi recepit, quæ quia elegantius, amœniúſque ædificari ſolet, & inſtrui ideo vrbana vocatur, quaſi vrbani nitoris & elegantiæ plus habens quàm ruſticæ.

Ad l. in naue. locati.

Non rectè interpretatur Accurſius quid ſit opus aduerſione locare: nam aduerſionem periculi in ſe ſuſceptionem eſſe exiſtimauit, quę ſententia non ad vocis ipſius ſignificationem, ſed ad rei effectum pertinet. Itaque dicendum id vendi, locarive aduerſione, quod eo pacto venditur, vt ab aliquo approbetur, & ſecundum eius iudicium æſtimetur, & ideo ſi locem tibi inſulam ædificandam aduerſione dicitur in *l. opus. ff. locat.* donec approbetur opus à te factum periculo tuo eſſe.

Ad eundem titulum locati. ad l. 36.

Malè Accurſius interpretatur *l. 36. locati.* Tractatur enim ea lege de opere auerſione locato, hoc eſt, eam totam certa mercede locatur. Accurſius autem locationem ita factam interpretatur, vt conductor periculum præſtet, quod certiſſimè falſum eſt vt doctiſſimè animaduertit Antonius Auguſtinus. ſic autem hoc caput in Florentinis ſcriptum eſt. Opus quod auerſione locatum eſt donec adprobetur, cōductoris periculo eſt. Quod verò ita conductum ſit, vt in pedes menſuráſve præſtetur, catenus conductoris periculo eſt, quatenus admenſum non ſit, & in vtraque cauſa nociturum locatori, ſi per eum ſteterit, quominus opus adprobetur vel admetiatur.

Ad l. qui domum. locati.

Hoc loco huius legis terram in eam aream amplius quam fundamenta cæmentitia locatoris erant, congeſſit, cæmentum nō calcem & arenam commixta ſignificat, vt Accurſius putauit, ſed lapides, quod confirmari poteſt authoritate Liuij, qui ſic ait quodam loco cæmenta non calce durata erant, ſed interlita luto, cæmenta ſunt lapides temere cæſi, atque etiam rudes, id eſt, vulgares. Erit igitur in propoſito ſenſus, vt intelligamus inferiorem partem cæmentitiam fuiſſe cuiuſmodi parietes ſorbere humorem non ſolent, quo abundant propter calcis copiam.

Ad l. cum in plures. § mandaui. eodem.

Excutere impenſam Acurſius malè pro exigere interpretatur.

Ad titu

Ad titulum locati.

In l.ciùm in plures.§.mandaui,locati. malè Accurſius excutere impenſam,pro exigere interpretatur. Nota autem præter varias ſignificationes excutere hic accipi, pro diligentius æſtimare,& exactius aliquid expendere, qua eadem ſignificatione Vlpianus vſus eſt in *l.ſi mandauero.ff mandati.* his verbis, Si tibi mandauero vt excuteres vices hereditatis. Et idem alibi, Si tibi mandauero vt vices excuteres eius, cui veram crediturus, accipitur etiam ſæpe in iure pro nomen exigere, vt in *l. Lucius.D.de admniſt.& pericu.tut.*

Ad 11 §.1.locati.

Perperam Accurſius interpretatus eſt Scæuolam in *l. colonum.hoc titulo.* cum vltimum eius reſponſum intelligit, in eo qui culpa ſua non potuit vti naue conducta. Idem enim arbitror, etſi nulla fuit ſua culpa,ſed caſus, qui tamen neque à locatore,neque à re locata venerit,ſed ab ipſo conductore. Eſt autem reſponſum Scæuolæ eiuſmodi nauem conduxi, vt de prouincia Cyrenenſi Aquileiam nauigarem olei metretis tribus millibus impoſitis, & frumenti modiis octo millibus,certa mercede.Sed euenit vt onerata nauis in ipſa prouincia, nouem menſibus retineretur, & onus impoſitum commiſſo tolleretur, quæſitum eſt,an vecturas quas conuenit à conductore ſecundum locationem nauis exigere poſſit, reſpondi ſecundum ea quæ proponerentur poſſe.

Ad l.naturalis §.quod ſi faciam.D.de præſcriptis verbis.

Ex contractu, facio vt des, vt ex aliis tribus contractibus innominatis,præſcriptis verbis actionem dari, demonſtratum, textúſque permulti aliter quàm hactenus declarati à Doctoribus.

Communis ſententia expugnata.

Diu mecum agitaui, quænam fuerit Iuliis Paulis, ratio qua adductus in *l.naturalis. §.quod ſi faciam. D. de præſcript. verbis.* generaliter tradiderit: ſi faciam vt des, & poſteaquam feci ceſſas dare,nulla ſit ciuilis actio, ſed de dolo detur: cùm ex aliis contractibus innominatis,nempe do vt des,do vt facias, & facio vt facias, actionum præſcriptis verbis eadem Pauli lege competere manifeſtum ſit. Et quòd non mediocrem peperit dubitationem, *Imp.l.cum mota. C. de tranſac.* ex hoc contractu, facio vt des,actionem præſcriptis verbis dari volunt. Quæ & alia permulta huic quæſtioni difficultatem afferentia, vt ſubmouerent Accur.Bart. & alij conſiderarunt, vt ſi tale factum ſit, vt aduerſario nihil vtilitatis adſit, veluti vt nudus in plateam incedem, vt tu des mihi decem, de dolo detur actio *d. §. quod ſi faciam.* non item præſcriptis verbis, quæ æquitati annititur,ideo vbi nihil adeſt aduerſario,ea actio,veluti æquitatis, filia non ſe exhibet, ſed de dolo,quod qui fecit,ab altera parte quę non implet decipiatur.*l.2.§.circa.D.de dol.except.*vt non mirum ſit ſi Dioc.& Max.Impp.Menandrę reſponderint, eum qui ſeruum manumiſit, vt ſibi daretur fundus, pecunia, aut alia res,habere aduerſus non implentem, de dolo tantum actionem, cum nihil quæſitum vtilitatis inde ſit aduerſario. *l. cum propenas.C.de dolo.* Nam ſi aliquid ex implemento adeſſet, dationi facti implementum reſponderet, daretur præſcriptis verbis actio.*d.l.cum mota.* Et hæc eſt communis ſententia,aut vt ſignificantius loquar,communis error, qui ſcriptores penè omnes ſecum in tenebras detraxit. Nam per Deum immortalem,quid abſurdius dici poteſt? cum ita.*§.quod ſi faciam,*qui per modum regulæ ſcriptus eſt,& generaliter loquitur,ad eum caſum conſtringere ſit neceſſum, qui vix aut nunquam euenire poteſt.Nemo enim tam ſtultus reperiętur, qui alteri promittat vt aliquid fiat, ex quo nullum commodum ſit ſenſurus.Præterea in *d.l.cum proponas.* ex facto aduerſario aderat,& tamen text.vult dari de dolo actionem.Quod ego præter alios ſic ſolitus ſum oſtendere: nam cùm deſiderarem matrimonium cum ancilla tua contrahere,neque poſſem, quod inter liberas tantùm perſonas,iure ciuili legitimæ nuptiæ ſint. *l.inter liberas. D.ad legem Iuliam. de adult.l.cum ancillis. C. de inceſt.nupt.* tu manumiſiſti vt ego darem, & ita tuo manumiſſionis facto mihi adeſt facultas contrahendi matrimonium, quam antè non habebam. Efficacius item proſternit hanc communem ſententiam *l. ſolent. D. de præſcriptis verbis.* cùm vult ſi datum ſit aliquid Titio, vt indicetur ſeruus fugitiuus dantis,& Titius indicauerit,dari Titio, ſi dolus aliquis arguatur actionem de dolo. Ergo ex contractu, facio vt des, etiam ſi ex implemento adſit aliquid aduerſario, datur de dolo actio.Rectiſſime itaque Albericus in *d.l.cum mota*, hanc receptam opinionem ferre non valens: Ego,inquit,hanc opinionem neque vidi ſeruari, neque video iure probari, & Cynus in *d.l.cum proponas.* hanc diſputationem de apicibus iuris eſſe dixit, cuius veritas & Tyronibus, & veteranis eſt incognita, ſubiiciens, [Deus ſcit,quot ſint in ea ignorantes,] ſuper qua omnes laborarunt.Sed veretur Iaſon in *d. §.quod ſi faciam.*ne omnium labores irriti facti ſint.Chriſto. Caſtellio. Vtriuſque Raphaeli præceptor eruditiſſimus, actionem præſcriptis verbis indiſtinctè in contractu, facio vt des,facienti, contra non dantem competere defendit. Quam ſententententiam Ful.in *d.§. quod ſi faciam.*ſibi vſurpauit. Nec expedit, inquit ille,dubitari, cum ſit de ea expreſſum Vlpiani reſponſum in *l. iuriſgentium.§.1.D.de pact.*& apertiſſima Iulian.conſtitutio in *d. l. ſolent.*idque in articulo,do vt facias, Iulius Paulus tradiderit. *l. naturalis.verſic.ſed ſi dedi. alle.* Nec eſt,inquit,Fulg.quod opponas actionem de dolo ſubſidiariam quę ideo non datur,vbi alia competit.*l.1. §.1. D. de do.* Nam præſcriptis verbis actio generalis eſt.*l.1.2.& 3.D.de præſcriptis verbis.* ſemper competentis,vbi deficit nomen contractus, & æquum eſt actionem dari quam ideo cum actione de dolo concurrere, vt de condictio. certi. ſine cauſa. & indebiti, Accurſius & alij prodiderunt in *l.ſi legatarius.D.de dol.& in l.2.C.ill.tit.* Nam pugnant cum hac ſententia ſecundū eum Iul. Paul.verba in *d.§.quod ſi faciam*, nam cum dicit nullam ciuilem actionem dari, ſi faciam vt des, accipienda ſunt ea verba, de actione ciuili propria, ſpeciali, & nominata non quod actionem præſcriptis verbis excludere velit, quo loquendi modo idem Iuriſconſul. alibi vſus eſt in *l.interdictum.ff.de precar.* Et cum Ariſto docuiſſet.ſi permiſeris mihi,vt ſererem in fundo tuo, & fructus tollerem, nec patiaris me fructus tollere, nullam iuris ciuilis actionem eſſe, addubitauit Pomp.num in factum danda eſſet, an de dolo.*l.permiſiſti. §.fin. D. de præſcriptis verbis.* nimirum demonſtrans verba illa,nullam ciuilem actionem, de ſpeciali tantum,& nominata intelligenda eſſe: atque concludit ex contractu, facio vt des, dari & præſcriptis verbis, & de dolo actionem,non ad diuerſa,ſed (dictu mirum) ad illud ipſum ad quod altera competit. Cęterum hæc opinio tametſi docta ſit, & arguta,vera non eſt. nam in tractatu præſcriptorum verborum,cum ciuilis actionis ſit mentio, non aliam intelligimus, quam præſcriptis verbis.*d.l. ſolent.* Sed maximò in Iul.Paul. reſponſo quod ante *§.quod ſi faciam*, ſcribitur,quo euidenter conſtat eundem de ciuili actione mox loquentem perperam accipi,vt de actione alia ſpeciali & nominata loquatur. Rurſum iura ipſa negant concurſum actionum præſcriptis verbis, & de dol.*d.l.ſolent.& d.l.naturalis verſic.ſed ſi dedi.* Nec quicquam facit quod generalis actio, cum actione de dolo concurrat:nam actio præſcriptis verbis(inquit Caſtr. in *d. l. cum proponas.*) quæ datur ex contractibus innominatis, ſpecialis eſt,vt illa quæ ex pacto incontinenti appoſito datur. *l. 2.C.de pact.inter empt.*quanquam generalis ſit eo nomine, quia quoties deficit nomen contractus, & æquum eſt actionem dari, detur.*l.1.2. & 3.ff. de præſcriptis verbis.* ſubſidiaria tamen eſt, quia non datur,vbi alia competit,*l.quoties illo titul.* quod non ex incerti condictione generali,& ſine cauſa: quæ proculdubio cum alia quacunque ſpeciali concurrunt. Non etiam iuuerit Fulgoſij ſententiam.*d. l.iuriſgentium. §. 1. quoniam ibi qui dedit*, contractum approbauit, licet male dederit dando rem alienam. Vnde tametſi ex facto alterius nihil ſibi adſit, poteſt conueniri præſcriptis verbis vt iterum det: quòd ſi nullo modo contractum approbaſſet, nulla actione ad dandum cogi poſſet, ſed tantum in eo quod facientis intereſt, actione doli conueniretur.qua teneri in Vlpiani reſponſo non potuit, cùm in dolo non eſſet.Nam,vt Alexand.in *alleg.l. cum proponas.* ait, contractum,quantum fuit ei poſſibile,impleuit. Quòd ſi hæc diſſolutio non tibi arrideat, verius dicemus, ex ſententia Iuriſconſulti,in *d.l.iuriſgentium*, quòd ſicut in contractu,do vt des,veſtitur pactum implemento, ſeu datione, ita in facio vt

des, ex ipſo facto cauſatur veſtimentum, quia feci quod promiſi, vnde cùm pactum cauſam habeat, dari debet actio. Etenim dicere quòd in ea *l. iuriſgent.* ideo non detur de dolo, quia fecerit quod potuit, & dando approbauerit contractum, refellitur vel ex *§. at cum do. verſ. ſed ſi dedi. d. l. naturalis.* vbi eadem eſt ſpecies, quæ in *l. iuriſg. §. 1.* & tamen tex. dicit de dolo actionem competere aduerſus eum, qui ſciẽs ſeruum alienum dedit. Franc. tandem Curt. celeberrimus legum profeſſor, vt erat in noſtra hac diſciplina perquàm acutus, veterum interpretationibus exploſis, nouè conſiderat actionem præſcriptis verbis, ex contractu, facio vt des, competere. Nec hoc negat Paul. in *d. §. quod ſi faciam,* qui cum dicit nullam ciuilem actionem eſſe, accipiendus eſt, vt de ea loquatur, qua plene conſulitur actori. cum enim ex reliquis tribus contractibus innominatis, duæ proditæ ſint actiones præſcriptis verbis, in id quod intereſt, & condictio ob cauſam, ad repetendum maximè iniquum videretur in facio vt des, ei qui fecit, actionem præſcriptis verbis non dari, qua id quod intereſt cõſequi poſſit. *l. ſolent. ff. de praeſcri. verb.* Condictionem autem ob cauſam, lex neque voluit, neque potuit dare, cum ea ad repetendum competat, & facta ipſa repeti non poſſint. Factæ ſi quidẽ cauſæ, nulla conſtitutione infectæ fieri poſſunt. *l. in bello. §. facta. ff. de capt.* quanquam legis poteſtate fiat, vt pro non factis habeantur. *Act. in l. verum. ff. de reg. iur. Bart. in l. ſi is qui, col. 12. de vſuc.* Cùm itaque factum meum, hoc eſt, implementum, condici non poſſit, loco condictionis ob cauſam, data eſt actio de dolo, vt conſequar quanti mea intereſt, factum eſſe: quæ ab actione præſcriptis verbis eo nomine differt, quod ea aduerſus non implentem detur, in id quod implentis intereſt impletum eſſe, hoc eſt, aduerſarium dediſſe vel feciſſe: & ita non pugnat *l. cum mota. C. de tranſac.* quam admittimus de contractu, facio vt des, tractare. Cæterum eam de tranſactione loqui, in qua pœnitentiæ locum nõ eſſe notiſſimum eſt. *l. quamuis. C. de tranſac.* Proinde nec de dolo actio dari poteſt, cum ea in locum condictionis ob cauſam ſubſtituta ſit, quæ in tranſactione locum non habet, quo circa datur præſcriptis verbis. Inſtabis video (inquit Curt.) cur ex contractu, facio vt facias, actio de dolo, eadem ratione non datur, quod facta regulariter repeti nequaquam poſſint? Reſpondétque cum Bar. in *d. §. quod ſi faciam,* hoc efficere æqualitatem, quæ ex vtraque parte adeſt, quoniam factum vtrinque eſt in obligatione. Hæc ille argutè quidem & doctè, in cuius tamen ſententiam perplura me mouent. Sed illud potiſſimum, quod non videam conſtantem aliquam diuerſitatis rationem, inter contractum, facio vt des, & facio vt facias. Nam quod de æqualitate cum Bart. ratiocinatur leue eſt. Præterea & condictio ob cauſam, in quibuſdam factis intendi poteſt, veluti in obligatione rem tradi. Et ſi admiſeris, inquit Alciat. lib. paradox. 5. c. 7. eo caſu quo factũ repeti valet, & condictione ob cauſam, & præſcriptis verbis agi poſſe, Vt & Alex. in *l. actiones C. de tranſact.* exiſtimauit: non minus Paul. verba in alleg. quod ſi faciam, reſtringes, quã vel Bar. vel Fulg. vel quiuis alius fecerit. Quamobrẽ eodem loco idem Alc. generaliter intelligit ex contractu facio vt des, ſolam dari actionem de dolo, non item præſcriptis vebis. Cuius rationes non refero, quòd nec ſatis authori placeant, vt quem non puduerit quandoque mutare ſententiam, & in commentariis de verborum ſignific. ad *l. Labeo. 2.* rem ipſam aliter interpretari, poſterioribus ſemper, vt dici ſolet, & ille ait, melioribus. Is autem nouiſſimè putat ideo ex contractu, facio vt des, oriri de dolo, & non præſcriptis verbis actionem, vt ex aliis trib. quoniam actio præſcriptis verbis tunc duntaxat datur, quoties eſt mutuum factum obligatoriũ, id eſt, ex vtriuſque parte aliquid factum, quo vterque ſit obligatus, vt in do, vt facias; aut, do vt des: nam cum dare ſit dominium tranſferre: non niſi in conſentientem transferri poteſt. Cùm ergo tibi dederim & conſequenter vtriuſque factum interuenerit, mei transferentis; & tui dominium accipiẽtis, meritò præſcriptis, verbis agetur. Cui diſſolutioni obſt. *d. l. cum proponas.* vbi tradita fuit ancilla manumittenda, vt is cui tradebatur, mancipium daret, in qua traditione quæ facti eſt, vtriuſque factum intercedit: & tamen eo loco proditum eſt, non præſcriptis verbis, ſed de dolo agi. Sed, inquit Alcia. cum traditionem acceptans, nullum ius acquirat merum, id factum lex tradenti potius imputat, in cuius facti executionem venit. Quæ verba non tollunt me iudice difficultatem, quinimò nec vera ſunt, quandoquidem traditione ius manumittendi quæſitum ſit ei cui tradita eſt, atq; inde ius patronatus, facultas præterea contrahendi matrimonium. Adde quod hanc Alciat. ſententiam conſternit contractus, facio vt facias, in quo præſcriptis verbis ſemper agitur: cum attenta hac ratione de dolo agendum eſſet. Cæterum hoc ideò eſt, inquit Alciat. quia vltra promiſſionem videtur vtrinque interpoſitum mandatum. Ideóque Iul. Paul. actionem præſcriptis verbis dat, quam ciuilem eſſe mandati actioni dicit. *d. l. naturalis. §. pen.* Quę ratio licet inferat actionem dari, non tamen concludit actionem præſcriptis verbis potius quàm de dolo competere. Non enim prohibet lex etiam quo caſu mandatum interceſſiſſe videtur, ſi quid dolo factum ſit actionem de dolo dari. *l. idémq; §. ſi quis ea. ff. mandat.* Ex his non dubito, quin omnes interpretationes commentitiæ, & inconcinnæ paulò doctioribus videantur, qua de cauſa aliter, quàm à cæteris ſalebroſus hic articulus declarandus eſt. Ego putaui, quod Accurſ. noſtrum poſtea comperi ex antiquorum ſententia præſenſiſſe, in *l. quoties. ff. de praeſcr. verb.* ex contractu, facio vt des, quemadmodum ex reliquis tribus contractibus innominatis, dari præſcriptis verbis actionem, niſi dolus arguatur, quo caſu de dolo competit idque non modo ex *§. quod ſi faciã,* ſi præcedenti annectatur, quam ex *l. ſolent. alleg.* ſuadebã. Nam & ita omnes in vniuerſum innominatos contractus accipimus, vt ſi dolus arguatur, de dolo detur actio: quod in contractu, do vt facias, palam fecit Iuriſc. in *d. l. naturalis. verſic. ſed ſi dedi.* Et quod me plurimum mouebat fuit, quòd nunquam potuerim intelligere rationem differentiæ inter contractum facio vt des, & alios contractus innominatos, cur non in omnibus præſcriptis verbis actio dari debeat. cùm tota eorum vis in implemento conſiſtat. *l. iuriſgentium, §. 1. ff. de pactis.* At hic addubitauerit quiſpiam, ſi nihil conſtituendum eſt diſcriminis, cur in contractu, facio vt des, generaliter & in formam regulæ dictum eſt actionem de dolo dari? Dicebã hoc eſſe, quia in contractu, facio vt des, ſi poſteaquam feci; tu ceſſas dare, dolus præſumitur: dolo nanque facit, qui ceſſat dare quod promiſerat, vt facerem: cum quod factum, infectum fieri nequit, nimirum ſi de dolo actio detur, quæ toties datur, quoties dolo aliquid factum eſt. Nec actus in delicti nomen cadit. *l. 3. D. de cri. ſtellio.* quinimò etiam ſi ſit delictum, ſi ſi tamen ex eo ſpecialis actio non detur, *l. ſi quis tabulas. ff. de dol.* Addidit autẽ Iul. Paul. in *d. §. quod ſi faciam,* nullam ciuilem dari, quia cũ dolus arguatur: actionem de dolo dedit: quam tunc duntaxat ſe daturum pollicetur prætor, cùm non alia erit actio. *l. 1. §. 1. ff. de dol.* quare eo caſu præſcriptis verbis ciuilis ceſſat, vt & quæuis alia. Nam ſi dolum abeſſe conſtaret, quia is qui dare debet, dare non poſſet, aut difficultate aliqua impediretur: cùm de dolo dari nequeat, quia nihil dolo factum ſit, dabitur quod æquiſſimum eſt præſcriptis verbis. Nec quenquam ſanæ mentis negaturum credo. In do vt des autem, aut in do vt facias, non idem eſt: cum etenim datum ipſum repeti poſſit, non tantus dolus arguitur, vt qui parum ei, qui impleuit obeſſe poſſit. Quam rationẽ ob oculos videtur habuiſſe Imp. in *d. l. cũ proponas.* alloquens eum qui manumiſerat ſeruum, aut eum manumittendum tradiderat, vt viciſſim mancipium reciperet. Si, inquit, manumiſiſti, vel tradidiſti, & ille manumiſit reuocandæ libertatis poteſtatem non habens, deſiderare debes de dolo decerni tibi actionem. Si quid eſt in hac noſtra opinione difficultatis, ea tota ex contractu, facio vt facias manat, in qua illa ipſa ratio, quam in cõtractu, facio vt des, prodidimus, militat: dolo enim videtur facere, is qui facere ceſſat, ex quo alter fecit. Qua in re verum eſſe intelligo, quod Claud. Seyſſell. vir eruditus & diſertus, hunc articulum tractans, in *d. l. cum mota.* dicere ſolebat, difficile eſſe, hunc nodũ per rationes demonſtratiuas ſoluere, & vix concludentem rationem dari poſſe. Quanquam aliquando placuerit hanc proferre, vt in facere debente non tantus dolus præſumatur, quantus in eo qui dare debet, & ceſſat: cum enim datio facilè, & vel vno momento explicari poſſit, facta autem, vt plurimum tractum habeant ſucceſſiuum. *Bart. in l. ſtipulationes non diuiduntur. D. de verb. oblig.* in grauiore dolo is qui dare debet, quique paruo negotio ſe liberare poteſt, eſſe videtur, quã is qui non niſi difficulter promiſſum explere poteſt. Propterea Iuriſc. generalius tradidit in contractu, facio vt des, ſi poſteaquam factũ eſt, is qui dare debebat, ceſſet dare, actionẽ de dolo cõpetere. Nec exiſtimet quiſpiã verum eſſe, quod Bar. & alij ſcriptũ reliquerunt in *d. l. naturalis. §. at cũ do.* manumittere eſſe factũ monumentum, hoc. n. à vero longè eſt alienũ, ſiquidem manumiſſio ſiue

vindictæ

vindicta fiat,vel teſtamento facto ſucceſſiuo expediri. Vindicta autem cùm ſit virga qua lictor prætoris præmiſſis ſolennibus verbis ſeruum tangebat, mox dominus apprehenſum dextra manu vertebat, quo modo ſeruus libertatem conſecutus, ciuis Romanus erat: id quod Appianus lib.4.bell.ciuil. tradit,ſatis oſtendit manumiſſionem vindicta,quæ præuia hac ſolennitate fiebat,non potuiſſe momento expediri. Sed nec ea quæ teſtamento,quandoquidem non ſtatim declarata à teſtante voluntate, liber fieret ſeruus, ſed teſtantis mors expectaretur. Vnde id ſingulariter Imperatori conceſſum,vt momento ſine aliqua ſolẽnitate ſeruum liberum eiiciat,vt eſt apud Iul. Paul.*l.apud eum.D.de manumiſſ.* Poſtremo neque illud conticeſcendum putaui,quod ad noſtræ quæſtionis diſſolutioné conſiderabat noſter Anto. Goueanus,vir inſignis doctrinæ, & acerrimi ingenij,actionem ſcilicet præſcriptis verbis ex eo tantùm contractu dari, qui alicuius certi & nominati naturam redolet.idque per *l.1.§.ſi quis ſeruum. D.depoſit.* & *d.l.naturalis.§.ſed ſi facio.* Cùm itaque contractus,facio vt des,neque nominatus ſit,neque nominato ſimilis,actio certa non ex eo datur,quia non certus, non nominatus, non etiam præſcriptis verbis, quia nec ad certi contractus naturam accidens: nulla denique ciuilis:proinde, itur ad actionem de dolo,quam prætor daturum ſe pollicetur, vbi alia actio non erit, *l.1.§.1.D.de dol.* vt dubitandum non ſit,quamobrem in contractibus,do vt des,do vt facias,& facio vt facias, actio de dolo non detur,ſed tantùm præſcriptis verbis, quæ ex contractibus innominatis, qui nominatorum contractuum naturam referunt, duntaxat competit,vt ex do vt des,qui contractus emptioni ſimilis eſt, *d.l.naturalis. §.1.* ex do vt facias,qui affinitatem habet cum locatione,*d.l.naturalis.§.at cùm do,ex facio,vt facias,* qui accedit ad mandatũ, *d.l.naturalis.§.ſed ſi facio* ex facio vt des, qui nullius ex nominatis naturam refert,nequaquam: quare ad actionem de dolo confugiendum fuit. Hinc & illud acutè inferebat,falsò doctores prædicare: Ex quocunque contractu innominata actionem præſcriptis verbis dari, cùm ex iis tantùm per ſupradicta competere dicendum ſit, qui ſimilitudinem aliquam habent cum nominatis. Hoc autem quàm rectè traditum ſit ab eo,tum ex iam dictis,tum ex *l.iuriſgentium.§.1.D.de pact.l.1.2. & 3. D.de præſcript.verb.* arbitror non valdè obſcurum eſſe. Hæc ex Corraſio, quæ ad rem valdè facerent, deſumpſi.

Ad l.3.de periculo & commodo rei venditæ.

Hiç valdè conturbatur Accurſius, nec ſe poteſt vlla ratione confirmare, tantum abeſt vt aliis ſimili ignorantia laborantibus eſſe poſſit auxilio. Vide Connanum lib.7.Commentariorum iuris ciuilis,cap.10.

NOTAE AD PARTEM IIII. DIGESTORVM, AD LIBRVM XX. Pandectarum iuris ciuilis,vbi de pignoribus.

Ad tit.de pignoribus.

Diſſoluatur ἐναντιόφανον quoddam quod plurimi interpretes diſſoluere non potuerunt. Id ἐναντιόφανον eſt inter *§. Quintus. l. ſtatuliberi. D.de ſtatuliberis.* & *l.3.de pignorib.* ex iis enim quę in illo §. de libertate eliciuntur ſecũdùm emendationem doctiſſimi Cuiacij, vt re ſecundùm hæredem legitimum iudicata, ea nihilominus impleta conditione,Andronico ſeruo ſolus competat,opponitur l.3.hoc tit. qua dicitur,victoriam legitimi hæredis legatariis & libertatibus nocere ſiue ſciuerint,ſiue ignorauerint heredem ſcriptum de re litigare, præterquam ſi colluſum ſit ex Cõſtitutione Antonini Pij, vel ſi hæres præſcriptus ſeperatus ſit ex Cõſtitutione Diuorum fratrum.Quod ſi per iniuriã iudicis ſuperatus ſit, iniuriam ei factam verius eſt legatariis & libertatibus nocere: alioqui nulla erit differentia inter creditorem & legatarios, eóſve qui libertatem acceperũt.quod Papinianus negat in hac l.3.& ideo rectiſſimè putat D.Cuiac. fax Iuriſconſultorum in *l.ſi ſeruum plurium.§.1.de legatis* .1. Negationem abundare, ac ita legendum eſſe,Iniuria ei facta nocebit legatariis.Nocebit autem ſi ſecundum heredem legitimum fuerit iudicatum.non item ſi ſecundum ſubſtitutum,quoniam ſubſtitutus eſt ſucceſſor teſtamentarius. Hæc doctiſſimus Cuiacius libro 2.Obſeruationum.cap.7.

Notæ ad Accurſ.

Ad l.Si is qui bona.§.1.de pignoribus.

Non rectè explicat Accurſius quid ſit ἀντίχρησιν, cùm dicit eſſe Apocham, vel ſuppoſitionem & obligationem pignoris, nos ex Doctiſſimi Cuiacij obſeruationibus dicamus ἀντίχρησιν eſſe ſpeciem pignoris ita dati, vt donec pecunia ſoluatur, pignore creditur,vtatur fruatur in vicem vſurarum: verbi gratia, vt domum pignori obligatam vſurarum vice creditor inhabitet, *l. ſi ſeruus. C. Quod cum eo qui in aliena poteſtate eſt.* Quæ conuentio licita eſt, etiamſi pluris domus locari ſoleat, quam efficiat legitimarũ vſurarum ratio.Aliud exemplum ſit, vt fundi oppignerati fructus omnes vice vſurarum creditor percipiat,quæ conuentio propter incertum euẽtum fructuum admiſſa eſt, etiam ſi aliquo anno poſſit fructuum emolumentum legitimarum modum vſurarum excedere. Nam & propter incertum frumenti pretium fit nonnunquam vt frumento credito eiuſdem materiæ acceſſiones ſupra legitimum modum admittantur, quemadmodum Græci rectè colligunt ex *l.eo.C.de vſuris.* Vide Cuiacium libro tertio Obſeruationũ cap.35.

Ad l.5. in quibus cauſis pignus vel hypotheca tollatur.

Malè Accurſius interpretatus eſt quendam locum *l. 5. In quibus cauſis pignus vel hypotheca tacitè contrahatur.* Ita enim intelligendum eſt quod Pomponius ſcribit.[Si gratuitam habitationem conductor mihi præſtiterit,inuecta à me domino inſulæ pignori non eſſe,cum ſimpliciter negat eſſe obligata,] puto intelligendum, vt etſi damni aliquid intulerit iſte qui gratis habitat,hypothecaria tamen nequeat conueniri. Aliter & perperam Accurſius ſenſit,& cęteri ferè omnes, quos meritò Iaſon reprehendit in *l.Item quia.de pactis*,ſed falſa ratione. Dicit enim ſi Accurſij vera eſſet opinio, fruſtra Pomponium decidere de penſionis obligatione, quæ nulla debetur ab eo qui gratuitò habitat.at loquitur Pomponius in eo qui mercede conduxit ædes, quarum deinde partem aliquam conceſſit alicui gratis habitãdam, vt huius poſterioris locatoris res inuectæ non teneantur pro ſolutione penſionis eius quam debet prior conductor, at ne pro detrimẽto quidem, ſi quod illatum fuerit, quoniam locationis contractus hoc ius tacitæ hypothecæ induxit.at qui gratis habitat, conductor dici non poteſt.

NOTAE AD LIB. VICESIMVM PRIMVM PANDECTARVM Iuris ciuilis.

Ad l. ſi tamen. §. fin. de ædilitio edicto.

Simplaria, vel potiùs ſimpularia venditiones, quid iuriſconſultis ſignificent: & Pomponij reſponſum non ita debuiſſe exponi à Budæo, vti factum eſt.

EVicta re ab emptore, agi poteſt ex duplæ ſtipulatione: quam duplam oportet venditorem emptori promittere, hoc eſt, duplū pretij, quo caſu res euincatur, *l. 2. & l. emptori. D. de eui.* [Quod ſic accipiendum eſt, inquit Vlpianus, ſi res pretioſiores vænierint,] *d. l. emptori, §. 1.* nam ſi aliæ res non pretioſæ non væneant, ſecus erit. Quarum rerum venditiones Guliel. Bud. idcò ſimplarias à Pomponio dici putat *in l. ſi tamen. §. fi. D. de adil. edic.* quòd pro illis non cogatur venditor emptori de dupla repromittere. Verba Pomponij hæc ſunt: [Simplarum venditionum cauſa, ne ſit redhibitio, in vſu eſt.] Quæ verba acutè perpenſa demonſtrant, Bud. interpretationem veram non eſſe: quādoquidem certo ſit certius, de equo, iumento, & ſimilibus rebus eſſe redhibitionem. *l. Æ diles aiunt. D. de adil. edic.* ſuper quibus tamē, quia pretioſæ nō ſunt, de dupla venditor non repromittit, *d. l. emptori. §. 1.* Propterea exponendus eſt ille. *§.* aliter quàm à Budæo, & cæteris fiat: quod commodiſſimè facturi ſumus, ſi illic non [ſimpulariarū] ſed [ſimpularium] legamus. Nam & huic lectioni pleroſque ex vetuſtiſſimis codices conſentire vidimus. Appellabant autē antiqui res minutas nulliúſque preti j, ſimpularias à ſimpulo, quod vas quoddam exiguum eſt, & minutim fundens, cyatho non diſſimile, quo P. Rom. diis immortalibus ſacrificabat. Nā & M. Varro apud No. Marcellum ait, Deos ipſos vili ſimpulo inuitari. Vnde mulieres diuinis rebus deditæ, ſimpulatrices, vt Feſtus ſcribit, vocantur. Inde quoque & illud diuerbium manauit, Excitare fluctus in Simpulo, quo de tabellaria lege Cic. agens in 4. de legibus vſus eſt. Dicebāt autem in ſimpulo fieri, quod vel clanculum, vel in re minuta, atque humili fieret. Allegoria ſumpta, vt magnus ille Eraſmus in Chil. tradit, à puerorū luſu, quo in ſimpulum per anguſtum fiſtulā inflantes, quaſi fluctus quoſdam excitare ſolent. Ad rem noſtram igitur appellat Pomp. ſimpularias venditiones rerū humilium minutarum & vilium quæ in nullo fermè ſunt pretio: quarum cauſa ideò non eſt redhibitio, quòd propter has cauſas minimas res inemptas fieri ſit perquàm abſurdum, *l. res bona fide D. de contrahen. empt.* & contractū perfectum reſcindi ſpeciali legis beneficio, quòd ideò in his cauſis lex nō indulget, *l. ſcio. D. de in integrum reſtitut. l. ſi oleum. §. fin. D. de dol.* Porrò cùm Budæus docet, ſimplarias actiones, duplarias, & quadruplarias dictas eſſe, quæ in ſimplum, duplum, aut quadruplum dabantur, non memini me alibi legiſſe. Cúmque ſubiicit Quadruplatores delatores fuiſſe, qui eo ſeſe quæſtu tolerabant, vt ea perſequerētur, quorum ex legibus quadrupli erat actio: magis, vt opinor dixit Budæus, vt ſuæ declarationi ſubiectæque materię ſeruiret, quàm quòd rem ita ſe habere crederet, ſiquidem conſtet, Quadruplatores genus delatorum fuiſſe, quibus præmij loco, quarta pars de proſcriptorum bonis conſtituta erat, quod & Aſconius Pædianus tradit. Fuerūt autem l. Papia certa delatoribus præfinita pręmia, quæ cum dimidiū illatę multæ antea fuiſſent, Nero princeps delatorum licentiam volens comprimere, eadem præmia ad quartas reuocauit. Author eſt Alex. in diebus Genial. Vide plura apud Corraſiū in Miſcellaneis, ex quo hæc deſumpta ſunt.

Ad tit. de ædilitio edicto.

In *l. ſi verò. hoc tit.* malè legit Accurſius illum locum. Sic Sabinus ſcribit ex priore cauſa, quæ ſtatim, inquit, vt venit, id mancipium eo nomine agere poſſe cœpit, quidam ſtructuram nuerſam eſſe rectè putant: & vt ſenſus perſpicuus reddatur, ita legunt, Sabinus ſcribit ex priore cauſa, (quæ ſtatim inquit vt venit, id mancipium cœpit) eo nomine poſſe agere, vt ſit ſenſus: Redhibitionis tempus, licèt dicti promiſsive nomine competat, à venditione tum demum ſubſequuta procedere, quippe cum ex eo promiſſo ante venditionem agi nō potuerit, quomodo verbum Cœpit, non ad Agere infinitum, ſed ad nominatiuum Cauſa refertur.

Ad l. cùm autem, circa finem.

Malè Accurſius eo loco [etſi venditio remanſiſſet] interpretatur, facta non eſſet. non enim puto Vlpianum ſic ineptè loquutum. Itaque ſic legendū puto cum viris doctis. Sed ſi venditoris manſiſſet: & ſubaudi, ſeruus legatarius venditoris ſcilicet manſiſſet.

Ad l. Si tamen. in fine, eodem titul. de ædilito edicto.

Eo loco huius legis [Simplariarum venditionum cauſa ne ſit redhibitio in vſu eſt.] Accurſius ſibi non conſtat in huius verbi enarratione. quod mihi mirum videtur, cùm omnibus obuium ſit id quod errabūda ipſe indagine inueſtigare conatur. Conſtat autem omnibus, vt arbitror, ſimplarias venditiones eſſe, pro quibus neceſſe venditor non habet de dupla repromittere, quarum meminit Vlpianus in *l. emptori de euictionibus.* Sed hoc loco non ita ſumitur, vt aduerſus Budæum in ſuperioribus notis oſtendi.

Ad tit. de vſuris.

In *l. ſi benè collocata. hoc e.* Accurſius malè legit illum locum [Inter inſolentiam incurioſam, & diligentiam non ambitioſam] & hæc verba interpretanda mihi ineptire videtur. quidā viri docti hunc locum mendoſum eſſe, & ſic legendum putāt, Inter inſolentiam curioſam, & diligentiam non ambitioſam multùm intereſt.

Ad l. cùm autem. circa finem. eod. tit.

Malè Accurſius eo loco, [quia etſi venditio remanſiſſet, nihil hæc res emptori prodeſſet,] remanſiſſet, inquit Accurſius, id eſt, facta non eſſet: ego non credo Vlpianum ſic ineptè loquutum, ideò cum quibuſdam viris doctis ſic legēdum puto, ſi venditoris manſiſſet, & intelligo, ſeruus legatarius.

Ad l. ſi tamen. in fine.

Hoc loco huius legis [Simplariarum venditionum cauſa ne ſit, redhibitio in vſu eſt] Accurſius ſibi non conſtat in huius verbi enarratione. quod mihi mirum videtur, cùm omnibus dubium ſit id quod errabunda ipſe indagine inueſtigare conatur. Conſtat enim, vt arbitror, omnibus ſimplarias venditiones eſſe, pro quibus neceſſe venditor non habet, de dupla emptori repromittere, quarum meminit Vlpianus *in l. emptori. de euictionibus.* Ita enim ſimplariæ venditiones hîc à Pōponio dicuntur, vt ſimplarię actiones & duplariæ, in quo ſimplum duplum dabantur. Sed hoc iam oſtendi non ita ſumi hoc loco.

Ad l. Qui libertatis. §. finali. D. de euictionibus.

Quæ ſunt concepta verba ſeruitutum, vt breuiter, ita accuratè tractatum. quod Accurſius non obſeruauit.
Venditio prædij non infert ſeruitutem.
Seruitus tacitè ad emptorem tranſit.
Concepta verba ſeruituum.
Effectus eorum verborum.

Poſtquam in tractatum euictionum incidimus, prætereundum illud non dixi, quod, vt paucis cognitum, ita omnibus apprimè neceſſarium eſt. Itaque ſciendum, vendito prædio, nō cenſeri, vēditorem promiſiſſe, aut dixiſſe ſeruitutem aliquā rei venditæ deberi: niſi ab eo ſpecialiter dictū ſit, *l. in vendēdo. D. de contrah. empt. l. penult. D. de euictio.* licèt debita prædio vendito

vendito ſeruitus, venditore etiam reticente, accedat, ad emptorémque tranſeat, *l.ſi aquaductus.D.de contrah.emp. & d.l.pen.* Planè ſi conceptis verbis vtatur venditor,perinde eſt ac ſi nominatim dixiſſet,ſeruitutem à vicino,rei venditę deberi. Concepta autem verba in ſeruitute[Stillicidij auertendi] hæc ſunt: [Stillicidia vti nunc ſunt. vt ita ſint.] *l.ſi arborem.§.hac lex.D.de ſeru.vrb.præd.& l.cum leg.D.de contr.em.* In ſeruitute verò luminum,hæc, [lumina,quæ nunc ſunt,vt ita ſint.] *l.ſi ſeruitus.D.de ſeruit.vrb.* circa ſeruitutem oneris ferendi, illa, [paries oneri ferendo,vti nunc eſt,ita ſit,] *l.eum debere.D.de ſeru.vrb.* ſed & duæ recipi poterant, hac formula, [itinera, actúſque, quibus ſunt, vtique ſint.] *l.qui libertatis.§.fin.D.de euict.* & generalibus verbis cuiuſcunque fiebat ita receptio. [Quibus eſt ſeruitus, vt ita ſit.] *l.quicquid.D.com.præd.* His porrò verbis ſignificabat,ſpondebátque,vel potiùs in ſe recipiebat venditor ſibi deberi ſeruitutem, cuius facta erat mentio.ſe autem nulli debere,vt eleganter Vlpianus pręmonſtrat, in *d.l.ſi arborem.§.fin.* Vnde ſi res vendita,vel ſeruitutem non habeat, vel vicino debeat, in id quod intereſt, venditor rectè conuenitur,*d.l.qui libertatis.§.vlt.* Vide Corraſium in Miſcellaneis.

NOTAE AD GLOSSAS IN LIB. VIGESIMVM SECVNdum Pandectarum Iuris ciuilis.

Ad l.in pecudum fructu.D.de vſuris.

Partus ancillæ, & venatio an ſint in fructu, nouè expoſitum: atque ibi multa de fructibus declarata.
Venatio & Piſcatio an ſint in fructu.
Expoſita præter alios l.venationem.
Partus ancillæ an ſit in fructu.
Declarata nouè l.vetus eſt quæſtio.
Recentiorum,& omnium ſententia improbata.
Explanata l.Paulus.
Fructus & reditus ſignificatio diuerſa.
Enucleatus §.hereditatem.

Conſurgit parte iſta, de fructibus diſputatio: in quibus nonnulla annotare voluimus, quæ ſcriptores non ſat diligenter attigiſſe mihi videntur. Venationem cũ primis,Aucupia,& Piſcationem, fructus fundi eſſe, receptum eſt: atque ideo ad fructuarium pertinere, *l.item ſi fundi.§.aucupiorum. & l.vſufructuarium venari.D.de vſufr.* Iulianus tamen,cùm de fructuũ reſtitutione tractatur, venationẽ fundi in fructu eſſe,neq; iniuria negauit: niſi fundi fructus, ex venatione conſtarent,*l.venationis.D.de vſur.* vt ſic velit malæ fidei poſſeſſorẽ, quem cõſtat ad fructuũ reſtitutionem teneri, *l.certum.C.de rei vend.* non cogi reſtituere apros, ceruos, lepores, & alia animalia, quæ illic venando cepit:niſi fundi poſſeſſi fructus ex venatione conſtarent,*l.fundo legato.D.de fund.inſtruct.* Quia,putà,locus eſſet ferarum venationi tantummodo deputatus: ſicuti ſunt Viuaria, Theriotrophia, Leporaria, & alia omnia ſepta, quibus feræ includuntur, vt, quoties fert animus, poſſint homines honeſtiſſimo venationis labore ſeſe exercere. Fœtum quoque lac,pilum,& lanam pecudum in fructu eſſe vbiq; traditur,*l.in pecudum. D.de vſu.l.ſequitur.§.lana. D.de vſur. §.in pecudum.de rerum diuiſio.in Inſt.* Partum verò ancillæ, in fructu non eſſe, proindéque ad fructuariũ non pertinere ex Bruti ſententia,veteres iuriſperiti propemodum omnes reſpõderunt, *l.vetus eſt quæſtio.D.de vſufr.* Abſurdum enim videbatur, inquit Caius in *d.l.in pecudum.* hominem in fructu eſſe, cùm omnes fructus, hominum gratia naturâ comparauerit. Nec,vt Vlpianus ait,*in d.l.vetus*, in fructu hominis,homo eſſe poteſt. Fuit porrò ingens olim diſſenſio inter conſultiſſimos, & grauiſſimos viros,Pub.Scæuolam,& M.Manilium:An partus ancillæ in partu haberetur: qui tandem in fructu ancillæ partum eſſe dixerunt,à quibus Marcus Brutus, vir ſummæ authoritatis, qui inter iuriſperitos multùm longéque præſtitit, iure meritóque diſſenſit: cuius opinio tandem probata eſt, vt Cicero refert in 1.de Finib.ideóq; Vlpianus in *d.l.vetus.* Bruti ſententiam obtinuiſſe ſcribit. Cæterùm quòd imò partus ancillæ in fructu ſit,probare videntur duo Pauli reſpõſa:quorum alterum dicit,hęredem grauatum reſtituere hereditatem, ſine reditu (hoc eſt, ſine fructibus) non teneri reſtituere partus ancillæ, ante diem fideicommiſſi cedentem,editos, *l.Paulus.§.1.D.de vſur.* ita ſignificans, partus ancillarum in fructu ſeu reditibus eſſe. Alterum,idem fermè docens,tradit,partus ancillarum ante diem fideicommiſſi editos, ad grauatum pertinere: eos tamen in quartam quartæ fructus imputandos. *l.Paulus. D.ad leg.Falc.* cum certum ſit fideicommiſſo grauatum, quicquid eſt hereditatis, teneri reſtituere, ſolóſque fructus eum retinere, quos in quartam imputat, *l.in fideicommiſſariam.D.ad Trebel.* Partus itaque in fructu ſunt, & habentur. Hæc pugna pleriſque (Recentioribus præſertim) inextricabilis viſa eſt: adeò vt non eos pudeat,Antinomiam dicere,quæ pacto nullo conciliari poſſit,Ego verò exiſtimo,nihil prorſus pugnantiæ eſſe, ſi diligenter loca omnia obſeruentur: itaque conſidera,veriſſimum eſſe,quod ex Bruti ſententia Poſteriores iuriſconſulti tradiderunt,Partum ancillarum, qui in bonis nõ eſt,*l.ſi.§.ſi procurator. D.quæ in fraud.cred.* pariter in fructu non eſſe,*l.ancillarum.in princ.D.de petit.her.* abſurdum quippe eſt,hominem in fructu hominis dicere, *d.l.vetus.* cùm in fructu id eſſe, tãtùm intelligatur, quod ad vſum hominum inductum eſt, *l.pen.D.de vſuf.l.homo autem*, omnium creaturarum digniſſima:*l.iuſtiſſimè.D.de ædil.edict.* non ad alterius vſum creatus eſt:ſed per contrarium, vt Caius inquit, hominũ gratia,fructus omnes rerum natura comparauerit,*d.l.in pecudum.* neque partus igitur, neque partuum partus in fructibus habẽtur. *l.mulier.§.ſed enim.D.ad Treb.* ſed nec ideò dicendum, in reſtitutionem fideicommiſſi,eos venire(quod perperam Imo. & Alex. illic putauerunt) hoc enim apertiſſimè refragatur *d.l.Paulus.D.ad l.Falc.* Et quoniam non ſequitur,hoc non eſt in fructu: ergo venit in reſtitutionem. ſunt enim pleræq; res, quæ fructus non ſunt, nec fructuum vicem obtinent, quæ fideicommiſſo nõ continentur,*l.ſi res aliena.l.ſi patroni.in princ.l.debitor.§.fin.l.à filia.in princ.cùm ſim.D.ad Treb.* ſed præſertim,fideicommiſſario non debetur, quòd ſeruus hereditarius poſt aditam hereditatẽ quęſiit,*l.ita tamen.§.1.D.illo tit.* ideóq; cùm ancilla peperit, partus hic editus poſt aditionem, & ante diem fideicommiſſi cedentem,non reſtituetur.*l.Paulus.D.ad l.Falc. & ſi obiicias d.l.Paulus.§.1.D.de vſur.ar.à contrario*, cùm dicat grauatum reſtituere,ſine reditu, nõ teneri ad reſtitutionem partuũ, ergo à contrario,ſi ſimpliciter rogatus eſſet, non expreſſis verbis,[ſine reditu]teneretur reſtituere. Reſpõdeo, illic ideò reuocari in dubium, quia videbatur iis verbis [ſine reditu] expreſſim agi à teſtãte,vt partus non retinerentur, ſed reſtituerentur: cùm omnia præter reditum vellet reſtitui: & partum ancillæ in fructu non eſſe notiſſimũ ſit, *d.l.vetus.d.l.in pecudum,& d.l.ancillarum.* verùm in cõtrariam ſententiam, concedit Iuriſconſultus, cùm imò magis,verbis illis declarauerit teſtator,ſe velle partus retineri.Nec enim eadẽ eſt ſignificatio fructus, & reditus. *l.fundi Trebatiani. D.de vſufr.le.* Reditus quippe verbũ generale eſt,omnes omnino prouentus, omnia iura,& quaſcunque obuentiones,vtilitates, commoditatéſque rei, comprehendens, *l.vſufructu legato.§.1.D.de vſuf.l.frugem.in princ.D.de verb.ſignif.Glo.in c.generali.de elect.in 6.* meritò partus ancillarũ, ante diem fideicommiſſi cedentem, editos,ſine controuerſia retinebit,qui hæreditatem ſine reditu, aut exceptis reditibus (quod idem eſt) reſtituere rogatur. Et quod Papin.ait,[Hæreditatem poſt mortem ſuam exceptis reditibus, reſtituere rogatus ancillarum partus, non retinebit:nec fœtus pecorum, qui ſubmiſſi gregem retinẽt.] *l.de ducta.§.hæreditatem.D.ad Treb.* accipiendũ eſt neceſſariò, vt & illic omnes interpretantur,cùm partus editi ſunt,poſt moram grauati: quia poſt diem fideicommiſſi cedentem: & ita poſt mortem rogati. Nam qui viuo hærede grauato,poſt mortem ſuam, editi ſunt, non veniunt dubio procul, in reſtitutionem. *d.l.Paul.§.1.& l.Herennius. D.de vſur.* Et ita hic ſalebroſus articulus finiendus eſt, in quo ſudaui & alſi. Vide Corraſium.

Ad tit. de vſuris.

L. Mora. D. de vſur. duobus in locis nouè declarata: aduerſùſque omnes probatum, moram vna interpellatione non fieri.
L. Mora, nouè declaratur.
Explanata. l. omnis diffinitio.
Interpell. ſola, an mora contrahatur.
Enodatus. §. vſuras.
Exploſus communis ſenſus ad l. Mora.
Salyc. interpretatio reiecta.
Noua opinio.
Denunciandum ſæpe in præiudicialibus.
Alciat. perperam emendat literam. §. Seia.
Iterata interpellatio purgationem non impedit.
Declaratus. §. de illo.
Nq. conſideratio.

Tractant frequentiſſimè Doctores de Moræ diffinitione, quibus tandem ſatis viſum eſt, eam ita deſcribere, [vt ſit debiti ſoluendi, vel crediti recipiendi à iure improbata, & puniti dilatio.] Finire tamen non audent, propterea quòd Pomp. lib. 12. Epiſt. apud Marcell. ſcripſerit, difficilem eſſe huius rei diffinitionem. l. Mora. D. de vſur. Quem tamen locũ nos aliter atque cæteri faciant, ſemper ſumus interpretati, vt non de vera diffinitione, qua quid ſit res, explicatur, ſed de breui quadam oratione, & ſententia, qua plurium rerum breuiter, ſummatim, & abſolutè fit traditio, quaſique ad regulam exacta rerum doctrina, quam Græci Aphoriſmum, Latini regulam dicunt, accipi debeat: quod ſatis & priora, & poſteriora Marcel. verba ſignificant. [Mora, inquit, fieri intelligitur, non ex re, ſed ex perſona, id eſt, ſi interpellatus, oportuno loco non ſoluerit, quod apud iudicem examinabitur. Nam (vt Pompo. lib. 12. Epiſt. ſcripſit) difficilis eſt huius rei diffinitio. Diuus quoque Pius Tull. Balbo reſcripſit an mora facta intelligatur, neque conſtitutione vlla, neque iuris authorum quęſtione, decidi poſſe, cùm ſit magis facti, quàm iuris quæſtio.] Hactenus ille, qui ſatis demõſtrat, verba illa, [Difficilis eſt huius rei diffinitio,] non ad moræ finitionem, ſed ad factum, quãdo videlicet mora facta dicatur, referri. Sic & alibi Vlpianus, [Omnis diffinitio in iure ciuili periculoſa eſt: parum eſt enim, vt non ſubuerti poſſit.] *l. omnis diffinitio. D. de regul. iur.* Nam omnes propè qui eum text. expoſuerunt, diffinitionem illic eſſe plurium rerum, breuiter, & ſub regula factam traditionem voluerunt: quod & verum eſt, quanquam Guliel. Bud. autor alioqui grauiſſimus litem ſub iudice relinquat. Fit autem mora ex perſona, ſi interpellatus opportuno loco, & tempore non ſolpit. *d. l. mora. & l. ſi ex legat. D. de verb. oblig.* ſemel autem interpellationem etiam extra iudicium interueniſſe ſufficit. *l. qui vxori. & l. denuntiaſſe. D. ad legem Iul. de adult.* ideo dici ſolet vnicam interpellationem, vt mora fiat, ſufficere: in quam rem exiſtimant interpretes, expreſſum eſſe Iul. Paul. reſponſum. [Tamen, inquit Iul. Paul. non pro mora hoc habendum eſt, quam ſemel interueniſſe ſufficit, vt perpetuò debeatur.] *l. Titia Seio. §. vſuras. ff. de leg. ij.* Sed ea verba nihil probare abineunte ætate animaduertimus: ſiquidem ad moram, non etiã ad interpellationem referantur. Nec præterea vera mihi videtur hæc communis ſententia, cùm apud illum ipſum Marcel. in *d. l. mora*, ſcriptum offenderim, non protinus moram factam intelligi, ſi debitori denuntiatum ſit, & omiſſa fuerit debiti repetendi inſtantia. Vmbræ autem ſunt, & ſomnia quæ cõminiſcuntur, & ſubaudiunt Accurſ. Bart. & alij de danda dilatione, vt ita Marcel. velit debitorem primò interpellatum in iudicio comparuiſſe, ſéque necdum ſatisfacere poſſe dixiſſe, cui creditor ideò dilationem dedit: itaque licet in mora debitor fuerit per ſolam interpellationem conſtitutus, quia tamen eidem creditor dilationem dedit, mora omnis cenſeri debet purgata. Hic enim ſenſus neque conſtat, neque literæ Marcelli concinnè adaptari poteſt. Nam præterquàm quòd inſolenter diuinat, cum de dilatione ne minimum quidem verbum in textu, huic ſenſui litera repugnat, idcirco Salyc. aliter Marcelli conſtitutionem exponens intelligit, vt repetitio, de qua illic, & inſtantia locum habeat, vbi prima interpellatio non tenuiſſet, vti facta in congruo loco, & tempore. Nam vbi rectè & legitimè facta eſt, ſufficit vna (inquit ille) pura & ſimplex interpellatio. Qui intellectus etiam diuinat, neque literæ conuenit. Mihi proinde ſemper viſum eſt ex eo textu, ſolam interpelllationem extra iudicium factam non ſufficere, vt quis in mora conſtituatur, niſi ex eo caſu quo aduerſarius interpellatus, ſui copiam amplius non facit. vt etenim ei denuntiatum legitimè intelligatur, debet inſtare creditor petendo ſemel, atque iterum, hoc eſt, ſæpius: *l. veluti. D. de edendo.* Cùm enim ſemel tantum denuntiauit creditor, & deinde cùm poſſit iterum petere, ceſſat, coniectat lex, eum non perſeuerare in ea voluntate, vt in mora debitorem velit conſtitui. Quare non aliter ſola interpellatione debitor in mora conſtituetur, quàm ſi is admonitus, ſui ampliùs poteſtatem non faciat, ita vt non ſit in creditoris poteſtate ampliùs debitum petere: qui ſenſus clarus & nitidus eſt, tametſi nouus ad *d. l. Mora.* Vnde frequenter apud Iuriſconſultos legimus non aliter interpellati moram argui, quàm cùm ſæpiùs ei denuntiatum eſt, *l. ſi conuenerit. D. de pign. act. l. Æmilius Largianus. D. de mino. l. ſi mandato. Titij. §. ille aut ille. D. mand. l. qui Romæ. §. cohæredes. D. de verborum oblig.* Quod & rationẽ manifeſtam habet: profluunt quippe ex mora innumeri, graues, & præiudiciabiles effectus, quibus omnibus affici ſola denuntiatione interpellatum parum æquum eſſet: quocirca lex voluit vbi de graui tractatur negotio, at præiudicio, non ſemel, ſed inſtanter, & ſæpiùs conteſtationem faciundam eſſe, *l. 1. §. inſpiciendo. D. de vent. inſp. l. 1. D. de lib. dimiſſ. c. 1. de ſuppl. neg. prala.* Sic & alibi Scæuola noluit oblationẽ à debitore creditori factam, aliter in mora creditorem conſtituere, vt impediretur curſus vſurarum, quàm ſi, cùm ſui poteſtatem faceret creditor, non ceſſaret pecuniam debitor offerre, *l. qui Romæ. Seia. alleg.* qui tex. ita legi debet, vt nouiſſimè Haloãdri codex indicat: tametſi Alciatus libro diſpunct. 1. c. 13. & ſi antè ceſſaſſet, legendum doceat. Verumenimuerò ex prædictis non tam rigidè doceo omnibus caſibus non vnã interpellationem ſufficere, vt mora fiat, fieri ſiquidem poteſt aliquando, vt vnam ſufficere iudici æquum videatur, ſed id habita ratione loci, tẽporis, & perſonarum, iudex examinabit, ad quem ſpectat ſcire, & prudenter iudicare, quando mora facta intelligatur, *d. l. Mora.* Porrò cùm aduerſus doctores oſtenſum ſit, vnam interpellationem non ſufficere, vt mora ex perſona fiat, vt dicamus conſequens eſt, falſam eſſe communem aliam eorundem ſententiam, qua pluribus in locis prædicant moræ purgationẽ impediri, vbi interpellatio geminata eſt. Id ex Afric. conſtitutione probãtes. *l. Traiectitia. §. de illo. D. de oblig. & actionibus.* in quam etiam opinionem conceſſit conſulendo Roma. cõſi. cccliij. col. 2. ſubiiciens rectè intuenti hoc expreſſim Vlpianũ docuiſſe in *l. ſi inſulam. D. de verb. oblig.* cùm tradit moram duplicatam per lapſum videlicet diei, & conteſtationẽ litis, purgationis excludere facultatem. Cæterùm ſi hoc verum eſſet nunquam purgationi moræ locus fieret, quando, vt probauimus, non vna ſufficiat interpellatio, ſed geminata, imò pluries facta ſit neceſſaria, vt debitor moroſus fiat. Nec quicquam nos mouerit *§. de illo.* in quo non de duplici interpellatione agitur, quicquid Ang. Roma. & ſequaces fabulentur, *in d. l. ſi inſulam. & l. & ſi poſt tres. D. ſi quis caut.* & tametſi duplex interueniſſet, non fuit hoc in cauſa quare impediretur moræ purgatio. Denique non loquitur illic African. de duplici interpellatione vniformi, ſed difformi: altera quippe per diei lapſum, altera per hominis denuntiationem fiebat, quod etiam eſt Vlpiani thema in *d. l. ſi inſulam.* Qua in re ego aliâs non omnino me à communi ſeparans dicebam, duplicem interpellationem difformem ſeu diuerſæ ſpeciei, moræ purgationem impediret quòd ſi eiuſdem ſpeciei ſit, quia vtraque hominis, extraiudicialis, ſecus arg. *l. ſancimus. C. de fideiu. & §. item mixta. de actio. in Inſtit.* Vide Corraſium in Miſcell. Obſeruat.

Ad titul. de probationibus ad l. cùm de ætate.

Malè Accurſius, & qui eum ſequuti ſunt, profeſſionem depoſitionem teſtium interpretantur ignorantia Latinitatis lapſi: & hîc & in *l. etiã. & l. vlt. hoc tit.* Profiteri enim eſt, publicè & apud acta aliquid vltrò denuntiare, quod vulgò Inſinuare vocant. Fiebat autem profeſſio addito die & cõſule, propterea profeſſione ætas facilè probari poterat, vt in *l. 1. C. ſi minor ſe maiorẽ dixerit*, quod mirũ eſt, Accurſio hoc in loco excidiſſe. Eadẽ Latinitatis ignorãtia lapſus eſt in l. ſequẽti, vbi hæc verba [morem ei geri] pro, Morem iudiciorum ſeruari interpretatur, quo modo etiam interpretatus eſt in *l. Quod ſi poſſeſſor.*

de

de rei vendicatione. palmarium ſibi eſſe ratus hoc verbũ enarrauiſſe, quod Placentinus ſe non intellexiſſe faſſus eſt.

Ad l. produci. D. de teſtibus.

Hunc locum huius legis [Produci teſtis non poteſt,] qui ante in eum reum teſtimonium dixit, quatuor modis interpretari conatus eſt Accurſius, & nullo modo conuenit huic loco illius interpretatio: primus ſenſus Accurſij eſt, eum teſtem qui iam in reum teſtimonium dixerit, nõ poſſe à reo contra accuſatorem produci, quia eo præſumatur corruptus & redemptus. Atqui tunc eo magis hunc produci debere, ea propter dicendum eſt, quo non tantùm poſterior hæc, ſed & prior illa eiuſdem teſtatio hoc eleuetur, & repugnantia ſibi loquutus deprehendatur. argumẽto *l. qui falsò. & l. 2. D. de teſtibus*. Secundò produci non poſſe teſtem interpretatur, qui ante in illum accuſatum teſtimonium dixiſſet: hoc eſt, inquit malum, quòd qui ſemel malus fuerit, perpetuò idem futurus præſumatur. Verùm huic repugnat apertè huius dictionis rei ſignificatio, & eum ſenſum illi loco minimè cõuenire apertè indicat. Tertiò cõminiſcitur Accurſiu. poſt reſignata teſtimonia nõ poſſe iterum teſtem produci. *Authent. at qui ſemel. C. de probationibus*. At tũ id non ea ratione fit, quia iam is teſtificatus in reum fuerit, ſed quia parti dicere licuerat, quid teſtatione ſua ſit cõplexus, cuius rei mentionem illic fieri oportuiſſet.

Quarta interpretatio Accurſij non minùs eſt improbanda, quàm ſuperiores. eſt autem eiuſmodi non poſſe eundẽ teſtem bis coram eodem iudice produci, aut etiam ante teſtimoniorũ reſignationem. dicit autem id Accurſius argumento *l. vlt. C. de teſtibus*. Verùm non id in ea diſquiritur, an iterum poſſit produci, ſed an depoſitioni coram arbitro factæ, cùm poſtea ad iudicem vẽtum eſt, litigator ſtare cogatur, an verò de integro ſit ea omnino repetenda. Itaque nullum inde argumentum duci poteſt, quo probetur productum ſemel teſtem non poſſe coram eodem iudice ante reſignata teſtimonia rurſus produci, ſi ita expedire viſum fuerit, cùm maximè non adimatur licentia parti in quam producuntur, ex ipſis depoſitionibus eos coarguere, *l. ſi quis teſtibus. C. de teſtibus*. Nonnulli recentiores non minùs abſurde interpretantur. ſentiunt enim voluiſſe Iuriſcõſultum non poſſe eum teſtem produci, qui ante aduerſus eũdem litigatorem alicuius criminis reum poſtulatum teſtimonium tulerit, quia qui in reum accuſatum ſemel teſtimonium dixit, eo inimicus eius eſſe præſumatur. Itaque idoneus teſtis non ſit. Videnda Budæi emendatio, & eius interpretatio ad hunc locum.

Ad l. in contraria. de vſuris.

Malè Accurſius putauit hic impropriè poni abſoluere, eo loco huius legis: Si mutuatus ſum pecuniã, vt creditorem tuũ abſoluam. Non enim improprie hic ponitur Abſoluere, vt perperam credidit Accurſius. In eadem enim ſignificatione hoc verbo vſi ſunt claſſici authores linguæ Latinæ, inter quos non inferiorem locum tenet Terentius qui in Adelphis Actu 2. Scena 4. ſic ait: [Ego ad forum ibo, vt hunc abſoluam] id eſt, reddito pretio dimittam. Nam veluti ligati ſunt, quibus debetur aliquid, inquit Donatus. Idem Terentius paulò pòſt,

Obſecro hercle hominem iſtum impuriſſimum
Quamprimùm abſoluitote, ne ſi magis iratus fiet,
Aliqua ad pàtrem hoc permanet.

Ad l. nihil. de nautico fœnore.

Peſſimè Accurſius non ſat intellecta illa lege, dictionẽ centeſimæ in Pauli reſponſo alieno loco tranſpoſuit aduerſus veterum Codicũ fidem: quod vt intelligatur, lex eſt proponenda: [Quod in ſingulos (inquit Paulus) dies in ſtipulatum deductum eſt, ad finem centeſimæ, non vltra duplum debetur.] Nã Vlpianus in *l. ſi non ſortem. de condictione indebiti*. eandem ſententiam refert. [Supra duplum, inquit, vſuræ & vſurarum, vſuræ nec in ſtipulatum deduci, nec exigi poſſunt, quemadmodum futurarum vſurarum vſuræ.] Hic igitur textus inuerſus eſt ab Accurſio & aliis qui centeſimam vſuram ſortem æquare credebant.

Ad tit. de teſtibus. ad l. inuiti.

Peſſimè Accurſius aliquid ſubaudit in illa lege: quod vt intelligatur lex ipſa eſt proponenda: [Inuiti, inquit Vlpianus, teſtimonium non dicunt publicum.] Item [is qui exercitui præbenda conduxerit.] Accurſius male Præbendam legit, & ſubaudit annonam. Nam ſolebant antiqui neutro genere ea dictione loquendíque modo, vti Plautus in Perſa, [Præbenda ædiles locauère.] & eadem phraſi vſus eſt Gellius lib. 15. cap. 4. qui de Ventidio tradit, cùm adoleuiſſet ſibi victum ægrè quæſiſſe, eúmque ſordidè inueniſſe comparandis mulis & vehiculis magiſtratibus, qui ſortiti prouincias forent, præbenda publicè conduxiſſe. Sic videmus optimos Latinæ linguæ authores ea loquendi formula vſos fuiſſe: ideóque malè ab Accurſio mutatum fuiſſe id loquendi genus.

Circa finem huius legis Accurſius locum implicitum ſuâ interpretatione implicatiorem reddit.

Ad eundem tit.

A quibuſdam interpretibus vulgò malè receptum eſt; fratrem à teſtimonio non repelli, hácque ratione nituntur, quòd ab Vlpiano *l. 1. ff. de teſtibus*, dicatur teſtes idoneos eſſe omnes, quibus lege nõ interdicitur teſtimonium, & nulla lege prohiberi videatur, fratrem à teſtimonio repelli. quæ ſententia omnino falſa eſt. nam *l. teſtes. D. de teſtibus. & l. etiam. C. eodem*. Improbatur omne domeſticum teſtimonium: & domeſticus teſtis non is tantùm dicitur, qui in eadem domo habitat, ſed & qui eiuſdem familiæ, gentis & agnationis eſt. *l. reſpiciendum. § furta. D. de pœnis. l. item eorum. D. Quod cuiuſque vniuerſitatis nomine*.

L. 22. D. de teſtibus, peſſimè & ineptiſſimè explicant interpretes. nam quid teſtari ſit, quique dicantur ſignatores; minimè omnium intellexerunt. hæc ſunt verba legis, [Curent magiſtratus cuiuſque loci teſtari volentibus, & ſe ipſos, & alios teſtes vel ſignatores præbere, quo faciliùs negotia explicentur, & probatio rei ſalua ſit.] Notandum hîc Teſtari non modò pro teſtamentum condere accipi, ſed de quocunque negotio tabulas quæ ad probationem valeant conficere. Huiuſmodi autem teſtationes olim non à perſonis aliquibus publicis, ſed à priuatis hominibus ſignabuntur.

Reijciẽda eſt omnino Budęi lectio & interpretatio, *l. 23. D. de teſtibus*, vtpote cui refragentur omnes vetuſti Codices: & ratio iuris id non permittat. ſic enim legit: Produci teſtis non poteſt in reum, qui antè in eum teſtimonium dixit. non enim ideo quis à teſtimonio aduerſus alium dicẽdo repellitur, quòd in eundem antè dixerit teſtimonium. Itaque ne quid immutetur, reum hic oportet interpretári poſtulatum alicuius criminis, vnde reatus dicitur *l. ſi quis diutino. D. de pœnis. l. vltima, ad l. Iuliam maieſtatis*. Qui igitur in reum, hoc eſt, accuſatum ſemel teſtimonium dixit, quia eiuſdem inimicus eſſe præſumitur, idoneus teſtis non eſt.

Ad l. 3. § lege, eod. tit.

Malè quidam putant infamiam numero eſſe, qui in vinculis cuſtodiáve publica ſunt: quanuis enim lege Iulia de vi, his qui in vinculis ſunt, cuſtodiáve publica in reum teſtimonium dicere non liceat, vt ex hoc §. manifeſtum eſt, non tamen ante damnationem ſunt infamium numero: nec enim carcer aut vincula ſola irrogant infamiam. *l. 1. C. ex quibus cauſis infamia irrogatur*. ſicut nec ante damnationem bona eorum publicari verum eſt. *l. 2. de bonis damnatorum*, & ſimiliter vt abſolutis non auferantur bona, nec eorum famæ & exiſtimationi vincula quidquam, in quibus fuerunt, nocere arbitror. Non igitur, vt perperam Accurſius exiſtimauit, propter notam vitæ repelluntur à teſtimonio, quia ante damnationem nullo modo notantur. Sed hoc in liberis hominibus tantùm procedit, vt doctiſſimè præceptor meus animaduertit lib. 15. Obſer. capite ſeptimo. Nam ſeruorum qui ob delictum pœnæ cauſa vincti fuiſſent, libertati vincula nocebant ex lege Ælia Sentia, vt nec Latini, nec ciues Romani iure antiquo manu-

miſſione fierēt, ſed deditiorum numero, qui vilis propemodum, abiectus & infamis numerus erat, maximè ſi ſoluerentur tantùm, eis vincula non inciderentur. Plura vide quæ ad hanc rem faciunt apud doctiſſimum pręceptorem meum in ſuis obſeruationibus lib.15.cap.7.

Ad l.ſi arbiter.de teſtibus.

In contextu huius legis eo loco. Poteſt enim memoria non teneri intra annum, putà factũ, cùm interim nemo ſit eorum qui meminerit quibus Conſulibus id viderit, hęc particula nõ expungi debet, & affirmatiuè legendum. Nec verba duo ſubaudiri neceſſe erit, vt Accurſius ineptulè cẽſuit. Nec dubitandum eſt, hanc particulam [non] expungendã eſſe: Pandectarũ enim libris à Iuſtiniano ad Accurſium per multa ignorantiæ ſecula per alios atque alios exemplarium traduces deinceps propagatis (& quod ſuper omia eſt) manibus Latinè neſcientium, nihil magnopere mirandum multas mendorũ labes inoleuiſſe. Simile erratum in *l.penult.* ꝟ. *titulo proximo*, his verbis, [Si res geſta ſine literarum quoque conſignatione veritate factum ſuum præbeat] vbi pro Præbeat, Probet legendum eſſe: mirum eſt Accurſium non vidiſſe.

Ad l.teſtium.§.1.de teſtibus.

Hoc in loco Accurſius ignorantia Latinitatis fœdè hallucinatus eſt. Sic enim ipſe legit, An ad ea quæ interrogaueris extempore, veriſimilia reſpõderint, cùm certo certius ſit poſt verbum Interrogaueris ſubdiſtinguendum eſſe, & inde inferendum vno ſpiritu, Extempore veriſimilia reſponderint. Accurſius enim de tempore ſuper quo interrogãtur teſtes intellexit, cùm ſit ſenſus prorſus alius. Extempore enim à Iuriſconſulto aduerbialiter poſitũ eſt pro in præſentia & illicò, & impræmeditatè, quod à Græcis per imitationem. Latini acceperunt, qui ἐκ χαροῦ dicunt, & ἐπὶ χαροῦ, Æſtimare igitur debet Iudex, an verum & eundem ſermonem teſtes & domi præmeditatum attulerint, an ad ea quę nec opinatò interrogati ſunt ex tempore, id eſt, derepentè veriſimilia reſponderint, quod indicium eſt puri ac ſinceri teſtimonij.

Ad l.cùm de ætate.de probationibus.

Malè Accurſius eo loco huius legis [Et durum & iniquum eſt, cùm de ſtatu ætatis alicuius quæritur, & diuerſæ profeſſiones proferũtur, ei potiſſimùm ſtare quæ noceat] profeſſionem depoſitionem teſtium interpretantur, ignorantia Latinitatis lapſus, & hìc & in *l.etiam.& l.vlt.* ꝟ. *hoc tit.* Profiteri autẽ eſt publicè & apud acta aliquid vltrò denuntiare, quod vulgò Inſinuare vocant. Vlpianus in *l.2.de Cenſibus* vitia priorũ cẽſuum editis nouis profeſſionibus euaneſcunt.

Ad tit.de teſtibus.

In l.teſtium.hoc tit. circa principium: [An ad ea quę interrogaueris extempore veriſimilia reſponderit, hoc verbũ extempore, quod ſignificat confeſtim & in præſentia Accurſius non intellexit.

NOTAE AD GLOSSAS IN LIB. VIGESIMVMTERtium Pandectarum Iuris ciuilis.

Ad tit.de ſponſalibus.

MAlè Accurſius in *l.quæſitum, de ſponſalibus.* nuptias collatas interpretatur celebratas. interpretari enim debuit collatas, in tempus præmaturum reiectas, vt diſtinguamus ſi re ipſa celebratæ ſint valere in vim ſponſalium, ſi nõ in præſens celebratæ, ſed reiectæ in tempus præmaturum, tunc nec in vim quidem ſponſalium valeant, ſed prorſus ſint nullius effectus: quod ſi ſic intelligatur, nulla erit differẽtia inter ius ciuile & Pontificium. Nam cùm impuberes duo verbis præſentibus nuptias contraxiſſent, quæſitum eſt an nihil omnino actum eſſet. & crediderunt Doctores iure ciuili nihil actum eſſe, iure verò Pontificum aliud eſſe, *capit.1.de deſponſ.impuber.lib.6.* quod malè colligunt Doctores.

Ad tit.de ritu nuptiarum.

Accurſius nec quiſquam alius Doctorum *l.libertinus. de ritu nuptiarum.* interpretatus eſt, fortè quòd eam non intellexerint, nec ſcirent quænam eſſet cauſa dubitãdi huius legis. Meritò certè poterat dubitari, an libertinus poſſet matrimonio iungi cum matre aut ſorore, tanquam illa cognatio quæ ante manumiſſionem fuit, non attẽderetur, ſed nouus homo etiam hoc reſpectu cenſeretur. & meritò negat id Iuriſconſultus, quia cenſetur tantùm nouus homo, quantum ad ea pertinet, quæ iure ciuili inducta ſunt, *l.eos.de capite minutis*, non autem reſpectu matrimonij, quod à moribus gentium, iuréque naturæ plurimum pendet. & notandum in fine huius legis, *quod dicitur moribus*, introducũ eſſe, moribus ad naturalem rationẽ iúſque gentium hoc loco referri licèt non ignorem plerumque ad ius ciuile referri, quod poſt legem xij. Tabularum prudentium conſuetudine introductum eſt, vnde pupillaris ſubſtitutio moribus inducta dicitur, *l.2.§.his legibus. de origine iuris.l.11.de vulgari ſubſtitutione.l.more. D.de adquirenda hæreditate.* quæ omnia de ſupradicta conſuetudine accipienda ſunt, non vt Accurſius malè quandoque credidit de moribus Lacedæmoniorum. non enim Spartanorum conſuetudines ad ius noſtrum pertinent.

Ad l.68.eod.tit.

Quoddam reſponſum huius legis nõ eſt aſſequutus Accurſius. Ita enim illud interpretatur, vt ſi tutor vel curator pupillæ ſuæ maritum adoptauerit, nõ infirmetur matrimonium, ſed adoptio differatur vſque dum redditæ fuerint rationes: vtitúrque Accurſius argumento legis vltimæ, C.de nuptiis, vbi Iuſtinianus vult legitimum manere eius matrimonium, qui iunctus libertinę poſtea Senator factus eſt. Et dicit bonus Accurſius nihil iis eſſe falſius, qui tradunt per ſubſequentem adoptionem diſſoluendum eſſe coniugium. At ego nihil Accurſio puto eſſe mendacius, & quod magis repugnet Triphonini reſponſo, quàm quod hìc dicit, in quo reſponſo cùm quæreret an perimerentur nuptiæ, addit vt in genero adoptiuo dictum eſt. contra Caius rectè ait, per adoptionem quęſitam fraternitatem, eò vſque impedire nuptias, quouſque manet adoptio: & in eo quod vrget Accurſius de lege illa vltima, duobus modis repelli poteſt: aut quod in alia ſpecie loquitur, cùm ſoli libertinę maritus aut pater ſit ſenator, cuius non tanta eſt ratio prohibitionis, aut quòd hoc nouum à Iuſtiniano conſtitutum eſt cum Vlpiano & antiquis Iuriſconſultis aliter fuiſſet viſum.

Ad eundem tit.

Non intellexit Accurſius in lege ſecunda, hoc titulo, qualis eſſet diuini Iuris communicatio quam Modeſtinus viro & vxori hic attribuit: id enim non potuit Accurſius diuinare: quod illi ſæpe vſuuenit, cum quid ex antiquitate petendum eſt, cuius ipſe quia nullam cognitionem haberet, omnia ex ſui temporis inſtitutis, & moribus interpretatur: vt hic virum & vxorem ait, diuini iuris debere eſſe participes, hoc eſt, inquit ille, eiuſdem religionis, vt Iudæa Iudæo nubat, Chriſtiana Chriſtiano, quaſi verò Modeſtinus & Iuriſconſulti veteres hac de re cogitarint vnquam, vt autem intelligamus quid hoc loco ſibi velit Modeſtinus notandum Romanis fuiſſe ſua ſacra priuata, quæ iis ſolennibus & cæremoniis colebant, quæ à Gentilibus ipſorum eſſent traditæ: alia erant ſacra domeſtica, & familiaria, quæ ſibi quiſque conſtituebat, & omnium iſtorum ſacrorum, ſepulchrorúmque particeps e-

rat

rat vxor quandiu matrimonium conſtat: tandiu enim, & in gente & in familia viri numeratur.

Ad l. tali ſtipulatione. § ſocer. de iure dotium.

Malè Accurſius eo loco huius legis. Hanc pecuniam generum petere debere, & exactam acceptam legatis referri: Referri, aſſimilari interpretatur hoc ſenſu, quia vt de cæteris legatis, inquit, ille trahitur Falcidia ita, & de iſta, ego Accurſium exiſtimo longè ab huius verbi intellectu abfuiſſe referréque legendum eſſe, non referri: & hoc pendere ab antiquo Romanorum more, quo vnuſquiſque domeſticam rationem ſibi totius vitæ ſuæ per dies ſingulos ſcriberet, in qua appareret, quid quiſque de reditibus ſuis, quid de arte fœnore lucróve ſe poſuiſſet, quóue die, & quid item ſumptus feciſſet. Vt autem ad rem veniamus, qui filiæ nomine ſocer centum legauit, ſi ea acceperit, accepta referre debet legatis, id eſt, in legatorum cauſam imputare, tametſi doti acceſſerint.

Ad tit. de iure dotium l. cum poſt. 76. §. gener.

Malè diſſoluunt interpretes Antinomiam, quam putant eſſe inter hunc §. & *l. 1. C. de dotis promiſſione libro 5.* Nam vulgus interpretum exiſtimat reſcriptum Alexandri de pacto, reſponſum Papiniani de ſtipulatione accipiendum, quod falſum eſſe vel ex eo apparet, quia promiſſionis verbum inſtrumento ad ſcriptum ad ſtipulationem, non ad pactum refertur. *§. ſi ſcriptum. inſtitutionibus de inutilibus ſtipulationibus.* atque ita accipiendum eſſe in eo reſcripto ſatis arguit ipſa inſcriptio de dotis promiſſione & nuda pollicitatione. Quod autem de ſpecialium concurſu comminiſcuntur, adeo ineptum nugatoriúque eſt, vt propemodum id recitare me pudeat. Diſſolutionem huius Antinomiæ, vide apud Duarenum diſputationum Anniuerſariarum *lib. 1. cap. 56.* quam huc adſcribere nolui breuitatis cauſa.

Ad l. tali ſtipulatione. §. ſocer. eadem de iure dotium.

Illo loco huius §. Hanc pecuniam generum petere debere, & exactam acceptam legatis referri, malè Accurſius referri aſſimilari interpretatur. quia, inquit ille, vt de cæteris legatis detrahitur Falcidia. ita & de iſta. Ego Accurſium exiſtimo longè ab huius verbi intellectu abfuiſſe, referréque actiuè legendum eſſe non referri: & hoc pendet ex more qui fuit vſitatus antiquis Romanis, vt vnuſquiſque domeſticam rationem ſibi totius vitæ ſuæ per dies ſingulos ſcriberet in quo appareret quid quiſque de reditibus ſuis, quid de acto, fœnore lucróve ſe poſuiſſet.

NOTAE AD GLOSSAS IN LIBRUM VICESIMUMQUARTUM PANDECTARUM IURIS CIUILIS.

Ad tit. de donationibus inter virum & vxorem. l. penult.

ILlum locum huius legis in quo aquæ & ignis mentio fit, Accurſius malè intellexit de face nuptiali. Tæda enim nuptialis erat, quæ nouæ nuptæ præferebatur, & ſeruus qui eam præferebat δᾳδοῦχος Græcè dicebatur, & huius rei fit mentio apud Apuleium in Aſino aureo his verbis, Tædáſq; nuptiales quibus præluxerant ibidem extinctas relinquunt.

Ad tit. de donationibus inter virum & vxorem.

Donationem coniugalem, nulla etiam ſequuta traditione, morte ſilentióque donatoris confirmari, perſpicuè aduerſus omnes probatum.
Donatio coniugalis cur prohibita.
Donatio beneuolentiæ ſignum viliſſimum.
Oratio de confirmandis donationibus.
Traditio neceſſaria, ad confirmationem donationis coniugalis.
Noua opinio.
Explicata nouè l. Papinianus.

Moribus apud nos receptum, Vlp. refert, ne inter virum & vxorem donationes valerent: vt ne mutuo amore & tam honeſto, ſe inuicem ſpoliarent, donationibus non temperantes, ſed profuſa erga ſe facilitate abutentes. *l. 1. ff. de don. int. vir. & vxo.* Et paulò poſt in *l. 3. idem iuriſconſ.* hanc rationē Antonij Auguſti imperatoris oratione electam ſcribit, apud quem ita legitur, maiores noſtri, inquit, inter virum & vxorem donationes prohibuerunt: amorem honeſtum, ſolis animis æſtimantes, famæ etiam coniunctorum conſulentes, ne concordia precio conciliari videretur, néve melior, in paupertatem incideret, & deterior ditior fieret. Viliſſimum certæ beneuolentiæ ſignum, inquit Plutarch. in Problemat. donatio eſt: dant enim & alieni, & qui non amant. Idcirco hoc dandi lenocinium veteres ex matrimonio ſuſtulerunt, vt non mercenarium, ſed gratuitum, & ſpontaneum ſit, hoc totum amare, & redamari. Nam & abſurdū viſum eſt, aliquid inter virum & vxorem fuiſſe, quod eſſet commune. Extat tamen oratio Antonini Imp. de confirmandis donationibus. *l. cum hic ſtatus in prin. ff. de donat. inter vir. & vxor.* qua patrias donationes & coniugales ratas fieri, per mortem ſilentiúmque donatoris, ſi tamen vſque ad quantitatem præſcriptam à *l. ſancimus. C. de donat.* factæ fuiſſent, vel eam excedentes, in actis fuiſſent inſinuatæ. *l. donationes. C. de don. int. vir. & vxor.* Idque contra legem Solonis, vt eſt in Problem. Plutarch. quis vt eas donationes, quas coactus qui feciſſet, ratas eſſe, poſt mortem etiam donatoris noluit. Ita nec quas in vxorem contuliſſet, ab ea, vt veriſimile eſt, perſuaſus, neceſſitatem enim, quaſi vim afferentem, iure optimo excepit, voluptatem vero, quaſi decipientem. Sic indicans virorum, ac vxorum donationes, ſuſpicione non carere. Illud tamen iuris interpretes cenſuerunt, liberalitates huiuſmodi coniugales, non aliter ex oratione illa Antonini confirmari, quam ſi ad rei donatæ traditionē proceſſum eſſet. *l. Papinianus. D. de don. int. vir. & vxor.* Fictam tamen ſufficere voluerunt, veluti, cùm rem donatam ſe recepiſſe donatarius confitebatur. *l. quod de ſuo. C. de not. cau. non numer.* fingit quippe lex, & non iniuria interpretatur, donatarium rem habere, quam apud ſe eſſe, ſponte fatetur. & agnoſcit. *l. 3. § ſecundū. D. de do. int. vir. & vx.* Ego verò, cum nullibi legerim in iure rei donatæ traditionem, ad donationis (quæ à viro in vxorem, aut è diuerſo ab vxore in virum, profecta eſt) confirmationem neceſſariam, ſed potius contrariam, quæ ex doctoribus retulimus, tota commenticia eſſe puto. Clamitant etenim vbique iura, donationes inter virum & vxorem valere, ſi vſque ad mortem durauerit voluntas. *d. l. cum hic ſtatus. § 1. & § ſi ſponſus. & d. l. donationes.* quæ iura, totam vim faciunt in ſilentio, & perſeuerantia voluntatis, nec quoquomodo traditionem conſiderant. veriſimile autem nemini alicuius iudicij fiet, tantam ſolennitatem ad coniugalis donationes effectum, & confirmationem, ſi lex exiſtimaſſet neceſſarim, vbique præteritam, idque omnium apertiſſimè *d. l. quod de ſuo.* probat, quam doctorum interpretatio acuta ſanè, magis quam vera, tollere nequit. Confundit præterea inexpugnabiliter interpretes. *d. l. cum hic ſtatus, in ſi. prin.* dum illic tradit Vlpianus donationes inter virum & vxorem, confirmari morte, ſilentióque donatoris, [quaſi ſit teſtamento confirmatum, quod donatum eſt.] Atqui nemo neſcit, ad confirmationem legatorum, in teſtamento relictorum, & totius teſtamenti, ſolum teſtatoris obitum deſiderari. *c. cum Martha. § cæterum. extra de celeb. miſſa.* Nec quicquam me mouerit. *l. Papinianus. D. de don. int. vir. & vx.* in qua ex Papiniani ſententia, aliud longè docet Vlpia. quàm doctores putent, morte ſcilicet donatoris, qui in eadem conſtans fuit voluntate, donationes rerum confirmari, non etiam ſtipulatione ſolenni factas promiſſiones, veluti, ſi ſtipulanti vxori ſuæ, nonnihil maritus ſpopondiſſet. hic enim donatio non eſt, ſed promiſſio. Confirmat autem Diuus Seuerus donationes, quæ de præſenti fiunt, licet non tradatur res do-

nata,non etiam promiſſiones , quæ in futurum concipiuntur. *l.5.§ ſtipulatio.ff.de verb.obl.* ea vt opinor ratione , quod facilius obligemur,quàm alicui donemus,*l.ſed ſi ergo. in fin. D. ad Velleia.* idque factum video ſi in promiſſione vertatur donatio,quia,annuum dari promiſſum ſit , ex oratione , donationem conualeſcere.*l.ſi ſtipulata.& l.ſi id quod.§. illud. D.de don. inter vir.& vxo.* Hic appello doctos , & emunctæ naris viros, quos adſtipulaturos mihi nihil dubito.De ſciolis non ſum admodum ſollicitus, qui quàm ſint craſſis auribus , nullóque iudicio, iamdudùm expertus ſum. Quid enim commercij,quod dici ſolet,aſino cum lyra?

Hæc, amice lector, ex doctiſſimis obſeruationibus Ioannis Corraſij deſumpſi.

Ad l.1.ſoluto matrimonio.

Malè Accurſius,dum Vlpianus in *l. 1.ſoluto matrimonio.* dixiſſet donatas eſſe fœminas ad ſobolem procreandam replendámque liberis ciuitatem maximè eſſe neceſſarium ſubiicit, haudquaquam neceſſario id conſequi, cum citra matrimonium poſſit filiis repleri ciuitas , cum de his nullo modo intellexerit Iuriſconſultus,quos lex pro filiis non habet, quóſq; ceu vulgo conceptos non tenetur pater agnoſcere. Nam filij illi tantum veri exiſtimati ab antiquis, qui ex matrimonio cõcepti ſunt.

Ad l. Diuortio. §. ob donationes.D.ſoluto matrimonio.

Malè Accurſium locum irriguum pro aquoſo explicuit,nam palluſtris locus non eſt irriguus.

Ad tit.ſoluto matrimonio. l. 7. §. ob donationes.eius tituli.

Malè vulgò accipitur hic §. ab interpretibus , vulgo enim creditur , ita hunc locum accipiendum eſſe , cum hinc inde quantitas & pecunia debetur , quia fortè fructus conſumpti ſunt, ac etiam res amotæ , quarum petitur æſtimatio. Aiunt enim ita demum compenſationi locum eſſe , ſi quantitas non ſpecies aut corpus aliquod petatur. *l.ſi conuenerit. D. de pignoratitia actione.* Sed quantopere verbis Vlpiani repugnet hæc interpretatio nemo non videt. Nam nec verum illud eſt,quod apud ipſos velut axioma certiſſimum habetur , ſpeciei cum quantitate compenſationem non admitti, quod facile probari poteſt, vel ipſo Iuſtiniano teſte §.in bonę fidei. Inſtitutionibus de actionibus , his verbis : Si quid actorem inuicem præſtare oporteat,eo compenſato, eum cum quo agitur, in reliquum condemnari oportet. Qui profectò locus non videtur, ita poſſe accipi , vt nunquam locum habeat, niſi quantitas vltro citróque petita fuerit , addere potes , ad huius rei probationem eſſe Iuſtiniani conſtitutionem, quæ compenſationem admitti vult in omnibus,tam in rem quàm in perſonam actionibus.*l.vlt..C.de compenſationibus.*

Ad eandem l.§.interdum.

Malè dubitatum eſt apud Accurſianos & reliquos Doctores Scholaſticos , cùm hoc iure fundus dotalis non ſtatim redderetur vxori ,ſed annua bima trima die , quorſum exigatur à muliere cautio. Si enim id verum eſt , vt ipſi contendunt marito , donec collecti fuerint fructus fundum retinere liceat. Sed falſum id eſt, verbiſque conſtitutionis Iuſtiniani , qua ius antiquum emendatur contrarium,*§.exactio. C. de rei vxoriæ actione.* Nam veteri iure eis exceptis , quæ conſtabant pondere,numero , & menſura res dotales ſtatim reddebantur. *l. cum in fundo.§.ſi fundus. de iure dotium.* Quod & Vlpianus apertè exprimit,in libro Regularum tit. de dote. Malè item vulgares Doctores compenſationem hic locum non habere putant. Ad quam ſententiam confirmandam leges ad rem nihil pertinentes ridiculè citant. *l.mater.l.ſi mancipium. C.de rei vindicatione.l.inciuile.C.de furtis.*Ergo non dubito,quin compenſatio in huiuſmodi caſib.recipi debeat.*l.ſumptus. l.in fundo. de rei vindicatione.*

Ad l.diuortio.D.ſoluto matrimonio.

Verba huius legis , ſic vulgo interpretantur Accurſius, Bartolus & Iaſon, & cæteri plerique recentiores , inter quos Zazius , vt confundantur fructus omnes vindemiæ cum quarta parte mercedis & tertiam partem eius pecuniæ confuſæ , atque commiſſæ maritus retineat, veluti ſi ponamus duodecim aureorum eſſe fructus vindemiæ , totidem aureorum eſſe mercedem locationis : quia quarta eius mercedis portio cum fructibus coniuncta , & confuſa quindecim efficit maritus 8. aureos ex ea ſumma capiet. Sed nemo non videt iniuſtam & iniquam eſſe hanc computationem: quia cùm quarta tantum parte anni ſtetiſſe proponatur matrimonium , quarta reditus annui parte contentus eſſe debet maritus.: & quamuis rationibus in ſpeciem propabilibus accuſari ſoleat , hæc iniquitas leues tamen admodum ſunt , ſi quis eas propiùs inſpexerit , & ſunt quaſi pictæ(vt aiunt)in parietibus nebulæ.

Ad l.2. & l. Diuortio.ff.ſoluto matrimonio.

Res mobilis in dotem data cur exactio non confeſtim fiat ſicut immobilis. Et nonnulla de illis verbis, annua, bima, trima die contra Accurſium.

Dotis exactio quando fiat.

Noua ratio contra Doctores.

Alienari res mobilis in dotem data poteſt.

Reſtitutio mobilium quandoque ſtatim facienda.

Dilationem legalem,interdum iudicatus non habet.

Annua,bima,trima die.

Ferendus non eſt Acc.qui in l.2.in prin. & in l. diuortio.§. interdum.ff.ſol.mat. grauiter lapſus,docet immobiles res dotales nedum mobiles,olim debuiſſe diſſolutis nuptiis,non illico,ſed annua.bima,trima die reſtitui. Hoc enim falſum eſſe reuincit Triphonij reſponſum.l.cum in fundo. §. ſi fundus.ff. de iur.do.& Iuſtin.conſtitutio. l. vnica. §. exactio, ibi,]quod cõmune fuerat vtriuſque exactionis.]C.de rei vxo.acti. Quib legibus docemur , quod pertinet ad immobilia idem Pandectarum iure quod Iuſtinianeo cõſtitutum , vt ſcilicet præſenti die , & ilico fieret eorum reſtitutio , variatúmque duntaxat in exactione mobilium,quam lex digeſtorum, annua, bima, trima die fieri voluit,vbi res,de re,pondere,numero, menſuràve conſtarent. d.l. vni.§.cæterum autem. cæterum verò rerum mobilium,ſe mouentium,& incorporalium,ilico. Quarum tamen omnium reſtitutionem , lex Codicis intra annum celebrari voluit,d.§. exactio , in ſolis rebus immobilibus authoritatem iuris antiqui ſequuta : cuius rei differentiæ rationem , intelligerere tam obſcurum Bart.&alij arbitrati ſunt,vt nihil aliud dici poſſe conſtanter adfirment, quàm quòd ita principi placuit: nec enim omnium,quæ à maiorib. conſtituta ſunt rationem, reddi poſſe, Iulianus ſcribit.l.non omnium.ff.de legi. Ego verò rationem quandoque claram attuli,illud conſiderans , fundum dotalem,hoc eſt,rem immobilem in dotem datam, conſtante matrimonio prohibitũ alienari.l.j.lex Iulia.ff. de fundo dota.§.j. quib.alie. lic.in inſt.mobilium verò rerum dotalium,nullo iure interdictam,ſed potius marito permiſſam,iure imprimis veteri,l.diuortio,§.ſi fundum.ff.ſol.mat.l.ſi ex lapidicinis.ff.de iur.dot.& quia lex Iulia. de rebus ſoli tantum verba faciebat:nempe,de fundo.l.quæſtio,& l.fundi.ff.de ver. ſig.de mobilibus autem nihil loquebatur.Vnde ſtãdũ regulæ, vt maritus,qui earum dominium habebat,l.doce ancillam. C. de rei vend.alienandi quoque ius haberet. l. in re mandata.C. manda.Bart.in l.ſi quis vi.§.differentia.ff.de acq.poſſ. Quod in rebus conſtantibus pondere,numero,vel menſura , dubitationem nullam habet.cùm in hoc dentur marito , vt eas ad arbitrium ſuum diſtrahat, & quandoque ſoluto matrimonio eiuſdem generis , & qualitatis , alias reſtituat.l.res in dotem data. ff.de iur.dot. Sed nec nouiſſima Iuſtiniani lege, rerum mobilium alienationem vetitam puto . tametſi ea quid dotis alienari , aut ſupponi prohibere generaliter videatur.*§.& multo, vt immobilib.ante nupt.don.col.5.*nam eam conſtitutionem , de rebus immobilibus tantum loqui,cum ex præcedentibus ſubſequentibúſque , tum ex Rubricæ verbis perſpicuum fit. Quod & Irnerius ipſe , qui eius contextum Codicis Iuſtiniani *in ſeruit. indicat. Aut.ſiue à me.*ibi,[vt non aliquid immobile.] *C.ad Velles.* Cum itaque (vt è diuerticulo in viam redeamus)

res

res immobiles maritus nec alienare, nec obligare poſſit. *d. l. ex Iulia.* eas ſemper apud maritum reperiri, neque aliter contingere poſſe, lex præuidit. Quare nulla iuſta cauſa moueri potuit, cur non ſtatim earum rerum faciundam reſtitutionem conſtitueret, non idem in mobilibus, quarum, vt probauimus, permiſſa eſt marito alienatio, meritò conceſſit tempus marito, quo eas forte alteri obligatas recuperare, aut quo caſu venditæ eſſent, æſtimationem commodè præſtare, vel, ſi res, pondere, numero, menſurâve conſtantes, in dotem datæ fuerant, tantundem colligere, & ita mulieri ſatisfacere, ipſe, vel eius hæres, commodè poſſet, ne alioqui videretur ad impoſſibile obligari, deluſque legis autoritate, quæ hoc facultatis marito permiſerat. Hinc verum eſſe fateri cogor, quod ex antiquis iuris interpretibus, non pauci docuerunt, vt, ſi maritus mobiles res dotales, dirempto matrimonio, penes ſe haberet, dilatione legis non vteretur, ſed eas confeſtim teneretur reddere: cum tunc ſubſit eadem, quæ in immobilibus ratio, neque cauſa aliqua conſiderari poſſit, cur apud maritum, qui earum dominus ſoluto matrimonio eſſe deſiit, potius remanere, quàm ad mulierem, veram dominam reuerti debeat. Nec diſſimile eſt, quod dicimus quadrimeſtre ad ſoluendum, iudicatis à lege datum. *l. 3. de vſu. res iud.* ceſſare, ſi facilis ſit exſolutio iudicati condemnato. *l. debitoribus. ad princ. ff. de re iud.* veluti, ſi locupletiſſimus fœnerator in modicā ſummam damnatus eſſet. *Pet. in d. l. vnic. §. exactio.* Quoniam autem eo loco Imp. exactionem dotis ante Codicis legem annua, bima, trima, die, celebratam refert, de illorum verborum ſignificatione nonnihil ſcribendum putaui. Sciendum igitur ſolitos veteres fuiſſe in gratiam & commoditatem debitorum, ſolutionem debiti in tempora diuidere, ſed frequentiſſimè in tempus trium annorum. vnde frequens illa locutio in iure noſtro, [Annua, bima, trima die.] Hoc eſt, tempore anni, bienniꝫ, trienniꝫ. nam & in eũdem ſenſum, [anno, biennio, triennio,] iureconſultos dixiſſe conſtat. *l. ſi ita fuerit. §. ſed ſi ita. ff. de ma. teſta.* illis itaque verbis ſignificabant, ſolutionem totius ſummæ, in tres annos, æquis penſionibus diuiſam: vt ſi triginta deberentur, decem primo anno, decem ſecundo anno, & reliqua decem, tertio anno præſtarentur. *l. ſi legatum. D. de annuis leg.* non tamen in principio anni, ſed in fine. *l. ſi cui legetur. §. 1. D. de leg.* 1. licet in præſtatione annua ſimpliciter, aliud dicendum. *l. 1. C. quan. dies legat. ced.* In obligatione nánque annua, tempus in creditoris gratiam adiicitur, vt in ſingulos annos expreſſa ſumma, ei præſtetur, meritò ad eiuſdem vtilitatem, principio anni fiet exactio: vno fauore, alium ad ſe trahente. *Bal. in l. cum quidam. D. de lib. & poſth.* Tempus verò adiectum his verbis, [Annua, bima, trima die,] in gratiam debitoris adiicitur: vt vnius ſummæ exſolutio commoditatis eius cauſa, in tres annos diuidatur. *l. ſi neceſſarias. §. ſi annua. D. de pig. actio. l. ſed Celſus. §. 1. D. de contrahen. emp. talis ſcriptura. in prin. D. de leg.* 1. meritò finis anni expectabitur. *l. qui hoc anno. vbi poſui. D. de verb. obl.* vt ita, quemadmodum diximus, vnus fauor, alium ad ſe trahat. *l. cum quæ. D. de annu. lega.* Hæc ex Coraſio collegi.

Ad l. diuortio. D. ſoluto matrimonio.

Communem interpretationem, ad l. diuortio, ab omni æquitate abeſſe: Alciatique ſenſu confutato, verus hic adſcribitur.
Expoſita clarè litera l. diuortio.
Communis ſenſus improbatus.
Maritus rem dotalem locando, an diligens dicatur.
Oculus domini paſcit equum.
Alciati declaratio animaduerſa.
Papinianus iuris ciuilis apex.

Nupſit Seia Kalendis Octobribus Titio: cui fundum maturis fructibus plenum, nempe, vineam, vuis pendentē, in dotem dedit: maritus eodem menſe vindemiam collegit, deinde Kalend. Nouembribus vineam hanc, quam excolere noluit ipſe, Sempronio locauit pretio aureorum xij. in annos ſingulos. Factum poſtea vltima die Ianuar. diuortium, & ita conſtitit matrimonium quatuor menſibus. Hic quæritur, quo pacto fructus illorum menſium diuidi debeant, hoc eſt, an ex die locationis, an verò ex die contracti matrimoniꝫ, vt totius præcedentis temporis ratio habeatur, inter maritum & vxorem ſint diuidendi? Et reſpondet hic Papin. non ex die locationis, ſed habita ratione præcedẽtis, temporis, quo mulier in matrimonio fuit, fructuum diuiſionem ineundam. vt ſic pro quatuor menſibus quibus conſtitit matrimonium, maritus fructus dotis retineat: pro reliquis octo menſibus, reſtituat. Confutatur autem in verſiculo, [Neque enim,] inepta quorundam opinio, exiſtimantium, maritum fructus omnes vindemiæ à ſe collectos, & quartam partem mercedis, nempe tres aureos lucrari. Hoc enim iniquum cenſet, & meritò Papi. quandoquidem certum eſt, maritum fructus dotis non lucri facere, niſi pro tempore, quo durauit matrimonium: cùm eo tantum ſuſtinuerit onera, propter quæ, lucrum fructuum marito lex defert. In hac autem ſpecie conſtitit matrimonium quatuor menſibus duntaxat: quo circa iniquitatis plenum eſſet, dicere, maritum omnes omnino fructus, quos in fundo reperit, lucrari. alioqui illud quoque cenſendum nimis abſurdè foret, quod ſi collectis vindemiis, per maritum poſtera die diuortium factum eſſet, fructus integros maritus retineret. quo quid falſius, & ab æquitate magis alienum dici poteſt? dicendum igitur, inquit Papin. in verſ. [Itaque] vindemiæ fructus, & quartam portionem mercedis, inſtantis anni, confundi debere: hoc eſt, commiſceri, vt facta mixtura, tertia portio redituum fundi dotalis viro relinquatur: nam cum tertia parte anni matrimonium ſteterit, tantóque tempore maritus nuptiarum onera ſuſtinuerit, eum quoque tertiam annui redditus portionem habere conuenit. Itaque, vt rem ſub obſcuram exemplo manifeſtemus, cum fundus locatus fuerit xij. aureis, & vuæ à marito Octobri menſe collectæ, iiſdem xij. aureis æſtimentur, fiet confuſio, & commixtio triũ aureorum, qui ſunt quarta pars mercedis. & vuarum coactarum, ſeu æſtimationis earum, quæ eſt xij. vtráque autem ſumma ſit conflata, & conglobata, efficiet xv. ex quibus tertia portio (non eius ſummæ, ſed fructuum fundi. & ſic quatuor) viro relinquentur, reliquum verò (hoc eſt, vndecim) vxori reſtituetur. Nec ignoro (cum & id iam attigerim) tertiam portionem, Doctores hic accipere, reſpectu pecuniæ confuſæ: vt ea pars quinque aureis conficiatur. Verum hanc ſupputationem, vt iniquam & abſurdam reiicimus. nam cum fundi dotalis redditus is ſit, vt non niſi xij. vnoquoque anno reddat: & matrimonium quatuor menſibus duntaxat ſteterit: non plus quatuor marito deberi potuerunt. proinde credendum non eſt, eidem Papinianum quinque dediſſe. Illud quoque non me fugit, ſcriptores, communis ſenſus rationem afferre, diligentiæ videlicet, qua in locando maritus vſus eſt: propter quam eum plus rata conſequi, æquum fuit. Quæ ratio leuior ſit, an abſurdior, neſcio: quippe tantum abeſt vllam mariti diligentiam hic proſpici, vt ob eam rem minus diligens fuiſſe, cuicunque videri debeat: cum non ſuo ſtudio ſuáque opera agrum collere voluit, ſed fructibus, quos in fundo reperit, ſtatim collectis, alteri fundum fruendum locauit, contra prudentum patrumfamilias conſuetudinem, qui vt fertiliora reddant prædia, eadem ſua manu ſtudioſiſſimè colunt. Nam Varro, Cato, Columella, aliique omnes, qui de re ruſtica ſcripſére, dicere ſoliti ſunt, equum paſci oculo domini, eiuſdémque præſentia agrum pingueſcere. non igitur dubitandum, quin maiorem, re ipſa adhibeamus diligentiam, cum fundum opera noſtra colimus, quæ cura ingens in dies nobis faceſcit negotium, quàm cùm alteri fruendum locamus: quod nullo explemus labore: ſiquidem locatio, vel vno verbo abſoluatur. *l. conſenſu. ff. de actio. & obli.* Ab hoc ſenſu noſtro, non multum abhorret. *Alciat. in Paradox.* licet & ipſe perperam textum legis noſtræ interpretetur. cum putet illic tradi, non vindemiæ fructus integros confundendos, ſed fructuum partem, totámque pecuniam confuſam, marito quæri: quæ omnia pugnant valde cum Papiniani verbis: quibus euidenter imprimis traditum eſt, fructus vindemiæ, cum quarta parte mercedis inſtantis anni, confundendos. Deinde non pecuniam confuſam, ſed ex ea pecunia, tertiam partem viro relinqui. Probandus igitur ſenſus noſter, vt veriſſimus, & contextui Papiniani apprimè quadrans: ad quem ſi vulgatam interpretum expoſitionem ſequeremur, Papinianum expreſſo errore lapſum fuiſſe dicendum foret, quòd quam abſurdum ſit, in hoc præſertim Iuriſconſulto, quem iuris ciuilis apicem, & doctrinæ legalis theſaurum, Lamprid. ex veterum ſententia meritiſſimè vocat, nemo non videt.

Ad tit. de diuortiis quædam obſeruata, quæ Accurſius & antiqui gloſſatores non intellexerunt: plurimum tamen conducunt ad intelligentiam huius tit. de diuortiis.

Quamobrem olim diuortia cœperint, & de variis diuertendi cauſis, quæ Accurſius non intellexit.

Coniugale fœdus ſanctiſſimum, perpetuum, & ſine diſſidio, veteres eſſe voluerunt, apud quos vxorem dimittere improbatum fuit. Romulus primum lege lata, vxorem in adulterio, liberorum veneficio, aut clauium adulteratione deprehenſam, repudiari permiſit. Qui aliter diuortium feciſſet, eius bonorum partem vxori dari, reliquum Cereri ſacrum eſſe iuſſit: mulieri vero relinquere viſum, fas eſſe nullatenus voluit. cœptum deinde propter infœcunditatem, & mulierum ſterilitatem, diuortia fieri, Ob quam cauſam, Seruilius Carbilius Ruga, primus omnium Ramonorum M. Attilio, & Valerio Coſ. vxorem egregiè dilectam, chariſſimámque, morum eius gratia habitam, repudiauit: quod ſcilicet liberi ex ea, corporis vitio non gignerētur. Pariterque refert in Sylla Plutarchus, Syllam ſummo cum honore & donis adiectis, Tertiam Cæliam, vt ſterilem repudiaſſe. Te merè autem & ſine cauſa diuertere nulli ſinebant. Vnde à cenſoribus notatum, & Senatu motum, L. Antonium. conſtat, quod nullo conſilio, nulláque ratione, quam vxorem duxerat, repudiaſſet. moribus tamen introductum deinde, vt leuibus de cauſis cum vxoribus diuortium fieret. nam C. Sulpicius Gallus, vxori repudium miſit, quod eam capite aperto fori verſari, veſtemque in caput deducere, animaduertiſſet. P. Sempronius Sophus, quod eius vxor funebres ludos ſe inſcio ſpectaſſet, eam repudiauit. Qu. Antiſtius, verus vxorem, quam cum libertino fabulari viderat, vt cauere ſtuprum prius quàm vindicaret, repudiauit. Quandoque verò ex non manifeſta cauſa factum diuortium conſtat, vt illud fuit Papiriæ grauiſſimæ mulieris, & Pauli Æmilij, viri Conſularis, qui poſt longum coniugij tempus, ſuſceptiſque ex ea liberis, eam repudiauit. Quod factum cùm frequentius amici eius improbarēt. illíq; dicerent, Nonne Papiria formoſa? nónne modeſta? nónne fœcúda? porrigens ille pedem diceba, Et hic quidem calceus nouus vobis videtur, & elegans, nemo tamen veſtrũ probè nouit, qua ex parte meum premat pedem. Extant & alia exempla innumera, quæ percenſere longiſſimum fuerit. Apud Iudæos verò ius viris fuit diuertere ab vxoribus, cum illas ſola mora à maritali iure liberaret. *Deut*. 24. *Matt*. 7. & 19. *ad Rom*. 7. quod ad Romuli legem. cuius mox meminimus, accedit. Porrò iure ciuili poſteriore. hoc Codicis Iuſtiniani non fuit cuique liberum, vel ob leuiſſimam cauſam diuortium facere, ſed certis tantum, & iis quidem grauibus, expreſſis in *l. conſenſu. C. de rep.* Amplius, iure Pontificio cautum, ne ab vxore carnaliter cognita diuertere liceat, niſi per mortem, dicente Apoſt. [quod Deus coniunxit, homo non ſeparat.] *Math*. 19. *c. 2. de transla. præla. c. quos Deus*. 33. *q*. 2. non conſummatum verò matrimonium copula carnali, per ingreſſum monaſterij diſſolui voluit. *c. verum. & c. ex publico, de conuerſ. coniug.* ob adulterium quoque thorum ſeparari. *c. tua. de procur. c. ex literis, de diuort.* Quo caſu, cum non fiat vinculi diſſolutio, omnes propemodum Theologi, & Canoniſtæ cenſent, non licere viro repudiata vxore adultera, aliam ſuperinducere. Solus Ambroſius grauis author, probatæque ſanctimoniæ vir, tribuit viro ius ducendi alteram. *c. vxor*. 32. *q*. 7. Cuius ſententiam diffuſo apparatu Eraſmus defendit. in Annotatio. ad ſeptimum caput prioris epiſtolæ ad Corinth. Hæc canoniſtis tractanda relinquimus: noſtrum enim non eſt inſtitutum hic iura canonica cum ciuilibus coniungere. Ad hæc non omittendum in repudiis, vſitatiſſimi moris ea verba fuiſſe, [Res tuas tibi agito, Tuas res tibi habeto.] in ſponſalibus verò dirimendis hæc, [Conditione tua non vtar.] *l. 2. ff. de diuort.*

Ad l. ſi ſeruus ſeruum. §. ſi quis oliuam. D. ad legem Aquiliam.

Malè Accurſius interpretatur. *l. 17. de donationibus int. vir. & vxor.* quod vt intelligamus, proponenda ſunt ipſius legis verba, quæ ſic ſe habent. De fructibus quoque videamus, ſi ex fructibus eorum, quæ donata ſunt locupletata ſit, an in cauſa donationis cadant, & Iulianus ſcribit, fructus quoque vt vſuras licitam habere donationem. Sed ſi quid ſeruus donatus acquiſiuit ad eum qui donauit pertinebit, & hoc malè Accurſius interpretatur in vxore, quæ putauit donationem prędiorum non valere: alioqui non poſſe lucrari fructus, quos non bona fide percipit. Imò etiam ſi ſciuit non rectè ipſi data fuiſſe illa prædia, fructus tamen habet, in quibus valet donatio, non enim hic fides eius cui donatur venit in quæſtionem, ſed an fiat locupletior: donans autem pauperior, fructus igitur prædiorum iſtorum quos conſumpſit omnes, & etiam adhuc extantes, ſi eius cultu & ſumptu producti ſunt, lucrabitur mulier, non autem eos, quibus nihil operæ & impenſæ præſtitit.

Ad l. ſi quis pro vxore. de donationibus inter virum & vxorem.

Non intellexit Accurſius hanc legem, qua Vlpianus ſatis ambiguè reſpondit. Si vxor viro dotem promiſerit, & dotis vſuras, ſine dubio dicendum eſt vſuras peti poſſe, quin non eſt iſta donatio, cum pro oneribus matrimonij petantur. Quid tamen ſi maritus vxori petitionem earum remiſerit? eadem erit quæſtio, an donatio ſit illicita. Et Iulianus hoc diceret, quod verum eſt, malè interpretatur Accurſius, Iulianus. hoc diceret, quod ſcilicet eſt licita, quia hoc non congruit verbis Vlpiani. hoc enim eſt pronomen, quod demonſtrat & refertur ad proximè dictum, dixit autem quæſtionem eſſe, an donatio ſit illicita, & hoc Iulianus inquit, diceret ſcilicet, quod illicita neque aliter ſine cauillo dici poteſt: nam & Iulianus ſimile quoddam in ſimili ſpecie reſpondit, vt notat Vlpianus in *l. hac ratio. in fi. hoc tit.* Si donaturum mihi iuſſero vxori meæ dare, perinde eſt habendum, ac ſi ego acceptam & rē meam factam vxori meæ dediſſem: quæ ſententia vera eſt. Ne igitur Vlpianus qui probat Iuliani ſententiã ſibi contrarius videatur, ſic legendum, eadem quæſtio erit, an donatio ſit licita, aut profectò Accurſij expoſitio admittenda, quæ tamen eſt inſolens.

NOTAE AD GLOSSAS IN LIBRVM VICESIMVMQVINTVM Digeſtorum.

Ad tit. de agnoſcendis. vel alendis liberis.

Multum ſanè debemus Antonio Auguſtino, qui nobis pleraqúe loca iuris noſtri reſtituit. inter quæ loca, maximè notandum exiſtimo illum, quē profert in *libro 1. emendationum. cap.* 8. quo capite oſtendit, quibus locis erratũ ſit ob verborũ interpunctionem. Iniquitatem enim maximam habere videbantur ea quæ legebantur ante illius emendationē, in *l. 1. hoc tit.* ſicque fiebat, vt nec Accurſius, nec alius iuris noſtris interpres hunc locũ intelligeret. Locus autem hic eſt eiuſmodi. Si quis longo tempore abfuerit, & reuerſus vxorem prægnātem inuenerit, & idcirco reiecerit, ſi quid ex his quæ Senatuſconſulto continentur omiſerit, ſuum hæredem ei naſci. Rectè autem iudicio Antonij Auguſtini, Lælius Taurellus amicus eius, exiſtimabat his quæ antea ſcripta ſunt coniungenda hæc eſſe, vt dicatur cæterũ ſi eſſet, aut, vt alij ſcribũt, ſi ceſſet, aut ſi eſſe ſatis iniurioſum ait ſi quis longo tempore abfuerit & cætera. & ſi hoc modo hæc legantur: videbitur Iuliani ſententia eadem eſſe cum ea, quam Vlpianus refert alio loco his verbis. Sed ſi fingamus abfuiſſe maritum, verbi gratia, per decennium, reuerſum anniculum inueniſſe in domo ſua, placet nobis Iuliani ſententia hunc non eſſe mariti filium, & hæc conuenientia eſſe videntur his quæ paulo antè eiuſdem Iuliani eſſe dicuntur, in hac l. 1. §. *idem Iulianus. de liberis agnoſcend.* Vide plura alia exempla apud Antonium Auguſtinum, ex quo hæc deſumpſi.

Ad l. ſi quis à liberis. 5. de agnoſcendis & alendis liberis, vel patronis, vel parentibus, vel libertis. ad §. ſolent illius legis.

Hic locus ſanè difficilis eſt, propter materiam præiudiciorũ. Idcirco plurimi interpretes in eo enarrando turpiter lapſi ſunt. Nos igitur dicamus alimentorum, Cauſam veritati non facere præiudicium. Id eſt, (vt mihi videtur, & vt rem facilius explicem,) Per alimentorum cauſam ſic non videtur mihi de veritate quaſi præiudicatum, vt illa alimentorum cauſa impediat, quominus de veritate præiudicio contendatur, & in hanc ſententiam dicit Vlpianus, quod hoc §. proponitur. *Nec obſtat. §. meminiſſe, eiuſdem reſponſi. nec l. pe. D. de his qui ſunt ſui vel alieni iuris.* Nam cum Vlpianus dixerat eam rem veritati præiudicium non facere, idem paulo poſt non impedire dicit, quominus præiudicio certetur: quaſi idem omnino ſit non facere præiudicium quod non impediet, quo minus præiudicio contendatur. Hinc idem Vlpia. *l. 1. hoc tit.* Si maritus vxore denunciante cuſtodes miſerit. Ideo dixit nullum præiudicium ſibi maritum facere, quod ei liceat partum editum ex ſe, neque hoc eſt, (vt ego interpretor aduerſus aliorum opinionem,) quod ei præiudicio contendere liceat de partu agnoſcendo, quamuis cuſtodes miſerit. Hinc, inquam, non obſunt, licèt plurimi interpretes ea diſſoluere nõ poſſunt. Has omnes Antinomias vno (ſi modo antinomia ſit) verbo diſſoluam, quod vt commodiſſimè fiat. Notandum extra formulas exceptionum, veritati non facere præiudicium, aliis præiudicium facere, præiudicare, præiudicium incurrere, & id genus alia diuerſa interpretatione dixiſſe prudentes, quibus animaduerſis facile poterimus diſſoluere *ἐναντιοφανὲς* illud, quod ſupra propoſui. Nam figuratè vt vtar Feſti verbo, ſic etiam auctores probati præiudicium acceperunt, vt illud interdum ad res quaſi præiudicatas, ſola imagine & quadam tranſlatione retuliſſe videantur, Vide plura apud Ræuardum *lib. 2. de Præiudiciis. cap. 8.*

NOTAE AD GLOSSAS IN LIBRVM VIGESIMVMSEXTVM PANdectarum iuris ciuilis, vbi de materia tutelarum tractatur.

Ad titulum de tutelis.

ILlud falſum eſt, quod Accurſius ait, *l. 10. de tutelis.* Piſanam ſcripturam eſſe, & iam municeps tutor dari poteſt, dummodo municipi detur. ſic enim ſe habet Piſana ſcriptura, Vlpianus lib. 2. *ad edictum.* Etiã non municeps dari tutor poteſt, dummodo municipi detur, quam Haloander iure ſequutus eſt: ſic etiam idem Accurſius fallitur in *l. in illa. de verb. obligat.* cuius verba Florentiæ hæc ſunt, Vlpianus lib. 50. *ad edictum.* In illa ſtipulatione per te non fieri, non hoc ſignificatur, nihil te facturum quominus facere poſſis: ſed curaturum, vt facere poſſis falſum eſt in Piſano libro deeſſe non, quod tamen Accurſius aſſerit, niſi fortè vtroque loco Pilei liber non Piſanus intelligendus eſt, quod erratum facile ex hac nota Pi, manare potuiſſet, & hoc doctiſſimè animaduertit Antonius Auguſtinus.

Notandum eſt Accurſium bis optimorum librorum ſcripturam referendo receptum eſſe, vt in *l. etiam. de tutelis. & in l. Illa ſtipulatione. de verborum oblig.* ſed aliquo modo poterit excuſari librariorum noſtrorum notis, qui Piſanum à Pilei libro non facilè diſtinguerent, teſtis eſt Paulus Caſtrenſis maximæ authoritatis vir. Is ſub titulo de rebus creditis *l. 1.* cum apud Accurſium de Vlpiani verbis dubitantem legiſſet, Bene eſt alias ſecundùm Piſanam literam eſt, ex re, id eſt, ex vtilitate, aliàs here, id eſt, herile non vidiſſe Accurſium ait eas Pandectas, ſe verò Florentiæ vidiſſe aſſerit. Iam enim Piſis allatæ fuerant, & in eis ſcriptum eſſe. bene eſt, Bartolus verò Piſanam ſcripturam exiſtimat here.

Ad l. muto. §. tutoris ff. de tutelis.

An tutoris datio mixti ſit imperij, vel iuriſdictionis, pluribus ab Acc. & cæteris certatum eſt. Nos verò cùm Vlpiano ſemper diximus, Tutoris dationem, neque imperij, neque iuriſdictionis eſſe: ſed ei tantum competere, cui nominatim dederit, hoc, vel lex, vel S.C. vel princeps. *l. muto. §. tutoris. ff. de tute.* vt ſic velit Iuriſconſultus, quemadmodum Iacob. ab Aretios belliſſimè illic interpretatus eſt: facultatem dandi tutorem non pro eo alicui competere, quod imperium habeat, aut iuriſdictionem. quandoquidem priuatus, tutores dare poſſit. *l. 1. ff. de teſta. tutel.* ſed quia expreſsè, & ſpecialiter ei à lege viua, vel mortua tributa eſt. Vnde nec præſides prouinciarum, qui tamen merum habent imperium *l. illicitas. §. qui vniuerſas. ff. de offi. præſ.* dare tutores potuiſſent, niſi nominatim hoc eis l. Iulia & Titia indultum fuiſſet. *§. 1. de Attil. tutor. in Inſt.* Per contrarium Decuriones, qui publici conſilij gratia, duntaxat creati. *l. pupillus. §. Decuriones. D. de verb. ſign.* nullam exercent iuriſdictionem: quia tamen hoc eis ſpecialiter conceſſum eſt, tutores non habentibus conſtituunt. *l. decreto. D. qui pet. tut.* Idem in Tribunis plebis, qui lege Attilia dant tutores. *§. 1. de Attilia. tuto.* quos non habuiſſe iuriſdictionem conſtat, vt qui faciendis interceſſionibus creati eſſent. Quod & Gell. in xiiij. Noct. Atticar. annotauit, Antiſtij Labeonis, nobile & animoſum reſponſum referens: qui per viatorem à Tribuno plebis vocatus reſpondit, Tribunos ius non habere, neque per ſe, neque per alium, in ius vocandi. Hincque palàm eſt, cur Proconſulis legatus tutores dare poſſit. *l. pen. D. de off. Proconſulis.* non quidem propter vim mandatæ iuriſdidictionis, ſed quia hoc ei ſpecialiter lex indulſit. *l. 1. D. de tuto. & curato.* Sicuti & omnibus magiſtratibus municipalibus, modo illum dent, qui ab eodem municipio ſit. *l. ius dandi. D. illo tit.* Omnibus autem dixit Vlpianus *d. l. ius dandi.* quia non tantũ Duumuiris (quos Municipalium Magiſtratuũ verbo leges plerunque deſignant *l. dies cautioni. §. duas. D. de damno infecto.*) Tutoris datio permiſſa eſt. *l. 1. §. ſi inter. D. de magiſt. con.* verumet am decurionibus. *l. vbi abſunt. D. de tutor. & curat. l. decreto. D. qui per tutor.* & defenſoribus ciuitatum. *§. nos autem, de Attilia. tuto. in inſt.* At cum hi tutores dant, non tanquam iudices agunt, ſed tanquam ij, quibus nominatim id à lege ſit conceſſum. *d. §. tutoris datio.* Nec prædictis obſtat, quod Iuſtin. ſcripſit, Præfectum vrb. vel prætorem Romæ, [Secundum ſuam iuriſdictionem,] tutores creare. *§. ſed hoc iure, de Attil. tut.* iuriſdictionis quippe verbum illic territorium, ſiue locum deſignat, in quo poteſt quis ius dicere, cuiúſque fines tranſiliri non poſſunt. *l. fi. D. de iuriſ. omn. iud.* vt ſenſus Iuſtiniani hic ſit, poſſe præfectum vrbi, prætorémque tutores dare, non vbique, nec quemcunque, ſed intra iuriſdictionem ſuam, hoc eſt, territorium, vt ſcilicet detur, qui ſubditus ſit iuriſdictioni dantis. *l. 2. D. de tuto. & curato.*

Ad titulum de tutoribus & curatoribus datis.

In *l. 21. hoc tit.* malè Accurſiani barbarum interpretem ſequuti præfectorium hominem non prouincialem & Romanum principem non magiſtratum ſcribunt. Sunt autem prouinciales, qui in prouincia domicilium habent, vt Vlpianus definit *l. prouinciales. de verb. ſig.* non qui ex prouincia oriundi ſunt, hoc eſt. non qui in alio tantum loco domicilium habent.

Ad l. 2. qui petant tutores.

Eo loco huius legis (Et hæc quidem de tutoribus) Hæc verba ad huius capitis initium referenda ſunt, quo dicitur ſi minores defenſoribus indigeant: & poſtea de tutoribus pupillis petendis tractatum eſt, nunc de curatoribus adoleſcentium dicendum, vt innuit eo loco iuriſconſultus: curatores verò ipſi ſibi minores petent, & hæc ita ſe habent, qua in re miror Accurſium ita labi, vt neſciat quo verba hæc referenda ſunt.

Ad l. ſcire. de tutoribus & curatoribus.

Malè Accurſius ad illam l. Græcam vocem interpretatur, & *ἐπιλέγω*, legit interpretatúrque voluntatem teſtatoris, eo enim loco fallitur Accurſius, nec mentem iuriſconſulti, ſatis

la tit *d. 6. quæ tutoribus.* detrahit illic quippe non fuerat ſimpliciter relicta hereditas ab agnato militi, ſed data erat hereditas ab agnato, eodémque commilitone. quo caſu vt oſtendat Tripho commilitium efficere, non ſolam donatarij militiæ diſciplinam, vt donatum militiæ contemplatione intelligatur diſtinguit: vt ſi commilitium, hoc eſt, ipſam belli ſocietatem, factum eſt teſtamentum, ſit peculij caſtrenſis ea hereditas, ſi ante, ſecus dicendum. Aliud autem nihil eſt commilitium, vt illic Bud. exponit, quàm ſocietas militaris, & contubernalis amicitia.

Ad l. 1. de excuſationibus tutorum.

Si velimus recte intelligere hanc legem, ſequenda eſt verſio Antonij Auguſtini, vt eas tenebras vitemus, in quibus Accurſiani barbari interpretis vitio verſantur. Sed illud malè tactum eſt, quod ignorare videntur, Græcè hæc Modeſtinum ſcripſiſſe, qua lingua non facilè tractari ius ciuile poterat. Sűt enim verba quædam à noſtris vſurpata, quę ne Latini quidem homines ſatis nouerant, vt Dominium, legatarius, mandatarius, donatarius, ſunt heres, & eiuſmodi artis vocabula, quibus Græci nonnunquam vtuntur pro ſuis. His vocabulis plenæ ſunt Iuſtiniani conſtitutiones. Theophili & Conſtantini aliorúmque Græcorum libri.

In §. Sed numerum liberorum, verba vulgò manca circumferuntur, quamobrem Accurſius eiúſque diſcipuli mirandű in modum hic inutilia ſcribunt, videnda eſt interpretatio Antonij Auguſtini, quæ nullam habet difficultatem, vt ne his quidem qui Græcè norunt Modeſtini verba.

Ad §. ſed ſi quis. l. j de excuſationibus tutorum.

Quod minoris hic curam non impuberis, vt vulgo nimis ineptè ne dicam imperitè, ab Accurſianis circumfertur, intelligere debeamus, facit Græcum verbum ἀφήλικας, quo Modeſtinus 25. annis minores appellat, nõ impuberes, vt multis locis barbarus interpres putat, quod Accurſianos omnes vehementer torquet: nam bonus ille interpres in hac l. 1. τῶν ἀφηλίκων κηδεμόνος, impuberum curam habens, interpretatur.

Ad l. ſi duas. § philoſophos. eodem.

Mendoſus omnino hic §. *circumfertur*, ob interpretum, vt arbitror, imperitiam, & cum hic locus maximè neceſſarius ſit, vt quibus muneribus vacent profeſſores ſciamus, miniméque id ex Accurſianis libris intelligere poſſimus. vide igitur hunc locum integrum apud Antonium Auguſtinum in libro ſingulari ad Modeſtinum.

Ad §. præterea. l. j. de excuſationibus tutorum.

Hoc loco nobis quædam dicenda ſunt, quæ non ſolùm ab Accurſianis ignorantur, ſed etiam elegantiores interpretes fugerunt: hæc autem ſunt, non alium in noſtris libris Commodum appellari præter Marci filium, neque Seuerum, pręter Antonini Magni patrem, neque verum præter fratrem Marci, & cum Antoninus & Verus dicitur hos fratres ſignificari, cum Seuerus & Antoninus patrem & filium. Antoninos multos fuiſſe conſtat, Titum Antoninum Pium Hadriani filium Mæuij patrem, M. Antoninum philoſophű eius filium Commodi patrem, Antoninum Seueri filium magnum, quem Caracallam appellãt, à quo Papinianus interfectus. Huius quoque filius vſurpatus, Heliogabalus Antoninus appellatus eſt prodigioſæ turpitudinis: cui Alexander non malus Imperator creditus quoque Antonini magni filius, ſucceſſit. Hæc ſunt valde neceſſaria ad conciliationem multarum legum, fit enim ſæpe in Digeſtis mentio horum imperatorum, qui plerunque contrarias conſtitutiones tulerunt. Itaque operæpretium eſt noſſe, qui prior, qui poſterior fuerit.

Ad l. paupertas. de excuſationibus tutorum. §. ignominia miſſi.

Huius §. *verba.* multis modis ab Accurſianis mendoſè ſcribuntur: ſeparatur enim ab eis eadem oratio in duas, quibus quid dicatur non facilè quiſquam intelliget. At Græcis verbis nihil eſt clarius, vt autem hoc intelligamus notandum, quod ſcribitur in *l. miles. §. miſſionum. de re milit.* Miſſionum generales cauſas eſſe tres, honeſtam, cauſariam, ignominioſam, quibus intellectis facilis erit ſenſus huius legis.

Ad §. iam vero mihi, eiuſdem legis.

Illud dubitandum ab Accurſianis non erat, quanquam ipſos de alieno peccato appellamus) hic de impubere, an de minore ageretur, cum omnibus manifeſtum ſit, de curatore verba fieri: ſed vt iam ſuperius docuimus in notis ad *l. 2. huius Tituli.* Interpretis in ἀφήλικας nomine vertendo ignoratio eos turbat, nota autem addendum huic Modeſtini ſententiæ, ſi minores ipſi curatorem velint, neque enim inuitis datur in principio inſtitutionibus de curatoribus.

Ad titulum de rebus eorum, qui ſub tutela ſunt, non alienandis.

Ad l. iij. §. finali.

Notãdum corruptè doctores noſtros hoc loco ius Emphyteoticum dicere, cum ratio Græci ſermonis Emphyteaticam pronűtiari ſuadeat, hoc loco autem Emphiteutici appellatione. Id ius intelligi poteſt, quod & quandam detentationem reſpicit, & rei poſſidendæ facultatem, tametſi proprietas vera ad alium pertineat: quale eſt ius ſuperficiarij, vel eius qui fundum vectigalem poſſideat. quod confirmari poteſt authoritate Vlpiani *l. bonorum. de verborum ſignificatione.* vbi dicit, In bonis noſtris computari non ſolum ea, quæ Dominij noſtri ſunt, ſed & ſi bona fide à nobis poſſideantur, vel ſuperficiaria ſunt. In hac eadem lege non intellexit Gloſſa, quid ſit στυπτηρία. Non eſt dubium vocem eſſe Græcam, qua iuriſconſulti noſtri alumen intelligunt, ſic à vi quam habet adſtringendi appellatam, quod Dioſcorides libro quinto tradidit, nec nouum appellatione metalli contineri: cű hæc vox omnia comprehendat, quæ ſub terram effodiendo reperiuntur: ſic dicta autem ſunt metalla, quia ἄλλο μετ᾽ ἄλλο, id eſt, aliud poſt aliud inueniatur.

Ad titulum de curatore furioſo dando, & aliis extra minoris dandis.

Malè Accurſius in lege huius tituli quæ ſic ſe habet. Si furioſus exiſtat agnatorum gentiliúmque in eo pecuniáque eius poteſtas eſto interpretatur, gentiles eſſe cognatos nullo prorſus authore, repugnantibúſque antiquis. Nam Cicero in Tuſculanis, Gentilem ſuum appellat Seruium Tullum Romanorum Regem. cum tamen omnium authorum conſenſu, nihil ad eius cognationem eum pertinuiſſe conſtet. Meritò igitur interpretandum eſt, gentiles eſſe clarioris familiæ agnatos, quod Ciceronis authoritate confirmabimus. Is enim in Topicis ex definitione Quinti Mutij ſic definit. Gentiles, inquit, ſunt, qui eodẽ inter ſe nomine ſunt, & qui ab ingenuis oriundi ſunt, & quorum maiorum nemo ſeruitutem ſeruiit, & qui capite minuti non ſunt. Itémque nihil ad ſanguinis vinculum gentem pertinuiſſe: genus verò vel ſtirpem pertinuiſſe maniſeſtiſſimo Papiniani exemplo comprobari poteſt, ſic enim ait in *l. 2. de probationibus.* Quoties quæritur genus vel gentem quis haberet, necne eum probare oportet.

Ad l. ſpadonem. de excuſationibus. §. ſi vero.

Ex hoc §. conſtat non eſſe locum his quæ ſub Titulo de tutoribus & curatoribus datis, Accurſiani exiſtimant in *l. qui non ſunt in illo titulo.* Senatores, non ſenatoribus, & nõ ſenatores ſenatoribus tutores dari poſſe: Sunt enim illa de decurionibus à Modeſtino ſcripta, vt illic doctè animaduertit Antonius Auguſtinus.

Ad §.neque librarios,

Calculatores à calculis ducendis dictos arbitror non Geometras, vt Accurſius & Albericus perperam exiſtimant: ſed qui rationibus conficiendis adhiberentur. Cicero ad Atticum *lib*.8. Quare nunc ſaltem ad illos calculos reuertamur, quos tunc abiecimus.

In *l.Gallus.§.ſed ſimpliciter.de liberis & poſthumis*.vbi eſt ex verbis concipi poſſit ex verbis Galli. male, inquit Accurſius, alij putant melius ex verbis teſtatoris ſimpliciter inſtituentis, nec expreſsè de morte filij, concipi caſum ad Galli conſilium.

NOTAE AD PARTEM QVINTAM DIGESTORVM DE MAteria teſtamentorum.

Ad librum XXVIII.

Ad principium Infortiati.

De Etymologia vocabuli infortiati.

QVærit Accurſius in Rubr. *D. infortiati.* quænā ſit eius vocabuli Etymologia. Et refert illic varias opiniones. Primo, cum ſtudiū eſſet antiquitus deſtructū Romę, & hoc volumen amiſſum, ac demū Rauennæ recuperatum eſſet: tunc cœpiſſe ius noſtrū magis fortificari: & ideò volumen infortiatū, hoc eſt, valdè fortiatū, dictū. Secundò refert, infortiatum ab aliquibus, inde deriuari, quod fortes contineat leges. Tertiò refert, infortiatum ab auctore, vel inuentore, denominatum videri. Sed has quidem Etymologias, ipſemet Accurſius, & Bartolus non adprobāt: ſed infortiatum, nomen potius magiſtrale eſſe arbitrantur. Alciatus autem lib.4. *Parerg.cap*.25. aliam adducit Etymologiā: aſſerens, infortiati vocabulum à Græca voce deriuari: nempe à voce φορτία: quia ſignificantur ea, quæ victus, & annonæ cauſa importantur. Pro cuius Etymologiæ aſſertione pleráq; adducit, quæ ego minimè approbarem: Sed arbitror, infortiati aliā Etymologiam eſſe. Illud enim conſtat Pādectarum ſeu Digeſtorum opus, quinquaginta libris diſtinctum eſſe. Id totū opus in tres partes cōmodioris (vt arbitror) vſus cauſa diuiſum eſt: Et prima quidem pars Digeſtum nouum, ſecunda verò Digeſtum vetus appellata: non quod alterū altero antiquius ſit, ſed quia placitum eſt antiquum dicere, quod in ordine primum erat: nouum, quod in ordine vltimum. Tertia autem pars, inter primam, & vltimam media, digeſtū infortiatum dicta eſt, ſiue potius infarcitum: quaſi quod inter primam, & vltimam digeſti partem, incertum eſſet. Nam Plinius *lib*.35.*cap*.14. Parietem inter duas tabulas infarciri, vel (vt alij legunt) inferciri dixit. Verba autem Plinij hæc ſunt: Quid non in Africa Hiſpaniáque ex terra parietes, quos appellant formaceos: quoniam in forma circumdati vtrinque duabus tabulis infarciuntur veriùs quàm inſtruuntur. Quod autem hactenus infortiatum, & non infarcitum, ſiue infercitum ſcribi ſolitum eſt, id vel vicio pronunciationis, vel vicio ſcriptorum fortè contigit: nam in pronunciando, & ſcribendo, in vocalibus a e, & o facilè error committi potuit. Cæterùm cum prima & vltima Digeſtorum pars, Latinis vocabulis, digeſtū nouum, & digeſtum vetus appelletur, non facilè concedendum erit Alciato, mediam partē, Græca voce denominatam fuiſſe. Nam & ſi hoc admitteretur, non infortiatum, ſed fortiatum dicendum foret. Imò nec litera f. fortiatum, ſed ph. phortiatum. Græco more ſcribendū fuiſſet. Verùm in re tam antiqua, nihil pro certo affirmare velim, ſed aliorum eſto iudicium. Hæc Bernardinus Valtherus in obſeruationibus doctiſſimè animaduertit.

Ad l.22.tit.qui teſtamenta facere poſſunt. ad §.ſignum.

Doctiſſimus Cuiacius lib. 14. *obſ.cap*.11. nobis hunc locum huius legis reſtituit, quem gloſſæ non intellexerunt, quo putat legendum (Et magis eſt vt non tantum annulo) hunc autem locum ita reſtitui debere, probat ex diligenti obſeruatione condendorum teſtamentorum, quæ multo alia ſcrupuloſiora requirit. (Inquit ille) videlicet vt vno contextu teſtamentum fiat, vt in conſpectu teſtatoris teſtes vno eodē tempore coëant, vt adſcribant nomen ſuum, vt ſignent annulo nō quolibet, ſed ſignatorio: vel vt Vopiſci verbo vtar, Sigillatico. Nec igitur quolibet alio impreſſo, quod propriè non ſit comparatum ſignandi cauſa. Itémque hoc etiam requirit, obſeruatio illa diligens condendorum teſtamentorum: vt ex Senatuſconſulto Neroniano ter lino per foramina traiecto teſtamentum obſignetur. Hoc modo facilis fiet textus, & diſſoluentur omnes Antinomię, quas quis opponere poſſet, vel vnica particula (non) addita.

Ad principium infortiati.

Hic ſanè Accurſius valdè errauit, & in calce, vt dicitur, impegit. Nam cum iuris noſtri liber, quo vltimę voluntates continentur, vulgo Infortiatum dicatur, vt nominis rationem adduceret Accurſius, hanc in medium protulit. Sunt, inquit, qui dictum putēt ab infortias Chaldæo vocabulo, quod eſt diſpoſitio, quia vltimæ diſpoſitionis hoc volumine continentur, quę interpretatio quam ſit abſurda nemo non videt. veriſimile enim non eſt Latinos homines Babilonem, quæ Chaldæorum patria eſt legationem vllam miſiſſe, vt nomen libro iſti impetrarent, exiſtimóque Gloſſulario noſtro interpreti idem contigiſſe, quod Diuo Hilario quondam Pictauorum antiſtite, vt ſcilicet à Iudæo homine deciperetur.

Ad titulum de heredibus inſtituendis.

Quæ ſit captatoria inſtitutio, aduerſus omnium interpretum ſententiam XV.

Imp. Philippus A. & Philippus Cæſar conſtit. 2. de teſtamento militis: *l. captatorias. C. de teſt.milit.* Captatorias, inquiunt, inſtitutiones etiam in militis teſtamento nullius eſſe momenti, manifeſtum eſt. Caius lib.15. ad edictum prouinciale. *l.captatoria.de leg*.1. captatoriæ ſcripturæ ſimili modo neque in hereditatibus, neque in legatis valent. Captatoriæ ſcripturæ aut hereditates quæ ſint, inde facile cognoſçemus, ſi captandi verbum intelligamus. Eſt autem venari & aucupari lucrum, vt rectè his exemplis cognoſcitur. Vlpianus lib.48. ad edictum. *l.1.ſi quis ali. teſt.pro.* Qui dum captat hereditatem legitimam, vel ex teſtamento prohibuit teſtamentarium introire, volente eo facere teſtamentum, vel mutare: Diuus Hadrianus conſtituit, denegari ei debere actiones, denegatiſque ei actionibus fiſco locum fore. Iuſtinianus libro 3. inſtit. *inſt.de ſociet.§.manet.* Si totorum bonorum ſocius cum ab aliquo eſſet relictus, in hoc renunciauerit ſocietati, vt hereditatem ſolus lucrifaceret, cogitur hoc lucrum communicare. Si quid verò lucrifaciat, quod non captauerit ad ipſum ſolum pertinet. Impp. Dioclet. & Maxim. *l. ſi maiores. Cod.de tranſact.* Si maiores quinque & viginti annis cum patruo, ſiue auunculo veſtro tranſegiſtis, vel ei debita donationis cauſa ſine aliqua conditione remiſiſtis: non idcirco, quod hoc huius captandæ hereditatis cauſa, & ſpe futuræ ſucceſſionis vos feciſſe proponatis, aliis ei ſuccedentibus inſtaurari finita debent. Sic captare mortem. Conſtit.2. de tranſact. *l.de fideicommiſſo.*& apud Pōtificios. *c.3.de conc.præb.in 6.*& ſuperiorē gradum captare. Iuſtin. conſt.8. de aduocatis diuer. iudic. *l.nemo. C.de aduoc.di.iud.* Verba verò captari dicimus, cum torquentur in aliam ſignificationem, quàm is qui ea pronunciauit voluit. Paulus lib.4. epitomarum Alſeni, 1. Reſpondit non oportere ius ciuile calumniari, neque verba captari, ſed qua mente quid diceretur animaduertere conuenire. Sed priori ſignificatione captatoria inſtitutio à noſtris conſultis dicitur ea inſtitutio, qua quis alterius hereditatem, aut legatum captat, aut quādocunque lucrum ex alterius morte. Qua in re ab Alciati noſtri ſententia non diſcedo. *Alciat.lib.2.parerg. cap.*21. Huius tamen inſtitutionis formulam hanc fuiſſe exiſtimo: Titius qua ex parte me heredem inſtituerit, ex ea parte

heres

heres mihi eſto: quæ ſenatuſconſulto improbata eſt. *l. captatorias. de hered. inſtit.* vt paulò poſt oſtendam. Nam prius hæc ita ſe habere manifeſtiſſimis, vt mihi videtur, teſtimoniis comprobabo. Paulus ait libro quinto ad legem Iuliam & Papiam. *l. illa. de hered. inſtit.* Illæ autem inſtitutiones captatoriæ non ſunt, veluti ſi ita heredem quis inſtituat: Qua ex parte Titius me heredem inſtituit ex ea parte Mæuius heres eſto. Quia in præteritum, non in futurum inſtitutio collata eſt, Sic *l. hoc articulo. eod. tit. l. mulier. in fin. de condict. inſt.* Si igitur in præteritum concepta non eſſet, ſed in futurum, vt illa noſtra captatoria eſſet. quod ipſum apertius poſtea dicitur: ſed illud, inquit, quæri poteſt, an idem ſeruandum ſit, quod ſenatus cenſuit, etiam ſi in aliam perſonam captionem dixerit. Eleganter captionem appellat, Samaram illam inſtitutionem: veluti ſi ita, inquit, ſcripſerit: Titius, ſi Mæuium tabulis teſtamenti ſui heredem à ſe ſcriptum oſtenderit, probaueritque, heres eſto. Quod in ſententiam ſenatuſconſulti incidere, non eſt dubium. Cum itaque non in aliam, ſed in teſtatoris perſonam captio directa eſt, non ex ſententia ſolum, ſed etiam ex ſenatuſconſulti verbis improbatur. Idque eſt quod capite primo. De his quæ pro non ſcriptis hab. dicitur, *l. 1. de his quæ pro non ſcript.* Nam ſenatus cum pœnas legis Corneliæ conſtitueret aduerſus eum qui ſibi hereditatem, vel legatum ſcripſiſſet, eodem modo improbaſſe videtur, quo improbatæ ſunt illæ: qua ex parte me Titius heredem ſcriptum in tabulis ſuis recitauerit, ex ea parte heres eſto: & perinde haberentur, ac ſi incertæ teſtamento non eſſent. Hac etiam de cauſa caput 79. de heredibus inſtituendis. de illa inſtitutione dubitatum eſt: quanta ex parte me à Titio heredem inſtitutum recitaſſem, ex ea parte Sempronius mihi heres eſto, & non eſſe captatoriam reſponſum eſt. Non enim captare videor Titij hereditatem, cui nihil relinquo: neque Sempronio illum à Titio lucrum verior. præſertim ſi de teſtamento Titiano ante meum teſtamentum factum, illud caput intelligamus. Quod ſi Titij teſtamentum à me recitatum non fuerit, nulla erit inſtitutio, etiam ſi remota ſit, vt dixi, captatoriæ inſtitutionis ſuſpicio. Sed & Conſtantinus Harmenopulus Græcus iuriſconſultus nullam aliam *χαρτα[illegible]* inſtitutionem (ſic enim captatoriam appellat) improbat, quam quæ ſub conditione futuræ inſtitutionis facta eſt. Verba eius ſunt hæc: *αἱ χαρτ[illegible] οὐκ ἔρρωνται· οἷον πέτρος ἐξ ὅσου μέρους γράψοι με κληρονόμον, ἔστω μου κληρονόμος. αἱ δὲ εἰς τὸν παρελθόντα χρόνον συγκείμεναι ἔρρωνται. οἷον ἐξ ὅσου μέρους ἔγραψέ με πέτρος κληρονόμον, ἐκ τοσούτου ἐστὶ μου κληρονόμος. οὐ μόνον δὲ εἰς τὸ πρόσωπον τοῦ [illegible], ἀλλὰ καὶ εἰς ἕτερον γίνεται ἡ χάρτ[illegible]. οἷον ἐὰν πέτρος γράψῃ παῦλον κληρονόμον, ἔστω μου κληρονόμος.* Eſt autem mendoſus vulgaris liber in verbo *παῦλος*, & in verbo *ἔρρωνται*. alterum enim deeſt, alterum additum eſt. Captatoriæ, inquit, inſtitutiones non valent: vt puta Petrus, ex qua parte me ſcribet heredem, heres mihi eſto. Quæ verò in præteritum tempus inſtitutiones conceptæ ſunt, valent: veluti qua ex parte ſcripſit me heredem Petrus. ex eadem mihi heres ſit. Neque ſolum in teſtatoris perſonam, ſed & in aliam fit captatoria inſtitutio: vt ſi Petrus ſcripſit Paulum heredem, mihi heres ſit. Hæc Conſtantinus, cui accepto ferimus hoc qualecunque eſt boni, quod ex hac interpretatione venit. Cui ſimile quiddam meminiſſet à præceptore ſuo Mariano Socino Patauij audiſſe. Auguſtinus in eandem ſententiam capite ſexageſimooctauo. *de heredibus inſtituendis.* Cuius cauſa ſuperiora omnia ſcripſimus, interpretandum eſt. Eius verba ſunt hæc, Papinianus libro ſexto reſponſorum. Captatorias inſtitutiones non eas ſenatus improbauit, quæ mutuis affectionibus iudicia prouocauerunt, ſed quarum conditio confertur ad ſecretum alienæ voluntatis. Hoc eſt, ſi quis alterum purè inſtituat, & ille ſiue ſciat, ſiue ignoret, eum à quo eſt inſtitutus; purè etiam inſtituat: neutra eſt captatoria, nánque ipſi affectione mutua vſi ſunt in vltimo eorum iudicio, & voluntate. Sed ſi ſub ea conditione quæ ex alterius teſtamento pendet: hoc enim ſecretum alienæ voluntatis appellat. *l. 3. Cod. de codicill.* vti illa eſt, qua ex parte me ille heredem inſtituet, &c. hæ ſenatuſconſulto reprobatæ ſunt, quo capite non illud definitum eſt, vt Accurſiani exiſtimant, captatorias inſtitutiones eſſe, quæ ita fiunt, illum inſtituo, ſi Titius voluerit, ſed non eſſe captatorias eas inſtitutiones, quæ purè fiant, licet alter alterum nulla eius teſtamenti mentione facta inſtituiſſet. Nam & Theodoſij, & Valentiniani Nouella, cuius apud Alciatum, *d. cap. trigeſimoſeptimo.* mentio fit, vir & vxor ſe inuicem heredes alter alterum reliquerat: & non eſſe captatorium teſtamentum dicitur, quoniam ſimilis, inquit, fuit amborum affectus & ſimplex religio teſtamenta condentium. Et licet ſecretum alienæ voluntatis quodcumque alienum arbitrium dici poſſit, tamen Papiniano ſatis viſum eſt rationem afferre, qua pura inſtitutio à captatoria differret. Nam quod Accurſiani dicunt, voluntates ex alieno arbitrio pendere non poſſe, idem ego affirmo. Item illud, hanc fortaſſe non leuem captatoriæ ſcripturæ improbandæ cauſam: nego tamen eas omnes inſtitutiones captatorias eſſe, quæ ex alieno arbitrio pendeant. Caius libro primo de teſtamentis ad edictum Prætoris vrbani: *l. illa. de hered. inſt.* Illa inſtitutio, Quos Titius voluerit. ideo vitioſa eſt, quod alieno arbitrio permiſſa eſt. Nam ſatis conſtanter veteres decreuerunt teſtamentorum iura ipſa per ſe firma eſſe oportere, non ex alieno arbitrio pendere. Hæc ſi captatoria inſtitutio eſſet, Senatus potius conſultum retuliſſet, quam veterum opinionem. Neque tacitè fieri poſſet, vt cum Sempronius heres inſtituitur, ſi Titius in Capitolium aſcenderit, eſt enim id in ſecreta Titij voluntate poſitum. *l. ſi quis Sempronium. eodem titulo.* Fieret enim Senatuſconſulto fraus, vel etiam contra eius verba eſſet: ſi verum eſt Senatum eas inſtitutiones improbaſſe, quæ alieno arbitrio committuntur. Idem in legatis reſponſum eſt, non quod illud legatum captatorium ſit, ſi Mæuius voluerit, Titio decem do: ſed quod in alienam voluntatem, conferri legatum non poteſt. Quamquam alio loco contrarium dici videatur, in Florentino præſertim libro trigeſimo primo. libro Digeſtorum. Vlpianus libro nono ad Sabinum: In arbitrium alterius conferri legatum, veluti conditio poteſt. Quid enim intereſt, ſi Titius in Capitolium aſcenderit, mihi legetur, an ſi voluerit, ? Et libro trigeſimo idem ait: *l. ſenatus. §. legatum. de leg. 1.* Legatum in aliena voluntate poni poteſt, in heredis non poteſt. Sed exiſtimo Vlpianum de legatarij voluntate intelligere. Illud proculdubio verum eſt ex Innocentij Pont. Max. decreto eiuſmodi inſtitutiones valere. Verba eius ſunt hæc: Qui extremam voluntatem in alterius diſpoſitionem committit, non videtur diſcedere inteſtatus. Quo reſcripto, an captatoriæ inſtitutiones confirmentur, in dubium reuocari poteſt. Vt illud quoque conſequens eſt conſtitutione vndecima. De teſtam. milit. non obiatum militi, vt non poſſit in alienam voluntatem teſtamentum ſuum conferre. Quæ nos aliis explicanda relinquimus.

Hæc ex Antonij Auguſtini Doctiſſimi viri emendationibus collegi.

Ad l. captatorias D. de heredibus inſtituendis.

Captatoria inſtitutio quid ſit, non videri hactenus rectè intellectum, nec ab Accurſio. alia ratione quàm ſuperiori probatum.

Captatoriæ inſtitutionis vulgata declaratio.
Inſtitutio in alterius arbitrium quando conferatur.
Captatoria inſtitutio quæ propriè dicatur.
Captare quid.
Votum captandæ mortis.
Explicata noui l. captatorias.
Captatoria an ſit, quæ ex alieno arbitrio pendet.

Senatus Captatorias inſtitutiones improbauit. *l. captatorias. D. de hered. inſtit.* perindéque haberi voluit, ac ſi incerto teſtamento nõ fuiſſent. *l. 1. in fi. D. de his quæ pro non ſcript. hab.* Et alibi Caius, Captatorias ſcripturas, neque in hæreditatibus, neque in legatis valere dixit. *l. captatoria. D. de leg. 1.* Quod & in militum teſtamentis obſeruatur. *l. Captatorias. C. de teſta.*

molit. Eas autem ab interpretibus communiter exiſtimatū eſt Captatorias inſtitutiones dici, quæ ex aliena voluntate pendent. *l. illa inſtitutio. D. de hered. inſt.* ſic dictæ, quod per eas teſtatores capti, id eſt, decepti remaneant. Accurſ. *in d. l. captatorias. D. de heredibus inſtituend.* poteſt ſiquidem is, cuius arbitrio inſtitutio permiſſa eſt, heredem non eligere. Coſt. & alij in *d. l. captatorias. C. de teſta. milit.* Recte igitur veteres conſtituerunt, teſtamentorum iura ipſa, per ſe firma eſſe oportere: non ex alieno pendere arbitrio. *d. l. illa inſtitutio.* niſi arbitrium illud declaratum eſſet, & ita in præteritum conferretur inſtitutio. *l. illa autem. D. de hered. inſtit. l. mulier. §. fin. D. de cond. inſtit.* Aut tacitum & velatum. *l. ſi quis Sempronium. D. de hered. inſtit.* indéque dictum eſt, Expreſſa nocent, non expreſſa non nocent. *l. nonnunquam. D. de condit. & demonſt. l. expreſſa. D. de reg. iur.* Et hæc ſunt, quæ de captatoriis inſtitutionibus ſcriptores commenti ſunt. Inueteratus ſane error, qui tamen me legentem in tenebras vnquam pertrahere non potuit. Neque enim in primis verum eſſe puto, quod aiunt ſcriptores, omnes in vniuerſum inſtitutiones, quæ ex aliena voluntate pendent, Captatorias eſſe, licet non ignorem, morientium teſtaméta alieno arbitrio permitti non poſſe. Nam hunc inſtituendi modum veteres reiecerunt, *d. l. illa inſtitutio.* illum Senatus improbauit. *d. l. captatorias. D. de her. inſt. & d. l. 1. D. de his quæ pro non ſcript. hab.* Ego igitur Captatoriā inſtitutionem eam proprie dixerim, quæ non ex animi ſententia procedit, ſed veluti viciata eſt, vt, quæ ex hac cauſa fit à teſtante, vt ſuo prouocatus exemplo, inſtitutus aut alius, in quem captatio directa eſt, idem faciat, Sic dicta, quod ea teſtator captet, hoc eſt, venetur hereditatem, aut aliud quodcunque lucrum. nam & captare proprie dicitur, qui dolis, & illecebramentis quibuſdam, lucrum alterius gratia aucupatur. Vnde Martialis, Rufum captatorem inceſſens, ait:

Dum me captares, mittebas munera nobis:
Poſtquam cepiſti, das mihi Ruſe nihil.

Sic & votum captandæ mortis, in iure noſtro dicitur, ardens illud deſiderium, quo flagrāt iniqui homines ex alterius morte lucrum ſperantes, vt illius vitæ inſidias parent. *l. de fideicommiſſo. Cod. de tranſact.* Et captare hereditatem dixit Vlp. pro eo, quod eſt artificioſe eniti, & ſtructis technis, vt præter eam etiam defuncti voluntatem comparemus. *l. 1. in prin. D. ſi quis al.* Ad quem modū captabat quondā Cnemon Hermolaum, & Callidemedes Ptœodorum, vt & apud Lucian. in Dialogis, ambo tandem ſua aſtutia, miſerè deluſi. Captatoriæ inſtitutionis exempla hæc præcipua ſunt, [Qua ex parte Titius me heredē fecerit, ea ex parte heres eſto.] *d. l. illa autem. D. de her. inſt. l. 1. in fi. D. de his quæ pro non ſcr. hab.* [Si Titius me heredē ſcripſerit, eum inſtituo.] *d. l. mulier. §. fi. D. de cond. inſt.* licet in hac ſpecie, [Quanta ex parte, à me Titiū heredem inſtitutū recitaſſem, ex ea parte Sempronius mihi heres eſto.] Et in illa: [Qua ex parte Titius me heredē conſtituit, ea ex parte Mæuius heres eſto,] nulla ſit ſuſpicio Captatoriæ inſtitutionis. *d. l. illa autem. & l. clemens. §. fi. D. de her. inſt.* Hæc, quod in præteritum, non in futurū, collata ſit inſtitutio. *d. l. illa autem.* Illa, quòd nullum dicatur, per eam qui teſtatus eſt, captaſſe. Ad hæc Papi. Captatorias inſtitutiones, inquit, non eas Senatus improbauit, quæ mutuis affectionibus iudicia prouocauerunt: ſed quarum conditio confertur in ſecretum alienæ voluntatis: *l. captatorias. D. de her. inſt.* Quæ verba ab Accurſianis non ſatis intellecta video. in quorum tamen referendis interpretationibus non detinebo lectorem: ſed Iuriſconſulti ſenſum breuiter exponam. vult itaque Papinian. eos qui affectione mutua, parique voluntate prouocati, ſe inuicem heredes inſtituunt, non male teſtari: cum duorum fuerit ſimilis affectus, vnde laudatur meritò, in Theodoſij conſtitutione, (cuius 2. Parerg. Alciat. meminit.) Leontij Iucunda que pietas, qui iiſdem tabulis ambo teſtati heredes ſe inuicem reliquerūt. Quod ſi ſub conditione, quæ in ſecretum alienæ voluntatis conferretur, concepta eſſet inſtitutio, & ita cùm non purè facta eſſet, manifeſta captatio appareret: ſicuti, cum ita quis heres ſcribitur, [Qua ex parte Titius me heredem fecerit, heres eſto,] à Senatu improbatur, vt illic Papin. docet. Captatoria enim, vt probauimus, ante iudicium eſt. Nec vero putandum eſt, eadem ratione veteres in inſtitutionem alieno permiſſam arbitrio, reieciſſe, qua eam Senatus improbauit, cuius conditio in ſecretum alienæ voluntatis confertur. *d. l. illa inſtitutio. & l. captatorias. D. de her. inſt.* Hæc enim à Senatu reprobata eſt, quod captationem, hoc eſt, dolum & technam in inſtituti, aut alterius perſonam, dirigeret: non ex animi ſententia facta, ſed vt ex ea teſtator lucrum aliquod ad ſe alliceret, artificioſéque venaretur: tunc enim conditio inſtitutionis (nam quæ purè fit, nunquam mea ſententia Captatoria dici poteſt:) in alienæ voluntatis ſecretum, propriè conferri dicitur, cum non ex affectione, videlicet, puráque mente, ſed aucupandi lucri gratia ad inſtituti, aut alterius perſonam, diſpoſitionem referimus. *d. l. captatorias.* Illa verò inſtitutio improbata eſt, quod teſtamentorum iura, per ſe firma eſſe oporteat *l. illa inſtitutio.*

Ad tractatum de teſtamentis.

Peſſimè Accurſius interpretatus eſt, quædam verba Græca in *l. ex ea. §. fin. de teſtamentis.* hæc ſunt verba, *Ταύτην τὴν διαθήκην βούλομαι εἶναι κυρίαν διὰ πάσης ἐξουσίας.* quorum verborum hic ſenſus eſt, videri eum velle voluiſſe, omnimodo valere ea quæ reliquit, etiā ſi inteſtatus deceſſiſſet. Accurſius ita Græcas voces interpretatur: dubitans tamen, & per coniecturas Legata, quæ reliqui & fideicommiſſa dari volo, ab omni herede meo, etiam ab inteſtato, quæ interpretatio nihil habet commune cum ipſis literis, quare ad verbum ita traducendum fuit. Id teſtamentum volo firmum eſſe per omnem poteſtatem, quibus verbis dubium eſt etiam comprehendi heredis inſtitutionem, quæ ſi iure directo ſuſtineri non poſſit, in fideicommiſſum vertetur, Accurſij autem expoſitio ſolum legata & fideicommiſſa: non autem inſtitutiones comprehendit, quod etiam Baldus notauit, cum tamen vel præcipuè in tractatu teſtamentorum reſpiciantur inſtitutiones, alioquin ea lex ad titulos de legatis referenda erat.

Ad l. eius qui. de teſtamentis.

Malè Accurſius ad *l. eius qui. de teſtamentis.* ad ferrum damnatos. Intellexit vt capite truncarentur, male alij ad vincula & loras ſeu compedes malunt, qui vtuntur authoritate Plauti in Perſa, Ferreas tute tibi impingi videas Graſſas cōpedes, quod ego probare non poſſum, cum iure ciuili pœnæ loco carere non ſit, ſed cuſtodiæ tantùm. Ego ad ferrum damnatos eos intelligo, quos alibi lex ad gladium damnatos ait, vt cōſtat Sententiarum Pauli lib. 6. vbi enumerat diuerſa ſuppliciorum genera. Nam locus Suetonij in Nerone. Exhibuit ad ferrum quadringentos Senatores, accipiēdum eſt, ita vt in ludum gladiatorium dati fuerint.

Ad l. ex facto. de heredibus inſtituendis.

Ridiculum eſt prorſus, quod Accurſius quodam loco huius legis ait, quoſdam eſſe, qui non quem inſtituerat, ſed quem inſtitueram ſcribant, quia illa lectione retenta nullus omnino eſſet ſenſus legis.

Ad titulum de vulgari & pupillari ſubſtitutione.

Ad l. verbis ciuilibus.

Malè Bartolus interpretatus eſt verba ciuilia. putauit enim eſſe verbum inſtituo, vel heres eſto, tanquam hæc non iurisgentium, ſed ciuilis verba ſint. quod falſum eſt, & pluribus rationibus demonſtrari poſſit, quas ob breuitatem prætermitto. Ego arbitror verba ciuilia dici ſimpliciter verba, quibus pupillaris ſubſtitutio confici poteſt. ſiquidem vulgaris dicta eſt, quod valgo omnibus competat, at pupillaris tantùm ciuibus Romanis, qui filios in poteſtate habeant, quod ius patriæ poteſtatis propriè ciuium eſt, & id quidem moribus ciuitatis introductum, id eſt, iure non ſubſcripto, ſed prudentum interpretatione. Merito ergo Papinianus verba ciuilia ea omnia appellauit, quibus hæc ſubſtitutio eſt inducta.

Ad tit. de hæredibus inſtituendis.

Tota gloſſ. ad verbum diuidatur. *l. ſi paterfamilias. D. de heredibus inſtituendis.* eſt delenda, cùm dubitationis plena ſit, nihilque omnino certi concludat, & ob vnius verbi adiectionē, quod in antiquis Codicibus reperitur, tota res facilis fiet. Is locus eſt de computatione, & quærit ibi Accurſius, quomodo computatio fieri poſſit vt proponitur, quod intelligi non poteſt, niſi quis totam legem perlegat, quod breuitatis cauſa omitto. Item quærit, quid de ſimile qui ſupereſt ſit agendum: nec opus eſt ea omnia, (vt diſtinctiones quas vbi Accurſius proponit) refutare, quia id nimis eſſet moleſtum: nō enim mirum eſt Accurſiū ibi erraſſe, cum & alij doctores ferè omnes errauerint, quia textus corruptus erat. Itaque ſic legendum eſt: Si paterfamilias Titium quem ingenuum eſſe credebat, hæredem ſcripſerit, eique ſi hæres non eſſet Sempronium cohæredem ſubſtituerit, & cętera. vt pateat, ſi cohæres Titio Sempronius fuit prius duos ſemiſſes conſtituendos eſſe, vt alter ad Sempronium, alter ad Titium pertineat: deinde propter patrisfamilias errorem rurſus ſemiſſem illū Titij cum Sempronio æquis portionibus diuidendum, quod inſtitutiones aſſerere videntur, quæ in partem admitti debere ſubſtitutum referunt: partis autem appellatione, de dimidia intelligendum eſt. Nec obſtat quod Iuriſconſultus, de ſemiſſe integro Sempronio dando expreſsè non loquatur, quia cum principalis tractatus ſit de errore teſtatoris nihil pertinuit diutius immorari in Sempronij portione, cum id ſcrupulo omni careat.

Ad l. Gallus. D. de liberis & poſthumis.

Cum nono menſe mulier pariat, cur ad decimum leges ſe referant, declaratum. & ratio allata, quam nec Accurſius nec alij interpretes attulerint vnquam.

Natus poſt decem menſes.

Pariendi tempus.

Romulus annum x. menſium fecit.

Tempus decem mēſium à Gallo præfinitum doctores in *l. Gallus. D. de liber. & poſthum.* putauerunt, quod & ſecundùm communem curſum, & ciuiles conſtitutiones, mulier partum in vtero vltra id tempus non geſtet. Quamobrem conſtitutū vt poſt decem menſes mortis natus, ad legitimā hereditatem non admittatur. *l. in teſtat. §. fi. D. de ſuis & legitim.* Sed ſi communem naturæ curſum attēdamus, verum non videtur, quod doctores tradūt, cùm nunquā aut perrarò mulier, vt vſu videmus, nonū mēſem egrediatur. Hęc igitur paulo altius repetenda, & aliter declaranda ſunt, quàm à doctoribus fit. Sciendū igitur quòd vt hęc ætate omnibus ferè perſuaſum eſt, partū nono menſe edi: ita veteres menſe decimo parere mulieręs credebant. autor eſt Ariſt. *lib. de nat. anim.* 7. [Cùm vnum, inquit, pariendi tempus natura conſtitutum ſit cæteris animantibus, homini multiplex datum. Nam ſeptimo menſe, octauo, & nono mulier parere poteſt: & quod ſæpiſſimè fit, decimo, nonnullæ etiam vndecimum tangunt.] Et Ouid. cauſas cur Romulus annum decem menſium conſtituerit, *lib. 1. Faſto.* exponens hanc quoque eleganter in hæc verba ſcripſit.

Quod ſatis eſt vtero matris dum prodeat infans,
Hoc anno ſtatuit, temporis eſſe ſatis.

Is aſſentitur Cicer. *Pro Cluent.* cum ait:

[Nihil iam ad hanc improbitatem addi poſſe videtur. attendite exitum, quæ mulier obteſtatione viri decem illis menſibus, ne domum quidem vllam niſi ſocrus ſua noſſe debuit.

Plautus item in Ciſtellaria.

Tum illa quam compreſſerat
Decimo poſt menſe exacto, hîc peperit filium.

Denique Salomon. *Sapient.* 3. [In ventre matris meæ, inquit, figúratus ſum caro. Decem menſiū tempore coagulatus ſum, in ſanguinem ex ſanguine hominis & delectamento ſomni conueniente.

Ad l. Gallus. de liberis & poſthumis.

Formula Galli, legem Papiam non officere, noua ratione probatum, quam ea quam Accurſius attulit.

Voluit ſua formula Gallus prouidere, ne nepotis agnatione rumperetur teſtamentum. Ideo ſic conſuluit ſubſtitutionem concipiendam: [Si filius me viuo moriatur, &c.] At verendum eſt ne in Syllam inciderit, putans vitare Charybdim: ſiquidem teſtamentum tunc non conſiſtat ex lege Papia, quæ conſtituit, vt ſi primo gradu hæres inſtitutus diem ſuum viuo teſtante obierit, teſtamentum ſit in cauſam caduci: ideo hereditas non ad ſubſtitutum pertineat, ſed fiſco deferatur. *l. vn. §. pro ſecundo. C. de cadu. tollend.* item veniunt. *§. cum antequam. D. de pet. her.* fruſtrà ergo Gallus prouidit, ne teſtamenta rumperentur, quæ iam rupta erant, & in cauſam caduci deuoluta, morte filij. *l. nam & ſi ſub conditione. § poſt defectum. D. de iniuſt. teſtam. Bald. & Angel. fratres in ea. l. putauerunt.* formulam Galli neceſſario intelligendam, cùm filio datus eſt coheres, cuius aditione filio etiam ſubducto de medio in vita teſtantis, teſtamentum confirmari potuit. Qui ſenſus diuinatorius eſt, & confutatur apertè per *d. l. Gallus. §. in omnibus.* vt Modern. verboſe proſequuntur: in quos ad Bald. & Ang. defenſionem, ego in *d. l. Gallus. §. in omnibus.* nouè intellexit, Iaſ. plurimorum relatis & confutatis opinionibus tandem putat filio herede vniuerſali viuo teſtatore moriente, eius inſtitutionem in cauſam caduci verti: at teſtamentum nihilominus valere, propterea quòd nepos ſubſtitutus ſit, & à ſecundo gradu vires teſtamētum ſumat. *l. 3. §. fi. D. de lib. & poſth.* etiamſi inſtitutus viuo teſtāte decedat. *l. ſi pater filium. D. de vulg.* Sed tunc ex eiuſdem Iaſ. ſententia obſtat, quoniam ſi fingamus non ſubſtitutum nepotem, ſed præteritum filiúmque viuo teſtante deceſſiſſe, iam durat argumentum. neque enim poſthumi præteriti natiuitate, teſtamentum rumpi poteſt. quod iam quia in cauſam caduci verſum eſt, irritum fuit: quocirca inanis Galli prouiſio, quæ ideo inducta eſt, ne teſtamenta nepotis poſthumi præteriti natiuitate rumperentur: cū ante poſthumi exiſtentiam ruptum eſſet. Et quod dicimus teſtamētum a ſubſtitutione ſumere vires, verū eſt, ſi ſubſtitutus mortis teſtātis, tempore natus erat: alioqui à ſecundo gradu non accepit effectū teſtamentum. Nam quo pacto id quod non eſt, robur teſtamento dare poteſt. Denique voluntates vltimæ nō ſuſpenduntur. *l. ſi. D. com. præd.* In pendēti autē eſſet huiuſmodi volūtas, quoniā fieri poſſet, vt naſceretur poſthumus: quo caſu teſtamentum vires in hac ſententia ſumeret. Fieri etiā poſſet, vt non naſceretur, aut naſceretur, ſed abortiuus, & tūc nullo eſſet teſtantis voluntati, vel damno, vel adiumento. *Vxoris abortu. C. de poſthum. her. inſtit.* Hæc omnia fortaſſe præſentiens Iaſ. intollerabiliter diuinat, neceſſarióque. *d. l. Gall.* intelligendam dicit cum adiunctus eſt nepoti naſcituro (non pure, ſed poſt mortem filij, ſi filius viuo teſtato moriatur.) alius ſubſtitutus, in rerum natura exiſtens. Quæ declaratio quam abſurdè diuinet, quámque parum congrua ſit, non eſt neceſſum me pluribus demonſtrare: ſeipſam enim oſtendit. Alciat. nouiſſime lib. *Parad.* 3. *cap.* 6. longè clariùs difficultates omnes tolli dicit, ſi filium ſecundùm conſilium Galli nominatum, non inſtitutum eſſe, ſed ſolum in conditione poſitum teneamus: tunc enim nihil eſt, quod de Papia l. obiiciatur, quæ tunc duntaxat locum habet, cum is, qui primo gradu heres inſtitutus eſt, viuo teſtatore decedit. Sed nec hæc diſſolutio rem ipſam ſatis concludit, nobiſque potiſſimum probari non poteſt, qui ſemper in ea veriſſima fuimus ſententia, vt in formula Galli, filius tacitè inſtitutus ſit: ideò ex teſtamento veniat. *l. cum in teſtamento. D. de her. inſtitut.* quare non in cōditione, ſed in diſpoſitione poſitus intelligi debet. Quid igitur nos in tam ſalebroſo articulo dicemus? Et mihi hic nodus alio pacto diſſoluendus videtur. Sciendum igitur quandam fuiſſe legem Papiam, olim à Papio latam, cuius Cice. pro Archia poeta meminit. Ea vſu vrbis peregrini prohibebantur, imò verò omnes, qui Romani ciues non erant, exire cogebantur. Quā legem idem Cic. in 3. Offic. deteſtatur. [Malè, inquit, faciunt qui peregrinos vrbibus vti prohibent, eóſq; exterminant: vt Petronius apud patres noſtros fecit, & nuper Papius.] quam tamen legem primū tuliſſe apud Lacedæmonios Lycurgum, hiſtorici prodiderunt. Cùm enim Lacedęmonij rei bellicæ ſtudioſiſſimi eſſent iuuētutem ſuam omni laborum genere exercebant, quo ea ad rem bellicam aptior eſſet. Ne autem peregrinis voluptatibus corrumperentur, Lycurgus peregrinos vſu ciuitatis prohibuit: fecitque vt numo ferreo Lacedæmonij vterentur, nec exterarum gētium corrumperentur commercio. Fuit & alia lex Papia ab Auguſto lata, Papio Poppęo, vt opinor, inuctore, quàm ideò appellari Papiam Augu. voluit, quod ea inſtituta ſunt vectigalia. Cum. n. propter numeroſam exercituū multitudinē, quos Auguſt. Cęſar alebat, pecunia, quę bellorū neruus eſt, in-

digeret, lege lata vectigalia inſtituit: quæ ne noua & dura nimium populo viderentur, & vt ſe excuſaret, profeſſus eſt, diui Iulij commentariis ſe edoctum, vt ea inſtitueret. Qua fortaſſe ratione Iuuenal. hanc legem quandoque Iuliam dixit. [Nam placet (inquit) Vrſidio lex Iulia,] Habuit porrò lex hæc Papia alia capita, quorum bona pars non alio ſpectabat: quàm vt ærarium adaugeretur. Ex his illud vnum fuit, vt quod coniunx coniugi reliquiſſet non exiſtentibus liberis, eius decima pars fiſco addiceretur. Quæ lex hodie noua C. conſtitutione antiquata eſt, conceſſúmque vt tantum ſibi inuicem coniuges derelinquant, quantum ſuperſtitis amor exegerit. *l. fi. Co. de infir. Pœ. celib.* Ad quam l. alluſiſſe videtur Iuuen. Satyr. 9. cum inquit:

Iam pater es, dedimus quod famæ opponere poſſis,
Iura parentis habes, propter me ſcriberis hæres.
Legatum omne capis, necnon & dulce caducum.

Si enim filios non gignebant, decima legati parte multabantur. Alterum caput erat, vt ſi quis extraneus hæres inſtitutus fuiſſet, is priuſquam hæreditatem adiret, viceſimá partem fiſco impēdere teneretur. qua lege filij & proximiores hæredes non tenebantur. Quæ lex item ſublata fuit. *l. fi. C. de edict. di. Adr. tol.* Tertium caput erat, vt ſi hæres inſtitutus viuente teſtatore, aut mortuo, ſed ante aditam hæreditatem, deceſſiſſet, fiſco bona addicerentur: ita tamen, vt in liberis vſque ad tertium gradum locum non haberet. Quæ lex hodie quoque ab aula receſſit: quódque ea liberis ad tertium vſque gradum permiſerat, Iuſtiniani lex omnibus conceſſit. *l. vna. ver. cum lex. C. de cad. tol.* Quod ergo doctores dicunt, in conſilio Galli inſtitutionem filij caducam eſſe, verum non eſt, duplici ratione. Prima, quia lex Papia ad filij, nepotis, vel etiam pronepotis inſtitutionem non pertinebat, *d. l. vna. verſ. cum lex.* Altera, quia Galli tempore, nulla erat lex Papia de caducis: quemadmodum neque hodie, vtpotè per Iuſtin, exploſa. Hæc habui quę dicerem ad *l. Gallus.* quæ doctiſſimus Corraſius in ſuis Miſcellaneis obſeruationibus animaduertit.

NOTAE AD GLOSSAS IN LIBRVM TRIGESIMVM PANdectarum iuris ciuilis.

Ad titulum de teſtamento militari.

PLerumque Accurſius non ſibi conſtans varias interpretationes affert, planè diuerſas & ſibi inuicem contrarias, vt in *l. ſi certarum. §. ſi eodem. de teſtamento militis.* hic autem locus [illegible] ſe habet. Si eodem teſtamento miles eundem hæredem, dein & exhæredem ſcripſerit, adempta videtur hæreditas, cum in paganorum teſtamento ſola hereditas exhæredatione adimi nō poſſet: Accurſius eſſe etiam ait, qui adimi poſſit ſcribant, & vt ſolet vtramque ſcripturam interpretatur. Itaque ſemper eſt in dubio. Idem Accurſius in *l. 1. de legatis. 1.* de interrogatione inter Ioannem & Rogerium controuerſiam fuiſſe refert.

Ad l. 2. §. ſi dubitetur. D. quemadmodum teſtamenta aperiantur.

Quem præſumi viuere vſque ad centum annos, à noſtratibus Doctoribus non ſatis rectè dictum.
Viuere an quis præſumatur centum annis.
Præſumptio à ſolitis euenire.
Vitæ finis longiſſimus.
Vitæ longiſſimæ exempla.
Moſes 125. annis vixit.
Ioannis de temporibus vita longiſſima.

Solet Accurſ. noſter, ſoléntq; cæteri interpretes, vulgò dicere, quemlibet præſumi viuere, etiam vſque ad centum annos, niſi probetur mortuus. Accurſ. & alij. *l. 2. §. ſi dubitetur. D. quemad. teſtam. aper. & in l. ſed & ſi de ſua. D. de adquir. here.* cum hoc tempus vitæ longæui hominis, plerumque finis eſſe dignoſcatur. *l. an vſusfructus. D. de vſufr. l. fin. Co. de ſacroſan. eccle. §. 1. vt eccle. Roma. coll. 2. indéque Angel. d. l. ſed & ſi de ſua.* nouum modum introducit ad irritandos proceſſus, ſi in fine iudicij, à reo opponatur, Actorem filiumf. eſſe, atque ita iudicium nullum. *l. fin. §. neceſſitate. C. de bon. quæ lib.* erit enim, inquit, præſumptio, pro opponente, quæ ſufficiet ad victoriam. *l. omnes. §. Lucius. D. quæ in fraud. cred. & l. abſentem. D. de pœn.* Succumbétque proculdubio actor, ſi nō ſuperſit tempus probandi oppoſitum. Cæterùm mihi nullo tempore probabilis viſa eſt ea coniectura, vt dicamus, in dubio præſumi quem viuere centum annis. ducta enim à frequenter contingentibus coniectura, quæ optima eſt. *l. certi condictio. §. quoniam. D. de reb. cred. Accur. l. naturales. C. de probat. Bal. l. conuenticulam. C. de epiſc. & cle.* potius contrarium præſumendum eſſet, quod & Maximus, in tractatu, *l. Falcidia. l. velle videtur. hereditatum. D. ad l. Falcid.* non itaque ſequitur, fieri poteſt, vt quis centum annis viuat: ergo tanto tempore viuere quis præſumitur. Quo breuiter ſatisfit legibus in contrarium adductis, quæ id tātum dicunt, finem longæui hominis, eſſe centum annorum. *d. l. an vſusfructus. d. l. fi. & d. §.* at non inde rectè colligitur, ergo pręſumendum eſt, quemcūque eam vitæ metam pertingere. Nec ab hac noſtra ſententia Fran. Are. in d. l. ſed & ſi de ſua, abhorrere mihi videtur: qui prætereà non inſubtiliter illi oſtendi illationes Angeli, à verò longè, latéque abeſſe. Sed quoniam in longitudinem vitæ incidimus, non alienum erit illud ex bonis auctoribus ad eam rem cōtexere, Dioſcor. Iuriſconſultis noſtris conſentire, anno quoque centeſimo hominum vitā circumſcribentem, cordis ratione, quod in anniculo menſum habeat drachmarum duarum: in bino quatuor, in trino ſex, ac demum pro curſu pari in annum quinquageſimum, à quo decrementa incipiunt, & ad æquilibrium ſupputantur: vnde fit, vt alio quidquaginta annorum ambitu peracto cordis delapſu, nullum ſuperſit vitæ ſpatium. Cui rationi pleráque longioris vitæ exempla repugnant, vt quod de Terentia Ciceronis effertur, eam cxvij. annis vixiſſe: Clodiam offelli cxv. & hanc quidem, inquit Plin. lib. 7. cap. 48. quindecies enixam: Lucciam Mimmam, centum annis in ſcena pronunciaſſe, & his ſimilia multa. Nam & Iuſtinianus ſe refert egiſſe, cum Zoſimo abbate, centeſimum & vigeſimum ætatis annum agente. *§. ſi vero intra. de mona. colla. 1.* quod ſpatium vitæ cxx. annorum, Deus Opt. Max. homini tribuiſſe videtur. Geneſ. 6. non permanebit Spiritus meus, dixit Dominus, in homine in æternum, quia caro eſt, eruntque dies illius, centum viginti annorum. eundémque vitæ terminum Treuellius Pollio in Claudio Mathematicorum doctiſſimo, homini tribuiſſe ſcribit, háncque metam ſolum Moſem Dei familiarem, quinque annis prætergreſſum, qui cum quereretur, quòd ſibi iuueni occumbendum foret, ab incerto nomine reſponſum ferunt, futurum neminem qui eum vitæ menſum excederet, vt fabuloſum merito iudicari poſſit, quod ex Aſinio Pollione, & Herodoto refert Valer. *lib. 8. cap. 14.* Argantonium Gaditanum, centum & triginta annos expleuiſſe: eandémque vitæ metam Æthiopes, & Indos tranſgredi. Adiiciens ex Theopompo, Epimenidem Cnoſium, ſeptem quinquaginta & cētum annos vixiſſe. Sed & falſa manifeſtius fabulari videretur Gnagninus noſter in Ludouici Groſſi annalibus, memorans, Ioannem de Temporibus, Caroli magni quondam militem cċlx. annos attigiſſe, niſi prudenter adieciſſet, ſe id fabulæ magis, quàm hiſtoriæ adſcribere. Si quis autem longioris, breuioriſque vitæ rationes ex philoſophorum ſcholis diſcere cupit, legat Rhod. in 20. *lect. Antiq.* 134. Hæc ex doctiſſimo Iuriſconſulto Tholoſate, quæ ad rem facerent, amice lector collegi, & in hunc locum tranſtuli.

NOTÆ

NOTAE AD GLOSSAS IN LIB. TRIGESIMVM PRIMVM, ET ſecundum Pandectarum. iuris ciuilis.

Ad titulos de legatis & fideicommiſſis.

Ad l.1. de legatis errauit grauiter Haloander.

Cur Iuſtinianus ſe frequenter eorum auctorem prædicet, quæ apud Iureconſultos paſſim leguntur. quam rationem Accurſius ignorauit.
Legatorum & fideicommiſſorum adæquatio.
Subſtitutus exheredati non grauatur legatis.
Libertorum ſucceſſio.
Heres non poteſt teſtis eſſe.
Donationes cauſa mortis comparata legatis.
Iuſtinianus omnia ſua facit.
Haloandri caſtigatio taxatur.
Explicata noue. l.1. D. de legat.1.

MIrum eſt: quòd Iuſtinianus ſe non vno in loco, corũ autorem iactitat, quæ multo ante tempore, ab Vlpiano cæteriſque Iuriſconſultis, tradita fuêre: vt ecce Iuſtinianus, aduerſus antiquæ legis ſcrupulum, ſe omnia legata fideicommiſſis exæquaſſe profitetur, *l. 2. C. com. de leg. §. ſed non vſque. de legat. in Inſtit.* cùm tamẽ Vlpianus anteà ſcripſiſſet, Per omnia exæquata eſſe legata fideicommiſſis, *l.1. D. de legat.1.* Rurſus Iuſtinianus ſe noue edicere affirmat, ſubſtitutum impuberis exheredati, legatis, aut fideicommiſſis, prægrauari non poſſe. *l. cùm quidam. C. de leg.* cùm ante Iuſtinianum, à Triphonio iureconſulto, id conſtitutum legatur, *l. miles ita. § ſi miles. ff. de milit. teſta.* Idem Iuſtinianus præterea, ſe ſua conſtitutione gloriatur libertorũ ita ſucceſſionem definiuiſſe, vt, ſi libertus minùs habeat in patrimonio, centum ſolidis, ad eius hæreditatem, condito teſtamento, patronus nullum locum habeat. idémque ſi maior fuerit centenario libertus, & liberos reliquerit. Alioqui in teſtamẽto patronatus inſolidũ hæres fiat: condito verò teſtamẽto, per contra tabulas tertiam partem conſequatur. Cæterùm id ipſum Africani quoque tempore obſeruatum fuiſſe, in Pandectis legimus, *l. liberto octoginta. D. de bo. liber.* Deinde Vlpianus dicit, hæredem eodem teſtamento, quo ſcriptus eſt, teſtem adhiberi non poſſe, *l. qui teſtamento. in prin. D. de teſta.* Iuſtinianus verò, ſubtilitate veteris legis correcta, id à ſe vetitum prædicat. *§. ſed neque. de teſta.* Denique iactitat & ipſe, per omnia redactas à ſe ad exemplum legatorum mortis cauſa donationes. *l. ſi. C. de donat. cauſa mort. §. de donat. Inſt.* Cùm tamen id meminiſſe oportere, Vlpianus dicat, legatis comparatas eſſe prorſus donationes cauſa mortis. Et idcircò quodcunque in legatis iuris eſt in mortis cauſa donationibus accipiendum, *l. illud. in princ. D. de donat. cauſ. mort.* Sunt & alia pleráque huius generis exempla, quæ omnia recenſere longiſſimum fuerit, neq; valdè arbitror expedire. Etenim, vt vno verbo dicam, horum omnium ideo Iuſtinianus ſe authorem dicit, quòd ea veteribus ſparsè, imperfectè, & parum aptè tradita, in vnum ipſe coëgerit, ſuiſque locis congruentiſſimè collocarit: & rerum, & temporum ordine ſeruato. *l. vna. §. quibus. C. de no. Co. fac.* [Omnia enim, inquit, meritò noſtra facimus, quibus, noſtram autoritatem impertimur. nam qui ſubtiliter factum emẽdat, laudabilior eſt eo, qui primus inuenit,] *l.1. §. & ideo. C. de vet. iur. enuc.* Et paulò poſt, [cùm antiqua lege ait, quæ Regiæ nuncupabatur, omne ius, omniſq; poteſtas populi Romani, in imperatoriam tranſlata ſit poteſtatem: nos ſanctionem omnem nõ diuidimus in alias, & alias conditorum partes: ſed totam noſtram eſſe voluimus: ne quid poſſit antiquitas noſtris legibus abrogare.] Et idem Imp. in *l.2. §. tanta autẽ. eod. ti.* [vna, inquit, omnibus autoritate indulta, vt quicquid in veteribus legibus ſcriptum eſt, hoc noſtrum appareat, & ex noſtra voluntate compoſitum.] Et in prœmio Pandect. Digeſtorum leges ſuas eſſe dicit, *§. & hoc. tres in proœm. Digeſtorum.* Sunt autem hæc in cauſa, vt exiſtimẽ lapſum eſſe grauiter Gregorium Haloandrum virum alioqui diligentem, & bene doctum, cum ex *l.1. ff. de leg. 1.* Vlpiani inſcriptionem, ſuſtulit, ea, vt veriſimile eſt, ratione adductum, quòd eius conſtitutionis ſententiam Vlpiano falsò aſcribi, totámque Iuſtiniani, aut ſi mauis, Triboniani fuiſſe putaret, *l.2. C. com. de leg. § ſed non vſque. de legat. inſt.* Qua in re, vt præmonui, fœdè lapſus eſt: nam præterquam quòd ita Florentiæ ſcriptum, *Vlpian. lib. 67. ad dictum*, ad illud caput *d. l.* eruditi viri teſtantur, in eo vt oſtendimus, vis faciunda nõ eſt, quod Vlpiani reſponſum, nouæ Iuſtiniani conſtitutioni conſonet: cùm ea omnia ſua dicat Iuſtinianus, quæ ab Vlpiano reliquiſque iuriſconſultis, atque adeò ab omni antiquitate prodita ſunt quibus ipſe ſuam autoritatem impertitus eſt, *d. l. 1. §. & ideò. & d. l. 2. § tanta autem. C. de veter. iur. enucl.*

Ad tit. de legatis. 1.

Pleriq; interpretes initio huius tituli ſuperuacanea proferunt in medium: hic enim multa inepta & ridicula ac inutilia præfantur. Huiuſmodi eſt quæſtio de cõiunctone Titulorum, quam continuationem vocant: verboſiſſimè ab eiſdem tractata: ſed non opus fuit tam multis verborum ambagibus vti. nam cur de legatis hic ſit tractatum, Iuſtinianus ipſe docet, *l.2. §. Quintus. C. de veteri iure enucleando.* Huius generis eſt & illa quæſtio inanis, ſcilicet & ſuperuacua, cur in tres libros diuiditur hic tractatus. hic enim non minùs ineptiunt interpretes, quàm in ſuperiore quæſtione, ſanè prolixitas tractationis cauſa fuit huius diuiſionis.

Malè quidam interpretes diſcrimen conſtituunt inter legatum, & fideicommiſſum. putant enim legendum eſſe, cuius verba diriguntur ad honoratum fideicommiſſum, cùm ad hæredem, ſi vis ſcire diſcrimen, id cognoſces ex libro Regularum Vlpiani, *tit. 24. de legatis, & 28. de fideicommiſſis.*

Ad l.8.

Accurſius ignorauit quinam eſſent lecticarij. putauit enim lecticarios eſſe qui lecticas faciunt: quod falſum eſt. Nam lecticarij ſerui ſunt qui lecticas portant. *l. item legato. 49. in princ. de legatis 3.* Nam ſolebant octo ſerui in hoc miniſterio adhiberi. vnde Octophorum dictum Martialis,

Octophoro ſanus portatur antè Philippus.

Ad tit. de legatis primo.

De intellectu, l. ſi duobus. in prin. D. de legat primo. & an tempore Digeſtorum caduca in vſu fuerint, contra aliorum opinionem.

Pomponius in *l. ſi duobus. in princ. D. de legat. primo.* Si duobus, inquit, res legata ſit, quamuis alter in rerum natura non fuerit, alteri deberi ſolam partem: & hoc puto verũ eſſe. Quibus verbis ſignificatur, ſi duobus res legata ſit, & alter in rerũ natura non fuerit: deficientem partem legatario non accreſcere. Vnde cõſequens eſt, eam partem caducam fieri, & fiſco inferri. Verùm obſtat, *l. vnica. § in primo, & §. pro ſecundo. C. de caduc. toll.* Vbi dicitur legatum deficiens cõiuncto cedere, nec caducum fore. Reſpondet gl. *in d. l. ſi duobus. in princ. collegatarium.* in caſu illius legis, in rerum natura non fuiſſe, ſed in ſpe. Quod intelligẽdum eſt de poſthumo: quaſi collegatarius poſthumus fuerit: & ideò partem legati, collegatario non accreſcere. Sed in caſu *d. l. vnica. § in primo. & §. pro ſecundo.* non ſperari poſthumum, vt puta mortuum. Etſi verò hic intellectus communiter videatur approbatus: Videant tamen alij, an defendi poſſit, cùm præſupponat, alterum ex collegatariis, in caſu *d. l. ſi duobus. in princ.* poſthumum fuiſſe: quod ex verbis reſponſi colligi nõ poteſt. Neque enim poſthumi vlla illic mentio fit. Hinc forte Accurſius, hoc intellectu non contentus: alium Ioannis intellectum adfert, vt dicamus text. in *d. l. ſi duobus in princ.* loqui in caſu caduci: & quod dicit, non fuerit, intelligi non fuiſſe tempore mortis teſtatoris, ſed tempore teſtamenti. Quod Bartol, eo intelligit, quaſi iure Digeſtorũ caduca fiſco illata ſint. Et ſecundum hoc, id corrigi per dictum *§. pro ſecundo.* Verùm hunc intellectum reprobat Bartolus aſſerens, etiam iure Digeſtorum, caduca non fuiſſe applicata fiſco, ſed coniunctis accreuiſſe. Idque iuxta *d. l. ſi duobus §. finali. & l. Celſus. § penul. & finali. D. de leg. 2.* Vt meritò dici non poſſit, *d. l. ſi duobus. in princ.* per dictam l. *vnicam. § pro ſecundo*, corrigi.

Ego verò prædictum Ioannis intellectum defendi poſſe arbitror. Nam conſtat etiam tempore Ciceronis, qui longè ante D.geſt.compilationẽ vixit,caduca in vſu fuiſſe. Sic enim ſcribit in Philipp.10.[Quæ celeritas illa Bruti,quæ cura,quæ virtus? Et ſane illa quidem Antonij celeritas contemnenda eſt: quem niſi miræ caducæ hæreditates retardaſſent, voluiſſe eum,non iter feciſſe diceres. Sed,& Iuuenalis caducorum mẽtionem facit,his qui ſequuntur verſibus:

Legatum omne capis,necnon & dulce caducum,
Commoda prætereà iungantur multa caducis.

Vt appareat etiam Iuuenalis tempore, caduca incognita non fuiſſe.Quin & Vlpianus in *l.Item veniunt.§.pridie.& D.de petit.hered.* ſenatuſconſultum refert, de caducis partibus fiſco petitis. Quem textum Bartolus non ſatis diluit. Nec obſtant leges per Bart.in contrarium adductæ. Nam quòd allegat *d.l.ſi duobus.§.fin.* vbi traditur partem deficientem collegatario accreſcere,Reſpondeo,in caſu illius legis, legatũ relictum fuiſſe legatario, qui etiam ante conditum teſtamẽtum, in rerum natura non erat. Nam legatum erat relictum Titio, & cuidam poſthumo, qui nunquam fuerat. Et iſto caſu etiam iure antiquo conſtitutum erat legatum caducum non eſſe, ſed ius accreſcendi locum habere: Vt Iuſtin. Imp. *in d.l.vnica.§.primo.refert.* Non ergo caſus *d.l.ſi duobus.§.fin.* ad caducorum materiam pertinet. Quod etiam Bartolus allegat *d.l.Celſus.in princ.* Reſpondeo,illis legatum ex præſumpta teſtatoris voluntate, pro non ſcripto haberi. Quod & gloſſa illic admonet. Et hic quoq; caſus,ad materiam caducorum non pertinet, vt habetur *in d.l.vnica.§.& cum triplici.ibi.* eáque pro non ſcriptis eſſe,iuncto *§.in primo.* Et ex his omnibus non poſſum non ſuprascriptũ Ioãnis intellectum approbare,vt *d.l.ſi duobus.in princ.* intelligatur in caſu,quo ante mortem teſtatoris, non tamen ante teſtamentum conditum, relictum deficiebat. Id enim iure antiquo, id eſt,iure digeſtorum,caducum dicebatur: iuxta *d.l.1.§.& cum triplici,verſ.vel viuo teſtatore,* iuncto *§.pro ſecundo. & d.l.item veniunt.§.pridie,& §.ſeq.* Verùm iure Codicis in *§.pro ſecundo.* ius illud vetus,ſiue digeſtorum, correctum eſt: vt tale legatũ ampliùs caducum non fiat, ſed coheredi accreſcat. Hæc Bernardinus Valtherus doctiſſimè animaduertit contra interpretes omnes.

Ad l.planè.§.ſi duobus.eod.tit.

De intellectu l.planè.§.ſi duobus.D.de leg.1.& l.ſi quis Titio.D.de vſufruct.accreſc.& quomodo hæ duæ leges conciliari poſſint:quas Accurſius conciliare non potuit.

Si teſtator heredi & Titio rem leget legatum ſoli legatario cedit.*l.planè §.ſi duobus.ff.de lega.1.* ſecùs autem eſt, ſi heredi, & Titio vſumfructum leget: tunc enim legatarius partẽ duntaxat vſusfructus cõſequitur: *l.ſi quis Titio.D.de vſufr.accreſc.* Sed quæ eſt ratio diuerſitatis, in his caſibus? Et vt omittã quæ Doct.in *d.§.ſi duobus,* tradunt:reperi Zaſ. in ſingul. intellectibus,ſpecialitatem in vſufructu ſubeſſe arbitrari: quia vſusfructus legati quaſi dominium non acquiritur, mox ab adita: ſed tum demum,cùm per hæredem conſtituitur, *l.3.in prin.ff.de vſufr.l.2.D.quando dies legat.ced.* Bart.*in l.1.in prin.D.de ſeruit.cum concord.* Et ideò heres adeundo hæreditatem, iam factus dominus rerum hereditariarum: partem vſusfructus, iure vetuſtiori,tanquam ſuam,titulo ſucceſſionis, retinet.Quo nomine,cùm legati portio,quæ heredem reſpicit,ab initio, mox ab adita ſua heredis eſſe comperitur, meritò is partem ſocio facit, per regulam traditam *in l.huiuſmodi.§.ſi Titio.D.de legat.primo.* Hæc Zaſ. qui hanc rationem à nemine tractam eſſe aſſerit. Ego aliã quoque ſolutionem in medium adferri poſſe arbitror: Nempe quòd dominium bonorum hæreditariorum vigore inſtitutionis heredi competit, *§.fi.Inſtit.de hered.qual.& differ.* Si ergo teſtator heredi, & Titio rem hereditariam leget:eidem heredi,bis idem reliquiſſe cenſendus eſt: & primo quidem titulo hereditario,deinde verò titulo legati.Quẽadmodum autem bis idem promiſſum non debetur: niſi prior promiſſio ſit inualida,ſiue inutilis, *l.qui bis idem.D.de verbor.obli.* Ita nec res hereditaria heredi iure inſtitutionis ſemel relicta,eidem ab eodem teſtatore,legari vtiliter poterit.Quæ ratio ceſſat in legato vſusfructus.Nam proprietatem habere quis poteſt,alio habente vſumfructum, vt dicitur *Inſtit.de hered.inſtit.in princ.verſ.proprius autem.* Et ideò cum teſtator heredi,& Titio vſumfructum fundi hereditarij legat, dici non poteſt, eundem fundum heredi bis reliquiſſe. Cenſebitur enim titulo inſtitutionis, proprietatem dũtaxat fundi: titulo autem legati,eiuſdem fundi vſumfructum illi relinquere voluiſſe. Et hinc eſt,quòd heres in legato vſusfructus,cum legatario partẽ capit, *d.l.ſi quis Titio.* quod in aliis legatis ſecùs eſt *d.l.planè.§.ſi duobus.* Hæc ex Miſcellaneis obſeruationibus doctiſſimi viri deſumpſi.

Ad §.ſi Titio.

Errauit grauiter Bartolus cum aliis, qui intelligunt hanc legem,cùm non eſt in rerum natura,nec eſſe ſperatur, contrariam verò legem accipiunt, cùm non eſt,ſed eſſe ſperatur. Nihil potuit dici alienius à mente & ſententia Iuteconſulti. Stultum eſt enim dicere, Non ſperari natiuitatem poſthumi:ſi non aliqua ratio hoc ſuadeat.

Malè Accurſius ad l. 18. ait portionẽ repudiatam accreſcere coheredi cum onere legati, quæ ſententia defendi non poteſt ſecundùm ſubtilitatem: Cùm legatum inutile ſit non poteſt eo hereditas onerata dici. dicendum igitur benigna interpretatione hoc admitti propter voluntatem. Obſerua eodem in oco Accurſium non rectè diſtinguere ſuum ab extraneo.

Ad l.22.

Non potuit Accurſius diſſoluere quandam Antinomiam, quæ erat ex *l.ſi ita legatum.§.ſi domus.hoc titulo.* vbi perit legatum domus,ſi deſtructa ſit, & alia ædificata. hoc enim ſolum ait Accurſius,diuerſum caſum eſſe, nec aliud quidquam addit. Vidit fortè quod & quidam alij in ea ſpecie extructam eſſe aliam domum in area. Sed debuit rationem aliquam huius diuerſitatis afferre. Non ſatis eſt ſpecies diuerſas eſſe, niſi ratio quoque diuerſa ſit, *l.à Titio.de verb.oblig.* Et reuera non putat Duarenus rationem bonam diuerſitatis afferri poſſe, ſed diſſimilitudinem ſic pone. Pomponius hîc loquitur de domo cõbuſta.Celſus in illa,de domo, quam teſtator deſtruxit, vt aliam ædificaret:quo caſu non debetur,ne area quidem, quia creditur mutata voluntas teſtatoris.

Ad tít.de legatis.2.

Accurſius in *l.Mæuius.66.§.duorum.* valdè errat, ita vt tota ferè eius gloſſa delenda ſit, & præcipua erroris cauſa eſt praua lectio.[ibi enim neq; plures in vno fundo dominium iuris intellectu non diuiſione corporum continet.] legit male neque plures,pro,namque plures. Et conatur exponere eum locum duobus modis,ſed mehercule tam alienis à vero ſenſu, vt non mereantur vt eas in medium afferam. Igitur ne in his quæ minimè neceſſaria arbitror cõfutandis tempus teram. ſic in hoc reſponſo fingendum eſſe caſum opinor: Fundus communis erat Mæuio & Sempronio: fingamus duorum teſtamentis mihi legatam partem huius fundi, quæ Mæuij eſt. hoc caſu ſolutio prior perimit alteram actionem: ſed ſi fingamus nihil dictum de Mæuio,ſed ſimpliciter legatam partem fundi: non idem erit quod ſuperius,quoniam Mæuius & Sempronius in eo fundo dominium habent iuris intellectu,non diuiſione corporũ: quo iure totus fundus illis communis eſt.Igitur,ſi ſoluatur mihi pars huius fundi, quæ fortè Sempronio in diuiſione obuenire poteſt, rectè ſoluta eſt: ſi iterum ſoluatur rectè quoque ſoluitur, tanquam ferè eadem nõ ſit cùm iuris intellectu potuerit vel Mæuij eſſe. Et hæc eſt germana & genuina ſpecies huius legis, reiecta Accurſij, & aliorum gloſſatorum interpretatione. Delenda igitur eſt gloſſa ſuper voce, [hanc eandem] in hac lege.

Ad l.ſi ita ſcriptum.eod.tit.

Bene aliquando Accurſius aliquid interpretatur,ſed eius interpretatio plerunque non congruit loco cui eam applicat, nec eſt ex mẽte Iuriſconſulti exẽpli gratia in *l.ſi ita ſcriptum.de legatis.2.* Exemplo,inquit Iuriſconſultus, turpiſſimum eſt fœminino vocabulo etiam maſculos contineri. rationem affert Accurſius,quia quod minùs dignum eſt, non debet ea quæ pinguiora ſunt comprehendere. Quæ interpretatio illi loco non conuenit. verba enim aliud ſignificant. Quod vt intelligatur,

ſcien-

ſciendum eſt veteres ſolitos fuiſſe, quoties aliquem tanquam mollem carperent, fœminino eum vocabulo irriſionis cauſa appellare, quod comprobari poteſt authoritate Ariſtophanis in Nubibus *[illegible]*. Cui reſpondit Strephades, *[illegible]*.

Ad l.cùm pater § filius matrem.de legatis.2.

Quid in hoc reſponſo Papiniani ſit, cùm iuriſiurandi religione fideicommiſſum præſtari rogare, non rectè arbitror ab Accurſio, aliòve interpretum vllo explicatum. Sic enim duobus modis id interpretatur Accurſius, vt neuter illi contextui conueniat: priore ait tunc id contingere, cùm ipſe teſtator iurarit, cuius rei vel exemplum profert ex Scæuolæ reſponſo, in *l.cum quis decederet.§.Codicillis.de legatis.3.* & Nouella Iuſtiniani 48. poſteriore, cùm ab hærede iuſiurandum præſtatur, quaſi apud Papinianum filius voluerit matrem iurare, ſe fideicommiſſum præſtiturum. Subſequuti interpretes hac in re nihil certi quod conſtituerent habentes, vtramque æquè interpretationem contextum illum admittere exiſtimarunt: ac ita eandem vim iuſiurandum iſtud vtroque modo interpoſitum operari volunt, quàm clauſulam illam: qua expreſſerit teſtator, ita ſe velle, vt quocũq; modo id fieri poſſit, diſpoſitio valeat. Hæc autem omnia nullo modo contextui conueniunt, vt doctè animaduertit Robertus ſententiarum iuris lib.1.tit.21.

Nam primùm quòd volunt teſtatorẽ iuraſſe iuxta ſpeciem facti, alio loco à Scæuola propoſita Papiniani verba conuenire non poſſunt. Nam apud Scæuolam teſtator in teſtamento non iurat, ſed refert antea inter contrahendum ſe iuraſſe. At apud Papinianum dicitur filius rogaſſe matrem cum iuriſiurãdi religione: minúſque accommodari eadem ratione poteſt illud poſterius quo volunt heredem iureiurando à teſtatore exacto obſtrictum. Nã nec verba illa conueniunt, aliámque iuriſiurandi præſtationem interueniſſe ſignificantia, teſtamento inſeranda fuiſſent: nec poſteriora, illi ſentẽtiæ quadrarent, quibus nominatim exprimit illo iureiurando apparere teſtatorem obnixe rogaſſe hæredem id vt præſtaret: malim igitur hunc locum ad obſeruationem referre, qua quis deos & ſacra obteſtans heredem rogat, vt quid det. Sic enim & obnixè heredem rogat iuxta verba Papiniani & iuriſiurandi religionem iniicit: obteſtatur enim heredem vt id agat.

Fingit enim Paulum id ad eam ſpeciem retuliſſe, in qua pecunia penes debitorem eſſet ſolutioni parata: contra vero Africanum in ea quæ ſolutioni parata non eſſet. Verùm vt illis demus plerimum momenti in aliis multis id habere, pecuniam ſolutioni paratam eſſe vt in *l.ſi ſponſalibus.ff. de iure dot.* huic quidem quæſtioni hoc nullomodo conuenit, cùm Africani verbis apertè repugnet. aſſumit enim Alciatus procuratorẽ epiſtola ſua teſtatum fuiſſe pecuniam, quam creditam ſibi relinqui volebat apud ſe eſſe, cùm nihil eiuſmodi à Paulo exprimatur. In cuius tamen reſponſi ſpecie pecuniam ſolutioni paratam fuiſſe comminiſcuntur. Raphael Fulgoſius, cùm nodi iſtius diſſolutionem aſſequi non poſſet, exiſtimauit diſſenſiſſe à Paulo in *d.l.ſingularia.* Vlpianóque in *l.rogaſti.* eodem Africano in *d.l.Qui negotia.* Vide ſolutionem apud Robertum libro 1.receptarum ſententiarum, cap.4.

Ad l.41.§.1.de legatis.2.

Hoc ſanè animaduerſione dignũ exiſtimo, Accurſium malè inter formulas legandi tantum, non verò inter perſonam extranei & mariti diſtinguere. Nam textus apertè perſonarum mentionem facit non tantum formularum: dum ita ſe habet, Non autẽ idem ius ſeruari debet in teſtamento extranei quod ſeruatur in teſtamento viri, &c.

NOTAE AD GLOSSAS IN LIB. TRIGESIMVM TERTIVM Pandectarum Iuris ciuilis.

Ad l.Qui habebat.D.de legatis.3.

PEſſimè Accurſius interpretatus eſt quædã Græca verba, quæ extant in illa l. Ex eius enim interpretatione plurima dubia relinquuntur: & illud inprimis dubium relinquitur, num teſtator pecora ſolùm quę ibi ſunt omnia, reliquerit: quandoquidem vniuerſitatis illa dictio [omnibus] pecora tantum apud eum reſpicit. at in Græco legato generaliter & abſolutè dictum fuerat, *[illegible]*, rurſus dictio illa *[illegible]*, quã ille [depoſitis] vertit, à Græco verbo *[illegible]* deducitur, quod Conſumere ſignificat: quapropter melius fuit eam referri ad omnia quæ viu conſumi poſſunt. Nam ſi prædia cum depoſitis quiſquam legauerit, fortè non idem iuris fuerit, cùm is qui pignori fundos habet, ſatis poſſit depoſitos eos habere penes ſe, donec debitor fidem abſoluat.

Ad l.legatis.de legat.3.

Malè Accurſius in hac l.interpretatur obſonatores qui cuſtodiunt dominum operam ſomno dantem, vel qui ſonant & cantant domino in menſa. Sed mirum eſt latuiſſe Accurſium, obſonari verbi ſignificationem ſatis vulgatam, & omnibus cognitu facilem.

Ad l.Pater.27 de legatis.3.

Reiicienda gloſſa Accurſij ad *§.1.l.27.de legat.3.* quæ eſt ſuper verbo Contineri. Inuertit enim planè ſententiam *l.cum ∞.* & Bartolus qui eum hac in re ſequutus eſt, verbum illud non cõtineri ad remotiſſimã dictionem retulerint, intellexerintque Iuriſcõſultum negare teſtatoris nomine Arethuſam contineri: quam interpretationem, dum quoquo modo defendere ſatagunt per cauillationes plurima Iuriſconſultorum reſponſa peruertunt. & ita etiam ſpecies à Viuianò compoſita ad hunc locum nihil valet, cùm interpretationem Accurſij ſequatur.

Ad l.Senatus.§.leg‹a›tum.de legatis.1.

Non probo Accurſij ſententiam, nec aliorum qui eum ſequuti ſunt, qui putant id quod ab Vlpiano dicitur, legatum in aliena voluntate poni poſſe, non autem heredis ad legatarium tantùm referri poſſe: ego exiſtimo in extraneo quocunque alio id intelligi oportere. & hanc ſententiã Vlpiani verba maximè comprobant. Sic enim interpretor alienam voluntatem ab eo dici extranei, qui aliàs eſt ab iis quorum negotium geritur, herede nempe ac legatario. Itaque nõ ſat probabilis mihi videtur Accurſij ſententia, licèt eam frequentiores interpretes probent, accedente his Antonio Auguſtino viro ſanè eruditiſſimo, Emendationum lib.4.cap.15. Ac notandum in eam conditionem conferri poſſe quæ in extranei poteſtate ſit, puta, Titio fundum lego, ſi Mæuius in Capitolium aſcenderit; *l.nonnunquam. D.de conditionibus & demonſtrat. & l. 21. D.de legatis.2.*

Ad l.ſi chorus.§.1.de legatis.3.

Quid ſit quod apud Iuuent. Celſum dicitur: pecuniam ſine peculio fragilem eſſe, quod Gloſſa non intellexerunt.
Error vulgaris interpretum.
Calepini abſurda interpretatio.
Senecæ ad Neronem documentum.
Nouè enucleata l.ſi chorus.§.1.
Præſidium quid.
Peculium hoc loco quid notet.

His verbis, inquit Celſus in *l.ſi chorus.§.1.D.de leg.3.* [Quæ ibi mobilia erunt meædo lego. nummos ibi repoſitos, vt mutui darentur, non eſſe legatos, Proculus ait. At eos quos præſidij cauſa repoſitos habet, vt quidam bellis ciuilibus factitarũt, eõs legato contineri: & ſæpe audiſſe ruſticos ſenes ita dicentes: Pecuniam ſine peculio fragilem eſſe. Peculium appellantes, quod præſidij cauſa reponeretur.] Hæc verba quo pa-

cto accipienda ſint, non omnibus conſtat: neque ex Accurſio, Bartolo, aliíſve eius farinæ ſcriptoribus, liquere poteſt. Ambroſius Calepinus, monachus, contra Eraſmi Parœmiam doctiſſimus, & diligens verborum indagator hunc locum ita enarrat, vt dictio peculium, lucrum notet, atque ita velit Celſus fragilem pecuniam ſine lucro. Quæ expoſitio nullatenus verbis Iuriſconſulti conuenit. Mihi breuiter videtur hæc verba alium ſenſum habere. Itaque ſecundùm veteres qui prudétiſſimi patreſfamilias fuerunt, ſolitos fuiſſe non omnem vnam in locum pecuniam reponere: ne ſi chaſmate, incendio aut bello forte fortuna periret, vniuerſa etiam hominis interiret ſubſtantia. Vnde cùm Nero aulæum quoddam inſigne comparaſſet, id videns Seneca: Declaraſti, inquit, te eſſe pauperem, cauſam rogante Nerone, Quoniam ſi iſtud amiſeris, non poteris aliud ſimile parare: apertè ſignificans, qui nummum habet vnicum, quo amiſſo nequeat alterum promere, inopem eſſe. Admonet igitur Celſus iactatū olim inter agricolas adagium, ne totam vni loco credamus ſubſtantiam: ne, ſi ea caſu pereat, quo damnum ſarciatur, nihil habeamus. Vnde docet teſtatorem, qui ita ſcripſit: quæ ibi mobilia erunt mea, do lego: eos nummos in legato comprehendi, quos præſidij cauſa repoſuit: hoc eſt, quos prouidè ſepoſuit, ne vniuerſum patrimonium vni loco crederetur. Et cum ſubiungit, ſæpe ſe audiiſſe ruſticos, ita dicentes, [Pecuniam ſine peculio fragilem eſſe: peculium appellantes, quod prædij cauſa reponeretur:] Senſus eſt, fragilem eſſe, parúmque tutam pecuniam, quæ vni tantum loco cōmiſſa, & credita eſt: ſiquidem vnica infelicitate interire poſſit. tunc quippe eſt ſine peculio, cùm non præſidij, hoc eſt, auxilij, ſalutis, ſubſidiique cauſa alicubi repoſita ſit. Porrò præſidium, quamquam propriè auxilium principale dicitur: vnde milites, qui in tutela alicuius oppidi collocati ſunt, præſidium dicuntur: tamen per tranſlationem, præſidium vocamus omne auxilium, & ſalutis propugnaculum. Patrimonium verò ſuum plerique peculium dicunt, *l. cogi. in princ. ff. ad Trebel.* Nos hoc loco pro ea pecunia, quam vti ſpecialem, & præcipuam paterfamiliâs ſeponit, vt ea ad extremum vtatur, peculium accipimus. Rem charam & peculiarem ſignificans: vt cùm dixit: Dominus Exod. 19. [Si audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis.] Hoc eſt, inquit glo. interlinearis: eritis mihi ſpecialis populus, quē paſcam, defendam, & ſicut gregem proprium nutriam, beneuolentiæ & dilectionis argumenta, præ aliis populis vobis oſtendens.

Ad l. cùm quæreretur. § finali. de legatis. 3.

Qui ſint apud Vlpianum, Topiarij, Saltuarij, Opiliones, & Aſini Machinarij. quod Accurſius non intellexit.
Explicatus Africani locus.
Topiarij, & Topiarium opus.
Seruorum ſpecies variæ.
Saltuarij.
Aſinus Machinarius.
Machina & Machinarius.
Opilio.

[Prædiis legatis inquit Africanus, *l. cum quæreretur. § fi. ff. de leg.* 3. & quæ eorum prædiorum cauſa empta parátaque eſſent, neque Topiarium, neque ſaltuarium, legatum videri. Topiarium enim ornandi, Saltuarium tuendi, cuſtodiendiq; fundi magis, quam colendi cauſa paratum eſſe. Aſinum Machinarium, legatum videri ait. item oues quæ ſtercorandi fundi cauſa paſcerentur. Item Opilionem, ſi eius generis oues curaret.] Hactenus ille, in cuius verborum expoſitione, quoniam pleroſque labi ſcio: operæpretium facturū me putaui, ſi, quod eſt illic difficultatis, explanarem. Topiarios ſeruos, eos Accurſius dixit, qui ornant, & ordinant ſaltus fundi, *in l. inſtrumenta. § final. D. de fund. inſtruct.* ſed vt mox apparebit, ineptiſſimè. Sciendum itaque, moris apud veteres fuiſſe, hedera, buxo, mirto, aut alio virgulto, natura ſequaci, & flexibili, hominum, nauium, ædium, auiculariumque formas, confingere, & concinnare: quod opus ex arbuſculis ita ad decorem, & ornatum, compactum, Topiarium dictum eſt, ἀπὸ τῶν τόπων: hoc eſt à locis, quæ Topiario opere, varia figurantur, & Topiaria Topiariæ, ars ipſa. Cic. in 3. ad Q. fratrem: [Topiarium laudaui, ita omnia côueſtiuit hedera, qua baſim villæ, qua intercolumnia ambulationis, vt denique illi palliati, Topiariam facere videantur, & hederam vendere.] Et Plin. lib. 16. nat. hiſtor. c. 16. Eſt & trans Alpes, arbor ſimillima aceri albo materia, quæ vocatur Staphylodendron: fert ſiliquas, & in iis nucleos ſapore nucis auellanæ. inprimis verò materies hŏnorata, buxo eſt, rarò criſpicanti, nec niſi radice, cætero lenis quies materiæ, ſilentio quodam, & duritie, ac pallore commendabilis: in ipſa verò arbore Topiario opere. idémque in 22. c. 22. Achanthō herbam, vrbanam & Topiariam appellat, quod Topiario operi ſit accommodata, cum elato, longoque folio, crepidines marginum veſtiat. His adde, quod, vt linguæ Græcæ peritiſſimi teſtantur, Græci τοπεῖον vocant, funiculum & iuncum, vnde Topiarium deriuari poſſet, cum in eo opere ſint omnia, ſcitè, ſubtiliterq; vincienda, & colliganda. Hinc vnicuique perſpicuum fieri puto, qui ſint Topiarij. nam cùm ſeruorum ſpecies à Iureconſultis pro opera: & miniſterio, variè diſtinguantur: vt Atrienſes, Scoparij, Fabri, Tectores, Lapidarij, Lixæ, Calones, & his ſimiles: inter eos Topiarios fuiſſe, hoc eſt, qui artem Topiarij operis exercerent, arbuſculis illis ductilibus: diuerſas rerum figuras, ſolerti ingenio effingentes, ex Vlpiano, Africano *d. l. cum quæreretur. § fin. d. l. inſtrumenta. in fine. & l. quæſitum. § oſtiarij. D. de fund. inſtruct.* ſatis conſtat, ab eruditiſſimiſq; viris diſertè annotatum, poſt hæc ſcripta cōperimus. Alex. ab Alex. lib. Genial. die. 3. vnde Plinius Iunior lib. 3. epiſtol. à Caluiſio Ruffo, conſilium ſuper prædiorum emptione aſſumens: Ineſt, inquit, huic computationi, ſumptus ſuppellectilis, ſumptus Atrienſium, Topiariorum, Fabrorum, atque etiam venatorij inſtrumenti, quæ plurimum refert vnum in locum conferas, an in diuerſa diſpergas. Fuiſſe quoq, inter ſpecies ſeruorum, Saltuarios, hoc eſt, ſylüarum ſeu ſaltuum (ſyluæ quippe denſæ & inuiæ, ſaltus dictæ ſunt: quòd ibidem arbores ſaliant) cuſtodes fructuúmque ſyluæ aut finium conſeruandorum gratia, paratos, *l. quæſitum. § ſaltuarium. ff. de fund. inſtruct.* Aſinum verò Machinarium, de quo apud Africanum. *d. l. cum quæreretur. § fi. D. de legat.* 3. non valde obſcurum eſt cognoſcere, ſi, quid ſit Machina, primùm intelligamus. Machina autē propriè ſignificat inſtrumentum, quo commodiùs moles quò volumus impellitur, *l. ſi vt certò. verſic. planè. D. commod.* vnde & Machina frumentaria, inſtrumentum deſignat, quo frumentum in granaria conuehitur, *l. quæſitum. § cellarium. D. de fundo inſtructo.* Pariterque Machinarium aſinum interpretabimur, qui eiuſmodi machinis geſtandis, adiuuādiſque prępoſitus eſt, *d. l. cum quæreretur. § fi. & d. § cellarium.* Alibi tamen Iuſ. Paul. Machinarium hominem accipit. pro eo, cuius miniſterium proprium eſt iſtiuſmodi machinas tractare, aut conficere, *l. ſi putator. D. ad leg. Aquiliam.* Opilionem porrò, quem Africanus poſtremo loco memorat, *d. l. cum quæreretur. § fi.* ouium paſtorem, ſeu cuſtodem eſſe, quaſi ouilionem dictum, notius eſt, quàm vt lōga probatione ſit opus. Vergil. in Bucolicis:

Venit & opilio, tardi venêre Bubulci.

Et Philenium meretrix apud Plaut. in Aſinaria.

Etiam Opilio, qui paſcit (mater) alienas oueis.
Aliquam habet peculiarem, qua ſpem ſoletur ſuam.

Hæc ex conſiliario Tholoſate collegi, quæ ad rem omnino facerent. explicantur enim hæ voces, quæ ab Accurſio noſtro nullomodo intellectæ fuerant.

NOTAE AD LIB. TRIGESIMVM QVARTVM PANDECTARVM iuris ciuilis.

Ad tit. de liberatione legata.

MAlè Accurſius vbi legendum erat Cum prolatis, Caprolatam vel Cupellatam l. g t. dij male Cauſa prolata habent, interpretanturque omnes nomen illud poſſeſſionis eſſe. Cùm enim non intellexerint quid eſſent Prolata, ſeu res prolatæ, facile veterem ſcripturā immutarunt, & pro arbitrio quiſq; nouū ſubiecit. Sed videndum quid intellexerit de Prolatis. Vetantur

pro

prolatas, res quas paterfamilias ex vrbe rus aduehit, vt vſui ſibi dum ruſticantur, ſint. Pignorauerat autem debitor ille, de quo in illa lege mentio fit, non ſolùm domum & poſſeſſionem ipſam, ſed etiam res prolatas, id eſt quas ex vrbe eò aduexerat.

Malè nonnulli exiſtimant.l.cùm aurum, & l. Quintus.§ .1. de auro & argento legato, locum quendam Cicer. in Topicis aduerſari.

Argento ſuo legato, non contineri nomina debitorum, Ciceronis ſententia defenſa, & leges contraria diſtinctione conciliata, aduerſus multorum opinionem qui contrarium ſentiebant.

Verba Ciceronis in Topicis hæc extant, Non ſi vxori vir legauit omne argentum, quod ſuum eſſet, idcircò quæ in nominibus fuerunt, legata ſunt. Multùm enim differt, in arcâne poſitum ſit argentũ, an in tabulis debeatur. Hanc Ciceronis ſententiam Vlpianus quoque in *l. quintus.§.1.ff. de aur. & arg.leg.* comprobat: Argento, inquit, omni legato, quod ſuum eſſet, ſine dubio non continetur id, quod credito eſt. Hoc ideò quia non videtur ſuum eſſe, quod vendicari non poteſt. Hinc etiam in *l.ſcribit.in princ.ff.de aur.& arg.leg.* dicitur, auro ſuo legato non contineri id quod ei deberetur, quoniam illius adhuc factum non ſit, quàm diu à debitore id non exegit. Sed ſupra ſcriptis deciſionibus obſtare videtur, quòd in *l. meorum. ff. de verb.ſignif.* dicitur meorum & tuorum appellatione actiones contineri. Inde enim conſequens eſt, vt argento ſuo legato, actiones nominàque debitorum contineantur. Quod & Martianus Iuriſconſult. in *l. ſi legatus.in princ. D. ad S.C. Trebell.* comprobare videtur: Si quis (inquit) bona ſua, vel omnia ſua rogauerit reſtituere, fideicommiſſariam eſſe inſtitutionem intelligendum eſt. Nam meorum & tuorum appellatione etiam actiones contineri dicendum eſt. Hinc Modeſtinus, rem in bonis noſtris eſſe, ait, cuius nomine actio nobis competit, *l. rem in bonis.ff.de acquir.rer.dom.* Eodem accedit etiam, quod in *l. vxori meæ.D.de vſufruct.leg.* dicitur, eum, qui vſumfructum bonorum ſuorum vxori legat, videri & Calendarium legaſſe. Intelligo autem Calendarium pro nominibus debitorum. Solebant enim veteres in Calendas fœnerari, vnde rationes eorum Calendaria appellabantur: vt Alciat.lib.2.Pareg.ca.23.tradit. Itaque ſenſus *dictæ.l.vxori meæ, eſt*, eum qui bona ſua alicui legat, videri nomina debitorum, ſeu actiones, quæ aduerſus eos competunt, legaſſe. Verùm hanc contrarietatem diſtinctione conciliari poſſe arbitror. Aut enim pronomina, meus, tuus, ſuus vniuerſitati bonorum adiiciuntur. & hoc caſu actiones, nominàque debitorum cõtineri arbitror, veluti cùm quis bona ſua, vel hereditatem ſuam, vel omnia ſua in aliquem transfert, *d.l.ſi legatus.d.l.rem in bonis.d.l. vxori meæ*, atque hoc modo limitanda eſt, *d.l.meorum.* Aut verò rei particulari hæc pronomina adiiciuntur: & tum actiones non contineri arbitror, vt ſi quis leget omne argentum ſuum, omne aurum ſuum: Et hoc caſu procedit Ciceronis locus, & *d.l.quintus.§.1.d.l.ſcribit. in princ.* Ratio huius diſtinctionis eſt, quia ſub vniuerſalitate multa tranſeunt, quæ ſub ſpecialitate non comprehenduntur, *c.ex literis.ext.de iure patron.cum concord.*

Quomodo apud Vlpianum accipiendum ſit argento legato, nummos non continet: & locus Ciceronis explicatus, qui Vlpiano aduerſari videbatur.

Si cui argentum omne legatum ſit, negat Vlpianus in *l.cùm aurum.& in l.quintus.§.1.D.de auro & argento leg.* nummos legatos videri: quoniam nemo facilè argenti numero nummos computet. Sed huic ſententiæ Cicero in Topicis aduerſatur. Qui, quoniam, inquit, argentum omne mulieri legatum eſt, nõ poteſt ei pecunia, quæ numerata domi relicta eſt, non eſſe legata. Idémque paulò pòſt: Nam quid intereſt, inquit, cùm hoc ſumpſeris pecuniam numeratam mulieri deberi, cui ſit omne argentum, legatum: vtrum hoc modo concludas argumentũ? Si pecunia ſignata argentum eſt, legata eſt mulieri. Eſt autẽ ſignata argentum, legata, igitur. An illo modo? Si numerata pecunia non eſt legata, non eſt numerata pecunia, argentum. Eſt autem numerata pecunia, argentum: legata igitur eſt. An illo modo? Non & legatum argentum eſt, & non eſt legata, numerata pecunia: legatum autem argentum eſt, legata igitur numerata pecunia eſt. Sed quomodo hanc antinomiam diſſoluemus? Ego Ciceronem ad verbi ſignificationem reſpexiſſe arbitror. Neque enim dubium eſt, quin argenti appellatione pecunia ſignata ex vi ipſius vocabuli contineatur, vt apud Terentium in Phorm. Sed tranſi ſodes ad forum, atque illud mihi argentum iube reſcribi Phormio. At Vlpianus ſecundùm mentem defuncti loquitur. Id quod in *d.l. quintus.§.1.* his verbis indicat. Non facilè enim (inquit) quiſquam argenti numero nummos computat. Eſt autem in iure frequentiſſimũ, vt in vltimis voluntatibus aliud ſecũdùm verba, aliud ſecundùm mentem teſtatoris iudicemus. *l. non aliter. D.de legat.3.l.3.§.conditio.D. de adim.legat.l. Publius.ff. de condi.& demonſt.l.3.vbi laſ.C.de liber.præt.* Plura vide apud Valtherum in Miſcellaneis.

Ad tit. de optione legata.

Malè Accurſius reſoluit huiuſmodi quæſtionem; quæ talis eſt, Non vtrum legatum optionis ſub conditione valeat, quia id certum eſt. *l.penult.de optione legata.* ſed vtrum legati executio, id eſt optio quam legatarius facit, valeat. Nam Accurſius ſentire videtur, ideo conditionem non recipere, quia lex iuſſit id legatum haberi pro puro, tametſi eſſet conditionale: idem enim eſt, ſiue quis optionem legare dixerit, ſiue ita ſcripſerit, Si talem non elegeris, alium habe: & ſi alium non elegeris, talem habe, *l.3.qui & à quibus manumiſſ.* quæ ratio nullius planè momenti eſt, vt quæ legatum ipſum optionis reſpiciat, non autem executionem, de qua nos quærimus. Alij peſſimè à vulgata ſcriptura recedunt: & non ſerui optio, ſed ſerui dictione abolita ſimpliciter adoptio legunt: quum dubium non eſt, actũ legitimum, & neque diem, neque conditionem recipere. ſed malè. Nam non ita facilè à recepta lectione eſt recedendum.

Ad l.in argento. de auro & argento legato.

Peſſimè Accurſius ibi, & legit & interpretatur Columnarium gâlterium, quod collũ ſimile columnæ habet, quoniam huiuſmodi vas potiùs ad bibendum, quàm ad præparationem bibendi pertinet. At in *l.in argento.* dicitur legato argento potorio, etiam id quod ad præparationem bibendi paratum eſt, venire. Antiqui Codices Colum miuarium habent caſtigatiùs. vnde ſolebant veteres cribella argentea habere fora minulenta vnde niuem colare poſſent, quam æſtatis tempore diligenter ſeruatam refrigerandis vinis, cùm potaturi erant, immitterent. & de hoc inſtrumento Plinius mentionem facit.

Eius reſponſi Papiniani quo dicitur, ſi hortis inſtructis filio legatis muliebre argentum mater filiæ legauerit. etiam id argentum muliebre quod in hortis teſtatrix habuit, vt ibi eſſet inſtructior ad filiam pertinere. cuius reſponſi non idoneam rationem affert Accurſius: eius igitur, quicquid Accurſius exiſtimet, nulla eſt alia inquirenda ratio, quàm hæc quæ dicitur ſpeciei, vtpote argenti muliebris legatum generis, vtpote inſtructi fundi legato derogare. Nam inſtructi fundi, vtpote generis appellatione multæ aliæ ſpecies extra muliebre aurum continentur. Ita fit vt ſpecies deroget generi, cùm vni genus, alteri ſpecies relicta eſt.

Ad l.veſtis de auro & argento legato.

Accurſius malè bombicina veſtimenta interpretatur, quæ fiunt ex bombaſio. nam neceſſe eſt Iuriſconſultum aliter hanc vocem intellexiſſe: ſiquidem vulgaris ſermo Bombaſium vocat à ſimilitudine bombycum lanuginum, quæ ex pomo fruticis cuiuſdam apud Arabes, & eos qui ſub Cynoſura ſunt, depectitur, qui inſtar barbatæ nucis, aut modici cotonei mali eſt. veteres Goſſipium appellabant. Iuriſconſultus *in l.ſi cui lana. de leg.3.* ἐριόξυλον, quaſi lanam ligno decerptam dicas. igitur hoc Accurſij bombaſium ſatis appellatione lanearum comprehendebatur: vnde alia interpretatio eſt inquirenda. Sciendum itaque bombyces vermiculos eſſe inſtar araneorum, quibus apud Coos veſtis tenuiſſima.

In *l. argumento.* Accurſius neſcit quid ſit ſcaphium, id enim interpretatur pro cingulo. Nam ſcaphum dicitur quaſi parua ſcapha, & vas erat quo mulieres immeiere ſolebant: & ideo parua ſcapha, quæ commodè inter verendorum (vt metaphora Martialis vtar) ſimplegades inferri poſſet.

Ad l.1.in fine.D.de iis quæ pro non ſcriptis.

Non probo Accurſij ſententiam, qui verbum, Recitauerit, in hac l.1.putat eſſe futuri temporis: idcircò reprobari hãc captationẽ, ſecùs ſi præteriti, *l.illa.D.de hered.inſtit.* quia & præteriti eſſe poteſt: imò nec de futuro ſcriptũ accipi neceſſe eſt cùm in dubiis pro teſtamento reſpondere meliùs ſit, *l.quoties.D.de rebus dubiis.* ego libenter quæſierim ab Accurſio, cur potiùs illa conditio futurum quàm præteritum reſpiciat, vt in *d.l.illa.D.de heredibus inſtit.* Putem ego propter naturam huius verbi, Recitauerit, inſtitutionem velut captatoriam pro non ſcripta eſſe. quod ſignificat non ſolùm in tabulis ſcripſiſſe, ſed palàm omnibus legiſſe, apertóque teſtamento declaraſſe, *l.ita.D.de iure fiſci.l.ſi quis.§.ſi alias.D.ad Syllanianum.*

NOTAE AD GLOSSAS IN LIB. TRIGESIMVMQVINTVM & trigeſimumſextum Pandectarum Iuris ciuilis.

Ad l.in quartam.verſic.pro ea parte. ad legem Falcidiam.

Declaratus præter alios verſ.pro ea verò parte.l.in quartam.

REddidit verſ. pro ea verò parte.*l.in quartam.D.ad leg. Falcid.* eam conſtitutionem aliis in locis ſatis obſcuram (vt & nos in interpretatione.*l.filium quem.C.fam.ercis.* profusè diximus) multò obſcuriorem, quòd in eo & verba deficere, & nonnulla otiosè addita videantur: proinde rectam & Grammaticalem cõſtructionem nõ recipere, quanquam illius ſenſus clarus & certus eſt. Vult namque illic Mætianus, vt omnes conſentiunt, vt quod dictum eſt, heredem omnia quocunque iure accepta, in Trebell. imputare, obtineat ſi vno iure, nã ſi deform. nempe iure partim hereditario, partim iure legati, id tantùm imputat, quod vt heres accipit. Nam quod à cohærede capit, extrà quartam eſt. Difficultatẽ ad hũc textum facit, quòd principium carere verbo videatur. [Pro ea verò parte, inquit Mætianus, quam accepit à coherede:] nam cætera quæ ſequuntur, verba ſeparata ſunt, quæ etiam ſuperflua videntur, cùm dictiones iſtæ, [à coherede accipit] geminentur. Dubitationem præterea, non mediocrem faciunt dictiones, id eſt, quas plerique omnes coniunctim, & expoſitiuè legunt. Hæc Paul.Pic.in *d.l.in quartam.col.6.* adeò cõtorquẽt, vt tandem quid dicturus ſit, ſe neſcire ingenuè profiteatur, ſed quid ea in re cēſeat, ampliùs cogitandum. Ego putaui fieri illic eam iterationem, & conduplicationem verborum dubitationis tollendæ gratia, vt alibi Vlpianus in *l.1.§.ſed ſciendum.D.de ædil.edic.* Ego puto inquit, ædiles tollendæ dubitationis gratia bis idem dixiſſe, ne qua dubitatio ſupereſſet. Et maior orationi quandoque comparatur gratia, quàm ſi ſemel forent pronunciata, vt cùm ille dicebat: Nunc etiam audes in horum conſpectum venire, proditor patriæ, patriæ inquam proditor, venire audes in horum conſpectum? Et cùm Ouid. dixit 2.Metamorph.

At Senior poſtquam merces geminata ſub illis
Montibus, inquit, erant, & erant ſub montibus illis
Riſit Atlantiades, & me mihi perfide prodis,
Me mihi prodis, ait, periuraque pectora vertit.

In quibus verſibus ſunt qui Battologiæ vitium eſſe opinentur, quo Ouidium plurimùm laboraſſe, Seneca ſcribit. Ego verò puto, qualitam potius orationi gratiam. Obſeruauerat hæc Merula quoque, ab eodem pronũciatum Ouidio prodens:

Si niſi quæ facie, poterit te digna videri,
Nulla futura tua eſt: Nulla futura tua eſt.

Plane fuit Battus Poeta ineptus, qui dum ſimulacra, & ſtatuas, verſibus ac hymnis celebraret, eandem ſæpiſſimè cantilenam recinebat: inde iterationis vitium, & nimietatis, Battologia nuncupatur. Sunt qui Battum malint fuiſſe quempiam balbum, & hæſitanti ore, impeditáque lingua: eum videlicet hominum generi peculiare videmus, cùm ne ſemel quidem quod cupiunt poſſint effari. voces eaſdem iterum atque iterum repetere. Sed in viam redeũdum eſt. Dictionem Id, à verbo Eſt, hoc loco ſeparandam eſſe, cùm Grammatices, tum vetuſtiſſima quæ vidi exemplaria me cogunt, vt doceam. Nam quòd permulti has duas particulas, id eſt, expoſitiuè legunt, erroneum eſt, & planè ridiculum: neque ij, qui dicunt ſeparandas eſſe, & non coniunctim ſumendas, magis ſapiunt, cùm exiſtiment, aliquando coniunctim ſumi poſſe. nam ſiue exponant, & declarent, ſiue referant, vtrobique ſeparatim ſumendæ ſunt. Atque hoc loco, vt planiùs faciamus quod mente complectimur, id antecedens eſt, neque nos ſic accipere oportet, vt aliquid exponat, vt fit in eiſdem ferè particulis, hoc eſt. Placet itaque nobis perfacilè hæc verba, quæ tantopere doctoribus difficilia viſa, ſunt, explanare: ea autem, vt lectori magis res ſit expedita, hæc ſunt: [Pro ea verò parte, quàm accepit à coherede, extra quartam, id eſt, quòd ab herede accipitur.] Nam in vltimo [ab herede] non item [à coherede] legendum & ſermonis ſtructura, & caſtigatiores codices nos admonent, quare craſſè, & ſi cupis. grammaticaliter, verba ita coniungenda ſunt. [Id vero quod ab herede accipitur,] hoc eſt, id quod heres grauatus accipit [extra quartam eſt:] id eſt, nõ imputatur in quartam [pro ea parte quam accipit à coherede:] quaſi dicat, extra quartam eſſe, quòd hæres grauatus à coherede accipit, non tamen in totum, ſed pro ea parte, quam accipit à coherede. Plura vide apud Ioannem Corraſium Doctorem Tholoſatem, ex quo hæc deſumpſi, quæ ad inſtitutum noſtrum facerent.

Ad l.ex facto.§.ſi quis rogatus. ad Trebellianum.

Falsò dici, naturales excludere ſubſtitutum, & nouo ſenſu percipi.§.ſi quis rogatus, quàm ab Accurſio accipiatur.

Quæſitum eſt, ſi Titius inſtitutus, ſi ſine liberis deceſſerit, grauatus fuerit hæreditatem reſtituere, vtrum naturales filij Titij, fideicommiſſi cõditionem deficere faciant, atq; ita ſubſtitutum excludant. Quod ab omnibus receptum eſt, cùm ex Papin. ſententia Vlp. dixerit, in *l.ex facto.§.ſi quis rogatus.ff.ad Trebell.* Si quis rogatus fuerit, vt, ſi ſine liberis deceſſerit, reſtituat hereditatem, naturalem etiam filium efficere, vt fideicom. conditio deficiat. Aduerſus quam ſententiam nos mouet quòd ſecundum propriam verborum ſignific. liberorũ verbo, ſoli legitimi & naturales qui ex iuſto, & libero matrimonio nati ſunt, veniant, *l.filium.ff.de his qui ſunt ſui. c.ſi.32.q.4.* vt & verbo patris, quo pater iuſtus, non item naturalis, accipiendus eſt, *l.3.C.ad leg.Iul.de adult.* Sed hoc caſu vel maximè, cùm conditionaliter liberorum fiat mentio: vulgò autem traditum ſit, conditiones propriè implendas, & intelligendas, *l.qui hered.& l.Mæuius.ff.de con.& dem.* Pugnat præterea cõtra Doctores *l.generaliter.§.cum autem.C.de Inſt.* quæ conditionẽ ſi ſine liberis à lege ſubintellectã, ita interpretatur, vt de liberis legitimis, & naturalibus ſit accipienda. Neque aliter ſubſtitutum vult excludi, quàm ſi grauatus iuſtam procreet ſobolem, etiam ſi, qui inſtitutus eſt, & grauatus, naturalis fuerit: quo tamen caſu, maior ratio videbatur, propter ſimilem qualitatem. Ad quem text. nullo tempore nobis fecit ſatis doctorum differentia, qui inter expreſſam, & à lege ſubintellectam conditionem, ſi ſine liberis, diſtinguunt. illud quippe ſatis expreſſum dici debet, quòd ex verbis legis neceſſariò colligitur, vt doctiſſimè Ioan.Man. prodidit: Accur. & aliorum traditiones improbans, qui ſuperſtitiosè plurimum diſcriminis conſtituunt in *l.pater.§.liberis.D.de leg.3.& aut res quæ.C.commun.de leg.* An bona ſimpliciter reſtitutioni ſubiecta ſint, incertæ conditionis euentum, & ita tacitè prohibita alienari: vt tunc facta ante conditionis euentum alienatio interim valeat *l.ſeruo legat.§.ſi ſeruum.D.de le.1.l.fi.§.ſed quia.C.communia de leg.* An verò expreſſè à teſtatore alienari prohibita ſint, vt tūc non ſubſiſtat viribus alienatio: quòd & Alex. fusè proſecutus eſt, *conſil.23.vol.1.* Hic itaque aduerſus alios putamus naturales filios non efficere, vt fideicom. conditio deficiat: quæ ſententia cum Vlp. reſpõſo in *d.§.ſi quis rogatus*, minimè pugnare vide-

videtur. Quanquam enim eam eſſe Papiniani ſententiam Vlp. referat, et tamen nequaquam ſubſcribit, imò potius per diametrum aduerſatur, hoc ipſum ex teſtantis voluntate pendere ſignificans, quæ qualis fuerit, ex conditione & dignitate defuncti colligitur. Mihi autem, inquit Vlpianus, quod ad liberos naturales attinet, voluntatis eſſe quæſtio videbatur, de quibus liberis teſtator ſenſerit: ſed hoc ex dignitate & voluntate & conditione eius, qui fideicommiſit, accipiendum eſt. Et hoc modo exponendus eſt ille §. qui tam prauè hactenus eſt intellectus. Coniectura porrò adduci poſſumus, vt credamus, teſtatorem naturales ſubſtituto præterire voluiſſe: veluti quia eum ita grauauerit, qui naturales duntaxat ſuſcipere poterat, *l. hæredib. §. fin. ff. ad Trebel.* quo fit, vt Bart. pronunciatū in eo. §. ſi. tutum non ſit cùm docuit, grauato filio, qui eſt in ſacris, ſi ſine liberis deceſſerit, hereditatem reſtituere, ſpurios natos excludi. Nam cùm legitimos habere nō poſſit, de quibus quæſo intelligitur? An eccleſiam admittes, vt voluit Bartolus *in d. §. fin. per §. ſed & hoc prœſ. de ſanctiſſ. epiſc. col. 9.* hoc ſanè non conuenit voluntati defuncti. An legitimos & naturales expectabis, quos ſacerdos ex diſpenſatione Papæ contrahendo matrimonium, ſuſcipere poteſt? Panor. in *c. cum olim, de cler. coniug.* Et cùm Papa non niſi ex magna, & vrgentiſſima cauſa diſpenſet Panor. *in c. cùm ad monaſterium. de ſtat. monachor.* cùmque hoc à ſolo Principis poteſtate pendeat, huius futuræ diſpenſationis rationem nullam habebo. *l. apud Iulia. §. fin. D. de leg. 2. l. 4. §. ſed. ff. de fideic. libert.* Non denique adoptiuos intelligam, *l. ſi ita quis. §. fin. D. de leg. 2. l. fideicommiſſum. D. de condit. & demonſt.* cùm ſic eſſet in poteſtate grauati, excludere ſubſtitutum: quòd ſi non fraudis cauſa facta eſſet adoptio, ſubſiſterem, *l. fin. §. ex bonis. D. de bonis damna.* Spurios igitur contra Bart. admitterem. Nam cùm alios habere non poſſit grauatus, credendum eſt à defuncto ſpectatam magis naturam, quàm accidens, *l. ſi quis poſthumos ff. de hæred. inſtituen.* Cuius rei & Ang. Peruſ. aſſertorem illic habeo: qui tamen cautiùs agent ſi natalibus reſtituantur, ſeu legitimentur. Neque dixeris cum Bart. & aliis, ita inuitari ad complexus nefarios inſtitutum: non enim inquit Ang. conditio huiuſmodi inuitat, ſed caſus duntaxat contingentiam ponit. Altera coniectura, ſi teſtator ſciebat tempore teſtamenti grauatum ſolos filios habere naturales, *l. cùm pater. §. volo. ff. de leg. 2.* Nam de illis defunctum cogitaſſe veriſimile eſt, facta ex teſtatoris ſcientia ſuæ voluntatis interpretatione, *l. plenum. verſic. ſed ſi teſtator. D. de vſu & hab.* Nec diſſimile eſt, quod tradit Aluarot. in *c. 1. §. naturales. ſi de feudo fuerit controuerſia inter dom. & agn.* & ſi dominus clientem, ſeu vaſallum inueſtiat pro ſe, & filiis natis, ſciens prudēs, clientem ſolos inueſtituræ tempore habere naturales, ſuccedent tunc contra regulas iuris naturales in feudo. Planè potentiſſima erit hæc coniectura, ſi teſtator naturalium meminerit, eos honorando, *l. 6. ff. de vſu. & hab. l. Lucius. §. ſi. D. de leg. 2.* quod & Cynus attigiſſe viſus eſt, *in l. generaliter. §. cùm aut. C. de inſtit.* Cui ſuffragatur, quod qui filiabus legatum fecit, ſi in aliqua teſtamenti parte poſthumæ mentionem fecerit, de poſthuma quoque veriſimile eſt teſtatorem ſenſiſſe, *l. qui filiabus. D. de leg. 1.* quanquam alioqui eius meminiſſe, ad futuróſque filios reſpexiſſe, non videatur, *l. qui quartam. §. ſi. D. de leg. 2.* Poſſunt & alia ratione Papin. & Scæuolæ reſponſa in *l. cum pater. §. volo. & d. l. mater. §. ſi. D. de leg.* interpretari quòd in naturalibus non natis ex concubina loquantur, ſed de filiis liberti, qui cùm in ſeruitute concepti eſſent, naturales dicti ſunt, quòd inter ſeruum & ſeruam, aut ſeruum & liberam, non conſiſtit matrimonium, *l. cum ancillis. C. de inceſt. nupt.* ideo qui inde naſcitur, tametſi poſtea pater manumiſſus honorem adeptus ſit ſpurius appellatur, *l. ex libera. C. de ſuis & legit.* tempore conceptionis circa ſtatum patris inſpecto, *l. emancipatum. §. 1. D. de ſenator.* Plus tamen iuris habent, quàm nati ex concubina filii, cùm vocentur ab inteſtato, ex æquo, cum legitimis & naturalibus. *§. 1. de cognat. ſeruil. in inſtit.* Ergo vt ad rē redeamus, liberorum verbo inibi illic naturales continentur, quia non poterat de aliis cogitaſſe teſtator: quandoquidem in ſeruitute legitimi naturales procreari non poſſint.

Ad l. chartæ. D. de bonorum poſſeſſione ſecundùm Tabulas.

Non intellexerunt Gloſſæ quid ſit in auerſa charta ſcribere. Doctiſſimus præceptor meus libro 8. Obſeruationum, cap. 15. In auerſa charta idem putat eſſe quod in Opiſtographo. quod rurſus nomen ſatis per ſe clarum Grammaticorum interpretationibus obſcuratur, vt infra ex Corraſio oſtendemus, dicebatur autem Opiſtographus, qui vtraque pagina ſcriptus erat, aduerſa & auerſa. vnde Iuuenalis in prima Satyra:

Scriptus & à tergo, necdum finitus Oreſtes.

Meminit Plinius epiſtola ad Marcum: Electorū, inquit, Commentarios, centum ſexaginta mihi reliquit, Opiſtographos quidem & minutiſſimè ſcriptos. vide Alexandrum ab Alexandro libro ſecundo Genialium, capite trigeſimo. Ad confirmandam magis hanc opinionem Doctiſſimus Cuiacius refert Theodorum Hermopolitem, *ad l. Notionem. D. de verborum ſignificatione*, ὄπισθεν ἐγγραφὴν appellare apocham ſcriptam à tergo chirographi. Plura vide apud eundem loco citato.

Notæ ad Accurſ.

Ad eundem titulum.

Quæ ſit charta Opiſtographa, apud Domit. Vlpianum.
Explicata nouè l. charta. contra Accurſium.
Accurſ. ridicula deriuatio.
Opiſtographum quid.
Aduerſaria quæ ſint.
Autographum, Holographum, ſyngrapha, Chirographum.
Diſcrimen inter chirographum, & ſyngrapham.
Chartophylacium quid.
Chartopatra quid.

Sequitur Prætor Supremas tabulas, hoc eſt eas, quæ nouiſſime factæ fuiſſe, vt ſecundùm eas hæredi ſcripto bonorum poſſeſſionem largiatur. [Tabulas autem teſtamēti, inquit Vlpian. *l. 1. D. de bonor. poſſeſſ. ſecund. tabul.* accipere debemus, omnem materiæ figuram: ſiue igitur tabulæ ligneæ ſint, ſiue cuiuſcunque alterius materiæ, ſiue chartæ, ſiue membranæ, ſiue corium alicuius animalis, tabulæ rectè dicuntur. Paulo poſt idem Vlpian. in *l. charta.* Chartæ appellatio, ait, etiam ad nouam chartam refertur, & ad delititam: proinde ſi in Opiſtographo quis teſtatus ſit: hinc peti poteſt bonorum poſſeſſio. Quid autem ſit Opiſtographum, apud iuris ſtudioſos quandoque dubitari vidi. Et cùm rabula quidam forenſis, qui omnia tumultu, & vociferatione concurrebat, cum Accurſ. doceret, Opiſtographum ab opibus, & graphia, quod eſt ſcriptura, dici, quaſi ſcriptura ſuarum opum: riſerunt qui aderant candidi iuriſperiti, hominis inſcitiam, & nouam verbi deriuationem. Cœpit itaque indignari, & ſtomachari homo ille diſertus, &, ſi diis placet, eruditus: præclarámque ſtudioſorum coronam ſic ſtomachatus ſine pudore reliquit. Móxque ex reliquis vnus rem non admodum obſcuram ita patefecit: Eſt ſanè, inquit, origo verbi ex græco deducta ab ὄπισθεν, id eſt, retro, & γραφή, quod eſt ſcriptura. Charta itaque, quæ etiam in tergo ſcripta fuiſſet. Opiſtographa fuit appellata, & qui tam à facie, quàm à tergo ſcripta exarabant, in Opiſtographo ſcripſiſſe dicebantur. Et libelli qui vtraque pagina, & aduerſa, & auerſa, ſcripti ſunt minutis literis, & lituris pleni, Opiſtographi dicuntur. Vndè Plin. Iunior, ad Macrū ſcribens lib. 3. epiſt. [Electorūmque commentarios, centum, ait, ſexaginta mihi reliquit, Opiſtographos quidē & nouiſſimè ſcriptos.] And. Alc. vir ſingularis eruditionis *lib. Diſpunct. 2. cap. 5.* Opiſtographa dici putauit, tabulas tumultuariè confectas, quæ ſummatim conſcribuntur, ne res memoria excidant: vt ex iis poſtea tabulæ iuſtæ, & æternæ fierent. Latinè Aduerſaria dicuntur, ſic dicta, quòd animum memoriámque aduertant: vt Grammatici quidam exiſtimant: quod ipſe minimè probauerim. Quin Aduerſaria idcirco dici ex prædictis potius puto, quòd aduerſa parte etiam ſcriptis implerentur, & per tranſuerſum quoque. Nam negligenter admodum conficiebantur, quia delerentur ſtatim. Sunt enim Aduerſaria, libelli, in quibus negotiantes, per ſingulos dies ſcribimus quod damus, vel accipimus: relaturi poſtea in codices accepti expenſique, aut in tabulas. Quod ex Cic. in orat. pro Roſc. liquet, cū ait: [Quid eſt, quod negligēter ſcribamus Aduerſaria? Quid eſt, quod diligenter conficiamus tabulas? qua de cauſa? quia hæc ſunt menſtrua, illæ ſunt æternæ: hæc delentur ſtatim, illæ ſeruantur ſanctè: hæc parui temporis memoriā, illæ perpetuæ exiſtimationis fidē & religionē ample-

ctuntur. Hæc ſunt detecta, aut ſecundùm Bud. coniecta, illæ in ordinem confectæ: itaque Aduerſaria in iudicium protulit nemo: codicem protulit, tabulas recitauit.] Porrò plura ſunt chartarum genera: Opiſtographum, quod, vt diximus, vtroque exaratur latere. Autographum, quod quiſque manu propria ſcripſit. Quod verò teſtatoris ipſius manu pro teſtamento ſcriptum erat Holographum. At ſcriptura ſiue ſchedula, quæ manu eorum qui paciſcebantur, in alicuius rei fidem fit, vt Bud. docet, ſyngrapha dicta eſt. Cuiuſmodi eſt quæ ſchedula appellatur. Et ex ſyngrapha agere cum aliquo, eſt litigare, de quo is ſyngrapham conſcripſerit. Denique chirographum cautio eſt ſcheda, aut tabella, propria manu alicuius ſubſcripta. Iuuenal.

Debitor ac ſumptos pergit non reddere nummos:
Vana ſupernacui dicens chirographa ligni.

Vnde imitari chirographum dicuntur, qui ſcriptam ab aliquo cautionem effingunt. Trãquill. in Tito, *Per ludum iocúmque certantem, imitari chirographa, quæcunque vidiſſet.* Cæterùm inter chirographa, & ſyngraphas, hoc intereſſe Pædianus putat: quòd chirographa, tantùm de iis, quæ geſta ſunt, ſcribi ſoleant. In ſyngraphis autem etiam contra veritatis pactionẽ, & non numerata pecunia, aut non integra numerata, præſcribi ſolet. Habemus denique Chartophylacium, cuius Gregor. Tangredo regi Viceſtriæ ſcribens, meminit cap. 1. de probat. ſignificátque, inquit Suidas, locum, in quo omnia ad ſcripturas pertinentia cuſtodiebantur. Sunt & Chartopatræ, chartarum ipſarum venditores, vt & Alciatus in prætermiſ. interpretatur. Hæc habui quæ dicerem, quæ ex Ioanne Corraſio collegi.

Ad tit. de bonorum poſſeſſione, ſecundùm Tabulas.

Perperàm Accurſius in *l. Qui ex liberis. de bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas* collegit, per ſecũdum non ipſo iure rumpi ſuperius teſtamentũ, ſed ope exceptionis tantùm, quod verum non eſt: quia duobus exiſtentibus teſtamentis ex priore nullomodo agi poteſt, cùm teſtamentum nõ ſit quod non habet ſupremam voluntatem, at quando vnicum exiſtit iuſtũ & perfectum. Sed vel hinc hic Accurſij error deprehendi poteſt, qui negabat teſtamentum ipſo iure tolli per procliuius teſtamentum: ſin autem (inquit Iuriſconſultus) teſtator tantummodò dixerit non voluiſſe priùs ſtare teſtamentum, vel aliis verbis vtendo, contrariam aperuerit voluntatem, & hoc vel per teſtes idoneos non minùs tribus, vel inter acta manifeſtauerit, & decennium fuerit emenſum, tunc irritum eſt teſtamentum tam ex contraria voluntate, quàm ex curſu temporis,

Ad l. 3. §. ſi emancipatus. D. de bonorum poſſeſſione contra Tabulas.

Malè Accurſius & cæteri interpretes intellexerunt, quęnam eſſet reſciſſio, de qua in illa lege mentio fit. Accurſius auitis teſtamenti reſciſſionem interpretatur. Hugolinus *l. 1. §. ſi quis filium.* ſcilicet Tabulæ teſtamẽti nullæ reſciſſionem patriæ poteſtatis interpretatur. ſed neutra interpretatio vera eſt. nam interpretandum eſt eam reſciſſionem emancipationis ſeu capitis diminutionis eſſe, quod confirmari poteſt alio Vlpiani loco, *l. ſed cum patrono. §. 1. de bonorum poſſeſſionibus.* Bonorum, inquit, poſſeſſiones aliquæ competunt non habentibus Ius legitimum propter capitis diminutionem: quamuis enim iure ciuili deficiant liberi, qui propter capitis diminutionem deficiunt eſſe heredes ſui, propter æquitatem tamen reſcindit eorum capitis minutionem prætor.

Ad l. 1. D. ſi quis à parente manumiſſus fuerit.

De intellectu, l. pater filium. D. de inoffic. teſtam. & l. 1. D. ſi quis à parent. manumiſſ. fuerit.

Papiniani reſponſum eiuſmodi extat in *l. pater filium. D. de inoffic. teſtam.* Pater filium emancipauit, & nepotem ex eo retinuit, emancipatus, ſuſcepto poſtea filio, duobus exhæredatis, patre præterito, vita deceſſit. In quęſtione de inofficioſo teſtamento, præcedente cauſa filiorum, patris intentio adhuc pendet. Quia ſi contra filios iudicetur: pater ad querelam vocatur, & ſuam intentionem implere poteſt. Hoc reſponſo proponitur, patrem à filio emancipato præteritum, inofficioſi teſtamenti querelam inſtituere poſſe. Quod nequaquam concedendum pleriſque viſum eſt. Nam conſtat patri præterito bonorum poſſeſſionem contra tabulas competere, *l. 1. D. Si quis à par. manum. fuer.* Non ergo de inofficioſo agere poterit. Eſt enim querela remedium ſubſidiariũ, *§. 1. Inſt. de inoffic. teſtam. l. fin. C. de liber. prat.* Non ergo querela locũ habet, quoties bonorum poſſeſſio competit. Hanc obiectionem Azo ſic diluì poſſe arbitratus eſt, vt querelam pro bonorum poſſeſſione hic accipiamus. Sed hæc opinio communiter reiecta eſt. Primò, quia textus expreſſim querelam nominat. Non ergo de bonorum poſſeſſione intelligi poterit. Secundò, quia textus in quęſtione de inofficioſo teſtamento, patris intentionem pependiſſe dicit: vt appareat, non bonorum poſſeſſionem, ſed querelam de inofficioſo, ab illo inſtitutam fuiſſe. Tertiò, quoties aliquis præteritur, qui in poteſtate teſtatoris non eſt, ceſſat bonorũ poſſeſſio, *l. illud. §. ad teſtamenta. D. de bonorum poſſeſſion. contra tabulas.* Non ergo pater præteritus contra tabulas filij agere potuit. Al..ericus igitur *d. l. pater filium.* ſic interpretatur, vt ſimul & querela & bonorum poſſeſſio, patri competierit. Sed hunc intellectum Bartolus reiicit. Ipſe igitur *dictam l. pater filium.* alio ſenſu declarat. Et regulariter quidem concedit, patri præterito, bonorũ poſſeſſionem dari, d. l. 1. Quod autem in *d. l. pater filium.* dicitur, patri præterito querelam dari, id in caſu eius legis, ex ſpeciali ratione procedere arbitratur: quia nepotes ex filio, patrem in gradu præcedebant: quo caſu, cùm prætermiſſio pro exheredatione habeatur, non bonorum poſſeſſio, ſed querela illi cõpetit. Sed huic intellectui obiici poteſt, text. in *l. filio. §. 1. de inoffic. teſt.* Illic enim filia patrem in gradu præcedebat: & tamen pater non querelam, ſed bonorum poſſeſſionem, intendebat. Quòd ſi reſpondeatur, patrem ideò ad bonorum poſſeſſionẽ, illic admiſſum quia filia querelam ſuam diſtulerat: adhuc tamen vrgens ratio non apparet, quare in caſu *d. l. pater filium.* patri propter nepotes in gradu præcedentes, bonorum poſſeſſio denegari debuerit. Nam cùm text. dicat, ipſos ab hæreditate excluſos fuiſſe, perinde eſt, ac ſi nunquam extitiſſent. Paria enim ſunt, non extare, vel extare, & nõ ſuccedere, *l. 1. in fin. D. de bonor. poſſeſſ. contra tab.* Sicut ergo ipſis non extantibus, bonorum poſſeſſio patri competiiſſet: ita quoq; illis excluſis competere debuit. Sed ego Azonis intellectum vtcunq; defendi poſſe arbitror: vt intelligamus patrem non querelam, ſed bonorũ poſſeſſio. nõ in *d. l. pater filium,* intendiſſe. Cui intellectui non obſtant, quæ ſuprà obiecta ſunt. Et in primis nihil refert, quod in *d. l. pater filiũ.* querela nominetur. Neque enim nouum eſt, vt bonorum poſſeſſio, querelæ appellatione contineatur: cùm conſtet eam vocem generalem eſſe. *c. querelam. de iureiurando. l. ab eo. C. quomodo, & quando iud.* Quod quidam ex præceptoribus meis, quandoque admonuit. Nec magis obſtat, quod ſecundo loco obiectum eſt, quęſtionem de inofficioſo teſtamẽto in *d. l. pater filium,* nominari. Reſpondebat is, cuius paulò antè mentionem feci, teſtamentum inofficioſum dici, etiam id, quod per bonorum poſſeſſionem impugnatur: quicquid enim contra officium fit, generali vocabulo inofficioſum dici poteſt. Quin & illud nõ incõmodè dici poſſe arbitror: hæc verba: In quæſtione de inofficioſo teſtamento in *d. l. pater filium.* non ad patrem, ſed ad filios referri debere: Vt ſit ſenſus legis, patris intentionem, hoc eſt, petitionem bonorum poſſeſſionis in ſuſpenſo feciſſe, præcedente cauſa filiorum in querela de inofficioſo teſtamẽto. Nec diſſimili loquẽdi modo vtitur Iuriſc. *in d. filio, §. 1.* Tertia obiectio facilè diſſoluitur. Nam quod in *d. l. illud. §. ad teſtamenta.* dicitur eos, qui in poteſtate teſtatoris non fuerunt, bonorum poſſeſſionem petere non poſſe: in filiorum cæterorúmq; deſcendentium perſona, non autem in aſcendentibus locum habet: id quod ex verbis textus apparet. Non me fugit Vigil. *Inſtit. de inoffic. teſt. in princ. num. 4. dictam l. pater filium,* alio ſenſu declarare: ita quidem vt patri vtrumq; remedium, tam querela, quàm bonorum poſſeſſio, competat. Qui intellectus partim cum Alderici intellectu concidere videtur. Sed mihi videtur bonorum poſſeſſionẽ patri emancipatori competentem, noua Iuſtiniani Imp. Cõſtitutione, quæ *in l. fin. C. de emanc. liber.* extat, ſublatam eſſe. Quod ipſemet Iuſtinianus *in §. quæ autem, Inſtitut. de bon. poſſeſſ.* indicare videtur his verbis: Quæ autẽ in

Prætoris edicto, quinto loco poſita fuerat, id eſt, vnde decem perſonæ: eam pio propoſito, & compendioſo ſermone, ſuperuacuam eſſe oſtendimus. Cùm enim præfata bonorum poſſeſſio, decem perſonas præponebat, extraneo manumiſſori: noſtra conſtitutio, quã de emancipatione liberorum fecimus, omnibus parentibus, eiſdémque manumiſſoribus, contracta fiducia manumiſſionẽ facere dedit: vt ipſa manumiſſio, eorum in hoc in ſe habeat priuilegium, & ſuperuacua ſit ſupradicta bonorũ poſſeſſio. Sublata igitur prædicta quinta bon. poſſeſſione, &c. Quamuis ergo in *d.l.1.D.ſi quis à parente manumiſſ. fuerit*, patri emancipatori, bonorum poſſeſſio, in recompenſationem iuris paterni. ad inſtar patroni, concedatur: ea tamen hodie ſuperuacua eſt, cùm patri emancipatori, ex conſtitutione *d.l.fin. ab. ter conſultum ſit*: adeò, vt ius Digeſtorum, hac in parte correctum eſſe videatur. Vide Valtherum in Miſcellaneis.

NOTAE IN GLOSSAS AD LIB. TRIGESIMVM OCTAVVM Pandectarum Iuris ciuilis.

Ad titulum de operis libertorum.

MAlè Accurſius, quem ſequitur Haloandrer in *l. 26. de operis libertorum*, legit Implorantes, pro Imperantes: exiſtimans fortaſſe abſurdè dici ægrotos imperare medicis, cùm pareant potiùs, & eorum opem atq; auxilium implorent. Nam meliùs Alciatus libro 7. *παρέργων*, cap. 73. ait imperare nihil aliud eſſe apud Appianum quàm parere. Quod ſanè (cum bona eius venia dixerim) perridiculum eſſe cenſeo, & tanto viro indignum. Igitur retinendum participium Imperãtes in ſua ſignificatione. quamuis enim magis videatur conuenire imperium medicis quam ægrotis, Plinius libro 29. cap. 1. tamen ipſa merces cuius gratia circumambulant, & ægrotos inuiſunt, autoramentum quoddam ſeruitutis eſt, vt ait Cicero.

Ad titulum de gradibus affinitatis.

Parẽtum appellationem vltra tritauum extendi, ſimulq́ declaratam l. Iuriſconſultus. §. parentes. D. de grad. affinit. contra Doctorum interpretationem.

Pauli Iureconſulti in *l. Iureconſultus. §. parentes. D. de gradibus affinitatis.* hæc verba extant: Parentes vſque ad tritauum apud Romanos proprio vocabulo nominantur. Vlteriores, qui non habent ſpeciale nomen, maiores appellantur. Item liberi vſque ad trinepotem. Vltra hos poſteriores vocantur. Hoc reſponſum Doctores noſtri ſic interpretãtur, quaſi parentes vltra tritauum impropriè parentum appellatione contineantur. Sed huic interpretationi obſtat, quòd in *l. appellatione. D. de verborum ſignificat.* traditur, appellatione parentis omnes ſuperiores contineri: vt ſatis appareat, etiam eos, qui ſupra tritauos ſunt, propriè parentes dici. Quod & Laurentius Valla aduerſus Paulum Iureconſultum probat. Reſpõdet Andreas Alciatus in *dicta l. appellatione, & libro 4. de verborum ſignificatione*, Pauli ſententiam iuxta ſermonis proprietatem, cõtrariam autem opinionem ex generalitate verborum procedere. Sed hæc ſolutio difficultatem non tollit. Nam ſi ex ſermonis generalitate parentes vltra tritauum dicuntur (quod Alciatus fit) non video, cur non propriè id fiat: quod enim generaliter dicitur, propriè dici cenſendum eſt, vt ipſemet Alciatus lib. 1. de verborum ſignificatione, in principio ex ſententia Bald. *l. 2. Cod. de tut. aut curat.* docet. Ego aliquando arbitratus ſum Iureconſultum in *dicta l. appellatione*, abuſiuè ſeu impropriè loqui. Paulum autem in *d. l. Iureconſultus. §. parentes*, de proprietate ſermonis agere. Sed ne hoc quidem placet. Etenim iureconſultus in *dicta l. appellatione*, ait parentum appellatione omnes ſuperiores contineri. Vocabulum autem Contineri, proprietatem verbi denotat. Bartolus in *l. liberorum, num. 10. D. de verborum ſignificatione.* Quomodo igitur hãc antinomiam diſſoluemus? Et ſanè quidam ex præceptoribus meis arbitrabatur Paulum in *dicta l. Iureconſultus. §. parentes.* non de ſignificatione vocabuli parẽtem agere, ſed longè aliud ſignificare. Nam cùm ait, parentes vſque ad tritauum apud Romanos proprio vocabulo nominari, vlteriores verò ſpeciale nomen non habere: id ſic intelligendũ eſſe putabat, Latino ſermone patrem, auum, proauum, abauum, atauum, & tritauum duntaxat propriis, id eſt, ſpecialibus vocabulis nominari: eos autem qui vlteriori gradu ſunt, nullum ſpeciale nomen habere, & ideò generali maiorum vocabulo nominari. Quo intellectu admiſſo, liquidò apparet, Paulum in *dicta l. Iureconſultus. §. parentes non negare*, quin parentum appellatione hi, qui ſupra tritauos ſunt, propriè comprehendantur, ſed hoc ſolùm dicere, ipſos ſpecialia nomina non habere. Et hinc meritò Pomponius in *l. quinque. D. de in ius voc.* ab Vlpiano reprehenditur, quòd parentis vocabulum vltra tritauum extendi negaret: cùm Caſſius parentes in infinitum dici cenſuerit. Sic quoque intelligi debere arbitror, quod in *d. l. Iureconſultus. §. parentes*, dicitur, liberos vſque ad trinepotes propriis vocabulis nominari. Neque enim aliud illic Iuriſconſultus velle videtur, quàm quòd apud Latinos nulla ſpecialia vocabula eorum, qui vltra trinepotes ſunt, extant. Ac niſi hæc interpretatio reciperetur, manifeſtè repugnaret, *l. liberorum. D. de verborum ſignificatione. & l. Sed etſi hac lege. §. liberos. D. de in ius vocand.* Hanc interpretationem, etſi aliquot annis pro noua habuerim: non tamen poſteà apud Iaſonem in *l. Gallus. §. videndum. D. de liber. & poſthum.* reperi, quamuis mentem Iaſonis hactenus, pauci fortè hoc modo perceperint.

Ad eundem titulum.

Malè Accurſius exiſtimat eſſe propiùs ſobrinis eos qui ex conſobrinis noſtris nati ſunt: appellari enim à Paulo videmus conſobrini conſobrinæve filium filiam: propiùs autem ſobrinis hi ſunt qui parentibus noſtris conſobrini ſunt: auis noſtris fratrum aut ſororum filij: aut etiam nobis patrui magni, amitæ magnæ, auunculi magni, materteræ magnæ filij. Accurſiani erroris origo eſt ex libro tertio Inſtitutionum, Cùm enim à Iuſtiniano ſcribatur. *§. quinto Inſtitut. de gradibus cognationis:* [Quinto gradu ſunt fratris patruelis vel ſororis patruelis conſobrini & conſobrinæ, amitini & amitinæ, filius filia, propior ſobrino, propior ſobrina: hi ſunt patrui magni amitæ magnæ, auunculi magni materteræ magnæ filius filia.] Ea Accurſius ita interpretatur, vt propior ſobrino, vel vt ipſe appellat, propior ſobrinus ſit conſobrini filius, & ex eo quod poſtea dicitur, hi ſunt patrui magni filij, neſcio quomodo aliam perſonarum appellationem efficit. Hæc origo eſt cæterorum malorum. nam qui iam interpretationem acceperunt, addendum eſſe cenſuerunt Iuſtiniano, eas perſonas enumerant, quæ ſexto gradu ſunt, propioris ſobrini filios. Non inficior tamen debuiſſe Iuſtinianum conſobrinorum nepotes ſexto gradu enumerare, quod Caius fecerat, ex quo cæteri accepta videntur. Sed hi non propioris ſobrino filij appellãtur, ſed vt dixi conſobrinorum nepotes. At propioris ſobrino filij ſunt, qui ſobrini propriè appellantur: hoc eſt, vt Caius & Iuſtinianus interpretantur, qui quæve ex duobus conſobrinis procreantur, cõſobrinorum verò nepotes omiſiſſe Iuſtinianum Theophilus locuples aliis in rebus teſtis eſſe poteſt.

Ad tit. de coniungendis cum emancipato liberis.

Non rectè Accurſius intellexit, *l. ſi quis filium. de coniungen.*

di cum emancipat. liberis. dubitat enim ibi Accurſius, quo pacto ſcribenda ſit hæc lex. Vt autem illius ſenſus rectè percipiatur, videamus quomodo Florentiæ ſcriptum ſit. Lectio autem Florentina ſic ſe habet: Si quis filium habens in poteſtate, extraneum in nepotis locum, quaſi ex eo filium natum adoptet, mox filium emancipet: non iungetur hic nepos filios emancipato: quia deſijt eſſe emancipato ex liberis. qua lectione retenta, ſenſus erit apertiſſimus, & omnis dubitatio, quam Accurſius hic facit, reiicienda erit.

Ad l.1. de ſuis & legitimis.

In illa lege melior eſt Bartoli ſententia contra Accurſium, & alios. nam cùm eiuſmodi ſpecies propoſita fuiſſet, ſubſtitutio facta fuerat hoc modo: Si filius meus ſine liberis quandocunque deceſſerit, Titius hæres eſto, obiit adhuc impubes. quæſitum eſt de viribus ſubſtitutionis. Accurſius omni tempore fideicommiſſariam eſſe cenſuit: & malè Bartolus vſque ad pubertatem directam tantùm: reiicienda etiam Iacobi de Beluiſ. & Oldradi ſententia.

Ad Senatuſconſultum Tertullianum.

Laudandus ſanè eſt labor Accurſij, qui conatus eſt ſemper ſimiles locos in iure coniungere, quod tamen nō vbique præſtitit. extant enim ſub titulo ad Senatuſconſultum Trebellianum cuiuſdam Seueri Conſtitutionis verba ab Accurſio non animaduerſa, quæ eadem verba reperiuntur, *l.2. qui petant tutores.*

In tractatione de centeſima vſura, in iis ſcilicet legibus, in quibus fit mentio centeſimæ vſuræ, Accurſius in eo ſolùm errat, quòd putat anno centeſimam vſuram ſortem æquare, quod falſum eſt. Centum enim menſibus tantùm ſortem æquat, ex quo nomen accepit, quippe quæ centeſima pars ſortis eſſet.

L.2. ad Senatuſconſultum Tertyllianum, quantum Accurſius in eius legis interpretatione fallatur, non eſt opus ſcribere, quia id omnibus eſt manifeſtum.

NOTAE AD GLOSSAS IN LIB. TRIGESIMVM NONVM Pandectarum Iuris ciuilis.

Ad l.j §. opus. D. de noui operis nuntiatione.

Noui operis nuntiationem, in omnibus ſeruitutibus locum habere, aduerſus pleroſque defenſum, & præcipuè aduerſus Accurſium.
Nuntiare nouum opus quid.
Nuntiationi an ſit locus in ſeruitutibus.
Seruitutes ſunt iura prædiorum.
Alciati ſententia reiecta.
Noua declaratio.
Explicata noue l. qui viam.
Ædificare quid.

NOuum opus nuntiare is dicitur, qui alteri ne ędificet, aut aliter nouum extruat opus, denūtiat, & prohibet. Opus autem nouum facere, inquit Vlpianus, eſt, aut ædificando, aut detrahendo aliquid priſtinam operis faciem mutare, *l.1. §. opus. D. de non. oper. nunt.* Alibique tradidit idem author, Ius eum habere nouum opus nuntiandi, qui aut dominiū, aut ſeruitutem habet. *l. vnica. §.1. D. de remiſſio.* Quocirca ſi ſeruitutem, [Ne luminibus meis officiatur,] mihi debeas, & altiùs tollēdo ædificium tuum, luminibus meis noceas, potero tibi nouum opus nuntiare. *L. inter. §.1. D. de ſeruit. vrb. prædio.* cùm facias contra conſtitutā ſeruitutem. *l. de pupillo. § Sextus Pedius, in fin. & l. creditori. D. de no. oper. nuntia. l. in iudicio. D. de famil. erciſc.* Sed obſtat Iulij Pauli reſponſum, qui viam, inquit, habet, ſi opus nouum nuntiauerit aduerſus eū, qui in via ædificat, nihil agit: ſed ſeruitutē vendicare non prohibetur, *l. qui viam. D. de nou. oper. nunt.* Et creberrimè receptū eſt, agrorum fauore, nuntiationem operis noui, in ſeruitutibus ruſticis non concedi. Cæterùm non deſunt, qui hanc vulgarē inter vrbanas & ruſticas ſeruitutes, differentiā meritò rideant: nam præterquàm quòd Vlpianus generaliter ſcripſit, eum qui ſeruitutem habet, opus nouum nuntiare poſſe. *d. l. vnica. §.1. D. de remiſſio.* Pom. ait, ſi de iure controuerſia ſit, nos nuntiare poſſe, *d. l. in iudicio. D. fam. erciſc.* Iura autem prædiorum, ſeruitutes eſſe, ſiue de ruſticis, ſiue de vrbanis loquamur, ambigendum non eſt, *l. quid aliud. D. de verborum ſignificatione, l.1. D. de ſeruitut. ruſtic. præd.* nec in fauorem agrorum, denegatam nuntiationem, à lege, in ruſtica ſeruitute dici poteſt: cùm enim ſeruitus alteri fundo debeatur, *l.1. D. com. præd.* non eſt, cur magis ſeruienti prædio, quàm dominanti tribuendum ſit. Alij in omnibus ſeruitutibus, tam vrbanis, quàm ruſticis, nuntiationi locum eſſe dicunt: præterquàm in ſeruitute prædiorum non continua, qualis eſt, [viæ,] *l. ſi eo loco. D. de ſeruit. iuncta d. l. qui viam.* Idemque in itineris & actus ſeruitute, quòd earum ſeruitutum dominus, non tantum poſſeſſionis habeat, quantum nuntiationi ſufficit. Bartolus *in l.1. 7.9. D. de no. oper. nuntiatione.* cùm enim poſſeſſio nō continuò, ſed per interualla habeatur: plena poſſeſſione non dicuntur inniti: vnde nec niſi poſt hominum memoriam vſucapiuntur, cùm cæteræ ſeruitutes decem annis acquiri poſſint, *l. ſeruitutes, 4. D. de ſeruitut.* Huicque ſententiæ nouiſſimè ſubſcripſit Alciatus *lib.3. Parerg. cap.24.* Sed nec ea mihi ſatis placet, vt quæ in communem Doctorum diſtinctionem concedere videatur, aliud in ruſticis, aliud in vrbanis ciuitatibus tradens. Ruſticæ namque ſeruitutes, ferè omnes diſcontinuæ ſunt. Dicebam igitur, cum Corraſio, citra diſcrimen, pro quacunque ſeruitute ius nuntiandi, domino prædij dominantis competere. Et, vt nihil obſtet, ſciendum eſt. Ei, qui debet ſeruitutem, licere in loco etiam ſeruiente ædificare, modò ædificium illud ſeruitutis vſum non impediat, *l. ſeruitutes. §. fin. D. de ſeruit. vrban. præd.* Quare ſi ſeruitutem [viæ] per fundum meum tibi debeam, eaſdemque ſis aliquot annis vſus, per certam partem fundi, quā ego ædificiis nouis ornare, & inſtruere cupiam, ex terrena fortaſſe, lapideam faciendo, non poteris mihi nuntiare nouum opus, tum quòd non incōmodetur vſus tuæ ſeruitutis, ſed potiùs melior fiat, *d. §. fin. & l. arborem. D. de ſeruitut. vrb.* tum quòd locus priſtinam faciem non mutet, *l.1. §. opus nouum. D. de noui operis nuntiatione.* ſemper enim iter eſt, quò quis pedes, & eques commeare poteſt. Et hæc noſtra interpretatio maximè conuenit literæ, *d. l. qui viam*, ſi præſertim eam cum antiquis ita legimus, [Aduerſus eum qui viam ædificat.] Nam ædificare viam, hortos, vicos, & plateas dicimus, pro eo quod eſt, ea loca adornare, & aliquo ædificiorum apparatu inſignire. Vide Corraſium in Miſcellaneis.

Ad tit. de noui operis nuntiatione.

Primum caput huius tituli ab Accurſio Accurſianiſque omnibus tantis obductum eſt tenebris, vt nuſquam magis inſcitiam ſuam & inopiam iudicij prodidiſſe eos liquidò confirmare poſſum, nec ſciuit quid eſſet nuntiare nouum opus, quod nobis dicendum erit. Nuntiare nouum opus is dicitur, qui alteri ne nouum faciat opus, denuntiat & prohibet. Tota gloſſa ſupra verbo, [deinde remitteretur] eſt reiiciēda, vbi dicit eam remiſſionem non fieri ex eo edicto. rationem vide apud Bartolum hoc loco, qui idem optima ratione reprobat gloſſam ſuper verbo [renuntietur,] & eam quæ eſt ſuper, verbo [catenus.]

Ad l.1. D. de noui operis nuntiatione.

Sanè ridiculus eſt Accurſius, qui ait in hac l.1. Vlpianū prophe-

Digiti

phetiſare, qui ponit expoſitionem edicti ante edictum ipſum: ait Accurſius edictum hoc eſſe in *l. Prætor aut.*⁊*.hoc tit*. Sed fallitur Accurſius. in illa enim lege formula eſt interdicti, non edictum aliquod. Et Vlpianus ipſe vocat interdictum, & diſtinguit ab edicto. multum enim differt edictum quo promittitur actio à formula actionis ſiue interdicti, quæ datur ex edicto, non tamen negamus quin illud interdictum quod proponitur in *l. prætor*, accommodatum ſit edicto, vt cætera interdicta & actionés. Deinde conſideranda eſt inſcriptio capitum quam Accurſius neglexit, quæ tamen multùm ad rem facit. Primum caput eſt ex libro 52. ad edictum *l. Prætor*. ex lib. 71. vbi de interdictis tractatur. Ergo hæc verba nõ poſſunt eo referri. Vates igitur fuit Accurſius non interpres, & vanus quidem vates, qui Vlpianum dixit prophetizare, & reſpicere ad edictũ quod poſtea ſequitur.

Ad §. Et aduerſus abſentes.

Quæritur apud Accurſium, an minor poſſit reſtitui, ſi fortè ædificauerit ſpreta nuntiatione, ſi minor interdicto reſtituto rio conueniatur. Accurſius ait non reſtitui, quia reſtitutio ei noceret magis quàm prodeſſet. Nam vt, inquit ille, ſi res ponatur in eum ſtatum, in quo erat tempore nuntiationis, diruetur ædificium, quod non expediet minori, qui fortè ius ædificandi habet. Sed tamen poteſt ita peti reſtitutio, vt non poſſit nocere ei: & ſi hoc probemus, nulla erit ratio Accurſij: verbi gratia, ſi petat ſe reſtitui aduerſus negligentiã, quia neglexit adire prætorem, & petere remiſſionem, aut ſatiſdare. Nam minor aduerſus negligentiam ſuam reſtituitur, *l. minor. 37. de minoribus*. Non petit reſtitui opus factum, vt Accurſius & quidã alij ſomniãt. hæc ergo ratio Accurſiana nullius eſt ponderis.

Ad §. Poſt autem.

Ad id quod dicitur in hoc §. aliquem poſſe nuntiare generaliter etiam ſi ignoret quòd opus fiat nullum: ſiquidem opus facere licere addit Accurſius, dummodo habeat inſtar quoddam operis. citat *l. ſtipulatio. §. opus.* ⁊*. eod.* & hoc dicit Accurſius, conciliandi cauſa, ne aliàs hæc videantur repugnantia & contraria. Sed falſa eſt hæc Accurſij opinio. Nam poſt factum opus fruſtra fit nuntiato. *§. hoc autem*, ⁊. fieri debet nuntiatio antequam ſit factum opus, imò ſi nihil adhuc factum ſit, nuntiatio fieri poteſt. & hoc probatur multis locis in hoc tit. vnus *in l. 3. §. nuntiationem*. ſiue quis ædificet, ſiue inchoet ædificare. alius in *l. non ſolum. §. 1.* Si quid operis iam factum erit. Nec obſtat *l. ſtipulatio. § opus hoc tit*. Nam videndum quorſum Vlpianus ea ibi dixerit: quod cognoſcitur ex his quæ antecedunt & ſequuntur. Hoc feſellit Accurſium, quòd non animaduertit quò hæc referri debeant. In hac lege Vlpianus interpretatur edictum *lib. 52. ad edictum*. & docet quando nuntiandum ſit. in *l. ſtipulatio*. interpretatur ſtipulationem prætoriam. inſcribitur *lib. 86. ad edictum*, vbi tractatum fuit de prætoria ſtipulatione.

Ad §. ſi cùm poſſem l. 8.

Accurſius & cæteri magnopere laborant in explicatione cuiuſdam Antinomiæ. diſtinctioni enim quæ ponitur in hoc §. opponitur *l. prætor. 7. de damno infecto*. vbi locus eſt ſatiſdationi, cùm quis cauet nomine alieno repromiſſioni cum ſuo. Ea diſtinctio videtur contraria diſtinctioni huius legis, ſed tamen diſſimilia admodum ſunt. nam diſtinctio huius §. refertur ad eum *cum cauetur*, quia nuntiauit nouũ opus inſpiciens, qua ex cauſa nũtiauerit publica an priuata. Diſtinctio quæ eſt in *tit. de damno infect.* refertur ad eum [qui cauet.] Diſtinguitur enim an ſuo nomine caueat, an alieno. Si in edicto de damno infecto ſcriptum eſſet, ſatiſdandum eſſe ei qui ex publica cauſa petit ſibi caueri, hæc ſanè pugnantia eſſent. ſed in edicto Prætoris nihil tale reperitur, nec petitur dãni infecti cautio ob publicam cauſam, ſed ob priuatam tantùm, *l. qui bona. §. qui damni. de damno infecto*.

Ad l qui viam. 14.

In huius legis explicatione variæ ſunt opiniones. Duarenus ait ſe duodecim diuerſas omnino reperiſſe. Tres ſunt præcipuè apud Accurſium & Bartolum, ac ſanè vna quam probat Accurſius, nihil omnino valet. putat enim nuntiari nouum opus ob ſeruitutem, ſed non aduerſus dominum. Atque ita intelligit hæc verba Iuliani aduerſus eum, cuius ſententia meritò exploſa eſt à pleriſque interpretibus. Nã loquitur Iulianus de eo qui ædificat, ſiue ſit dominus, ſiue alius, putà ſuperficiarius, fructuarius poſſeſſor. Talem exceptionem addere nõ eſt interpretis, ſed legem ipſam condentis. & quod magis hanc interpretationem infirmat, apertè dicitur alibi contra dominum nuntiari poſſe, *l. 5. §. & bellè. hoc tit*. Item etſi fateamur aliquo caſu nuntiari non poſſe aduerſus Dominum, tamen hæc verba latiùs patent, quàm vt ita reſtringantur. Sed de hac opinione ſatis ſuperque à nobis dictum ſit. Nã qui nugas accurate refellit, nugas ipſe agit.

Ad l. 5. §. ſi quis ipſi.

Licèt variæ interpretationes reperiantur apud Accurſium & cæteros. vnica tamen mihi videtur vera eſſe, quam ipſe Accurſius non affert, quatuor ſcilicet in hac lege proponi, primum non poſſe nuntiari prætori, cùm nec in ius vocari poſſit, *l. 2. de in ius voc.* & contra decus ſit ac reuerentiam. ſecũdò poſſe teſtationem fieri, tertiò poſt finitam præturam nuntiandam eſſe, quartò reſtituendum quod retro ædificatum fuerit.

Ad §. ſi quis ipſi prætori.

Etſi Accurſius hæc verba refert ad id quod priùs dictum eſt de prætore, quaſi teſtatio facienda ſit ipſi prætori. hæc interpretatio non conuenit verbis Vlpiani, cum ait, Quis immittit ſimpliciter & generaliter. ſi enim ſenſiſſet de prætore, aliter id expreſſiſſet.

Ad §. ſi is cui. eiuſdem legis.

In hoc §. conantur Accurſius & cæteri definire, quando ſit neceſſe prætorem adire, & certis diſtinctionibus concludere, quod nec vtile eſt, nec facilè fieri poteſt, *l. Omnis definitio in iure periculoſa eſt. de regulis iuris*.

Ad §. vlt. eiuſdem legis.

Accurſius & qui eum ſequuntur aliter accipiunt hunc §. quàm accipi debeat. & mihi videntur nodum quærere in ſcirpo. Sic igitur accipiendũ puto quæſtionem quã hic proponit Iur. cuius ſpecies eſt eiuſmodi: Procurator mihi nuntiauit, ei ſatiſdedi, vt poſſem ædificare: deinde interdicto experior, ne vis mihi fiat. nam fortaſſe à domino prohibitus ſum poſt ſatiſdationem: quia ex cauſa mihi datur interdictum aduerſus procuratorem procuratorio nomine.

Ad §. qui nouum opus. l. 8.

Accurſius non intellexit quod hic dicitur, Præceptionem vtilem eſſe ei qui nouum opus nuntiat, vt redigat in teſtationem. non enim intellexit quid eſſet hoc loco teſtatio, obſeruaui Iuriſconſultum teſtationem vocare Tabulas, quæ conficiuntur fidei & probationis cauſa.

Ad eundem tit.

Ad initium huius legis ſanè vanas pleraſque & inutiles diſputationes faciũt gloſſæ huius generalis diſputatio de pronomine demonſtratiuo. De particula, eatenus, & quatenus, de qua hic mira ſcribunt Accurſius, & Accurſiani, pari acumine diſſerunt de natura genitiui ad titulum ipſum. Voluerunt, credo oſtendere ſe non minùs ſubtiliter de Grammatica, quàm de iure diſſerere. Iidẽ in *§. hoc autem. huius legis primæ*, cùm in mendoſa lectione Norica ſic legeretur his verbis: Quod vi aut clàm quod olim factum. Ex hac vitioſa lectione arripuerunt occaſionem noſtri Sophiſtæ & Grammatiſtæ garriẽdi de dictione olim non minus ineptè nec minùs inſulsè, quàm de cæteris dictionibus, de quibus dixi ⁊. ſanè Florentina lectio rectior eſt, Quod vi aut clàm factum erit.

Ad §. Item nuntiatio.

Interpretes hîc quæſtiones multas tractant de feriis, ſed omnino extra rem: quia non eſt hic locus de his differendi. Sed mos hic eſt vulgarium interpretũ, vt omnia in omni loco dicere ſtudeant. Dicunt non quod dici debet, ſed quod dici poteſt quacunque arrepta occaſione. quòd eſt maximè vitioſum in interpretando iure ciuili.

Ad §. Et poſt operis, eiuſdem l.

Accurſius hîc ineptè interpretatur, quid ſit committere ſe iuriſdictioni, & eius ridicula omnino eſt interpretatio, qui ait eos ſe committere, quaſi compromittant.

In l. 1. his verbis, [Quatenus prohibendi ius is qui nuntiaſſet, non haberet: rectè ait ſignificare Vlpianum remiſſionem valere, cùm ius prohibendi non habet, ſcilicet veritate inſpecta. Nam vt idem Accurſius rectè animaduertit, ambiguitas quidem eſt in his verbis.

Ad tit. de damno infecto.

Peſſimè Accurſ. Bartolúſq;, *l. à quo fundus. D. de dam. infect.* interpretati ſunt. ita enim id reſponſum declarauerunt, vt non aliud ſignificare Iuriſc. voluerit, quàm quãdo Cõfeſſoria agitur, ſi pro conſtituenda ſeruitute aliquid fieri debuiſſet aduerſus cõtumacem ex primo decreto in poſſeſſionem loci, in quo ſeruitus cõſtituenda fuerat iri, ex ſecundo certum terminũ ſtatui, intra quem ſi agere ſuperſederit ampliùs non audiendũ. & ita verba legis interpretantur, A quo fundus petitur, ſi ab illo, hoc eſt, à me ædificatum habes, ago tibi ius non eſſe. Qui ſenſus quàm abſurdus, quàm inepta ſit conſtructio, etiam pueris notum arbitror, vt minimè quiſquam dubitare poſſet, quin ſententia hæc omnino ſit falſa, quamobrem quamprimum aperienda eſt veritas: formandúſque caſus hoc modo, Poſſidebas iniuſtè domum meam, interimque dum poſſideres, vicino qui te dominum exiſtimabat, ius ſeruitutis conceſſiſti: vt videlicet poſſit ædificare, quod & fecit: nunc ipſe vendico domum meam. quæritur numquid pendẽte lite poſſim eodem tempore agere contra vicinum, tanquam non potueris illi cõcedere, vt ædificaret? Iuriſconſultus reſpondit, poſſe: & ſi vicinus non defenderit poſſeſſionem ad me transferendam. quibus poſitis facile eſt videre Bartolum & Accurſium in interpretatione huius legis turpiter erraſſe.

Ad tit. de damno infecto. l. ſi finita. §. ſi de vectigalibus.

Accurſio malè videtur primum reſpõſum huius §. ſecundo reſponſo repugnare. Itaque quatuor ſolutiones quas affert in gloſſa ſuper verbo *ſi de vectigalibus*, nullius ſunt momenti. Itaque ad huius loci dilucidationem putat Alciatus, nõ Municipis legendum, ſed Mancipis, vt hi intelligantur, qui ius vectigalis per centum annos emerunt. nam Higinus de limitibus agrorum, cùm diuerſas vectigalium formas in medium affert inter cæteras dixit mancipibus ementibus, id eſt, conducentibus, in annos centenos vectigales dari. & hoc modo ſic hunc locum interpretari quis poterit: Aut aliquis non emit ius perpetuum à Republica: & nihil vnquam præſcribit, aut emit: & ſi non caueat, præſcribitur ob dominium illius iuris empti, ita tamen vt nihil reipublicæ damno ſit.

Ad tit. de damno infecto.

De ſcriptura *l. 45. de damno infecto*, valdè Accurſius dubitat. ne igitur ampliùs dubitationi locus ſit, videamus quomodo vere ſcribendum ſit. ſic autem lex hæc legẽda eſt, Scæuola lib. 12. quæſtionum. Ædificatum habes, aio tibi ius non eſſe habere, non defendis, ad me poſſeſſio transferenda eſt: & vt aſſerit Antonius Auguſtinus in Etruſco libro ante verbum Ædificatum. ſunt hæc à quo fundus petetur, ſi rem nolit, circumſcripta tamen vtpote aliena. Et hoc eſt quod Accurſius ait Piſis primum verſiculum eſſe deletum. Nam qui ab eo libro deſcripſerunt veterem delendi morem ignorãtes, nobis id reliquerunt: quod nec Haloander, nec Alciatus lib. 1. cap. 9. παρεργ. ὤν, rectè ſcripſerunt: A quo fundus, ſcribunt, petetur, ſi ab illo ædificatum habes. quæ verba, quantam controuerſiam noſtris faciant, ignorat nemo.

Ad §. Caſſius. l. ſupra. de aqua pluuiali arcenda.

Quod Accurſius affert in hoc §. fieri exactionem, pro parte apparet falſum eſſe ex eo quod hic traditur: Si vnus egerit cæterorum actionem euaneſcere, & ſi cum vno actum ſit, cæteros liberari. Nec alia conciliatio gloſſæ ſubſiſtit, quaſi *§. 1. in l. ſi tertius. hoc tit.* intelligatur de damno iam dato. & *§. Caſſius. in l. ſupra.* accipiendus ſit de opere reſtituendo. Nam Iulianus in eadem *l. ſupra. §. officium.* vbi cum Vlpiano *d. l. ſi tertius.* conſentit. hæc duo coniungit, Damnum datum, & opus non reſtitutum.

NOTAE IN GLOSSAS AD LIB. XL. PANDECTARVM Iuris ciuilis.

Ad l. finalem. D. de liberali cauſa.

Quid ſit Nomenclator, & nouè duæ leges declaratæ, contra Accurſium, & cæteros gloſſatores.
Venuly, & Vlpiani reſponſa expoſita.
Nomenclator quis.
Candidatorum mos.
Candida veſte cur vterentur.
Fartor.
Monitor.
Lex Catonis.

Quæſiui aliquãdo quid eſſet, quod Venuleius de liberali cauſa dixit, poſſe impuberem operas dare: veluti, ſi nummiculator ſit, vel hyſtrio. *l. fi. D. de liberali cauſa.* & Vlpianus ſcribens in impuberem, cùm adoleuerit, ſed & interdũ quandiu impubes eſt, operarũ actionẽ eſſe, quòd & eius ſit quoque miniſterium, ſi fortè, vel librarius, vel miniculator ſit, vel hyſtrio, vel alterius voluptatis artifex, *l. vt iuriſiurãdi. §. dabitur. D. de oper. libert.* Fit aũt vtraq; litera magis dubitabilis, quòd vtrobiq; vel ex Accurſ. ſententia variètur: Nam alij Nummiculator, alij Miniculator, alij verò Nummicalculator, legunt. Reſpondit vir doctus quidã, harum lectionum nullam ſibi placere: & licèt nullius Codicis tum haberet authoritatem, legendum tamen vtrobique [Nomenclator] intrepidè affirmauit. Dictus eſt autem [Nomenclator] quaſi nominis calator, id eſt, vocator: cuius opera candidati petituri magiſtratum, potiſſimùm vtebantur. Nam hic mos fuit, vt ambientes magiſtratum ſine toga candida veſte amicti (quam per id tempus induebant, vt integritatem, & probitatem, ex omnium puriſſimo colore ſignificarent: ſéque pecuniam non habere, qua ciues corrumperent, omnibus videretur, & ideo candidati dicti) in campum Martium, vbi fiebant comitia, ad magiſtratus innouandos deſcenderent: cùm amicti tribus circuirent, atque vnumquemque etiam tenuem hominem, cuius ſuffragio nitebantur, rogarent, obſecrarent, & obteſtarentur. Cùm autem quiſque ſuo ſe nomine appellari gaudet, moris etiam erat, ſingulorum ciuium nomina memoriter referre: ſingulóſque, ſuis nominibus vocatos, prehenſare, hoc eſt, manu cuiuſque ſuffragatores, à candidatis apprehenſa, ambitioſè petere. Quòd ſi candidatus ſuffragatorum omnium nomina, memoria non tenebat, adhibebat Nomenclatorem, hoc eſt, hominem, qui illi cuiuſque nomen ſuggereret, auribúſque ſuis inſuſurraret, & infarciret. Vnde & eundem Fartorẽ appellatũ tradit Sext. Pompei. quòd clanculùm velut ſalutandorũ confarciret nomina in aurem candidati. Eundem Monitorem Cic. pro Muræna vocat.

Huic

Huic ciues omnes Romani noti erant, neque enim alioqui candidato ſuggerere proprium cuiuſq;nomen potuiſſet. Quare Cic.ad Attic.Ad vrbem,inquit,ita veni, vt nemo vllius ordinis homo Nomenclatori notus fuerit, qui mihi obuiam non venerit. Porrò perſuaſit Senatui Cato iunior, vti ipſos, qui Conſulatum peterent, per ſe Romanum populum appellare iuberet,nec per Nomenclatores quicquam agere, inde lex lata, quæ Nomenclatores candidatis adeſſe vetabat, iubebátque, vt per ſeipſos candidati Romanos ciues ſalutarent, tactáque ſuorum meritorum commemoratione, ſupplicarent, & obteſtarentur, quo nomine Cato,homines ſibi vehementer aduerſos fecit. Nam ita gratiam concedendi populo Romano reuerentiam auferre videbatur.Eam tamen legem,cum fideliter Cato & ſuaſiſſet, & ſeruaſſet, non exiguam laudem eſt aſſecutus.Ex his arbitror non valde obſcurum eſſe, quid vtroque loco Iuriſconſultus ſenſerit: Impuberem ſcilicet, operas dare poſſe,vt ſi Nomenclator ſit,id eſt, eius artis, vt ciuium nomina canditatis ſugerere ſciat,librarius, puta hiſtrio, aut alterius voluptaris artifex: huiuſmodi quippe miniſteria, etiam in impuberes cadunt. Hæc ex doctiſſimi viri Ioannis Corraſij Miſcellaneis deſumpſi,vbi optimè verba illa explicauit,quæ Accurſius ignorauit: ſi vis plura, vide apud illum authorem.vbi plenius multo hæc explicat.

Ad titulum de manumiſſis vindicta.

Malè legit Accurſius *l.6.de manumiſſis vindicta.* Errori vulgari cauſam dedit, quod non intelligeretur quid eſſet cauſam adprobare: eſt enim hic in conſilio Prætoris aut conſulis adeſſe, ad quod aſſeſſores, pedanei Iudices & Iuriſconſulti aduocabantur, malè Accurſiani, de dolo conſenſu eius actum eſſe exiſtimant: eo enim modo vulgaris lectio minimè veram ſententiam obtinet.

Ad l.penultimam.de priuilegiis creditorum.

Malè Accurſius interpretatur hanc legem: eſt autem eiuſmodi reſpublica creditrix omnibus Chirographariis creditoribus prætertur, quæ lex de republica Romanorum intelligenda eſt,id eſt, de fiſco, ſeu principis, ſeu re publicæ & populi, quod ærarium dicebatur. Erat enim vectigalium reditus dupliciter diuiſus, quidam principi deſtinatus quidam reipublicæ attributus. Ideo perperam, Accurſius annotauit de alia republica quàm Romanorum loquutum Paulum propterea, quod fiſcus nunquam ſit Chirographaris creditori, Imò verò eſt cum præter ſyngrapham debiti nihil habet ab eo cui mutuauit, quamuis enim & tum habeat tacitam hypothecam non tamen iure ſyngraphæ,ſed iure ſuo habet.

Ad l. Titia.§.finali.ff. de manumiſſis teſtamento.

Quomodo l.Titia.§.finali. ff. de manumiſſis teſtamento.intelligenda ſit, aduerſus cæterorum opinionem.

Scæuola in *l. Titia. §.fin. ff. de manumiſſ. teſtament.* Lucius Titius,inquit,teſtamento ſuo ita cauit, Onoſiphore, niſi diligenter rationes excuſſeris,liber ne eſto. Quæro,an Onoſiphorus ex his verbis libertatem ſibi vendicare poſſit. Reſpondi iis verbis, quæ proponuntur, libertatem adimi potius quàm dari.Hoc reſponſo Bartol.in *l.ſi eum.§. qui iniuriarum. ff. ſi quis caut.*& alij doctores in dicto *§.iniuriarum. & in l.actione. C. de tranſact.* ſic intelligunt, vt Onoſiphorus etiam diligenter excuſſis rationibus libertatem ſibi vendicare nō poſſit. Sed Andreas Alciatus *lib.5.paradox:ca.* 4.in alia eſt opinione, nempe Onoſiphorum,ſi rationes diligenter excuſſerit, liberum fore. Nec illum mouet,quod in *d.l.Titia.§.fin.*dicitur. Onoſiphorū libertatem ſibi vendicare non poſſe: hoc enim ipſe ſic interpretatur, vt dicat, in caſu illius reſponſi dubium fuiſſe, num Onoſiphorus ante redditas rationes, libertatem adipiſceretur,deberétque deinde rationes reddere, tanquam illa verba: Niſi rationes diligenter excuſſeris,modum, non autem conditionem faciant.*l.quibus diebus. §. Termiſſus. D. de condit.& demonſt.* Et tamen Scæuolæ viſum fuiſſe, Onoſiphorum ante redditas rationes,liberum non fore. Præſupponit ergo Alciat. Onoſiphorum, quàm primum rationes diligenter excuſſerit, liberum futurum. Verum hæc interpretatio recipi vix poterit. etenim Scæuola indiſtinctè dicit, Onoſiphorū ſibi libertatem vendicare,non poſſe.Non ergo diſtinctio facienda eſt, vt ante rationes excuſſas libertatem vendicare non poſſit, poſt excuſſas vero poſſit. Vbi enim lex non diſtinguit, nec nobis diſtinguere licet, *l.de precio. D.de publ.* Ego igitur communem intellectum ſequi malim: Onoſiphorum, etiam excuſſis ſiue redditis rationibus, libertatem vendicare non poſſe: Cui tamen intellectui illud plurimum obſtat, quod verba illa, Onoſiphore,niſi diligenter rationes excuſſeris, liber ne eſto: nihil plane operari videantur, ſi Onoſiphorus ex illis verbis libertatem vendicare nequeat. Nam etiam ſi teſtator hæc verba teſtamento non adiecifſet, nihilominus Onoſiphorus libertatem conſecuturus non fuiſſet: Debet autem verborum interpretatio ita fieri,vt aliquid operentur, *l.ſi quando.D.de legat. primo.* Vt ergo prædicta clauſula ſuperuacanea non ſit,ſed aliquid operetur.Ideo putarim illam, infraſcripto modo accipiendam: Teſtator omnino volebat, vt Onoſiphorus rationes diligenter excuteret. Vt ergo ad rationes excutiendas eò magis incitaretur: Cauit teſtamento,eum liberum non fore, niſi excuſſis rationibus. Fieri enim poterat, vt heredes, etiam rationibus non excuſſis,libertatem illi vltrò donarent. Vt ergo teſtator hòc præcaueret, prohibuit ipſum ante redditas rationes liberum fore, Ita quidem,vt non liceat heredibus, rationibus non excuſſis, libertatem illi donare: Idque teſtator iure facere potuit. Licitum enim eſt teſtatori, ſeruo ſuo vel heredis,libertatem interdicere,*l.ſi quis ita. §.1. D.de manumiſſ.teſt.* Et hic intellectus dictæ *l.Titia.§.fin.* non videtur omnino alienus ab intellectu Bartoli in *dicta l.ſi eum. §. qui iniuriarum.& Bald. in cap.cum olim nobis.de electio.* Tametſi ſi aliter quoque ſupraſcriptæ difficultati obuiari poteſt.Nam quod dictum eſt: verba *dicta l.Titia §.fi.*intelligi debere, vt aliquid operentur, *dicta l.ſi quando.* Reſpondeo,ſecus eſſe, quoties manifeſte apparet teſtatorem, ſuperuacaneis verbis vti voluiſſe. Ita probatur in *l.fi. D. de manumiſſ. teſtament.* Vbi teſtator ita ſcripſerat:Stichus cum morietur,liber eſto: Quæ verba fruſtratoria quidem ſunt.Fruſtra enim poſt mortem legatur. Nec proptereà verba illa aliquid operantur: cùm manifeſtum ſit, teſtatoris mentem non fuiſſe, vt aliquid operentur. Et hoc eſt, quod Iuriſconſulti dicunt: Scio quoſdam efficere volentes, ne ſerui ſui vnquam ad libertatem perueniant, hactenus ſcribere ſolitos,Stichus cum morietur liber eſto. Sed Iulianus ait, libertatem, quæ in vltimum vitæ tempus confertur, nullius momenti eſſe: cùm Teſtator impediendæ magis,quàm dandæ libertatis gratia ita ſcripſiſſe intelligat, &c. Si ergo in caſu *d.l.fi.*clauſula ſuperuacanea ſeu fruſtratoria, nihil operatur: ergo idem in caſu *d.l.Titia.§.fin.*dici poteſt,clauſulam illam, de Onoſiphoro,nihil operari, ſed tanquam ſuperuacaneam reijci: & Onoſiphorum etiam excuſſis rationibus libertatem non conſequuturum, perinde ac ſi clauſula à Teſtatore adiecta nō fuiſſet.Hæc tamen omnia intelligenda ſunt, ſi teſtator ſimpliciter nullo præcedente legato libertatis, ſupraſcripta clauſula vſus ſit.Atque hoc modo procedit, *d.l.Titia.§.fi.*ſecus foret ſi Onoſiphoro libertatē reliquiſſet, hoc modo Onoſiphore liber eſto:deinde hæc verba adieciſſet:Onoſiphore niſi diligenter rationes excuſſeris,liber ne eſto. Tunc enim Onoſiphorus excuſſis rationibus,libertatem ſibi vendicare poſſet. Et in hoc caſu procedit,*l.quibus diebus. §. quidam Titio.D. de condit. D demonſt.* Vbi teſtator centum legauerat, conditione adiecta, his verbis, Niſi mater moriatur,non dato. Quo caſu, conditione exiſtente (matre nimirum mortua) legatum deberi Iuriſconſultus illic aſſerit. Et hæc diſtinctio probatur etiam in *l.ſi quis ita libertatem.§.fin.* ibi,quæ prius dati erat.*D.de ſtatu liber.*Quam legem Iaſon.in *l.actione.col.2.C.de tranſact.*pro limitatione.*d.l.Titia.§.fi.allegat.*Plura vide apud Bernardum Vvalterum in Miſcellaneis obſeruationibus.

NOTAE AD GLOSSAS IN LIBRVM QVADRAGESIMVM Pandectarum iuris ciuilis.

Ad titulum de acquirenda poſſeſſione.l.j.

Miror Accurſium in ea eſſe opinione, vt meliorem lectionem eſſe putet in *l.1.ff.de adq.poſſeſſ.* quę dicit poſſeſſionem a pedibus venire, cũ poſſeſſio in etymo vocabuli nihil commune, cum pedibus habeat. Imò Grammatici omnes norunt poſſidere, aſſidere, conſidere, diſſidere, ab hoc verbo ſideo, omnia formari, qua propter Baldi, Pauli Caſtrẽſis, Iaſoniſque quæſtiones, quis laudauerit, dum id maximè ſcire ſatagunt, cur poſſeſſio magis à pedibus, quàm ab alia corporis parte denominetur, & ſtultum eſt, ineptum Accurſij argumentũ negantis poſſeſſionem propriè in rebus mobilibus dici, quoniam in earum poſſeſſionem pedibus non eamus? vt illud mirum in eo ſit, qui cum meliora viderit, id quod deterius fuerat maluerit ſequi. Quod autem dicitur quaſi poſitio, alluſio vocabuli eſt, quandoquidem etiam dicimus ponere ſedes.

In hac l.1. Accurſius ſibi ipſimet contrarius eſſe videtur, dũ quærit quo iure inuenta ſit poſſeſſio. videtur enim dicere iure naturali primæuo eſſe inuentam, quod tamẽn ipſe tandem nõ probat: hoc modo enim animantibus quoque cæteris communis eſſet poſſeſſio, Inſtitutionibus de iure naturali, in principio. cum tamen ea animum poſſidendi habere non poſſint, ideóque nec poſſeſſionem, *l.4.in prin.ff.de acquir.poſſeſſ.*

Cum de retinenda naturali poſſeſſione quæritur, quidam vt Placentinus & Azo naturalem retineri exiſtimarunt, quocũque poſſeſſor eat, cum ea nõ niſi animo amittatur. *l. quemadmodum.hoc tit.* quæ ſententia limitanda eſt ac primùm ſi non tam procul eat, quin ad huc res ſit in conſpectu, quod malè Accurſius intellexit: id enim interpretatur paſſiuum, opinor fuiſſe eum lincæum alioqui pauci ſunt qui tantum perſpiciant.

Malè Accurſius in *l. 3. §. nerua.hoc tit.* In re mobili ſtatim, atque quis eam nõ videt naturalem poſſeſſionem amiſſam eſſe exiſtimauit, cum idem ipſe in *l. parui. de condictione furtiua.* optimam rationem afferat pro re immobili, quæ & mobili conuenire poſſit, nimirum eum, qui prope eſt cenſeri preſentẽ.

Si quæratur quomodo amittatur poſſeſſio, cum is, qui ciuiliter & naturaliter poſſidet abſceſſit. peſſimè reſpondet Accurſius & Ioannes, quem ſequuntur Bartolus, cæterique crebriore calculo: exiſtimãt enim poſtquam is exiit de fundo, nec amplius præſens eſt, amitti naturalem, *l. illum. hoc tit.* Contra rectè Iaſon, qui hoc caſu Azonem ſequitur, exiſtimauit: & optima ratione nititur: cum enim naturalis ſola per digreſſionem extra fundum non amittatur, *l.4.§.vnde vi.de vi & vi armata.* nec quidem hæc amitti debet, quæ ciuili iuncta ſit, cum coniunctio hæc difficiliorem perditionem, naturalem efficere debeat. *arg.l.qui patri.de adquirenda hereditate.* Cum in detentione & in corporali poſſeſſione, & in ea, quam per alium habemus, id multo magis concedendum eſſet, quæ cum debiliores ſint, debuiſſent facilius amitti, ſed non ſufficit noſtram opinionem meliorem eſſe aſſeuerare, niſi & aduerſæ ſententiæ auctorum rationes refutentur. Ac primum rationes differentiæ, quas Doctores adducunt, ſatis probabiles non ſunt, dum dicitur, quod animus nequeat, circa ambarum poſſeſſionum retentionem operari, cum vni tantum deſtinatus ſit, *arg. l.quod Labeo.de compenſationib.l.& ſi quis.§.plerique. de religioſis.* Illorum rationi ſic reſpondeo, videri potius animum vtrique deſtinatum, cum nihil impediat, quin animus circa ambarum poſſeſſionum retentionẽ operetur, vt veriſimile ſit cũ animum vniuſcuiuſque eſſe, vt omnia iura ſua conſeruare velit, ne vel minimum ex iis pereat, *l. cum de indebito. de probationibus*, & hæc quo ad Doctorum rationes: Nunc quoad Accurſij rationes, quod dicit in colono conſiderari animum, ne exeat vt poſſeſſionem velit amittere, qui ſi nolit vt aliquid animus iſte operetur naturalem Domino conſeruabit, *l. ſi colonus.hoc tit.* at in eo qui ciuiliter & naturaliter poſſidet, ſatis eſt, quod ei animus ciuilem conſeruat, merito naturalis perit. Reſpondeo, non ideo colonum abſentem naturalem conſeruare, vt animus aliquid operetur, ſed quia generaliter naturalis per abſentiam non perditur, & ad illud, quod dicitur non debere animum circa tot poſſeſſiones operari, friuolum dicẽdum illud eſſe, ſi enim animus multas poſſeſſiones ciuiles multas naturales in diuerſis locis & ſeparatas tuetur: cur & coniunctas tueri non poteſt? Nihil etiam valet ratio Socini, dum ait, in eo qui ciuiliter quoque poſſidet facilius naturalem amitti, vt quæ inutilis ſit cum ei ciuilis ſufficiat. Reſpondeo vtilem futuram naturalem, quia noſtra intereſt plurima iura conſeruare, *l.ſi domus.de ſeruitutib. vrbanor.prædiorum.* 1. quia naturalem poſſeſſionem difficilius à nobis auferet princeps, *l.finali.Cod.ſi per vim, vel alio modo.* 2. quia ſi nos eam habemus non tam facile ingrediendo, alius auferet nobis noſtram poſſeſſionẽ. *l.illam.in fi.hoc tit.l.3.§. ex contrario.ff.eod.* 3. quia hoc admiſſo (vt Iaſon inquit) ſemper naturalis, quæ ciuili iungeretur eſſet fruſtratoria.

Ad finem huius legis, vbi dicitur nos adipiſci poſſeſſionem per noſmetipſos, recte notat Accurſius, non his verbis prohiberi, quin per alium quærere poſſeſſionem qui poſſit, vnde conſequens eſt, vt tanta non ſit pronominis perſonalis efficacia, quin actus per alios quoque expediri poſſit. hoc in libro Benedictorum Accurſij notauimus.

Falſa eſt ratio, quam affert Accurſius ad *§. furioſus.verſic.falſi.* non iuris eſſe, vbi ait, pupillum etiam acquirere abſque tutore ea, quæ iuris ſunt, ideóque ſtipulari poſſe, Inſtitutionibus de auctoritate tutorum. nam licet ille locus Inſtitutionum id aſſerat: id tamen alia ratione inductum eſt, quàm ea, quam hic proponit, nempe fauore pupilli vt poſſit meliorem conditionem facere deteriorem non poſſit.

Ad l.15.hoc titulo.

Ad illam quæſtionem an pro re mobili amiſſa recuperanda competat nobis aliquod interdictum, malè Accurſius negat: & hæc eius ratio, quod rerum mobilium vilis & abiecta ſit poſſeſſio, *l.ſi rem.hoc titulo.* ſi hæc ratio vera eſſet, nec quidem retinendæ interdictum vtrobi competere debuiſſet, quod falſum eſt, nam *l.1.§.vtrobi.* dicitur competere.

Ad l.xxiij.de vſucapionibus.

Accurſius Labeonis & Pomponij ſententiã interpretatur, quin decẽ aut pauci dies vſucapioni rerum mobilium deſunt, vt ea perficitur, etiamſi coniungantur ædibus: Iauolenum verò loqui quando amplius tempus ſuperet, quod ſanè quam abſurdum eſt.

Ad l.j.D.de acquirenda poſſeſſione.

Poſſeſſionis Etymologia iuxta antiquam lectionem in l.1. D. de adq.poſſ.defenſa, contra Alciatum. V ualthero æquus lector iudicabit quam ſequi debeat.

Iureconſultus in *l.1.ff.de adq.poſſeſſ.* Poſſeſſio, inquit, appellata eſt à pedibus, & vt Labeo ait, pedum quaſi poſitio, quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei inſiſtit, &c. Verum Alciatus *lib.1.diſpunctionum.cap.1.* corruptum hoc reſponſum arbitratur. Ipſe igitur ex antiquo quodam Codice ſic reſtituit: Poſſeſſio appellata eſt à ſedibus, & vt Labeo ait, poſitio: quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei inſiſtit, &c. Ego puto antiquam lectionem defendi poſſe. Nam in *l.3.in princ.ff. eodem.* dicitur, fundi poſſeſſionem capi, ſi quis quamlibet partem fundi introeat. In eodem quoque *l.3.§.ex contrario* dicitur quemadmodum duo in eodem loco ſtare nõ poſſunt, itaque quoque poſſidere non poſſe: vt appareat, poſſeſſionem ab introeundo, & à ſtando, & conſequenter à pedibus denominatã eſſe. Quod & verbum [inſiſtit] in *d.l.1.* poſitum oſtendit: inſiſtimus enim pedibus. Quod ſi, iuxta Alciati lectionẽ, à ſedibus poſſeſſio diceretur: tunc verbum [inſiſtit] deriuationi ſuæ non conueniret. Celſus quoque in *l.quod meo.§.venditorem D.eod.* cum maximè poſſi-

poſſidere ait, qui pedem finibus infert, vt appareat à pedibus poſſeſſionem denominatam eſſe. Vnde & pedem ponere. Cic. pro eo quod eſt poſſidere, accepiſſe vi videtur. Sic enim pro A. Cecinna ait: vt intelligeres, ſi in fundo pedem poſuiſſes, ſtatim tibi eſſe pereundũ. Idem quid ergo hoc, quam habet vim ve iſta re aliquid, cùm aliqua ex parte differre videatur, vtrum pedem cùm intulero, atque in poſſeſſionem veſtigium fecero tùm expellar, atque eiiciar. an in eadem vi &c. Idem ad Atticum. Nam quomodo nunc eſt, pedem vbi ponat, non habet. Extat etiam locus in Philippica ſecunda. Quærunt autẽ doct. in *d. l.* 1. Quare poſſeſſio à pedibus, & non ab alia potius corporis parte denominata ſit. Et Iaſon in *d. l.* 1. duas actiones adfert, tertiam addit Ioan. Franciſcus de S. Nazario. Ego verò rationem non longè quærendam eſſe arbitror: cum text. *in d. l.* 1. ipſemet rationem reddat, dicens, poſſeſſionem dictam eſſe à pedibus, ex eo, quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei inſiſtit, Plura vide apud Bernardum Vualtherum, ex quo hæc collegi.

Ad l. poſſideri. §. ex pluribus. eod. tit.

Verbum poſſeſſionis in iure pro Dominio accipi non debere: licèt Bartol. aliter dixerit.

Quamuis poſſeſſio cum proprietate, ſiue dominio, nihil cõmune habeat. *l. naturaliter. §. nihil commune. ff. de acquir. poſſ.* tamen Bart. *in l. poſſideri. §. ex plurib. ff. de acquir. poſſ.* poſſeſſionem pro dominio quandoque ſumi aſſerit: Idque duabus legibus probare nititur. Primò enim allegat, *l. cum res. C. de contrah. empt.* Vbi dicitur titulum poſſeſſionis duplicari non poſſe, quo in loco gloſſ. poſſeſſionem pro dominio interpretatur. Secundò allegat Bart. *text. in l. interdum. D. de verb. ſignif.* cuius reſponſi verba hæc ſunt: interdum proprietatem quoque verbum poſſeſſionis ſignificare, ſicut in eo, qui poſſeſſiones ſuas legaſſet, reſponſum eſt: Præter Bartolum, ego in hanc ſententiam adducor, *l. à diuo pio. §. ſi pignora. ff. de re iud.* Quam legem Alciat. lib. 6. *paradox. cap.* 3. ſic interpretatur, vt poſſeſſio illic pro dominio accipiatur. Sed cum poſſeſſio nihil habeat commune cum proprietate. *d. §. nihil commune.* nõ video quomodo ſupraſcripta Bart. ſententia defendi poſſit: nec me mouet tex. *in d. l. cum res.* Non enim illic de poſſeſſione agitur, ſed de titulo poſſeſſionis. Et titulus quidẽ dominium præſtare poteſt, nõ autem poſſeſſio. Non obſtat etiam *d. l. interdum.* Nam quod illic dicitur, verbum poſſeſſionis proprietatem interdum ſignificare, id ex vi verbi non fit: ſed ex præſumpta mente teſtatoris, vt cùm poſſeſſiones ſuas legat, intelligitur proprietatem legaſſe. Aliàs verbum poſſeſſio à propietate diuerſum eſt, *quæſtio, ubi, poſſeſſio ergo vſus eſt*: Ager proprietatis loci eſt. *ff. de verb. ſignif.* nec obſtat etiam *d. l. à diuo Pio. §. ſi pignora.* Non enim Alciat verbum poſſeſſionis ſimpliciter prolatum, illic pro dominio interpretatur, ſed cum actione verbi [crediti.] Dicitur enim illic, pignora in creditum poſſidere, Quib. verbis, non poſſeſſio, ſed creditum, dominij tranſlationem inducit: nam qui mutuum dat, in creditum ire dicitur, *l. 2. §. 1. ff. ſi cert. pet.* Mutuum autem, dominium tranſfert. *d. l. 2. §. appellata.* Et hoc modo intelligenda eſt Alciati interpretatio, ad *d. §. ſi pignora.* Quæ aliàs à verbis textus aliena videri poſſet. Hæc habui quæ dicerem contra Bart. ex Doctiſſimis obſeruationibus Bernardini Vualteri.

NOTAE AD GLOSSAS IN LIBRVM QVADRAGESIMVMSECVNDUM PANDECTARUM IURIS CIUILIS.

Ad titulum de ſeparationibus.

SVb titulo de ſeparationibus, Accurſiana dubitatio auferenda eſt, itáque alio modo legenda eſt hæc lex, quam Accurſius. Ita enim Papinianus ſcribit in *l. debitor. de ſeparationibus.* Vtrum portio cum cæteris hæredis creditoribus ei quærenda erit: an contentus eſſe debebit bonis, quæ ſeparari maluit. Item alia dubitatio eiuſdem Accurſij tollenda eſt ſub titulo *Quæ in fraudem creditorum l. cum in vetus*, vbi ſic ſcribẽdum eſt. Reſpondit creditorem non idcirco prohibendum à perſecutione pignorum, quod in vetus creditorum, vt obligaretur pactus eſſet: niſi id & in fraudem cæterorum creditorum factum ſit, & ea via iuris occurratur, qua creditorum fraudes reſcindi ſolent, quibus lectionibus retentis nullus erit locus dubitationi. Accurſianæ.

Ad titulum de re iudicata.

Ad l. ait prætor.

Vera eſt opinio veterum interpretum, de iudicibus datis, quorum proprium munus eſt iudicare, quã tamen opinionem Accurſius & Accurſiani omnes improbant. In eo autem maximè falluntur, quod putent iudicem datum eſſe eum, cui mãdata eſt iuriſdictio. Mandare ſuam iuriſdictionem alicui multo plus eſt, quàm eum iudicem dare, is cui mandata eſt iuriſdictio, iudicem dare poteſt. *l. cum prætor. de iudiciis.* At non poteſt mandare, *l. more. de iuriſdictione.*

Ad §. ſi iudex eiuſdem legis.

Falſum eſt quod Bartolus & cæteri aiunt, ad hanc legem, valere hanc ſententiã, condemno ſi eſt probatum. Stulta enim & inepta eſt hæc pronunciatio. Suetonius ſcribit in Claudio Cæſare, Claudium Cæſarem ita pronuntiaſſe: ſecundùm eos ſe ſentire, qui vera propoſuiſſent, & ait: eũ contemptui habitum eſſe, nec immeritò, cum nihil poſſit ſtultius pronunciari, nihil ab officio iudicis alienius. Malè Accurſius & Accurſiani putãt, iudicẽ ita pronunciare, vti poſſidetis & cętera. *l. 1. C. vti poſſidetis.* quia non dirimit cõtrouerſiam. Verba enim hæc ſunt prætoris iudicem dantis, non iudicis pronuntiantis. Theophilus Inſtitutionibus de Interdictis, in principio.

Ad l. xv. de re iudicata.

Accurſius & Accurſiani omnes, qui non diſtinguunt, nec diſtinctionem vllam adhibent inter iudicem datum, & eum cui mandata eſt iuriſdictio incidunt in multos errores, in explicatione huius legis, & inter alias differentias, hæc eſt præcipua, quod iudex datus, ſiue delegatus non poſſit exequi ſententiam ſuam: functus eſt enim officio ſuo cum iudicauit, *l. iudex hoc titulo.*

Ne ſequaris etiam eorum errorem, qui putant ea quæ ſunt mixti Imperij non poſſe mandari, cuiuſmodi eſt executio ſententiæ, *l. cognitio. de officio eius, cui mandata eſt iuriſdictio.* Nota huic loco multa obiicere interpretes, quæ nullo modo cõtraria ſunt, vt Nouellam de exhibendis reis, *§. ſi vero.* quæ conſtitutio ſi rectè intelligatur, tantum abeſt, vt contraria ſit, cum ſuffragetur huic ſententiæ, potius quàm aduerſetur, obiiciunt etiam *l. etſi non cogniti. C. ſi contra ius vel vtilitatem publicam.* vbi mandata executione, mandatur cognitio: inde argumentum ducunt. ſi ei cui mandatur executio, & cognitio quoque videtur mandata. Idem dicendum putant eo conuerſo, vt mandata cognitione, non intelligatur mandata executio, quæ paria non ſunt.

Ad l. 12. de re iudicata.

Ad eam Antinomiam quæ occurrit ex *l. is qui dolo. 69. de rei vindic.* variæ excogitatæ ſunt ſolutiones ab Accurſio, & aliis: ſed inter tot ſolutiones, oportet vnam tantum eſſe veram. Vna igitur earum magis probatur, vulgo & recepta eſt, quod Paulus in *l. is qui dolo.* loquitur de actione in rem, Marcellus de actione ex contractu, quæ eſt in perſonam. ſanè nec hæc ſolutio, quæ vulgò probatur, vera eſt, non enim eſt opus diſſolutione. Cùm hæc magis diuerſa ſint, quàm repugnantia. Nam in *l. is qui dolo*, quæritur de cautione, ſine ſtipulatione iudiciali quæ exigitur. Cum iudex id pronuntiaturus, & Paulus ait actorem non cauere, & iudicem, qui cognoſcit non debere, eum cogere ad cauendum: ſed ſimpliciter damnare reum,

ad æſtimationem in ſpecie noſtra. Marcellus non loquitur de cautione illa quæ exigitur in ſententia.

Ad. §. ſi quis promiſerit. l. xiij.

Variæ ſunt opiniones apud Accurſium & alios, de illa quæſtione, an factum, an pecunia ſit in obligatione, quia Celſus hic loquitur tantum de ſcondemnatione. Ego reiectis opinionibus Accurſij & aliorum iis aſſentior, qui putant vtrúmque eſſe in obligatione factum ab initio, pecuniam poſt moram. id enim certum eſt oſtendere, Celſum ex Tuberonis ſententia in *l. ſtipulationes non diuiduntur. de verb. oblig.* vbi ſi quid fieri ſtipulemur: ſi non fuerit factum, pecuniam dari oportere ait.

Ad l. xiiij.

Obſerua id illud, quod in hac lege dicitur de iuſſu prætoris, Accurſium idoneum non afferre exemplum: affert enim exemplum ex *l. qualem. §. dicere. de recept. arbitr.* vbi dicitur, iuſſit adeſſe Kalendis mox idibus, quód exemplũ nullo modo cõuenit prętoris officio, ſaltem cùm imperio vtitur. Prætor enim non cognoſcit de cauſis priuatis, niſi extra ordinem in certis caſibus, nec verſatur imperium prætoris in ea cognitione, cum cui committitur cognitio, non ideo committitur eidem executio, quia plus eſt exequi, quàm cognoſcere & iudicare. Executio enim eſt imperij cuiuſdam cui conceditur, quod minus eſt non continuo ei conceditur, quod eſt maius. Cùm autem committitur alicui executio, intelligitur commiſſa cognitio. *d. l. & ſi non cognitio.*

Ad §. ſententiam. eiuſdem legis.

Quæſtio eſt in hoc §. an quæ dicuntur in hoc §. *de iudicio ciuili locum habeãt in iudicio criminali.* Plerique interpretum putant reum damnatum remittendum eſſe ad magiſtratum loci, in quo deliquit, & hac in re ſequuntur Accurſium, qui id malè putauit. verum enim illud non eſt, quia id nullo iure probatur. remiſſio quidem fit ad locum delicti ante cognitionẽ, *l. ſi cui crimen. §. vlt. de accuſationibus.* eſt enim facilior probatio in loco delicti, idque publice vtile eſt, ne delicta maneant impunita. Authẽtica, qua in prouincia. *C. vbi de crimine agi oporteat.*

Ad §. in venditione.

Ad illam quæſtionem an ob priuilegium aliquod ceſſet, hęc executio recte quidem Accurſius quoſdam locos citat, de ciuitate, minore, dote, Eccleſia, ſed non explicat ea quæ tamen paulo pleniorem diſputationem exigunt. nos de his aliquid dicamus, ac imprimis, notemus ciuitates eodem iure vti, quo homines priuatos, *l. ciuitates. D. quod cuiuſque vniuerſitatis loco priuatorum habentur. l. eum qui vectigal. de verbor. ſignif.* Minoris etiam bona capiuntur. *l. 1. C. de prædiis minorum. l. 3. §. item quæri. poteſt. de rebus eorum qui ſub tutela.* quia hæc alienatio non eſt voluntaria, ſed neceſſaria. Nota etiam hic Accurſium non intellexiſſe, quid ſit cauſa primipilaris, quæ maximè eſt fauorabilis, & quia hoc iure vtimur in Gallia, ideo qui in foro verſantur melius id intelligunt.

Ad §. ſi pignora.

Rectè hic Accurſius annotauit eſſe aliam rationem ſatisfaciendi creditori, cum pignora non inueniunt emptorem, vt res pignoris iure teneatur ſine diſtinctione, *l. 1. Cod. ſi in cauſa iudicati pignus captum ſit.* Sed hac via, vt ingenuè fatear, non ſatis conſulitur creditori, quia fructus imputantur in ſortem, *l. 2. C. de pigneratitia actione.* Verum idem annotat & alij qui eum ſequuntur hanc quidem eſſe viam qua conſulatur creditori, ſed non vnam. Nam alia ratione poteſt ei ſatisfieri, vt puta vt rem pignoris iure teneat ſine diſtractione. *l. 1. Cod. ſi in cauſa iud. pignus.* Verum nec hac via puto recte conſultum creditori, qua fructus rei pignoratæ ſemper imputantur in ſortem. *d. l. 2. C. de pign. actione.*

Ad l. xlvj. de re iudicata.

Malè Accurſ. hic ait, vſque ad Tritauum tantum parentes hic accipi. Parentes enim & liberi hic accipiuntur in infinitũ. *l. 4. §. parentes. de in ius vocando. l. ſed ſi hac. §. liberos. eodem tit. l. appellatione. de verborum ſignificatione.* nec obſtat, *l. Iuriſconſultus. §. parentes. de gradibus & affinibus.* quæ ait Parentes vſque ad Tritauum proprio vocabulo nominari. Non enim negat vltra Tritauum parentes dici, ſed ait tantum proprio vocabulo non nominari. Quamquam negare non poſſumus de proprietate horum verborum diſſenſionem fuiſſe inter veteres, vt apparet ex *l. 4. de in ius vocando.*

Ad eum locum huius legis, quo dicitur militem habere beneficium propter vtilitatem reipublicæ, Accurſius recte addit alias perſonas, quæ idem beneficium habent cuiuſmodi eſt donator. *l. inter eos. ℑ. hoc titulo.* Indignum viſum eſt eum, qui conuenitur ob liberalitatem ſuam omnibus bonis ſuis ſpoliari à donatario. *l. 49. cum l. ſequenti. ℑ. eod.* ſed de his in Benedictorum libro decimus.

Ad l. xix.

Quæritur apud Accurſ. an exceptio huius beneficij ſit perpetua, an dilatoria. variæ ſunt ea de re opiniones apud Accurſianos. ſolet enim Accu. plures opin. referre, ſed mihi videtur ſecundũ Duaren. reiectis aliis opinionibus dilatoria magis dicenda eſſe, quàm perpetua & perẽptoria, quia non perpetua agenti obſtat, nec cauſam perimit. *§. appellatur. Inſt. de actionib.* Item hæc eſt natura dilatoriæ exceptionis & peremptoriæ, quod tutus exceptione dilatoria ſoluens non repetit, *l. in diem. 10. de condictione indebiti.* Tutus exceptione perpetua repetit, *l. qui exceptionem. 40. eod. titulo.* At propter hanc exceptionem non datur repetitio ſoluti. *l. quod nomine, & l. ſequenti. de condictione indebiti.* habet tamen aliquid commune cum exceptionibus peremptoriis.

Ad l. xxiiij. de re iudicata.

Malè Accurſius ad eum locum huius legis, quo dicitur fideiuſſorem dotis nomine inutiliter accipi, ait Pomponium non loqui de marito, cum contrarium facile appareat ex iis, quæ antecedunt & ſequuntur, non minus falluntur alij, quàm ipſemet Accurſius, putant enim Pomponium loqui de fideiuſſore accepto poſt ſolutũ matrimonium, nam fatentur ſoluto matrimonio fideiuſſorem obligari, *l. exceptiones. de exceptionibus. l. 24. §. quoties. ſoluto matrimon. §. ſin autem. C. de rei vxoriæ actione.* Sed hæc opinio vulgaris omnino falſa eſt. Fideiuſſor enim obligatur, quamuis maritus non cogatur fideiuſſorem dare, idque demonſtrat eleganter multis argumentis Franciſcus Duarenus in Epitome, Tractatus de iure dotium.

Ad l. xxvij. eodem titulo.

Non potuit Accurſius ſoluere Antinomiam quæ eſt ex *l. ex Cod. quando prouocare non eſt neceſſe*, vbi dicitur ſententiam latam nullam eſſe contra manifeſti iuris formam datam. Apud Accurſ. variæ ſunt ſolutiones, ex quibus animaduertere licet, hominem imperitum antiquitatis, parum intellexiſſe morem proferendarum ſententiarum. Accurſius de hoc more aliquid attingit: ſed quaſi ſomnians, magis quàm intelligens more ſuo. Nota igitur iudices pronunciare ſolitos fuiſſe, aut de iure, aut de facto: cum pronunciant de iure, tunc contra ius certum ſententia eſt nulla, ſicut in exemplo, *d. l. 2. Cod. quando prouocare non eſt neceſſe.* ſi de facto pronuncient, valet ſententia licet contra ius lata ſit. *l. cum prolatis. 32. hoc titulo.* atque ita accipiendum eſt hoc reſponſum Modeſtini: & iſta diſtinctione adhibita optima erit ratio diſſoluendæ huius Antinomiæ.

Ad l. xxxiij.

De illa quæſtione, quę fit ab interpretibus in hac lege, An ſententia ſit nulla ipſo iure, an vero ſit neceſſaria reſtitutio: variæ opiniones reperiuntur apud Accurſium, ſed reiectis omnibus illis variis opinionibus, puto magis probatum receptúmque eſſe, reſtitutionem potius neceſſariam eſſe, quàm dicere ſententiam nullam eſſe ipſo iure. Verum nobis diluenda & reiicienda ſunt argumenta eorum, qui contrariam opinionem

nem tenent. Horum argumentorum quædam nobis videntur leuia admodum eſſe & nullius ponderis, cuiuſmodi eſt illud, quod ducitur ex *l. ſi prætor. §. Marcellus. de iudiciis*. Si per dolum ſciens, falſo aliquid allegauerit, & cætera. Iudicem debere quærelã rei admittere. Solutio facilis eſt: loquitur enim lex illa de ſententia lata aduerſus abſentem, vt apparet ex antecedentibus & conſequentibus, ſimile argumentum eſt ex *l. cum vero. §. ſubuentum. de fideicommiſſariis libertatibus*. Si obreptum ſit prætori de libertate, libertas non competit: hoc enim ibi fit propter verba Senatuſconſulti.

Ad l. xxxvj.

Diſputatur apud Accurſium & cæteros, quiqui fieri poſſit, vt de cauſa non liqueat, quia, aut probat actor, aut non probat, & malè meo iudicio, Ita enim diſſerunt de hac re quaſi quotidiana non ſint exempla cauſarum dubiarum. Dicamus id accidere, vel ob inopiam probationis, vel ob ius controuerſum. ſic in dubiis cauſis exigitur iuſiurandum, in dubiis quæſtionibus cõtra fiſcum impunè reſpondetur. *l. non puto. de iure fiſci.*

In l. 37. vbi quæritur de interlocutione, Accurſius malè putat vnum ex iudicibus interloqui poſſe. *arg. l. vlt. C. de autoritate præſtanda*. Sed hæc nemo non videt diſſimilia omnino eſſe. Sic extendere legem non eſt interpretis, ſed legiſlatoris officio fungi.

Malè in l. 36. quidam arbitrantur in ſententiis ferendis habendam eſſe rationem dignitatis, authoritatis, ſenectutis. Idque probant argumento, *l. maiorem de pactis*. hæc ſententia omnino falſa eſt, quia Iuriſconſultus ipſemet hic loquitur de ſententia plurium, quòd de numero eſt accipiendum ex vſu loquendi.

Ad l. xliiij.

Ad id quod dicitur in hac lege reſtituto minore admitti ſubſtitutum; vel coheredem, rectè quæritur apud Accuſium, ſi non habeat ſubſtitutum, vel coheredem ad quem peruenient bona, an ad cognatos, an ad fiſcum. Quidam interpretes putant fiſco deferri. *argumento l. vlt. de ſucceſſorio edicto*. Ego puto fiſcum admitti tantum in ea ſpecie, de qua Papinianus reſpondit, nec temerè id producendum ad conſequentiam, cum ſit ius ſingulare. *l. quod vero. de legibus.*

Ad l. lxij.

Rectè apud eundem Accurſium quæritur, ad idem ſit dicendum, ſi venditor ipſe agat: & hoc ita quæritur, quaſi poſſit agere, quod eſt verum, vt dicitur in *l. ab executione. §. alio. de appellationibus*. ſi quis quærat quomodo poſſit agere, cum non ſit Dominus. *l. in rem. de rei vindicatione*. Dicas exceptum eſſe, poſſe agere nomine emptoris, in quem eſt tranſlatum dominium. Et qui ſciente & patiente emptore agit, videtur eius nomine agere, *l. Gaius. de pigneraticia actione*. quia eum prohibere poteſt. de his in Benedictorum libro plura diximus.

Ad l. xlviij. eodem.

Mirantur hic vulgares interpretes, quod in hoc loco capiatur pecunia, cùm potiùs nomẽ capi debeat hic, *l. à Diuo Pio. §. ſic quoque iudices hoc titulo*. Vulgo ab iis hic dicitur pecuniam hoc loco paratam eſſe ſolutioni. Quæ diſtinctio nec iure vllo, nec vlla firma ratione fulcitur. Nec vero hi non ſentiunt ſe nugari, niſi fallor, ſed ineptire malunt, quàm fateri ſe id ignorare, quaſi turpis ſit ignorantiæ confeſſio: falluntur igitur valde hic illi interpretes, quia nomen capi non poteſt: nullum enim nomen eſt, nulla obligatio. Sed ſi reperiatur pecunia ad id deſtinata, receptum eſt vt litatis cauſa, vt capiatur quaſi debita: non ſunt ſtipendia ſicut militum. Malè igitur & inſcite hæc confundunt Accurſius & Accurſiani omnes.

Ad §. is qui ad maius. l. xlv.

Non rectè ſoluit Accurſius leges quæ huic §. contrariæ videntur. obſtare enim videtur, *l. 1. 2. 3. 4. de in ius vocando*. quibus Accurſius non rectè mihi reſpondere videtur, ait enim non poſſe vocari niſi ad maius. hæc ſunt eius verba, Non intellexerit vir bonus, quid ſit cauſam agere: putauit enim, idem eſſe, quod litem habere: cauſam agere dicitur orator Cauſidicus, interim Dominum cauſam orantem indecorum eſt in ius vocari. habentem litem non eſt indecorum vocari, niſi neceſſe habeat ſe ſiſtere. *l. 4. de in ius voc.*

Ad l. Neſennius. §. fundum. de re iudicata.

Cur non in actionibus in perſonam, ſicut in rem, in litem iuretur, aliorum rationibus exploſis, tractatum.
Iuratur in litem, in realibus actionibus.
Perſonales cur iuſiurandum non admittant.
Cauſa iuramenti in litem in perfidia fundata.
Noua opinio.
Reſtitutio rei potiſſimum attendenda.

In actionibus in rem tradit Martia. iurari in litem: quod in rei vendicatione manifeſtum eſt. *l. qui reſtituere. ff. de rei vend. l. 2. D. de in lit. iur. l. Neſennius. §. fundum. ff. de re iudic.* in Hypothecaria. *l. ſi fundus. §. in vendicatione. ff. de pignor.* in publiciana: in qua eadem omnia obſeruantur, quæ in rei vindicatione. *l. cum qui. §. in publiciana. ff. de public.* in petitione hereditatis. *l. ſi poſſeſſor. §. fin. & l. ſed & ſi lege. §. hæc verba. ff. de petitio. hered.* quæ licet præſtationes quaſdam perſonales habeat: in rem tamen eſt. *d. l. ſed & ſi lege. §. petitio.* & in confeſſoria negatoriaque pro ſeruitute competentibus. *l. harum. ff. ſi ſeruit. vend.* quæ actiones in rem ſunt, *§. æquè. inſt. de actionib.* Hoc autem, inquit Philip. Dec. obtinere, reſpectu etiam fructuum videtur. *d. l. Neſennius. §. fundum.* Rationem adiiciens, cur in realibus potius, quàm in perſonalibus, iuretur: quoniam illæ in rem certam diriguntur. in qua ſupponit agens ſe dominium, aut ius habere, atque ideo probabilis affectio cadit, quæ maximè in iuramento in litem conſideratur. In actionibus autem in perſonam, nullum ius in re deducitur: ſed perſona tantum contenditur obligata *l. fin. §. ſi. ff. de contrahend. empt. l. 1. §. ſi heres. ff. ad Trebellia.* Ideoque non eſt æquè probabilis affectio, Adſtipulatur huic rationi Franciſc. Curtius, eámque probari confirmat, ex *d. l. ſi fundus. §. in vendicatione*. Neque obſtat ſi dixeris, cauſam iuramenti in litem in perfidia & fide rupta fundatam *l. si apud quem. ff. depoſit.* quæ maior in perſonali, quàm in reali verſatur: cùm illa conuentus, nec iuſſui iudicis obtemperans, iudicem ipſum cõtemnat, contráque fidem faciat. Hac vero vocatus, nec parens præcepto, nullam fidem violet, ſed ſolam iudicis ſpernat authoritatem: nam reſpondeo (inquit Curt.) quod licet in perſonalibus maior verſetur perfidia, nõ tamen in eis cadat affectio, quæ eſt potiſſima cauſa iuriſiurandi in litem. Sed cum oſtenderimus, iuramentum in litem, ita ad iurantis vtilitatem referendum, vt affectionis nulla ratio habeatur, vana videtur hæc ratio, maximè; cum actioni perſonali, nonnunquam res petatur, quæ probabilem affectionem recipit, veluti, ſi filium aut fratrem meum naturalem, qui tibi ſeruiebat, mihi ſtipulãti promiſeris, *l. cum ſeruus. ff. mand. l. pater filio. ff. de euictio.* aut rem mihi teſtamento tibi legaueris, quæ fuerit quondam maiorum meorum, *l. ſi in emptionem. ff. de minor. l. 1. §. & alias. ff. ſi quid in fraud. patr.* Quibus tamen & ſimilibus caſibus, conſtat in litem non iurari *l. alias. ff. de litem iur.* Verius eſt igitur vt dicamus, in iis tantum actionibus, in litem iurari, quibus agitur, vel ad rei reſtitutionem, vel ad exhibitionẽ, *l. 3. §. præterea. ff. ad exhib. & d. l. qui reſtituere.* Cum autem ſi rẹus conuentus, ad præceptum iudicis nõ reſtituat, vel exhibeat, noluit lex æſtimationem rei petitæ à iudice fieri, ſed ab actore, in odium rei, prætoriis autoritatem ſpernentis, & qui dolo, malíſque ſuis artibus, petitorem cogit, proprio rei dominio ſeſe abdicare. Cum itaque iuſtum ſit vnicuique ſua committere. *l. nemo exterus. C. de Iudæis.* arbitrio actoris, iureiurando declarato, lex pretij diffinitionem ſtatuendam, optimo iure cenſuit. *l. ſi tutor. in fi. ff. de in lit. iuran.* ne ſcilicet in poteſtate cuiuſque ſit, per rapinam, aut alio illegitimo modo, ab inuito domino, rem in iuſto pretio comparare, eiuſdémque dominium quærere. *l. eius, & l. nec quaſi. ff. de rei ven.* Et ita non cogatur actor, communi pretio (quod ei iniuſtũ eſſe poteſt. *d. l. nec quaſi.*) res proprias iniuriæ

ab alio occupatas, & retentas, malæ fidei præſertim poſſeſſori vendere. *l. ſi filiofamilias. §. maritum. D. ſoluto matrim. l. ſi cum dos. §. fin. cum l. ſequen. D. rer. amot.* Hæc autem ratio locũ non habet in actionibus in perſonam, quibus ad rei reſtitutionem regulariter non agimus: ſed vt nobis aliquid detur, vel fiat. *l. actionum genera. §. primo. D. de obligationibus & actionib. §. omnium. & §. ſic itaque. de actionib. in inſtitutionib.* Qua etiam ratione dicimus, in actione Depoſiti contraria, in litem non iurari. *d. l. et apud quem. D. depoſiti.* nõ ob perfidiam illam, quam commentus eſt Curt. Quod enim fidei ruptę meminit ille Vlpianus, fecit propter ſolam illam actionem Depoſiti, in qua idem Vlpianus ante ſcripſerat, totum fidei Depoſitarij commiſſum. *l. 1. in prin. illo titulo.* Quoniam igitur in realibus ago ad id quod meum eſt: in perſonalibus, nõ item, illis leges, nec iniuria, magis fauere voluerunt. *l. videamus. §. ſi actionem. D. de vſur.* Hinc infertur, quòd ſi veniret in actione perſonali reſtitutio, arbitrio iudicis iuraretur in ea in litem. *l. qui reſtituere §. fin. D. de rei vin.* veluti in actione Quod metus cauſa. *l. ſi cum exceptione. §. 1. D. Quod metus cauſa. de dolo. l. arbitrio. §. 1. D. de dolo.* Rerum amotarum, *l. ſi cum dos. §. fin. D. rerum amotarum* Finium regundorum. *l. ſed & loci. §. ſed & ſi quis. D. finium regundorum.* Et in Flauiana. *l. tenetur in fi. D. ſi quid in fraudem patron.* Ex iam dictis præterea ſequitur, quòd ſi in actionibus in perſonam, veniret reſtitutio, non tamen arbitrio iudicis, non eſſet locus iuramẽto in litem, ſed fieret rei æſtimatio à iudice, ſicuti, in condictione furtiua, *l. ſi ſeruus, in fin. prin. D. de cond. furti.* Actione vbi bonorum raptorum. *l. penul. D. de vi bon. raptor.* Præterquam in commodato, *l. 3. §. in hac. D. commod.* Depoſito, *l. 1. §. ſi rem. in fi. D. depoſit.* Petitione hereditatis, *l. ſed & ſi lege. §. hæc verba. D. de petitione hereditatis.* locatio, *l. ſi cui. §. 1. D. locati.* & aliis iudiciis bonæ fidei. *l. in actionibus. D. de in lit. iur.* in quibus, licet iudex ante definitiuam, non arbitretur rem reſtitui, Accurſius, *l. prima. D. de action. empt.* libera tamen poteſtas eſt iudici ex bono & æquo æſtimandi, quantum actori reum dare oporteat: cúmque ſicut in arbitrariis, quanti in litem iuratum fuerit, damnandi. *§. in bonæ fidei. de action. in inſtit.*

Ad § qui iudicati l. vj.

Malè Accurſius in hoc §. ait in factũ agi, quaſi nulla ſit propria actio, quod falſum eſt. Nam proprium nomen eſt huic actioni non minus, quam ex empto, ex ſtipulatu, ex teſtamento: nam ita loquuntur paſſim Iuriſconſulti. Itaque non eſt neceſſe confugere ad actionem in factum. *l. 1. de præſcriptis verb.* Videamus quid mouerit Accurſium, vt hoc crederet, mouit autem eum, *l. actores. C. de reb. creditis.* quæ ſic ait, Ad ſimilitudinem iudicati actio in factum competit. Verum tantum abeſt, vt hæc lex pro illo faciat, cum magis iuuet cõtrariam opinionem. Oſtendit enim in factum agi ex iureiurãdo, ſicut agitur, iudicati ex ſententia, iuſiurandum ſimile, eſt aliquando rei iudicatæ ſed differt tamen ab eo. *l. 1. & 2. de iureiurando.*

Ad l. viij.

Fruſtra ad l. 8. de ratione pronunciandi quæritur apud Accurſium, quia certum eſt. Ita pronunciandum, vt reus non æſtimationem præſtet; ſed fructus.

L. 11. Huius tituli opponit Accurſius *l. 21. de obligationibus & actionibus*, vbi ſpectatur tẽpus cõtractus, non tempus ſolutionis. Variæ ſunt ſolutiones apud Accurſium, quæ non multum valent. Duarenus rectè exiſtimat, tunc id locum habere, cum fideiuſſor conuenitur ob moram rei. Mora rei nocet fideiuſſori. *l. 88. de verborum obligationibus, non tamen auget obligationem. l. Cantum capua. De eo quod certo loco.*

Ad titulum de re iudicata.

Quam ob cauſam in l. decreta. D. de re ind. conſtitutum ſit, decreta Latino ſermone interponi debere. Contra alios reſponſum.

Decreta (inquit Iureconſult. *in l. decreta. D. de re ind.*) à Prętoribus Latinè interponi debent. Sed huic reſponſo aduerſatur quod *l. iudices. C. de ſent.* dicitur, ſententias Græco ſermone ferri poſſe. Reſpondet Bart. poſt Oldradum Latinam linguam in d. l. decreta. pro quacunque lingua intelligibili accipiendum eſſe. Adeò vt non ſolùm Græcus, ſed & Germanicus ſermo, eius appellatione comprehendatur. Sed hanc interpretationem Andreas Alci. in repet. *l. 1. §. fin. nu. 9. D. de verb. oblig.* omnino improbat, cùm ſit nimis impropria, & à verbis Iuriſconſulti aliena. Igitur ex Iacobo de Put. & Raph. Cumenſi aliam interpretationem adfert: nempe hanc, quòd Latinus ſermo apud veteres Romanos vſque adeò in pretio fuerit, vt nõ ſolùm Romæ, ſed & in Aſia, in Græcia, & nuſquam nõ publica negotia, eo ſermone tractata ſint, quod Val. Max. lib. 2. cap. 1. ſcriptum reliquit. Et eam ob cauſam in *d. l.* decret. conſultum arbitrantur, decreta Latinè interponi debere. Sed Alciat. in *d. l. 1. §. fi.* hanc quoque interpretationem improbat. Nã Valer. Max. de priſco inſtituto agit, quod fortaſſis tunc temporis, cum dicta lege decreta, à Tryphonio Iureconſulto ſcriberetur, amplius in vſu non fuit. Sed & ſi hanc interpretationem admitteremus, conſequens foret, vt ne Græce quidem ſententia ferri potuerit: quod enim ex *d. l. Iudices.* aliter conſtat, Confutatio Cumenſis & Putei intellectu, nouam interpretationem Alciat. in *d. l. §. ſi adfert.* Nam quod in *d. l. decreta.* dicitur decreta à Prętoribus Latinè interponi debere: de Prætoribus Romanis intelligendum eſſe arbitratur, qui in patria ſermone patrio meritò vtebantur. Quæ ratio in cæteris iudicibus, qui in prouinciis ius dicunt, ceſſat: vt meritò illis Græco ſermone vti conceſſum ſit, in *d. l. iudices.* Sed huic intellectui obſtat, quod conſtat, non ſolùm Prætores, ſed Senatores etiam, decreta aliter quam Latinè pronũtiare prohibitos fuiſſe. Idque Suet. Tranquil. in vita Tiberij his verbis teſtatur. Atque etiam in quodam decreto patrum, cum ἔμβλημα recitaret, commutanda cenſuerit vocem, & pro peregrina noſtratem requirendam: aut ſi non reperiretur, vel pluribus & per ambitum verborum enunciandam. Adhæc non ſolùm Romę, verum etiam in prouinciis Pretores cõſtitutos fuiſſe traditum eſt. *l. 2. §. capta deinde. D. de orig. iur.* Non ergo *d. l. decreta*, ad ſolos pretores Romanos reſtringi poteſt. Nõ me fugit, Alciat. lib. 1. prætermiſſorum, aliter quoque dictam *l. decreta*, declaraſſe, vt ſenſus eius legis ſit, decreta Latinè, id eſt, non barbarè & incompte, interponenda eſſe. Quæ interpretatio ex Cicer. adiuuari poteſt: is enim lib. 4. ad Herennium: Latinitas, inquit, eſt, quæ ſermonem purum conſeruat ab omni vitio remotum: Vitia in ſermone quò minùs is Latinus ſit, duo poſſunt eſſe, Solœciſmus & Barbariſmus. Sed huic intellectui obiici poteſt, quòd vulgò dicitur, ſcripturam non vitiari propter Solœciſmum vel Barbariſmum. *l. ſi librarius. vbi Bart. & Deci. D. de reg. iur.* vt meritò idem quoque in ſentẽtiis dicendum ſit. Nec refert, ſi quis reſpondeat, reſcripta ſummorum Pontificum, adulterina haberi, ſi quod Latinitatis vitium in illis reperiatur, *ca. ad audientiam. x. de reſcript.* Nam hoc in reſcriptis ſpeciale eſt, vt Doct. in *d. c. ad audientiam. monent.* Ego Raphaelis & Iacobi intellectum ſupra relatum ſequi malo, qui ex citato Tranquilli loco plurimum adiuuatur. Nec me mouent, quæ in contrarium adducta ſunt. Et in primis, quamuis Val. max. de priſcis inſtitutis ſcribat: non tamen cenſendum eſt, ea Tryphonij ætate abolita fuiſſe. Quod enim expreſſim correctum vel abolitum non reperitur, præſumi debet adhuc in vſu eſſe, *l. præcipimus. in fi. C. de appell.* Nec obſtat etiam poſtrema obiectio: Reſpondeo dictam l. Iudices. ab Arcadio & Honorio Imp. latam fuiſſe, quò tempore Imperium Romanum ad Græcos tranſlatum fuerat, vt meritò Græco ſermoni idem tum tributum ſit, quod anteà Latino ſermoni tributum erat. Vnde & Valentinianus Imp. *in l. 1. C. de profeſſ. qui in vrbe Conſtant. lib.* 12. Græcam & Latinam linguam æquiparat. At ætate Tryphonij, ex cuius libris, *d. l. decreta.* deprompta eſt, Imperium adhuc penes ſolos Romanos erat. Non mirum igitur, ſi tum Græcus ſermo nondum in ſententiis proferendis receptus fuerit.

Quomodo verbum Sententia in l. actorum. D. de re iudic. accipiendum ſit, aduerſus Accurſium & Bartolum.

In l. *actorum. D. de re iudicata.* dicitur, actorum verba emendare, tenore ſententiæ perſeuerante non eſſe prohibitũ. Quod reſponſum gloſſ. & Bartolus non vno modo intelligũt: ita tamen, vt verbum ſententia pro iudiciali cognitione accipiant.

Sed ego in eo reſponſo de ſententia, hoc eſt, de iudiciali cognitione nihil agi arbitror, ſed de ſenſu actorũ. Nam cùm dicitur actorum verba emendare non eſſe prohibitum, tenore ſententiæ perſeuerante. Hoc ego ſic intelligo: Iudici prohibitum non eſſe verba actorum (ſi quid in his erratum ſit) emendare: Ita tamen, vt tenor ſententiæ, id eſt, ſenſus actorum perſeueret: Sententia enim non ſemper pro Iudiciali cognitione, ſed quandoque pro ſenſu, hoc eſt, pro intentione ſeu mente ſcribentis accipitur: Vt cùm in *l. nominis, & rei. §. 1. D. de verb. ſign.* dicitur verbum ex legibus ſit accipiendum eſſe, tam ex legum ſententia, quàm ex verbis And. Alciat. pro ſententia pro mente exponit. Et hoc modo Alexand. *d. l. alterum.* intelligere voluiſſe videtur, licet id non omninò apertè dicat. Vide plura apud Bernardinum Vvaltherum.

NOTAE AD GLOSSAS IN LIB. QVADRAGESIMVM-tertium Pandectarum iuris ciuilis.

Ad l. 2. §. 3. de aqua & aqua cotidiana.

In loco huius legis apud Alphenum relatum eſt eam foſſam, ex qua ad inferiorem fundum aqua deſcendit, cogendum eſſe vicenum purgare, ſiue extet foſſæ memoria, ſiue non extet. Accurſius hallucinatur, dum putat vicinum dici Alpheno, eum in cuius fundo eſt foſſa: at is non vicinus, ſed foſſæ dominus eſt, itaque ſi foſſa & ipſi & vicino inferiori vtilis eſt ad ſiccandum vtriuſque agrum, ea oppleta, ita vt ex reſtagnatione eius aqua fundo vtrique noceat communibus impenſis purgãda eſt, neuter tamen cogi poterit, ſi malit reſtagnationis detrimentum ferre, quàm expenſæ, ſin vicinus inferior velit, poterit cogere dominum foſſæ, vt patiatur eam in priſtinum ſtatum foſſam reduci. Quod ſi fuerit foſſa vicino tantum vtilis, non etiam Domino, & inundatione fundum lædat Domini, cogetur vicinus eam purgare: at ſi non noceat fundo in quo eſt, noceat autem vicino ſimiliter vicinus, cuius ſolius intereſt eam emundari, aut purgare debet, aut æquo animo deſcendentes ex ea aquas fundo ſuo recidere.

Non rectè intellexit Accurſius Pomponium libro 7. ad Edictũ, quo ſic ſcribit, Siquidem pecuniam debet is, cuius nomen pignori datum eſt, exactam à creditore ſe compenſaturum: ſi vero corpus is debuerit & ſoluerit pignoris loco, futurum apud ſecundum creditorem; quo loco Accurſius non benè opinatur mutari caſum, tanquam quæratur an ſecundo creditori detur actio nomine nummorum ſolutorum, id eſt, ſoluendorum. In eóq; rectè reprehẽditur Accurſ. à Bartolo, Totius reſponſi ſenſus verus hic eſt, vt in hac ſpecie Titio creditori meo detur vtilis actio contra te pro decem quæ mihi debes. Cui ſi tu ſolueris illa decem, pignus veſtis tuæ extinguitur. Et poteſt dubitari nunquid mihi primo creditori competat vtilis actio contra Titium creditorem meum nomine eorum nummorũ quos illi perſoluiſti, rectè reſpondet nihil me conſecuturum actione mea. Nam ſi debuiſti pecuniam, & eam ſolueris creditori meo, debere me compenſare cum eo quod illi debui, ſi corpus debebas, & item ei ſoluiſti iuſtè eum retenturum rem illam iure pignoris.

Ad titulum de vi publica & priuata.

Nec Accurſius nec Accurſiorum quiſquam ſcripſit, quamobrem publica vis ac priuata à iuris authorib. diceretur, quos omnes venia fortaſſis aliqua dignos iudicarem, ſi eius rei explicatio ex aliorum potius libris quam Iureconſultorum quos haberent in manibus petẽda fuiſſet. Verum id à iuris authoribus ediſcere poterant. Nam Iuſtinianus in Nouella Conſtitutione 85. priuatis hominib. interdicit armorum vſu, ac commercio, eáque in publicis armamẽtariis ad belli vſum reponi & cuſtodiri præcipit, quod & lege Iulia cautum fuiſſe ſcribit Martianus *l. 1. ad legem Iuliam, de vi publica.*

Ridiculum planè eſt, quod Accurſius in *l. 7. hoc tit.* Oratores interpretatur Doctores artiũ; deinde dicit eos etiam aliquam habere dignitatem. putat igitur oratores hic eſſe qui à Græcis *ρητορες* dicuntur, hæc ſanè maxima ignorantia fuit: videlicet vt qui comitem aut aſſeclam præceptoris pultaſſe dicetur, is de vi publica contiguo teneatur. Dicamus igitur hoc loco oratores eſſe legatos, vt apud Virgil. 11. Æneid.

Iámque oratores aderant ex vrbe Latina
Velati ramis oleæ, veniámque rogantes.

Liuius libro 7. Theij oratores cum inſulis & velamentis ad Romanos miſerũt, quo vocabulo ij legati propriè ſignificantur qui deprecabundi veniunt.

Ad l. penultimam. de aqua quotidiana.

Malè interpretes hanc legem intellexerunt. Ita enim eam expoſuerunt, vt in prima parte iudicio poſſeſſorio ageretur, iſque qui ſeruitutem aſſerebat poſſideret, in ſecunda verò petitorio ageretur, & qui libertatem aſſerebat ipſe poſſideret, vt meritò cautio ſemper pro eo interponatur qui poſſidet, ne interim inquietetur, quæ interpretatio falſa eſt cum hic ſenſus non multum verbis Pauli cõueniat, cùm neutra in parte mentio fiat poſſeſſionis: quæ ſi totum hac in re faciebat, vt præſupponunt cur omiſit? Sed & in vltima parte agi negatoria actione veriſimile non eſt, cùm non in libro interdictorum, ſed in ſeruitutum tractatu, titulo Si ſeruitus vindicetur, collocari legem hanc fuiſſet ſatius.

Ad l. 1. §. penſio. D. de migrand.

Notandum eſt quod in hoc §. 1. vbi Iuriſconſultus ait, Infrequens eſſe hoc interdictum malè nonnullos ita cum Accurſio accipere, quaſi frequentetur ſatis. Nam non ſolum ex aperta verbi ſignificatione vſuque, ſed etiam ex præcedenti oratione apparet voluiſſe indicare Iuriſconſultum interdicti de migrando rarum eſſe exercitium. Nam cum dixiſſet ei rei de qua hoc interdictum eſt etiam extra ordinem ſubueniri ex eo intulit ergo infrequens & cætera. Scimus enim vbi extra ordinem quid vindicatur aut reſtituitur plenius hoc eſſe, & citioris expeditioriſque auxilij. Sic in *l. fin. D. de furt.* Vlpianus ait in ſuo iam tempore plerumque extraordinariam animaduerſionem in fures in vſu fuiſſe, & ideo infrequentiorem fuiſſe actionem ordinariam de furtis, nec tamen ob id ſi quis planè velit ordinariè agere, impediri. Sic in *l. 1. ff. ex quib. cauſ. maiores.* Edictum hoc de abſentibus Reipublicæ cauſa in integrum reſtituendis minus in vſu frequentari traditur, quod eiuſmodi perſonis extra ordinẽ ius dicatur ex Senatuſconſultis.

Ad titulum vti poſſidetis.

Malè Accurſius, Bartolúſque interdictum vti poſſidetis aduerſus eum competere dicunt, qui cum poſſidere ſe non contendat, alterius tamen poſſeſſionem inquietat. num eius ratio nihil valet, nitimur enim verbis. *l. ſi duo. §. ſi vicinus. vti poſſidetis.* quibus proditum eſt ſi vicinus meus in pariete meo tectoria habeat, vt in ſuo pariete vti poſſidetis, interdictũ efficax eſſe, vt ea tollere compellatur, erroris origo inde venit quod malè interpetantur. Tectorium eſſe tectum ipſum ſupra ædes ſiue ædibus ipſis innitatur & incumbat, ſiue non; ſed longè alia eſt tectorij ſignificatio, quàm ipſi exiſtiment, ſiquidem incruſtatio & tegumentum quoddam eſt, quo parietes rudes gypſo vel calce, vel arenato, marmoratóque opere operiuntur atque colorantur. Vitruuio *libro 7. Architectonices.* de his plura diximus in notis ad titulum de Seruitutibus.

Ad l. fi. D. quod vi aut clàm.

Accurſius, Bartolúſque & cæteri in hac lege non explicant Iuriſconſulti verba quæ erant explicandæ, ſed tantum ita hanc legem accipiunt, vt ſimpliciter intelligatur in quocunque quis in re mea à me poſſeſſa ædificauerit, licere enim mihi propria authoritate id demoliri: quod ſecus eſſet, ſi ea res à me non poſſideretur. tunc enim non niſi magna ex cauſa id concedendum, vt propria authoritate deſtruam, ſed hoc non eſt legem interpretari. nam vt hæc lex intelligatur, oportet ſcire quid ſit Tabulam figere & refigere, & videtur ea fuiſſe apud veteres conſuetudo, vt cum debitor abeſſet priuſquam ex edicto bonorum eius poſſeſſionem prætor concederet ad eius

domum cum teſtibus creditor accederet, & eo non inuento eius ædibus tabulã præfigeret, fortè ne quid interim abſportaretur, eámque rem in teſtationem redigeret.

Ad titulum de fluminibus, ne quid in flumine, ripáve eius fiat, quo prius nauigetur.

Grauis eſt ſanè Accurſij ſocordia, qui *l. quo minus. D. de fluminib.* pugnare putat cum *l. 1. §. promittitur. de aqua quotidiana & æſtiua.* Cum Pomponius ipſe diſtinxerit. Diuerſa eſt planè ratio fluminum publicorum & fiſtularum publicarum, ex fluminibus enim publicis abſque principis permiſſu aquam ducere licet, ſi modo nauigabilia non ſint. *l. ſi autem. §. vlt. D. de aqua pluuia arcenda. l. Imperatores. D. de ſeruitutibus ruſticorum prædiorum.* Nam quod alibi dicitur principis permiſſu opus eſſe de ea aqua quæ in vſu publico eſt, accipi debet quales in vrbem olim ad ciuium vſum variis ex locis ducebantur, aut canalibus ſtructilibus aut lapideis aut tubulis fictilibus, aut fiſtulis plumbeis.

NOTAE AD LIBRVM QVADRAGESIMVMQVARTVM Pandectarum.

Ad l. 25. de obligationibus & actionibus

MAlè Accurſius interpretatus eſt hanc legem, quæ ſic ſe habet, Marcellus ſcribit, Si quis pro pupillo ſine tutoris authoritate obligato vel prodigo, vel furioſo, fideiuſſerit, magis eſt, vt ei nõ ſubueniatur, quoniã his mandati actio non cõpetit, & hic eſt error Accurſij. Interpretatur enim his, id eſt, fideiuſſoribus, & ſic trãſit de ſingulari ad pluralem noſter Accurſius, mihi autẽ cũ cæteris doctis viris videtur Vlpianus velle his ſcilicet pupillo, prodigo, & furioſo nõ competere mãdati actionem, id eſt, non congruere, quia nec agere nec conueniri ipſi poſſunt mandari, cùm mandare nequeant, qui non ſunt mẽtis cõpotes. Nec enim ratio eſſent aut firma aut apta, ſi Accurſij interpretationẽ ſequamur, quoniã qui pro minore pubere ſponſor eſt, actionem mãdati aduerſus eũ non habet, aut eam inutilem cum reſtitutione in integrũ elidi & omnino tolli poſſe puto, & tamen obligari. Eadem eſt prodigi ratio, qui furioſis & emotæ mentis hominibus annumeratur.

Ad l. conſenſu. D. de obligationib. & actionib.

Directæ actiones, à contrariis quomodo ſecernantur, noua ſententia declaratum, Alexandrique & recentiorum opinio quadam confutata.

Ab actionibus necdum digredi placet: occurrit ſiquidem illud tractandum, Quanam ratione a contrariis actionibus, directæ ſecernantur. Et ea in re Accurſ. & cæteri, in *l. conſenſu. D. de oblig. & act. & in §. fin. pro ſoc.* tres caſus mihi conſiderare videtur. Primus, vbi contractus, & contrahentium nomina variantur. quo caſu, nulla naſcitur contraria, ſed vtraque directa, & æquè principalis. vt in emptione & vẽditione. Habet ſiquidem emptor ex empto actionem, vt res tradatur, venditor ex vendito, vt pretium detur. *l. ex empto. D. de act. empt.* enaſcuntur autẽ ambæ directè, hoc eſt, rectà, ex prima radice contractus. Alter caſus præcedenti contrarius eſt, cùm nec contractus, nec contrahentium nomina variantur, qui eandem fermè deciſionem habet. vna quippe exoritur actio, quæ vtrique contrahentium directò datur: veluti, in ſocietate, in qua vterque ſocius dicitur, vterque actionem pro ſocio habet & eam directam. *§. pen. de pœn. tem. litig. in inſt.* Tertius caſus, cum remanente vno nomine contractus, ſola contrahentium nomina variantur. Et tunc duplex actio datur, directa videlicet, & contraria, variè tamen: quoniam, inquiunt, ſi nomen à nomine deſcendat, directa datur ei, qui contractus proprium nomen habet. Contraria ei, qui habet deriuatiuum: veluti, in commodato, directa datur commodatori, contraria commodatario: qui ſic dicitur, nomine deriuato à commodatore. Sic in depoſito, directa deponenti, contraria depoſitario. *l. ei apud quem. D. depoſ.* in mandato quoque, directa mãdatori, contraria mãdatario. *l. ſi verò. §. contrario. D. mand.* Quod ſi à nomine non fluat nomen, ſed contrahentium nomina diſtincta ſint, directa datur ei, qui dominus eſt, & alteri contraria: ſicuti, cũ debitor pignus dat creditori, hic non contractus vnus eſt pignoris, qui diuerſa contrahentium habebit nomina: itaq; debitor ad quem res pertinet, ſoluto debito, actionem pignoratitiam directam, vt pignus reſtituatur: creditor verò, ob ſumptus factos in re pignorata, aut aliud damnum, ſi quod perpeſſus eſt, contrariam habebit. *l. ſi neceſſarias. & l. tutor. §. 1. D. de pign. act.* Et cùm quis abſentis negotia geſſit, domino rei geſtę, aduerſus geſtorem, actio directa datur: geſtori autem negotiorũ contraria. *l. 2. D. de neg. geſt. §. 1. de oblig.* quę ex quaſi contractu, nec diuerſum cenſeri debet, tametſi doctores non aperiant: in iudicio tutelæ, in quo idem eſt nomen contractus vtrique contrahentium, tamen nomina variãtur: quia alter tutor, alter pupillus dicitur: neque fluit à nomine nomen: proinde directa pupillo domino, & ad quem ſpectat negotium, dabitur: contraria verò tutori. *l. 1. §. 2. D. de his qui not. infa. l. 1. & tot. tit. D. de contr. iud. tutel.* Quæ adiecisse volui, vt reuincam errasse toto cœlo Alex. *conſ. 214. vol. 7.* tentantem ex actionibus tutelæ, & negotiorum geſtorum, communem interpretationem deſtruere. Secũdum caſum præcipuè, quo dictum eſt, vbi nec contractus, nec contrahentium nomina variantur, vtrinque naſci directam actionem. inexcuſabiliter enim lapſus credebat Alex. nec in tutelę, nec in negotij geſti iudicio, vt nec contractus, ſic nec cõtrahentium nomina variari: quod quam à veritate abſit, ex prædictis non valde obſcurum eſt iudicare. Putauerim tamen, vt ingenuè dicam, omiſſis tot ſcriptorum tricis, & anfractibus, breuiore, certioréque doctrina, à contrariis, directas actiones diſcerni poſſe: vt dicamus, directas his dari, qui domini ſunt, aut quorum principaliter intereſſe poteſt, contractus origine, & prima ipſius radice ſpectata. Contraria verò his, quorum per accidens tantum intereſt, quę ideò non ex ipſo contractu recta dantur, ſed ex quadam æquitate, per legis extenſionem. Vnde directæ actiones, mea ſententia, reſpectu contrariarum appellatæ, quod rectà, & immediatè, ex ipſo contractu veniant. Contrariæ verò quia contra primam contractus naturam concedũtur, quas propterea ex nullo propriè contractu naſci Iuſtin. dixit. *§. agitur. & §. tutores. de oblig. quæ ex quaſi contractu.* Et hanc meam ſententiam veram eſſe dubio procul confirmabis, ſi omnes ad vnum actiones cõtrarias ſigillatim percurras, quas ſex numero tradiderunt nobis Iuriſc. iamiam à nobis memoratas, [commodati, mãdati, depoſiti, tutelæ, negotij geſti, & pignoratitiã] Quibus aliàs adnectere noſtrum non eſt. neque enim ſunt aliquæ cõtrariæ, præter expreſſas à lege Accurſ. in *l. omnino. D. de impenſ. in reb. dot. & in §. præiudiciales, de actio. in inſt. Bald. in c. 1. in fin. Quid proced. deb. inueſtit. in feud.* Vide Corraſium.

Ad l. vlt. de obligationib. & actionib.

Nullo modo Accurſij interpretatio ad hãc legem admittẽda eſt, in qua neſcio quis inuertit potius quam Græcam illam ſubſcriptionem conuertit, nec valet eius interpretatio, quippe quæ nihil commune cum vero ſenſu habeat, cum in ea de exactione debitorum nihil de vaſculis conficiundis agatur, ſed hoc modo rectius dices. L. Claudius agnoui, prout ſcriptũ eſt reliqua à nobis debita eſſe. Eſt autem L. Claudius procuratoris nomen, nec vaſculanius artifex, quicquã ad argentariũ pertinet. Non refero Accurſij tranſlationem, quoniam cum (vt dicitur) neque cœlum neque terrã attigerit, operæpretium non arbitror talia chartis infarcire, & vt aliquid de Doctoribus dicã, non probo quod ex hac lege colligunt confeſſionẽ procuratoris extra iudicium factam Domino non obeſſe, ſed potius ſi procurator in calculo ſubſcribat reliquatorẽ ſe alicuius eſſe, ſi reuera non ſit, Dominum nequaquam obligari.

Ad titulum de obligationib. & actionib.

Hallucinatur Haloander in explicatione *l. conſtituti rebus, de oblig. & act.* lex autem ſic ſe habet conſtitutionib. oſtẽditur heredes pœnæ non teneri placuit, ſi viuus conuentus fuerit, etiam pœnæ perſecutionem tranſmiſſam videri, quaſi lite conteſt.

conteſtata, eo mortuo malè Haloander poſt mortem interpretatus eſt. Ita enim interpretandum totum illud quaſi lite conteſtata, eo mortuo, vt quaſi is mortuus ſit poſt litem conteſtatā intelligamus. Illud miror proditum ab Accurſio, quod in Pandectis Florentinis ſcriptum eſſet, & ne Haloandrū quidem aſſecutum eſſe.

Ad titulum de exceptionibus.

Malè Haloander in *l.7.de exceptionibus.* vulgarem errorem ſequutus eſt illis verbis, Quid ſi deceptus non ſit, extat enim in Pandectis Florentinis ita ſcriptum, Quod ſi deceptus ſit in re, tunc nec ipſe ante habet auxilium quam reſtitutus fuerit, nec fideiuſſori danda eſt exceptio, vt differat in re deceptus ſit, an ab alio circūſcriptus minor, quod Accurſio ꝓbari videtur.

Ad titulum de exceptionibus.

L. fundum & l. ſed ante. D. de except. aliter exponi debuiſſe quàm Doctores ſentiant: & quem ſenſum accipiant ea verba, ne præiudicium prædio fiat.

Sunt quædam regulæ cumulationem impedientes, quarum hæc primas partes tenet. ſi duo iudicia inter ſe eius ſint naturæ, abſolutoria lata in primo, paritura ſit in ſecundo exceptionem rei iudicatæ, cumulari nequeunt, quam ex *l. fundum. l. ſed ſi antè. & l. fundi. D. de except. Bart. & alij in l. edita. C. de edēd.* probari contendunt. Verùm eas leges hanc interpretationem minimè recipere, in *§. nihil commune.* oſtēdimus. Earum tamen vt verum ſenſum habeas, ſcire debes, præiudicium in *tit. de except.* & aliis multis iuris partibus non damnum, aut iacturam ſignificare, quemadmodum Accurſ. & reliqui eius farinæ authores falsò putauerunt, ſed potius ante iudicatum, quod exemplum poſtea præbet iudicibus ad iudicandum in eadem, aut pari cauſa. Vnde Aſc. Pædia. [Præiudicium, inquit, dicitur res, quæ cùm ſtatuta fuerit, adfert iudicaturis exemplum quod ſequantur.] Et præiudicare, inquit Bud. idem eſt quod ante iudicare. Cùm enim iudicium ſit res quæ cauſam, litemque dirimit, liquet antè iudicata rectè dici præiudicia, quę ſequentibus negotiis diiudicandis viam parant. Proinde ſi antea iudicatum eſt, & in alio negotio ferenda eſt ſententia, ſi ea quæ antè iudicata ſunt, ſequentibus obſtant, aut ſequentia limitāt, tunc dicitur præiudicium. Horum præiudiciorum vim, in tribus generibus verſari elegantiſſimè, vt & alia omnia, oſtendit Quintil. *lib. Inſtit. orat. 5. c. 2.* Et ita nobis viſum tripliciter eſſe poteſt. vel enim explicatur præiudicium cùm de pari, vel ſimili cauſa iudicatū eſt, quod rectius (vt idem Quintil. ait) exemplum appellatur; quod parum aut nihil vrget, ſiquidem non exemplis, ſed legibus ſit iudicandum. *l. nemo. C. de ſentent.* & non tam ſpectandum ſit quod Romæ factum eſt, quàm quod fieri debet. *l. ſed licet. D. de offic. præſid.* Explicari poteſt ſecūdò præiudiciū in eadem cauſa, & tertiò de eadē cauſa; quæ omnia ad exempla noſtræ diſciplinæ manifeſta facit, Zaſ. in *rub. D. de except.* Quo loco aliud præiudicij genus conſiderat, quando præiudicium opponitur de re iudicanda, vt cum petitioni hereditatis quæſtio ſtatus obiicitur. *l. ſi quis libertatem. D. de pet. her.* aut cùm actor rei vendicationem ad fundum, confeſſoriam ad ſeruitutem eidem fundo debitam accumulare contendit. *d. l. fundum.* in qua vult Africanus eum, qui rei vendicatione ad proprietātem fundi Titiani conuenitur, ſi deinde confeſſoria ſuper ſeruitute viæ ad eundem fundum Titianum per Sempronianum, qui ad reum pertinet, impediatur, habere exceptionem ne præiudicium prædio fiat, hoc eſt, ne ante tempus, de cauſa prima rei vendicationis iudicetur: iudicaretur autem in confeſſoria dominiū; cùm ſeruitutem viæ, itineris, vel aliam nemo niſi qui dominus eſt, petere poſſit. *l. 1. §. 1. D. ſi ſeruit. vend.* Hoc eſt, quod dicit Afric. in *d. l. fundū*: Quoniā non aliter mihi viam deberi probaturus ſim, quā ſi prius probauerim fundum Titianum meum eſſe. Cæterùm ſi viam ante petam, deinde fundum, non nocebit exceptio, ne petitioni præiudicium fiat, quoniam quod iudicatum erit in rei vendicatione non præiudicat, hoc eſt, ante iudicat confeſſoriam. *l. ſed ſi ante. D. de except.* quanquam enim fundum ſuum eſſe actor probet, atquè ideò obtineat, non propterea probatum, vel etiam iudicatum erit in fundo ſeruitutem deberi. Et propterea diuerſitas quædam corporum, hoc eſt rerum petitarum, hoc caſu intelligitur, cum eo ordine propoſitę petitiones fundi, & ſeruitutis nihil habeāt commune: videlicet quod fundum Titianum meum eſſe aliter probaturus ſim, quàm vt mihi viam deberi probare oporteat. [Non item, inquit Iuriſc. reſtitutionum, hoc eſt victoriæ, cauſæ pares ſunt,] ſiquidem in rei vendicatione cauſa reſtitutionis, & victoriæ ſit dominiū, in confeſſoria verò ſola probatio debitæ ſeruitutis, cùm iam fundum actoris eſſe conſtat. At in ſpecie Africani *d. l. fundum*, cauſæ victoriæ pares eſſe videntur, propterea quòd in confeſſoria accumulata, dominium probare oporteat, de quo duntaxat in primo rei vendicationis iudicio agimus. Vide Corraſium in Miſcellaneis, ex quo hæc deſumpta ſunt.

NOTAE AD LIBRVM QVADRAGESIMVM QVINTVM Pandectarum.

Ad titulum de verborum obligationibus. Ad l. 1. §. 1. D. de verb. oblig.

Interuallum temporis, ſtipulationem non vitiare: licet alij aliter ſenſerint, & leges aliquot declaratæ.

VLpianus in *l. 1. §. 1. D. de verb. oblig.* Si verò, inquit, præſens interrogauit, & antequam reſponderetur diſceſſit, & reuerſo, reſponſum eſt, obligatur. Interuallum enim medij temporis modicum nō vitiat obligationem. Ex his verbis colligunt Doctores, ſi in contrahenda ſtipulatione inter interrogationem & reſponſionem longi temporis interuallum interueniat ſtipulationem vitiari. Nam ſi modicum tempus cum non vitiat. *d. l. 1. §. 1. conſequens eſt*, lōgum tempus vitiare. Idem colligitur ex *l. continuus. in princ. D. eod.* his verbis, continuus actus ſtipulantis, & promittentis eſſe debet: vt tamen aliquod momentum naturæ interuenire poſſit, & cominus reſponderi ſtipulanti oportet. Cæterùm ſi poſt interrogationem, aliud acceperit, nihil proderit, quamuis eodem die reſpondiſſet. In quo reſponſo modicum naturæ momētum, pro modico temporis interuallo accipi poteſt, quaſi momentum naturæ, id eſt, modicum temporis interuallum, ſtipulationem irritam non faciat, ſed longum duntaxat. Idem probatur etiam ex *l. ſi duobus. in princ. D. de duob. reis*, vbi dicitur, ſi ex duobus reis, qui promiſſuri ſunt, hodie alter ab altero, poſtera die reſponderit; Promitto: non eſſe duos reos, ac ne obligatū quidem intelligi eum, qui poſtera die reſpōderit. Ex quibus verbis Bartolus illic colligit, interuallum inter interrogationem & reſponſionem, impedire reſpōdentem obligari. Quod intelligendū eſt, de interuallo non modico. Quomodo autem modicū interuallum accipiendum ſit, inter Doctores controuertitur. Et quamuis communior opinio eſſe videatur, modicū interuallum ſpacio vnius diei concludi. Alciat. tamen *lib. 1. parad. c. 9.* modicum ſpacium ad breuius tempus reſtringit: Sed ego temporis interuallo, ſiue id breue ſiue longum ſit, ſtipulationem nequaquam vitiari arbitror. Nam ſi ſecundum rationē loqui velimus, vtique temporis interuallum ſtipulationem non ſolùm non vitiare, ſed illam potius validiorem reddere deberet. Etenim reſponſio ex interuallo facta, tāquam deliberata, magis adſtringit, *l. ſi mulier. 2. C. ad SC. Velleı.* Quam rationē Iaſ. in *d. l. 1. §. 1. inter alia adducit.* Et quamuis Doct. in *l. 1. §. 1. in inueniendis rationibus ſolicitus ſint*, cur ſtipulatio propter temporis interuallum vitietur: attamen Alex. illic ingenuè fatetur, rationem vrgentem aſſignari non poſſe. Nec me mouēt leges ſuperius adductæ. Nam quod in *d. l. 1. §. 1.* ſecundùm vulgatam lectionem dicitur interuallum medium temporis modici, nō vitiare obligationem: reperio in margine annotatum in ſcriptis exemplaribus aliter legi, nempe hoc modo; [Interuallum enim medium non,] & C. Secūdum quam Lectionem, diuerſum potius dicendum eſt, nimirum interuallum medium non vitiare ſtipulationem ſiue interuallum ſit modicum, ſiue longum. Et hæc lectio eò veriſimilior eſt, quod etiā Accurſ. illic in gl. in verbo medij, addit aliàs modici, vt appareat verbum modici, etiā ſuo tempore, nō in omnib. codicib. ſcriptū fuiſſe.

xx ij

Nec magis ad rem facit, *d.l.continuum.in princ.* Nam illic [momentum naturæ] non ad momẽtum temporis, ſed ad momentum, hoc eſt, actum naturæ referẽdum eſt: veluti ſi actum aliquem naturæ interim faciat, vt Alciat. in *d.l.1. §.1.docet.* Et quamuis Alciat. in prædicto cap.3. hanc interpretationem abſurdam eſſe dicat: Idque Horatij auctoritate, qui horæ momentum nominat. Ego tamen Alexand. interpretationem defendi poſſe arbitror. Nam conſtat momentum non ſemper ad tempus referri, niſi cum adiuncto, vt cùm dicimus temporis momentum, vel horæ momentum, vt in præſcripto Horatij loco. Aliàs enim quæcunque res exigua, momentum dici poteſt: vt apud Plinium reſinæ momẽtum, his in verbis: proſunt, & combuſtæ, vt cinis earum bibatur in vino, additæ reſinæ momento. Item apud Perſium momentum turbinis. Verterit hunc dominus momento turbinis exit. Marcus Dama. Sic enim hunc locum Angel. Polit. Miſcellaneorum. cap.98. citat: licet Alc. lib.1. parerg. cap.26. pro momento turbinis, momentum temporis ſcripſerit. Intelligendum ergo eſt, momentum naturæ in *d.l.continuum.in princ.* exiguum aliquid quibus naturaliter homines inter agendum occupantur. Talia enim inter interrogationem, & reſponſionem interuenientia non vitiant ſtipulationem: ſecus verò ſi alius actus interueniret: Is enim ſtipulationẽm vitiaret. Et hoc eſt, quod Iuriſcõſ. dicit, [Aliud acceperit.] Quod autem [momentum naturæ,] pro momento temporis accipiendum non ſit, id etiam ex verbo [continuus] intelligi poteſt. Dicit enim Iuriſconſultus, continuum actum ſtipulantis, & promittentis eſſe debere. Id ſi ad continentiam temporis referatur, non rectè ſubiunxiſſet Iuriſconſ. diei interuallum. Conſequens ergo eſt, continuum actum ſtipulantis intelligendum, cùm nullus alius actus interuenit, niſi ſit exiguus actus naturæ. Quod porrò ex *d.l.ſi duob.in princ.* adductũ eſt, ad rem non facit, ſed contrarium potius inde colligitur. Nam cùm Iuriſconſ. illic dicit, eum qui poſtera die reſponderit, non obligari: id mox declarat, tũc non obligari, cum actor ad alia negotia diſceſſerit: Vt appareat ſtipulationem illic non propter interuallum temporis, ſed propter alia negotia, quæ interuenerant, vitiari. Sic enim, ait illic Iuriſconſultus: Ac ne obligatum quidem intelligi, eum qui poſtera die reſponderit: cùm actor ad alia negocia diſceſſerit, vel promiſſor, licet peractis illis rebus, reſponderit.

Quomodo dictio mox, in l.1.§ qui præſens. D.de verb.oblig. accipienda ſit, contra Doctorum opinionem.

Iureconſultus *in l.1.§. qui præſens. D.de verb.oblig.* reſpondit, non valere ſtipulationem, ſi interrogatus mox diſcedat, & nihil reſpondeat. Sed quid ſi non mox, ſed aliquanto poſt diſcedat? & gloſſa etiam tunc ſtipulationem non valere, ait: Vt appareat, particulam Mox prorſus ſuperfluam eſſe. Sed ſciendum eſt dictionem Mox in hoc reſponſo non pro ſtatim, & incontinenti ſumi, vt gl. accepiſſe videtur: ſed pro [deinde] accipiendam eſſe. Sicque hęc dictio in *l.ad peremptorium. D.de iudic.* accipitur, vt Curtius in *l.1.D.ſi cert.pet.* annotauit. Sed, & Seruius in lib.1. Georg. Virgilij: Poſſumus etiam, inquit, dicere mox pro poſtea. Vt Horat. Mox daturus progeniem vitioſiorem. Vide plura apud Bernardum Vvaltherum in Miſcellaneis.

Ad l. is cui bonis. de verborum obligat.

Prodigum, qui ad bonos mores rediit, ſine decreto iudicis adminiſtrationem bonorum non recuperare, licèt Doct. aliter ſenſerint.

Quæſitum eſt, ſi prodigus, cui bonis interdictum ſit, ad bonos mores redeat, an bonorum interdictio ipſo iure ceſſet, an verò ſententia iudicis opus ſit? Et Petrus in *l.is cui bonis. D.de verb.oblig.* hoc in caſu ipſo iure bonorum interdictionem ceſſare, nec ſententia iudicis opus eſſe, cenſuit. Suámque opinionem inde confirmat, quod in *l.1. D.de curat.furio.* traditum eſt prodigum ipſo iure adminiſtrationem bonorum accipere, ſi ad bonos mores redeat: vt appareat ſententiam, ſeu decretum iudicis non requiri. Quod & Iacobus de Arena & Bart. in *d.l. is cui bonis.* eo caſu admittunt, quoties manifeſtũ ſeu notorium eſt, prodigum ad ſanos mores rediiſſe. Notorium enim vim ſententiæ habet. *l.emptorem. D.de act.empt. vbi Bart. & Bald. in l.ictus fuſtium. D. de his qui not.infam.* Sed ego aduerſus cæterorum ſentẽtiam cenſuerim, prodigum, cui ſemel bonis interdictum eſt, abſque decreto iudicis, bonorum adminiſtrationem nequaquam recuperare. Cùm enim prodigis decreto iudicis bonis interdici ſoleat. *l.& mulieri. D.de curat.furioſ. l.patri pro filio.in princ. D.de minor.* Iaſon & Doctor. *in d.l.is cui bonis.* Conſequens eſt, vt bonorum adminiſtrationem decreto iudicis interdictam, ſine iudicis decreto non recuperent. *l.nihil tam naturale.ff.de reg.iur.* Non obſtat quod dictum eſt, prodigum ipſo iure bonorum adminiſtrationem recuperare: Si prodigus eſſe deſinat. *d.l.1.* Reſpondeo, in iis quæ ipſo iure fiunt, ſententiam nihilominùs requiri, *cap. cum ſecundum. de hæret.in 6.* Nec magis obſtat, quod notoriũ ſententiæ vim habet, *d.l.emptorem.* Nam vt hoc concedam: attamen etiã in notoriis ſententia declaratoria opus eſt, *l.ſi confeſſus. D.de cuſt. & exhib.reor. cap.vias in quenquã. 2.q.1.clem.paſtoralis.* ibi ac quod ſupradicta erant notoria per imperialem interlocutoriam declarata. *de ſenten. & re iudic.* Abb. in *cap.veſtra. de coha.cler. & mul.* Hæc ex Bernardini Vvaltheri Miſcellaneis, quæ ad inſtitutum meum facerent deſumpſi.

Ad titulum de verborum obligationibus.

Ad l. ita ſtipulatus.

Stipulatio pœnalis ſubiecta præcedentem non nouat, contra communem Doctorum aſſertionem.

Minus principale non nouat maius.

Pœna conuentioni adiicitur, vt eius timore promiſſa ſeruentur.

Pœna in obligationibus facti quare operetur quaſi nouationem.

Intellectus verus ſecundùm Zaſ. ad §.fin.in l.obligationum. D. de act.

Purgatio moræ quando admittatur vſque ad litis conteſtationem.

Mora poſt lapſum termini non purgatur, niſi tempus prorogetur.

Stipulatione pœnali præcedentem obligationem non nouari.

Fatigantur Doct. in *l.ita ſtipulatus.in fin. D.de verb.oblig.* in re quæ non tantam vel dubitationẽm, vel controuerſiam exigat, An ſtipulatio pœnalis ſubiecta principali conuentioni eã nouet. In qua re Bart. poſt plures recitatas opiniones, tandem in hoc concludit, quòd obligatio ex cauſa lucratiua per ſtipulationem ſequentem nouetur ipſo iure: & ita intelligit *l.1.§.item ſi ita.ſupra ad l.Falc. l.ſi penum.ſuprà quãd.dies leg.ced. l.obligationum.§.fin.ſuprà tit.1. & d.l.ita ſtipulatus.in fi.* Sin verò præcedat obligatio oneroſa, ſequens ſtipulatio pœnalis non nouet. per *l.ſi quis à ſocio ſuprà pro ſoc.* cum ſimil. infrà allegandis. Mouetur ratione quadam commentitia, quæ potius diſcurſu imaginario collecta eſt, quàm quòd ex veritate textuum vel vrgeat, vel ſtringat. Dicit porrò, quòd legum contrarietas eum adigat, vt dictũ iura ſic decernat. Super qua re Doct. poſt eum venientes, mirificè confligantur: dicitque Alex. dubium eſſe terribile: vt dum quiſque pro ingenio ſuæ ſenſa conuehit, ex parum ſana opinatione diducitur res in partes inſaniores. Tu tenebis, quòd ſtipulatio pœnalis ſubiecta, regulariter non nouat præcedentem: id quod nõ ſolum plurimis iuribus conſtare poterit, ſed etiam ratio viua docet. Nam pœnalis ſtipulatio quodammodo acceſſoria eſt ad principalem, vel ſaltem eſt minus principalis, vt tenet Bart. in *l.pen. in ſua diſtinct. D. de præs.ſtip. & fac. tex. in l.ſi homo mortuus. ff.de verb.obl.* At minus principale, nõ debet nouare id quod maius & nobilius eſt. arg. eorũ quę docentur in *l.qui vſumfructũ. eo.tit.* Porrò pœna adiicitur cõuentioni principali, vt timore pœnæ promiſſor ſeruet promiſſa. arg. *l.1.2.reſpoſ. C.de arb. l.liber homo.§.ſi.ff.de ver.obl.* Non ergo debet contra partiũ intentionem pœna operari nouationem quod infrà per plurima iura fundabitur. Nec obſtat *l.1.§.item ſi ita.ff.ad l.Falc. & d.l.ſi penum.* iſta n. iura valde impertinenter (ſalua patrũ venia) huc allegantur, vtpote quòd in eis nouatio locum penitus non habeat. Siquidem nouatio, eſt prioris debiti in aliam obligationẽ vel ciuilem vel naturalem

tranſfuſio. *l.1. D. de nouat.* Sed in dictis iuribus nullum præceſſit debitum quod nouari poſſit. Cum enim penus legatur, & niſi detur, pœna ſubiicitur, hic penus eſt in præſtatione, non in obligatione, vt eſt tex. in *l.1. D. de pen. leg.* Igitur ſubiecta pœna nō nouat id quod non eſt nouabile, cū penus nō debeatur. *fa. d. l. ſi penum. D. quand. dies leg. ced.* vbi heres penū quidem ſoluere poteſt: ſi verò non ſoluerit, pœnam peti poſſe, vtpote quæ ſola debeatur. Quapropter dicit ibi Iureconſ. pœnæ adiectione penoris legatum ademptum videri. Ergo in huiuſmodi legibus pœna potius operatur tranſfuſionem, vel ademptionem, quam nouationem, cum nulla præcedat obligatio quæ nouari poſſit, vt diximus. Non obſtat *l. obligationum. § fin. D. de act.* quæ lex Bart. & Doctor. oculos præſtrinxit: quia ibi ideo pœna operatur quaſi nouationem, quia præceſſerat obligatio facti, putà nauem fieri, ad quod factum promiſſor præciſe vrgeri non poterat. *l. ſtipulationes non diuiduntur. D. de verb. oblig.* rectè pœna adiecta quaſi nouationem (etiam ex præſumpta partium intentione) operabitur: voluit enim ſtipulator ſibi proſpicere de pœna, qui ſciebat promiſſorem ſuper obligatione principali cogi non poſſe, ſed liberari præſtādo intereſſe. pro quo in *arg. fa. l. fin. D. de præt. ſtipul.* Nec tamen eſt verà nouatio, cum promiſſor ſuper pœna conuentus, vſque ad litis conteſtationem factum offerre poſſit. *l. ſi inſulam. D. de verb. oblig.* Operatur ergo dicta pœna non veram nouationem, quæ facti obligationem tollat, ſed vmbram quandam nouationis eatenus, quatenus poſt lit. conteſt. factum non plus offerri poteſt. Et iſte eſt verus intellectus ad *d. § f.* in quo ſignatè, ſubtiliter & elegāter vſus eſt Iureconſ. verb. quaſi nouationis. quod verbum non temerè alibi in iure inuenias. Nō ergo erat Bartolo neceſſe, vt propter aſſertam legum contrarietatem diuinaret de cauſa lucratiua: cum dicta lex, ſi ingenio vtamur, facile & diſſolui, & cum cæteris iuribus placari poſſit. Porrò *d. § fi.* ad cauſam lucratiuam coerceri non poteſt, cum ſtipulatio nauis fabricandæ ibidem præceſſerit, quæ potius ex cauſa oneroſa, putà ex contractu locati, quàm ex lucratiua procedere præſumitur, cum in dubio contractus reducuntur ad id quod eſt frequentius. *l. quod ſi velit. § quòd ſi aſſidua. D. de ædil. edict. l. ſemper in ſtip. de reg. iur. cum vulg.* Patet ex prædictis error eorum, qui putant quòd *d. § fin.* in contractu ſtricti iuris loquatur: quod certè non eſt veriſimile, cum frequētiſſimum ſit naues vel domos fabricandas conducere, vt *D. tot. tit. locat.* nec vlla obſtet ratio, cur potius in contractu ſtricti iuris, quàm bonæ fidei intelligatur. Nec enim ad rem pertinet, quòd ibi per ſtipulationem nauis fabricanda promittitur: cognitum enim eſt ſtipulationes etiam ad contractus bonæ fidei applicari, & eorum naturam imitari. *gl. in l. ſtipulatus. in verb. veriſimile. D. de vſur. cum vulg.* Tandē nō obſtat *d. l. ita ſtipulatus. in fi.* quia ibi expreſsè actum erat, vt homine promiſſo non ſoluto, ſola pœna peteretur: igitur partium conuentioni ſtandum eſt. *l.1. § ſi conuenerit. D. depoſ.* Nec tamen ibi eſt vera nouatio, etiam ex dicta expreſſa conuentione. Licèt enim homo peti non poſſit, tamen ſolui poteſt. Hoc eſt quòd dicit text. in fi. vt homo ſoluatur vel pœna petatur. quæ tamen verba cum temperamento accipienda ſunt, vt homo obligatus ante lit. conteſt. non pōſt, ſolui poſſit, per regulam qua dicitur, Quando aliud petitur quàm in principali obligatione promiſſum eſt, ſiue ſit obligatio dandi, ſiue faciendi, moræ purgationem admitti vſque ad lit. conteſt. quod Bart. in *d. l. ita ſtipulatus* in finalib. verbis benè docuit, & eſt pro hoc notabilis *gl. in d. l. 1. in verb. conteſtetur ff. de pen. leg. dum allegat. d. l. ſi inſulam.* quæ lex licet de obligatione facti loquatur, tamen ibidem ad obligationem dandi extenditur. Eſt ergo concluſio indubitata; quòd ſtipulatio pœnalis ſubiecta non nouat præcedentem, reiecta diſtinctione Bart. in *d. l. ita ſtipulatus. in ii. oppoſ.* vbi plura cōminiſcitur ex ingenij imaginatione, quæ ex textib. quos allegat non fundantur. Hæc concluſio quia oppugnat communem Doct. doctrinam, validiſſimè mihi eſt fulcienda. Et primo probatur per vulg. *l. apud Celſum. § Labeo. ff. de dol. except.* vbi eſt contractus ſtricti iuris, & poterat eſſe cauſa lucratiua, & tamen non nouat. Nec vllus eſt Doctor, quem quidem ego viderim, qui huic *§ Labeo.* bene reſpondeat: licet quidam ex neotericis putent pœnā ibi loco remediorum, quibus rem iudicatam exequimur, appoſitam eſſe. Sed nihil eſt, cum tex. hoc non dicat, & ipſimet relinquunt cogitandum, dicentes eſſe difficile contrarium: quod tamen non erat neceſſe, ſi cū dicta noſtra concluſione & cum veritate manſiſſent. Idem probatur per *l. ſi quis rem. D. de arb.* & licet Bart. reſpondeat; quòd in diuerſis actionib. agatur: certè hæc reſponſio eum vel oppugnat, tantum abeſt vt vſpiam ei ſuffragetur: quia ſi diuerſis actionib. agi poteſt, cum pœna conuentioni principali adiicitur, ergo non nouauit: ſi enim nouaſſet, non poterat diuerſis actum fuiſſe actionib. Secundo probatur dicta concluſio per *l. cum ſtipulatus. D. de verb. obl.* vbi ad obligationem facti fuit adiecta pœna: & tamen ſi promiſſor nō fuiſſet in mora faciendi, pœna peti non poterat: imò & poſt moram poterat dies faciendo operi præſtituta prorogari: & ſi promiſſor intereà fecerit, à pœna liberabitur, ſaltem ope exceptionis, vt per gl. 1. & omnes Doctor. Ergo non erat ibi nouatio: licèt fatear, ſi dies non fuiſſet prorogata, poſt lapſum termini mora purgari non potuiſſet per *l. traiectitia. ff. de obl. & act.* Tertio probatur per *d. l. liber homo. § fi.* vbi eſt text. apertus contra communem. Nā promiſeram Titio decem ſub pœna, quo caſu poſſum à te ſtipulari, vt decem ſoluas mihi, vel Titio: agóq; contra te actione incerti, vt Titio ſoluas, ne pœna contra me committatur: ergo non erat ibi nouata principalis obligatio. fa. optimè tex. apertus in *l. ſtipulatio iſta. § ſi quis ergo. verſ. & ſi creditori. ff. eo.* vbi poſſum à te ſtipulari quod creditori meo ſoluas, quia intereſt mea ne pœna committatur. igitur creditori adhuc eram obligatus, licet pœna eſſet adiecta. Quarto probatur apertè per *d. l. ita ſtipulatus. § Sabinus.* cum promitto Stichū, & ſi non ſoluam, decem dari: non antè pœna committitur, quàm promiſſor interpellatus, ſit in mora ſoluendi: quo caſu apertiſſimum eſt pœnam non nouaſſe, ſi promiſſor ſuper principali obligatione interpellari poteſt. Quinto probatur per *l. ſtipulationum. § ſi ſortem. ff. eo.* vbi defunctus erat qui ſortem ſub pœna promiſit: nihilo minus heredes ad euitandam pœnam, debitum principale ſoluere poſſunt: & niſi totum ſoluant, etiam vno deficiente, pœna committitur. Dicit tamen ibi gl. ea quæ de ſorte ſoluta ſunt, in pœnam exigendam computari, per *d. § Labeo.* Ecce quàm apertè, quàm omnino manifeſtè patet, q̀ ibi pœna non nouabat. Sexto probatur per *c. ſuam. de pœn.* vbi pœna non nouauit præcedentem obligationem, cum ſtipulator cogatur accipere partem debiti, & à pœna recedere. Septimo poteſt idipſum probari per *d. l. ſi pacto. C. de pact. & per d. l. nuda. C. de contrah. ſtip.* vbi pœna nudam conuentionem præcedentem non nouat: quæ tamen, vtpote fragilis & nuda, facilius nouari poterat quàm veſtita. Et vt finem faciā, euidentiſſimè mea probatur concluſio, per iura quæ vulgò allegātur. *l. ſi quis à ſocio. cum l. ſeq. l. duo ſocietatem. in fi. ff. pro ſoc. l. prædia. ff. de act. empt.* Et quamuis varijs modis hi qui diuerſa ſentiūt, dicta iura eſfugere conentur, reſponderi tamen ad omnia poteſt illud Euangelij, Et non erat conueniens teſtimoniū. Sunt enim nonnulli qui faciūt differentiam inter contractus bonæ fidei & ſtricti iuris: quod nihil eſt: quia non poteſt iuſta dari ratio diuerſitatis, & multa iura ſuperius contrarium docent. Alij, vt Bald. diſtinguunt an pœnalem ſtipulationem præceſſerit contractus ſtipulationis, an alius: vt illic nouetur, hic non nouetur, per *d. l. duo ſocietatē.* quæ lex hoc nō probat. Ibi enim non conſideratur, an ſtipulatio contractus ſocietatis pœnalem præceſſerit, ſed an ſtipulatio ad eundem contractum ſocietatis ſubiecta, nouet contractum bonæ fidei: quod facilè palàm fit eundem textum ſubtiliter conſideranti. Deniq; quia nouatio ex partiū cōuentione oritur, nō refert contractus ſint homogenij an heterogenij. i. vnius vel diuerſæ naturæ. Stat igitur concluſio quæ tam eſt vera, quàm ſolet eſſe ipſa veritas. Quæ tamē limitatur in ſtipulationib. facti, quib. pœna ſubiecta eſt: tunc enim pœna quaſi nouat, eatenus, quatenus poſt lit. cont. moræ purgatio impeditur. Demū in alijs obligationib. quibus pœna accedit, ſi actum eſt vt ſola pœna petatur: tunc enim res debita peti quidem non poteſt, ſed tamen ſolui vſque ad litis conteſt. quæ vtraque ſuprà latius declarauimus. Vide Vldarum Zarum in ſingularib. intellectib. ex quo hæc collegi.

Ad l. centeſimi. § vlt. & l. ſi quis ſtipulatus ſit Stichum in principio, de verb. oblig.

Quod Accurſium in errorem induxit, id etiam Franciſcum Comminum virum alioqui eruditiſſimum, in errorem induxit. Nam Accurſiani intelligunt non interrogare quidem in principio Vlpianum, ſed veluti affirmare id quod poſtea euertat, & aliter decidat, quod probabile fortè videri potuiſſet, ſi alterius Iuriſconſulti ſententia mentionem feciſſet,

quam illic reprehendi exiſtimare poſſimus, aut etiã niſi principium cum ſequenti verſiculo [Plane] apertè coniungeret, quaſi in vtroque conſimiliter obtineat, quam ſequentis verſiculi deciſionem proculdubio cõſtat eſſe veriſſimam, vt autem Accurſius, ita Franciſcus Connanus exiſtimauit principium illud eſſe cum interrogatione legendum, vſque ad verſiculum planè, quaſi quærat Vlpianus, an fideicommiſſaria libertas ita dari poſſit. Heres ſi volueris fidei tuæ committo, vt Stichum manumittas, quamuis nihil aliud in teſtamento ex nutu heredis valere poſſit.

Ad titulum de verborum obligationibus.

Ad §. ſed ſi mihi Pamphilum.

Conantur Accurſiani Doctores in vniuerſum definire hic, quando vtile per inutile vitietur, aut non vitietur, & regulis ſuis limitationes, ſublimitationéſque addunt, ſed fruſtra id faciunt. Res enim infinita eſt, in qua iuris ſtudioſus multam operam perdere non debet. Certa enim eſt regula iuris, quę dicit omnem definitionem in iure periculoſam eſſe. Quanquam ſanè non inficior ea quæ ab his ſcripta ſunt, de hac re nos aliquomodo poſſe iuuare, ſi cum iudicio ea legamus, nec ea pro certis regulis accipiamus, quale illud eſt iam vulgare ac protritum. In his quæ indiuidua ſunt, & ſeparationem non recipiunt, quod vtile eſt per inutile vitiari. In cæteris contra *l.1.§. illud.§.Trebatius.de aqua quotidiana & æſtiua.l.pecuniæ.l.placuit.de vſuris*. Spectãda autem ſemper eſt hic ratio legis, & voluntas eorum inter quos negotium contrahitur.

Ad §. Agerius.l.122.

Duas adfert Accurſius interpretationes, quarum nulla bona eſt. Prima eſt, vt verbum conſtitiſſet apud Scæuolam ad præteritum tempus referatur, atque ita hypotheſim fingunt. filiusfamilias, velut fideiuſſor patris promiſit quicquid iam conſtiterat patrem debere, ait Scæuola ſtipulationem non eſſe commiſſam, ſi conditio non extiterit, quia conditiones quę ad præteritum tempus referuntur, ſi falſæ ſunt, ſtatim infirmant ſtipulationem. *l.conditio.l.ſtipulatus fuero.hoc tit.* Verum ſi rectè expendantur verba Scæuolæ, ita hanc quæſtionem tractat quaſi patre adhuc viuo poſt ſtipulationem contractam impleri poſſit conditio, de quo tantum dubitatur, an patre mortuo cum eius herede poſſit impleri. At ſi vera eſſet hæc opinio ex viuo quidem patre. Conditio exiſtere poſſet poſt contractam ſcilicet ſtipulationem. Deinde ſi verum eſt quod aiũt conditionem in præteritum tempus conceptam eſſe nulla fuit cauſa, cur Scæuola conditionaliter reſponderet. Altera opinio eſt, quam Bartolus probat, vt verbum conſtitiſſet ad futurum tempus referatur. Verum quod de futuro tempore dicunt tam incertum eſt, quàm quod de præterito ſuperioris ſentẽtiæ authores dicunt, quia verbum, cõſtitiſſet, ambiguum eſt. Præterea quod dicũt patrem non debere, ſed debuiſſe, mera calumnia eſt, & aucupatio verborũ homine iuriſprudente perquam indigna, cùm præſertim heres & defunctus eadem perſona eſſe intelligatur.

Ad l.1.D.de verborum obligationibus.

Stipulationem ob neceſſitatem inuentam non eſſe, in Maria Socin. præceptoris ſententiam, aduerſus omnes ſuum.

Stipulatio quare inuenta.

Diligentiſſimè apud Caſtrenſ. Alex. & poſteriores in *l.1.D. de verb.obl.* tractatum reperitur; quare introducta ſit ſtipulatio: tandémque docent ob vtilitatem, & neceſſitatem, eam inuentam. Eſt ſiquidem hic contractus omnium firmiſſimus, & ſolidiſſimus. Cynus in *l.ſi ex precio.C.ſi cert.pet.* vt qui contractibus innominatis ne pœnitentiæ locus ſit, efficiat, vtque conditio ob cauſam, ad repetendum ceſſet. *l.cum precibus.C.de rer.permut.Bal.l. quamuis.C.de tranſact.* omnes nudas conuentiones veſtiat. *l.ſiue apud acta. C.de tranſact.l. ex placito. C. de rer.permut.* faciliúſque cæteris nouationem faciat. Bartolus in *l.ſingularia.§.ſpecialis.ff.de reb.cred.* meritò ergo iuris authores ſtipulationem adinuenerunt, ne contrahentium fides violaretur, ſed eſſet inter homines fidei & promiſſi firmitas. Bal. in *c.1.ad prin.de pact.* Vnde Iuſt. *§.1.de verb.obl.* ſtipulationem dictam eſſe à ſtipulo: apud veteres namque ſtipulum, firmũ appellabatur, fortè à ſtipite deſcendens. Euidens ergo fuit huius contractus vtilitas. Sed & propter neceſſitatem ſtipulationem inuentam, argumento ſunt hi contractus, qui ſine ſtipulatione non conſiſterent, vt obligationes fideiuſſoriæ, quæ niſi interpoſita ſtipulatione, inutiliter fiunt. *l.5.§.ſatiſacceptio.de verb.obl.l.blanditus.C.de fideiuſſ.* Præterquam ſi pro dote fideiuſſor intercedat, quo caſu ex nudo pacto, aut etiam pollicitatione, obligatur. *l.fin.C.ad Vellean.* Promiſſiones præterea iudiciarias conſtat, ſi non interueniat ſtipulatio, effectum non habere. *l.omnes.§.in hac.2. C.de epiſc. & cler.* niſi ad iudicium coadiuuandum factæ ſint: vt de iudicio ſiſti, aut iudicato ſoluendo. *l.cum pro quo.D.de in ius voc.l.generaliter.C.de epiſc. & cler.* & vbique Accurſ. Fuit denique inuenta ſtipulatio, propter obligationes iuriſgentium contractas nouandas quæ transfundi in aliam obligationem non poterant, niſi prius in ſtipulationem deductæ. *l.an inutilis.§.fi.l. & vlt.§.1. D.de acceptil.§.1.quib.mod.tol.ob.* Non iniuria ergo ſcriptores tradiſſe videntur, & vtilitatis & neceſſitatis gratia, inuẽtam à lege ciuili ſtipulationem. Quæ ſententia Lud. & riſu digna eſt. quid enim magis ineptum dici poteſt, quàm legem, quæ à libera ratione, & voluntate proficiſcitur, ad actũ aliquem cogi &, vt ita loquar, neceſſitari? Audiui Maria. Soc. virum multis nominibus doctiſſimum, & ingenioſiſſimum, ſæpè dixiſſe, ſe horrere, execrari & deteſtari hæc verba interpretum. Stipulatio enim à lege nulla neceſſitate adacta, inducta eſt: poſtquam autem creata fuit, eam permultis actibus & negotiis lex ita cooptauit, vt ſine ea noluerit actus conſiſtere. At cum legimus Iuſtin. *d.§.1.de verb.oblig.* ſtipulationẽ hoc nomine inde dictam ſcripſiſſe, quod ſtipulum apud veteres firmum diceretur, à ſtipite fortè deſcendens, locum corruptũ exiſtimat Alciat. *lib.1.parerg.cap.39.* [Quid enim, inquit, commune habet ſtipes ſeu truncus cum contractu?] Propterea mauult ἀπὸ τοῦ τυπῶ legere. Etenim τύπω Græcè, idem quod aſtringo, Latinè ſignificat. Ipſe tamen nec à ſtipo dictione Græca, neque ab ſtipite ſtipulationem dictam, putauerim, ſed à ſtipe, id eſt, pecuniæ. ſiquidem veteres pecuniam quam vel in ærarium reponebant, vel diis offerebant, vel mendicis porrigebant ad ſuſtentationem infelicis vitæ, ſtipem dixerunt. Hinc qui pecuniam, inquit Sypontinus, rogat, & qui ſpondet, ſtipulari, ac reſtipulari dicitur, quod verbum poſtea ad omnes rogationes quæ ſolenniter fiunt, tranſlatum eſt. hæc ille. Iis quid Martia. ſenſerit perſpectum habes, cum dixit in *l.1.ff.de colleg.illi.* permitti tenuioribus, ſtipem menſtruam conferre, dum tamen ſemel in menſe coëant. Porrò à ſtipe ſtipendium dictum eſſe, quod per ſtipes, id eſt, modica æra, colligatur, Vlpianus *l.ager.§.1.ff.de verb.ſign.* ſcriptum reliquit. Plura vide apud Corraſium, ex quo hæc deſumpta ſunt.

Ad titulum de verborum obligationibus.

De quo Catone Iul.Paul.in celebratiſſimo reſponſo.§.Cato, ſenſerit contra Bolognınum.

Cato Vticenſis Stoicus.
Tres Catones.
M.Portius Cato.
Præcepta tria Catonis.
Fœminæ non credendum arcanum.
Fabius Sabinus.
Cato quis apud Romanos dicatur.
Virtus ſingularis Catonis filij.
Catonis patris ad filium ſapiens reſponſum.
Catonis conſtantia

Extat ſub *tit.ff. de verb. oblig.* percelebre Catonis apud Iul. Paulum, reſponſum tractatu tam difficile, atque horridum, vt non alium in iure ciuili, ſimile forſan reperiatur: in quo primũ moderniores diſceptant, de quo Catone ſenſerit Iuriſ. Et exiſtimauit

ſtimauit Ludo. Bolog. Bononienſis, vir diligens, & bene doctus, de Catone Vticenſi, qui bello ciuili, maluit Vticæ mortem ſibi conſciſcere, quàm à Cæſare hoſte petere ſalutem: præeuntem in eam ſententiã Alberico Roſaceo, in dictionar. Quæ tamen vera non eſt, cùm Mar. Catoni Vticenſi, vt Stoico philoſopho, nihil commune cum iure ciuili fuerit. Sciendum igitur, tres reperiri Catones, qui Iuriſconſulti fuerunt: primus fuit Marcus Portius Cato, qui literas Græcas, Ennio præceptore vſus, ſenex didicit, quique tria deteſtari ſolebat, Arcanum aliquod fœminæ credere: nauigare, cùm pedibus ire liceret: & diem per incuriam inanem effluere. Is Tuſculano municipio ortus, Romam migrauit. L. Valerij Flacci admonitu, cenſoriæque poteſtati ibidem præfectus, cùm ſeuerè in permultos nobiles animaduertiſſet, complures contraxit inimicitias. adeò, vt quadragies quater capitis accuſatus fuerit, at tanta probitate pollebat, vt ſemper abſolueretur. Optimus ſenator, ſummus fuit imperator, peritiſſimus ac eloquentiſſimus Iuriſconſultus, ſolertiſſimus agricola, vt ex Liuio, Plutarcho, Cicerone de clar. ora. Plin. & aliis hiſtoriis ſcire licet. Eũ Portię familiæ principem, Pomp. *l. 2. §. hos ſectatur. D. de orig. iur.* propterea dicit, quòd prius inter Catones, Portius cognominatus, familiæ ſuæ, & poſteritati cognomen reliquerit. Alter Cato fuit eius filius, qui imperator deſignatus, patre viuo, diem ſuum obiit, permultis tamen, & iis quidem egregiis, de iuris ciuilis prudentia libris relictis: vt eſt apud Gel. *lib. 13. c. 8.* Fuit & tertius longè iunior, Fabius Sabinus, Sabini inſignis viri filius, qui vt in Seuero ſcribit Lamprid. floruit ſub Alexandro Imperatore, propterque ſingularem ſapientiam, Cato ſui temporis dictus eſt. Solebant autem Romani eum, in quo eximia prudentia, rerúmque multarum vſus, ac experientia eſſet, Catonem appellare. Si quid igitur (vt tandem dicamus) à Catonibus iuris ciuilis extiterit, non à Marco Catone Stoico, qui non Iuriſconſ. fuit, ſed à M. Portio Catone, filio maiore M. Catonis Cenſorini, prodiiſſe credendum eſt. Qui nõ legum ciuilium modò peritus, ſed & in re militari ſtrenuus fuit. Extat ad eum Catonis patris epiſtola quædam, in qua eius cupiditatem, ſtudiúmque vehemens, in enſe recipiendo, maximopere laudat. De hoc & illud legimus, tanta fuiſſe eum ſedulitate, probitate, & prudentia, vt Scipionis affinitatem non tam patris dignitate, quàm ſingulari ſua virtute, ſibi comparauerit. duxit namque adoleſcens adhuc, Tertiam Pauli Æmilij filiam, Scipionis ſororem. Cùm autem Cato pater Salonij ſcribæ filiam, ei nouercam ſuperinduxiſſet, filiúſque conſilium huiuſmodi moleſtè ferens, patrem rogaret, num qua in re offenſus indignabundus ſibi nouercam induxiſſet. Cato pater lepidè ſimul, ac ſapienter reſpondit: nihil eſſe, quod ei ſuccenſeret, cuius omnia, incredibili lætitia ſe afficerent. At huius rei (inquit) conſilium cœpi, quòd cupiam multos liberos mihi patriæ, tibi verò perſimiles, relinquere. Contra cuius tamen votum, res tota ſucceſſit: etenim exercitui præfectus, præmatura morte ordinéque naturæ turbato, raptus eſt. Quem caſum pater ſapienter, ac modeſtè tulit. Hæc ex doctiſſimi viri obſeruationibus deſumpta ſunt, quas quoniã ad inſtitutum meum facerent, ea huc tranſtuli.

Ad l. ſtipulationes non diuiduntur, de verborum obligationibus.

In omnibus obligationibus etiam faciendi quem præciſè cogi: & articulus hic longiſſimus, aliter expoſitus quàm ad noſtra hæc tempora fuerit.

Dandi, & faciendi obligationes, contrariam habere ex diametro naturam, interpretes noſtri crediderunt. in illis enim debitorem præciſè cogi dare, hoc eſt dominum creditoris efficere tradunt, per *l. vbi autem non apparet. §. fi. D. de verb. oblig.* præterquam certis caſibus quos Iaſ. commemorat in *l. ſtipulationes non diuiduntur, illo tit.* In his verò ſuccedere obligationem in id quod intereſt. *l. ſi quis ab alio. §. fi. D. de reb. cred.* cuius præſtatione, debitorem putant liberari, hoc eſt, ad factum minimè compelli, niſi vel iureiurando roborata ſit facti promiſſio. *c. ſi. ne prælat.* vices ſuas. Accurſ. in *l. ſi pecuniam. D. de con. cau. dat.* vel fauor vltimæ voluntatis verſetur. *l. fideicommiſſa. §. fin. D. de leg. 3.* quam exitum habere Reipublicę intereſt. *l. vel negare. D. quemadmod. teſta. aper.* vel iudicis ſententia debitor facere damnatus eſſet. Accurſ. in *l. qui reſtituere. D. de rei ven.* amplius putauerunt Accurſ. & alij in quibuſcunque obligationib. facti iudicialibus, quem præciſe compelli facere, propterea quod apud Vlpian. Iulian. dicat, procuratorem compelli iudicium accipere. *l. ſed & hæ. §. prætor. D. de procur.* Ait enim prætor, [procuratorem ad litem ſuſcipiendam datum pro quo conſentiente, dominus iudicatum ſolui expoſuit, iudicium accipere cogam.] *l. filiusfamilias. §. fi. illo tit.* Differentiæ autem rationem inter dandi, & faciendi promiſſiones, quadruplicem Bart. affert in *d. l. ſtipulationes non diuiduntur.* quæ nec quidem autori ſatis placent. Nos cùm nullam diuerſitatis rationém bonam videamus, quandoque exiſtimauimus, nec nunc diſplicet, in omnibus obligationibus debitorem præciſè cogi, modò implementum in eius ſit poteſtate, ſiue ſint obligationes dari, de quibus controuerſia non eſt, in *d. l. vbi autem. §. fin. ſiue fieri. d. l. fideicommiſſa. §. fi.* vbi ex alterius verbis, nempe teſtantis ad factum obligatus, præciſe cogitur, quanto magis qui ſe ore proprio ad faciendum obligauit. Siue reſtitui. *l. 3. §. heres D. commod. ſiue tradi. l. ex empto. ff. de act. emp.* neque quicquam eſt, quod magis bonæ fidei congruat, quàm id præſtari, quod inter contrahentes actum eſt. Et ſi in facti obligationibus tacitè à lege inductis quis præciſè compellitur. *l. hereditatem. D. de don.* multò magis in expreſſis ab homine, longè potentioribus. *l. fi. C. de pact. conuent.* in quibus veriſimiliter mea intereſſe poteſt, factum à promiſſore potius quàm ab alio impleri, quando inter artifices longa ſit differentia, *l. inter artifices. D. de ſolut. l. nemo eſt qui neſciat. D. de duab. reb.* Quòd ſi ad factum obligatus in mora fuerit faciendi, cum fruſtrationem impunitam eſſe non oporteat. *l. in fideicommiſſi. §. fi. D. de vſu.* liberum erit creditori agere in id quod ſua intereſt propter moram, condemnabiturque debitor, quia non fecit quid promiſit in pecunia numerata. *d. l. ſi quis ab alio. §. fin.* Nec in gratiam debitoris inductum eſt, vt id quod intereſt præſtando à facti obligatione eximatur, ſed potius in fauorem, & gratiam creditoris, vt ſi ſua poſt moram amplius non intereſt fieri, aut factum impleri non poſſit per debitorem, nullum ex huiuſmodi debitoris mora ſentiat damnum creditor, in cuius ſemper erit arbitrio debitorem ad factum vrgere, ſi implementum in eius ſit poteſtate, vel quanti ea res erit, tantam pecuniam poſt moram petere, ſi hoc creditor maluerit. *l. ſtipulatio. §. ſiue autem. D. de noui operis nunciatione.* Nam & emptor, ſi res vendita non tradatur, venditorem qui rei tradendæ facultatẽ habet præciſè ad tradendum cogit. Accurſ. & alij in *l. 1. D. de act. empt. & in §. pretium. de empt. & vend.* & quod intereſt teneatur *d. l.* bono & commodo emptoris, in eiuſdémque fauorem, non item venditoris conſtitutum intelligi debet. Bal. *l. ſi traditio. C. de actio. emp.* qui venditor ſine controuerſia rem venditam præciſè tradere compellitur. Aliud quippe pro alio, inuito creditore ſolui non poteſt. *l. 2. §. f. D. ſi certum pet.* niſi ex cauſa neceſſitatis, vt quia res debita præſtari non poſſit, tunc enim ad dationem in ſolutum neceſſariò recurrimus authent. hoc niſi debitor. *C. de ſolu. ca. Odoard. illo tit.* Qua ratione idem dicemus in facti obligationibus. Etenim qui factum implere nequibit (non dico non vult) præſtando id quod intereſt, liberabitur. Porrò prædictis Iuliani reſponſum officit, quo proditum eſt, in electione debitoris eſſe, vel factum, vel facti æſtimationem præſtare. Operam nempe vnam ſeruus communis à liberto ſtipulatus fuerat. Reſpondit Iulia. ſolutionem eius obligationis expeditiſſimam eſſe, ſi æſtimationem operæ malit libertus offerre. *l. in ſtipulationibus. §. operarum. D. de verb. oblig.* Sed hoc illic inducit difficultas præſtationis ex patronorum diſſenſu profluens, qui ſi conſentirent, vt ſibi communiter operæ ederentur, ad æſtimationem libertus recurrere non poſſet, ſed præciſè operas edere cogeretur: quod manifeſtè ex Iulia. verbis colligetur. Planè Ioan. And. *in add. ad Spec. ti. de reb. eccleſ. non alien. §. 1.* quem Ang. & Cuma. *in d. l. ſtipulationes non diuiduntur,* ſequuti ſunt, ſcriptum reliquit, ad factum leue quem præciſè cogi poſſe, veluti, vt quis ſe reponat in priſtinam obligationem. *l. ſi cum exceptione. §. ſed & ſi quis. ff. quod met. cauſ.* Cæterum ſi factum non niſi difficulter & maximo corporis labore explicari valet, vt inſulam ædificari, & ſimilia nõ præciſè cogetur promiſſor: ſed præſtando id quod intereſt, liberabitur, *d. l. ſi quis ab alio. §. fi.* Hoc enim induceret ſpeciem quodammodo ſeruitutis. *l. 2. de lib. hom. exhib. l. Titio centum. §. Titio centum. D. de cond. & demonſt.* Ego verò non ex corporis labore, aut operis præſtandi grauitate præſtationis difficulta-

tem dimetior, ſed potius ex qualitate, & controuerſia creditorum, quibus factum præſtandum eſt, vt in citato Iuliani reſponſo, neque enim æquum eſt, propterea quòd non conſentiant in exactionis modo creditores, iniuria affici debitorem qui factum præſtare paratus eſt: quamobrem ei à l. conceſſum, vt altercantibus creditoribus, eiuſdémque patronis ſi malit libertus debitor offerre æſtimationem, eo expeditiſſimo modo obligationem ſoluat. Ad hæc notandum quòd obligatio ad factum inducta à lege citra propoſitum eius qui obligatur, vel nemine reclamante, præciſa eſt. *l. ſi cum exceptione. §. ſed & ſi quis alleg.* Quod Bald. in *l. nec patronus. in fi. C. de oper. lib.* conſtitutum putat, propter authoritatem legis non contemptibilem, cuius diſpoſitio ludibrio haberi non debet. *l. ſi. §. fi. C. de bo. quæ lib.* Adde quòd, vt Mart. de fano (qui noſtræ opinionis primus aſſertor fuiſſe videtur) dicebat, quando lex inducit obligationem, non curat an interſit, vel non: ideóque præciſè nec iniuria redditur. Rectè igitur Panorm. in *cap. 1. vlt. not. de ſpon.* docuit maritum, & vxorem cogi poſſe, vt ſimul habitent, nec præſtando id quod intereſt, liberari: ſiquidem ad cohabitationem omni lege ſint obligati.

NOTAE AD GLOSSAS IN LIBRVM QVADRAGESIMVM ſextum Pandectarum iuris ciuilis.

Ad titulum de fideiuſſoribus.

CVm quæſtio eſſet, vtrum fideiuſſor qui in maiorem ſummam accidit, ſaltem in veram ſummam teneatur. Bartolus malè negat eum teneri in verã ſũmã & hęc eius ratio, quia forma legis neglecta ſit. nã in *l. Græcè. §. illud. de fideiuſſorib.* dicitur, inquit ille eos omnino non obligari, cum enim ſigno vniuerſali poſtpoſita ſit negatio, apparet radicitus actũ eſſe nullũ, ſed hæc opinio falſa eſt. Primo quod aliquibus legibus poſſit confutari, vt *l. rogatus mandat. & l. ſi vltra. C. de fideiuſſ. l. ita tamen. §. pen. iudicatum ſolui*, & ratio quæ pro ea adducitur, etiam falſa eſt. Imprimis enim aio veterum codicum lectionem aliter ſe habere, & negationem in iis ſigno vniuerſali præponi. Placuit non omnino obligari, tanquam obligari quidem vellet lex, ſed non in totum, ſicque Norica editio habet rurſus, aio diſtinctionem illam, an negatiua præcedat, an autem ſequatur certam non eſſe, & pleroſque veterum authorum eam neglexiſſe.

Ad l. 60. de fideiuſſoribus.

Hunc locum Scæuolæ Accurſius non intellexit, qui ſic ſe habet. Eam verò, inquit, genere nouationis obligatio tranſeat in fideiuſſorem, aut iure, aut exceptione liberandum, nec mirum quod Accurſius hunc locum non intellexerit, valde enim corruptus eſt, quod vel hinc ſuſpicari poſſumus, quod variè legitur. quidam enim codices habent cum vero in genere iure nouatur: & tamen ex vtraque ſcriptura nullus ſenſus elici poteſt, non modo ſuperioribus verbis congruens, ſed vel ſibi ipſi cohærens. quid enim iſta verba ſibi volunt, cum obligatio tranſeat in fideiuſſorem, aut iure, aut exceptione fideiuſſorem liberandum? Imo neutro modo liberari debet, ſiquidẽ in eum tranſit obligatio, niſi dicamus cum per nouationem ſurrogatus eſt in locum principalis debitoris liberandum eum obligatione fideiuſſoria. Sed tum non tam liberandus eſt quàm ipſa fideiuſſio confuſione obligationis extincta eſt, vt ſi fuiſſet heres debitoris. Nec hoc nunc agit Scæuola, vt de confuſione obligationum loquatur. Itaque mendum hic aliquod ſubeſſe ſuſpicor, & fortaſſe ita legendum eſſe, cum verò genere nouationis obligatio tranſeat in alium fideiuſſorem. Prius enim dixerat vbicunque reus ita liberatur à creditore, vt natura debitum maneat teneri fideiuſſorem, namque extincta ciuili, aut reo ciuili obligatione exemplo remanet naturalis, quæ ſola per ſe ſatis valet ad retinendum fideiuſſorem. Cùm vero nouatione tranſit in alium obligatio, prior funditus tollitur, ſic vt ne naturaliter quidem ſubſiſtat. Ideóque liberatur fideiuſſor, & in hanc rem rectè Antoninus Imperator. *l. 4. C. hoc tit.* Nouatione legitimè perfecta debiti in alium tranſlati priores contractus fideiuſſores, vel mandatores liberatos eſſe nõ ambigitur, ſi modo in ſequenti ſe non obligauerunt. De legitimè autem facta nouatione loquitur, quæ ipſo iure extinguit priorem obligationem, & fideiuſſorem liberat. Sic malo interpretari Scæuolam, quam quomodo Accurſius qui huius diſiunctæ orationis, aut ipſo iure, aut per exceptionem liberandum, dicit primam tantum partem eſſe veram, vt ipſo iure liberetur ſemper, per exceptionem nunquam, quod Scæuolam reprehendere eſt, & accuſare, non exponere.

Ad l. fideiuſſores magiſtratuum. §. 1. de fideiuſſoribus.

Quid ſit deprecari, declarata Iul. Paul. conſtitutio, aduerſus Accurſium qui eam non intellexit.

Deprecari quid.
Gell. à Valla taxatus.
Ouid. locus explicatus.
Bucephalus equus Alex.
Valla ſententia reiecta.
Recuſare, & deprecari differunt.
Deprecator fortunarum.
Deprecatio Rhetorica.
Explicatus §. in delictis.
Declaratus §. 1. fideiuſſores magiſtratuum.

Pro Aurelio Romulo conductore vectigalis, cùm in centum annua Petronius Thallus, & alij fideiuſſiſſent, iique tam in ſortem quàm in vſuras conuenirentur: [deprecabantur (inquit Iul. Paul. in *l. fideiuſſores magiſtratuum. §. 1. D. de fideiuſſ.*) lecta ſubſcriptione fideiuſſionis, quoniam in ſola centum annua ſe obligauerant, non in omnem. conductionem,] & cætera quæ ſequuntur. Hoc loco quid deprecari verbum ſignificaret ab homine multi nominis quandoque quæſiui: qui reſpondit, idem eſſe quod valde, vehementer & obnixè precari. Etenim precabantur ſuppliciter apud Iul. Paul. fideiuſſores, vt ne lecta ſubſcriptione fideiuſſionis, in vſuras condemnarentur animaduerti ipſe variè verbum deprecari, ab authoribus probatiſſimis accipi. Nam Aul. Gell. lib. noct. Attic. 6. cap. 16. deprecari, abominari, vel deteſtari eſſe dixit. Vnde deprecor ſupplicium idem Gell. dictum ait, quaſi deteſtor, & execror: quem taxat Lauren. Val. lib. 6. cap. 24. exiſtimátque deprecari nihil aliud eſſe, quàm dicto, vel facto recuſare. Idque authoritate Ouid. de Ponto probat.

Sæpè precor mortem, mortem quoque deprecor idem,
Ne mea Sarmaticum contegat oſſa ſolum.

Quare non ineptè, vt ait, dixeris Bucephalum, qui præter vnum Alexandrum, omnem alium recuſabat ſeſſorem, deprecari alios ſeſſores, præter regem. Sed Vallam multis verbis, iiſdémque elegantiſſimis ridet Alex. ab Alex. lib. Geniel. dier. 3. ca. 14. pluribuſque veterum authoritatibus probat, nos ineptè, abſurdè, & barbarè loqui, ſi deprecari pro recuſare dixerimus: tandémque oſtendit, veterem probabilémque ſenſum eſſe, vt deprecari idem ſit, quod ſuppliciter petere, & precibus expoſcere, ne quid fiat quod vitare cupimus, & contendimus ne eueniat. Mortem ergo, inquit Ouid. deprecatur, non ſimpliciter recuſans mortem, ſed ſuppliciter expoſcens, ne mors contingat inter tot truces immanéſque homines. Vnde deprecari, diſtare multum longéque à recuſare probat: quippe deprecari eſt precibus rogare, & ſummiſſè obteſtari ne quid fiat. Recuſare vero, iure & manu contendere, & quadam mentis vecordia minaciter magis, quàm precibus depoſcere. Cicero lib. 2. Tuſculan. {De Anaxarcho, inquit Democritóque legitur, qui cùm in manum Cyri, Nicocreontis incidiſſet, nullum genus ſupplicij deprecatus eſt, neque recuſauit.} Et Cæſar in Comment. lib. 5. [Hedui nec deprecandi, nec recuſandi cauſa, legatos ad Cæſarem mittere volebant.] Quibus liquet, deprecari, idem eſſe quod precibus enixè rogare, ne quid fiat, ſeu eueniat tale, quod tu nolles euenire, & futurum deteſtaris. Vt

& ille

& ille plenius proſequitur, cui ipſe aſſentior, Exiſtimóque deprecari eſſe idem quod precibus auertere, & depellere malum quod impendet, Vnde Cicero in 7. Verr. deprecari periculum dixit, id eſt, precari ne eueniret, [Illi, inquit, ad deprecandum periculum proferebant, alij purpuram Tyriam, thus alij atque odores.] Dixit quoque deprecari auaritiæ crimina. [Nunc vero ait in 3. Verr. quid faciat Hortenſius? auaritiæ ne crimina frugalitatis laudibus deprecetur?] Hoc eſt, depelléne, & orabit vt ne auarus exiſtimetur, ſed magis frugalis. Dixit item deprecari exilium & fugam, hoc eſt precibus orare, ne exul eſſe, fugámque facere cogeretur, cum inquit, ſibi non incolumem fortunam, ſed exilium, & fugam deprecaretur eſſe coactum, vt vita ſeſe ipſe priuaret. Et pro Plancio, deprecatorem fortunarum appellauit eum, qui precibus depoſcebat, ne fortunæ ſibi ſuæ adnumerentur, hoc eſt, ne condemnaretur, & bonis publicatis in exilium iret. Et pro Sylla: [Multorum, inquit, hic vitam eſt à L. Sylla deprecatus.] Hoc eſt, precibus impetrauit, vt multis L. Sylla ignoſceret. Hinc color ille Rhetoricus, qui deprecatio dicitur, cùm & peccaſſe & conſultò peccaſſe ſe reus fatetur, & tamen vt ignoſcatur poſtulat. Hoc autem colore vſus Thrypho. in *l. auxilium. §. in delictis. ff. de minor.* ait: [Sed vt ad legis Iuliæ de adulteriis coercendis, præcepta veniamus, vtque nulla deprecatio adulterij pœnæ eſt, ſi ſe minor annis adulterium fateatur.] Cùm itaque vt è diuerticulo in viam redeamus, probatũ ſit, deprecari idem eſſe quod vehementi ſtudio, & enixè precari, ne quid fiat quod futurum veremur, cognitu facillimum eſt, quid intellexerit Iul. Paul. in *d. l. fideiuſſores. §. 1. ff. de fideiuſſ.* referens, fideiuſſores qui & in ſortem, & in vſuras conueniebãtur, lecta ſubſcriptione fideiuſſionis, quoniam in centum annua duntaxat ſe obligaſſent, hoc eſt precibus enitebantur, ne in vſuras, in quas non ſe obligauerant, condemnarentur. Hæc ex doctiſſimo Iuriſconſulto collegi, quæ ad inſtitutum meum facerent, Accurſius enim in hac lege nullomodo explicat quid ſit deprecari, & ob huius vocis ignorationem legis ſenſum rectè aſſecutus non eſt.

Ad l. creditor. 102. D. de ſolutionibus.

Inepta prorſus eſt Accurſij interpretatio ad vocem quaſi ærroſa ad *l. creditor. D. de ſolutionibus*. ac primum cum ærroſam pecuniam interpretatur ære egentem vel heroſam interpretatur dominabilem, id eſt, potentem, & eius ratio valde ſuauis. ait enim deſinentia in oſus plenitudinem denotare, quæ omnia ineptiarum plena ſunt. In antiquis enim codicibus Græca vox eſt *ἔρανος*, quæ vox ſignificat Græce mercedem, tum etiam collationem pecuniæ, vice cujuſdam tributi indictæ *ἀπὸ τοῦ ἐρανίζειν*, id eſt, à contribuendo authorem huius rei citant quidam Athenæum. Nec id æ nouum videatur claſſici etiam quidam Latini authores, ea voce vſi ſunt, vt Traianus ad Plinium hoc modo Antaſcenis. Conceſſum eſt *ἔρανον* habere, ſi tali collatione non ad turbas nec ad illicitos cœtus, ſed ad ſuſtinendam tenuiorum inopiam vtantur, hæc ſunt verba. Traiani, quæ extant in epiſtolis Plinij.

Ad l. creditor. D. de ſolutionibus.

Non valet ſolutio Accurſij inter Martianum & Scæuolam.

In tractatu de ſol. Serbidij Scæuolæ, reſponſum in hæc verba legitur; [Creditor oblatam à debitore pecuniam, vt alia die accepturus diſtulit, mox pecunia, qua illa Reſpub. vtebatur, quaſi Eranos iuſſu præſidis ſublata eſt. Item pupillaris pecunia, vt poſſit idoneis nominibus credi ſeruata, ita interempta eſt: quæſitum eſt cuius detrimentum eſſet? Reſpondi ſecundum ea quæ proponerentur, nec creditoris, nec tutoris, detrimentum eſſe.] *l. creditor, in princ. ff. de ſolut.* Hoc loco ſcimus ab omnibus dubitari, cur pecuniæ oblatæ periculum ad creditorem non pertineat: cùm oblatione in mora fuerit conſtitutus, & ſub eandem Rubricam Mart. reſponderit, eum poſſe ſe doli mali exceptione tueri, qui decem oblata, & à creditore ſine cauſa recuſata, abſque culpa perdiderit, tametſi interpellatus aliquando non ſoluerit. *l. qui decem. D. de ſolutio.* Etenim non eſt æquum teneri cum pecunia amiſſa, qui non teneretur, ſi creditor accipere voluiſſet: quare pro ſoluto, id in quo creditor accipiendo moram fecerit, oportet eſſe. Accurſ. & alij omnes ita ſe extricant, vt in Scæuolæ reſponſo, oblatio non opportuno loco, vel tempore, facta fuerit. in Martia. conſtitutione diuerſum. *l. ſi ſoluturus. D. de ſolut.* Quæ diſſolutio ita inoleuit, vt de ea dubitare piaculum videatur. Mihi tamen ſemper viſa eſt parum verbis legis congruere. Quamobrem hanc Antinomiam aliter tollendam exiſtimo, itaque ſciẽdum, Græcam dictionem Eranos, quæ in eo Scæuolæ reſponſo legitur, (vt interim miſſam faciam inſolentem, & barbaram illam vocem Heroſa, quæ in vulgatis exemplaribus circumfertur) collationem vice cuiuſdam tributi indictam ſignificare. An. Alc. *lib. diſpunct. 2. c. 25.* ex quodam Athenæo Græco, ita prodente: meminitque huius dictionis Traianus in epiſtola quadam, quę apud Plin. ſecundum extat. Amaſenis, inquit, conceſſum eſt, Eranos habere: ſi tali collatione, non ad turbas, nec illicitos cœtus, ſed ad ſuſtinẽdam terminorum inopiam vtuntur. Vult ergo Scæuola periculum creditoris tunc non eſſe, cum in vſum Reipublicæ numerata eſt: nam & tantumdem erat debitor exſoluturus, quoniam vice tributi eius pecuniæ collatio indicta fuerat, non admodum mihi videtur quadrare, vt cum Alciato legamus Eranos, ſed nec aſſentior Acc. qui hoc loco, bone Deus, ineptit & fluctuat, neſciens quónam pedem figat. Malim igitur legere, etſi neminem huius rei authorem habeo, ærroſa: dicitur vt autem ærroſum aurum, ita ærroſa pecunia, quæ multi æris admiſtionem habet, cuius vſus propterea iuſſu præſidis fortaſſe ſublatus erat: quòd, vt Plin. *lib. natur. hiſt. 33. c. 5.* docet, ſe contrahat, haberetur, difficultérque ferruminetur. Quod ſi ita legamus, vt opinor legendum, apertior erit Scæuolæ ſenſus, quàm vt ſuper eo diutius nos oporteat immorari. Tradit enim, oblatam pecuniam, cuius vſus è Repub. ſublatus eſt: tametſi creditor moram fecerit, non tamen eius damno perire, idémque in tutore conſtitutum. Nam quod primum propoſueramus, exactam à præſide pecuniam, cuius collatio vti tributum indicta erat: creditorem qui in mora fuiſſet, fortaſſe non liberaret, cum & Iul. Paul. *l. lectos: l. quod ſi neque. D. de peric. & commod. rei vend.* tradiderit, lectis venditis qui in via publica poſiti fuiſſent, ſi Ædilis eos conciderit, cum iam traditi eſſent emptori, aut per emptorem mora facta quominus traderentur, emptoris periculum eſſe. A quibus tamen reſponſis, ſi aliud non vrgeret, defendi poſſet prior noſter ſenſus: ſi quidem loquantur, cum Ædilis quod fecit, non iure fecit, vt ex Vlp. intermedia conſtitutione liquet. *l. eúmque. D. de peric. rei vend.* Cæterum quia in dictionem Eranos incidimus, non ineptè fecerimus, ſi quid ſit Eranon, breuiter explicemus. Falli quippe multi poſſent idem vna quod altera dictione ſignificari credentes. Annotandum igitur, Athenæum Euſthathiúmque in Odyſſeæ primum, ita conuiuia diſparare, vt Ilapinem ſtatuant, quod ſplendorem, apparatúſque magnificentiam habeat. Gamon, in quod pecuniarum pluſculum erogetur. Eranon, quod pluribus diſſertim accumbentibus fit: ſed itur, vt ferat ſibi vnuſquiſque quod edat: quæ res Heſiodo poetæ arriſiſſe videtur, quod impendij parum, iucunditatis multum inſit. Quin & Romanis probroſum cenſebatur, alienis veſci proinde ferebant ſinguli, quod ederent, ac biberent: qui mos hodie apud Gallos viget. Hinc tollendæ ignominiæ cauſa, Romulus quod enutritus foret, & educatus ab Laurentia, Brumalia inſtituit, quibus conuiuio excipiebatur Senatus, cùm neceſſarium diceret, ab rege ſuo ali ſenatum hyeme, nullis obſtrepentibus bellis. Plura vide apud Corraſium in Miſcellaneis, ex quo hæc deſumpta ſunt.

Ad titulum de prætoriis ſtipulationibus.

Male Doctores explicant tres illas ſpecies ſtipulationum. Nam primo prætorias eſſe arbitrantur, quæ ex prætoris edicto ſemel introductæ ſunt, qua ratione & ius prætorium dicimus iudiciales, quę à lege aliqua ciuili deſcendunt communes, quæ partim ex lege ciuili, partim ex prætoris oriuntur, has explicationes omnino falſas eſſe exiſtimo. Nam Pomponius Iuriſconſultus in *l. 5. de verb. oblig.* ex huius reſponſo hæc diuiſio colligitur, ſi eius verba ſubtiliter inſpiciantur in hiſce ſtipulationibus, non originem à quo introductæ ſunt, ſed exercitium coram quo videlicet proponantur perpendiſſe videtur, quod verum eſſe ſic probari facile poteſt. Cautio de dolo proculdubio eſt iudicialis. *l. 1. §. cum prætor. de dolo.* & tamen ab o-

dicto prætoris deſcendit, ſed videndum quo interpretandu ſit hoc reſponſum, pretorias ſtipulatiões eas eſſe arbitror, quæ ſolius prætoris iuriſdictioni relinquuntur, quarum alius iudicis notio non eſt: quo in numero olim erãt ſtipulationes quæ dationem tutelarum reſpiciunt. Iudiciales vero eas eſſe puto, quæ coram aliis iudicibus expeditionem nanciſcebantur: veluti ſub duumviris magiſtratibúſque municipalib. Itemq; ſub delegatis & ſimilibus, quo in numero cautio de dolo eſt, quæ licet ex prætoris edicto ſit inuenta. Sub aliis tamen iudicibus interponebatur. Communes eſſe exiſtimo, quæ tam apud prætorem quàm coram aliis iudicibus cognoſcebantur, quod illis nil referuatum eſſet, ſed promiſcuè diſceptarentur, vt alterius per prouocationem iuriſdictio ceſſaret.

Ad l. pupilli debitor. de ſolutionibus.

In hac lege illo loco pupilli debitor tutore delegante pecuniam creditori tutoris ſoluit, malè Accurſius ſupplet vocem tutoris. delenda eſt enim ex omnibus libris, ſed ex eo quod eam ſupplet Accurſius, colligimus eam non fuiſſe in manuſcriptis libris, ineptè alioqui ſuppleret interpres, quod ipſe author expreſſit, nec reperitur ea vox in tribus manuſcriptis qui aſſeruantur Auxis Vaſconiæ in Bibliotheca Eccleſiæ Metropolitanæ, & in vno perantiquo Vaticanæ Bibliothecæ. Igitur pro tutore legendum tutor, & pro delegante delegationi, vt ſolutio per delegationem facta intelligatur à tutore qui debitor pupilli ex adminiſtratione debitor etiam Titij ex alia cauſa et Titio à quo ſe volebat liberare tutor ſuum non pupilli debitorem delegauerit, atque ita debitor & Titij & pupilli Titio ſoluerit.

NOTAE AD GLOSSAS IN LIBRVM QVADRAGESIMVM ſeptimum Pandectarum iuris ciuilis.

Ad titulum de furtis.

AD illam quæſtionem qua quæritur à noſtris in noſtro iure quæ fuerit in duodecim tabulis furti nec manifeſti, pœna nõ dat rectè Accurſius, id ex quodam Inſtitutionum loco elicit, quo noxalem actionem furti in duodecim tabulis conſtitutum ait. *§. ſunt autem. Inſtitu. de noxalibus actionibus*, idque ea ratione adductus falſum eſſe exiſtimo, quia poteſt noxalis actio ea lege introduci alia pœna furto nec manifeſto conſtituta. Ego autem exiſtimo Solonis lege acceptam eam pœnam, qua omnes fures duplũ reddere coguntur. Namque ſub titulo de perpetuis & temporalibus actionibus libro 4. Inſtitutionum furti tantum manifeſti mentio fit, furti, inquit, manifeſti actio quamuis ex ipſius prætoris iuriſdictione proficiſcatur, tamen perpetuo datur. Illud itaque mihi probatur Solonis legem ea parte ſuſceptam, quod & Gellius quodam loco ſignificare videtur.

Ad l. 1. §. 1. de Tigno iniuncto, vbi exponuntur omnia verba quæ ſequuntur. quarum expoſitionem antiqui interpretes ignorauerunt.

De ſeruitute Tigni immittendi, & proiiciendi, memoranda obſeruatio nunquam ab interpretibus ſuperioribus intellecta.

Tignum.
Tigni verbo quid veniat.
Expoſita l. xij. tab.
Nouè declarata l. qui res. §. fin.
Immiſſum & proiectum.
Seruitus tigni immittendi.
Immittere alienum non licet.
Proiicere quid.
Proiectum.
Meniana.
Menius prodigus.
Suggrundia.
Protegendi ſeruitus.
Expoſitæ plures leges.

Succurrit quidpiam, interiorem redolens doctrinam, circa præſertim immittendi, & proiiciendi ſeruitutes: in quarum expoſitione, ſcriptores bonarum rerum ignari, abſurda quædam ſcripſerunt, quæ prudentius ſiluiſſent. Eſt autem tignum, (vt de prioribus prius agamus.) ligni materia ex qua aptè diſpoſita domus extruitur. Et tigna trabes propriè ſunt, quæ compactæ ædificium faciunt, à tegendo dicta, quòd iis ſummitas domus contegatur. *d. l. 1. §. 1. ff. de tign. iniuncto.* Quo factum eſt, vt latiore interpretatione Iuriſconſulti, verbo Tigni, genus omne materiæ intellexerint, ex qua ædificia conſtant. *l. tigni. D. ad exhib. tigni. D. de verb. ſign.* adeo, vt tegulæ, lapides, cæmenta, calx, arena, cæteráque ſi qua ſunt ædificiis vtilia, vineiſque neceſſaria, tigni appellatione contineantur. *d. l. 1. §. 1. D. de tign. iniuncto.* Hæc intelligere neceſſum eſt, ſi percipere volumus verba legis xij. tab. quæ Feſto Pom. referente hæc erant: [Tignum iunctum ædibus vineæve vendicato, nec ſoluito.] Huius legis Iul. Paul. meminit, eam eleganter exponens in *l. qui res. §. ſi in §. D. de ſolut.* [Denique, inquit, lex xij. tab. tignum ædibus iniunctum vendicari poſſe ſciſcit: ſed interim id ſolui prohibuit, pretiúmque eius dari voluit.] Opt. text. in *l. adeò. §. cùm quis. D. de acquir. rer. dom.* Non ignorandum præterea (vt vtramque nunc ſeruitutem amplectamur) quid ſit immittere, & quid immiſſum à proiecto differat: quod ex Labeonis ſententia venuſtiſſimè, Priſcus Iabolenus interpretatur in *l. malum. §. 1. D. de verb. ſignific.* vt proiectum ſit, quod ita extra parietem protenditur, vt nuſquam conquieſcat: qualia meniana ſunt & ſuggrundia. Immiſſum autem, quod ita extra murum proiicitur, vt in aliquo loco quieſcat, veluti, cùm tigna, aut trabes immittuntur. inde ſeruitus tigni immittendi nomen ſumpſit. nam quando tigna, aut trabes extra parietem meum prominentes, in parietem vicini conſident, & requieſcunt, habere dicor ſeruitutem immittendi tigna in parietem vicini, ſi tamen hoc nominatim conceſſum ſit. Nam iure meo in vicini ædes nihil immittere poſſum in ſuo enim vnicuique hactenus licet, quatenus nihil in alienum immittit. *l. ſicuti. §. Ariſt. D. ſi ſer. vend. l. quemadmodum. §. 1. ff. ad legem Aquil.* His proiectis maximè vtuntur Itali. Ex quibus conſtat errare toto cælo Doctores, exiſtimantes in ſeruitutum tractatu, [Proiicere] idem eſſe, quod in terram conicere: vt accipitur in *l. ſi ſeruus ſeruum. §. ſi quis eluuam. D. ad l. Aquil.* proiiciendi ſeruitutem ideò peruersè accipientes, cùm alicui ius eſt, aquam, vel fimum, in ædes, aut locum vicini, ex ædibus ſuis proiicere. Quæ interpretatio ridicula eſt, non conueniens ædificiis de quibus Iuriſconſ. & Imper. in hac ſeruitute loquuntur. *l. ſi quando. D. ſi ſer. vend.* Meniana porro a mœnibus dicta putet, ſed perperam Accurſ. cùm à Menio potius Romano quodam (Aſconio Pædiano, & aliis doctis viris teſtantibus, nuncupata ſint. Is autem Menius, cùm vniuerſam ſubſtantiam concoquiſſet, & diſſipaſſet, domum reliquam habens, quæ ad forum ſpectabat, illam quoque vendidit Catoni & Flacco Cenſoribus, vt ibi inædificaretur Baſilica. At columnam vnam excepit, ex qua tigna & tectum proiiceret: vnde ipſe ac poſteri gladiatorium munus, quod tum in foro dabatur, ſpectare poſſent. Quo factum eſt, vt exporrecta quæcunque ædificia, [Meniana] appellarentur. Ea autem, niſi decem pedes liberi aeris habeant, omnimodo detruncari præcipit Imperator. *l. Meniana. C. de ædif. priuat.* Suggrundia verò proiectæ ſunt, & prominentes tecti partes, ſtillicidio arcendo deſtinatæ, ne vitientur parietes: qualia ferè ſunt (inquit Bud. in *l. ſi verò. ff. de his qui deiecer. vel effud.*) Lugdunenſia tecta. Si igitur mihi conceſſeris, vt proiectum aliquid habeam, aut extenſum, ſupra aream tuam, aut alium locum, puta podium penſile, menianum, aut ſuggrundam, proiiciendi ſeruitutem habeo.

Nec differt Protegendi ſeruitus (tametſi Accurſiani contrà putent), à ſeruitute proiiciendi. Nam & protecta, & proiecta, idem fermè ſignificant: partes quippe ſunt domus prominentes

nentes, qualia ſunt meniana, & podia penſilia, vnde aſpectus eſt nobis in vicos & plateas, eodem Bud. vbi ſuprà authore. Nec aliud quicquam intereſſe video, niſi quòd [Protecta] à protegendo dicta, ad tecta propriè pertinent. Eſt enim protegere idem quod tectum proiicere. Cicero in Topic. [Quoniã P. Scæuola (inquit) id ſolum eſſe ambitus ædium dixit, quantum parietis communis tegendi cauſa tectum proiiceretur, ex quo tecto in eius ædes qui protexiſſet, aqua deflueret, id ius tibi videri.] Ad quem ſenſum exponendæ nobis ſunt leges, quæ de protectis & proiectis loquuntur. veluti *l.1. ff. de ſeruit. vrb. præd. l.2. ff. de ſeru. ruſtic. præd. l. quemadmodum. §.1. ff. ad legẽ Aquil. l. ſi duo. § item videamus. & §. Labeo. ff. vti poſſid.*

Ad titulum de concuſſionibus.

Non intellexit Accurſius in fine huius tituli quid eſſet teſtimonium denuntiare eo loco, qui ob denuntiandum vel non denuntiandum teſtimonium pecuniam acceperint. Teſtimonium denuntiare hic, & apud Ciceronem in Prætura vrbana non eſt teſtificari, vt vulgo exiſtimatur, ſed eſt homini diem dicere ferendo teſtimonio, hoc eſt, ad iudicium euocare ferendi teſtimonij gratia, Fabius *libro* 5. Duo ſunt, inquit, genera teſtium aut voluntariorum, aut eorum quibus iudex in publicis iudiciis lege denuntiare ſolet, malè Accurſius in titulo de pœnis. l. abſentem. denuntiationes interpretatus eſt præconia. Ibi enim Vlpianus appellat, Denuntiationes præſidum vadimonia.

Ad l. ſed ſi vnius. §. prætor ait. D. de iniuriis.

Vir bonus in iure quis dicatur. præter Accurſij cæterorumque ſententiam.

Communis interpretatio.
Iudex innocens vir.
Viri boni arbitrio explicandum à quo æſtimandum.
Noua opinio.
Expoſita nouè litera. §. cùm ita.
Simile nullum idem.
Vir bonus quis propriè dicatur.
Vir bonus quomodo arbitrari debeat.
Plato virum bonum quærebat.

Frequentiſſimè legiſlator de bono viro verba facit, quem vbique Accurſ. & reliqui omnes, iudicem interpretantur: adducti potiſſimum *l. continuus. §. cùm ita. ff. de verb. obl. & l. ſed ſi vnius. § prætor ait. ff. de iniur.* Quam ſententiam, aliàs permultis, nec negligendis rationibus, vltra doctores confirmabam. Nam & Vlpian. ſcribit, oportere iudicem, boni & innocentis viri officio fungi. *l. cætera. §.1. ff. fam. erciſc.* Et quia non alteri magis conuenire poteſt boni viri nomen, quàm iudici, qui æquitatem, & bonitatem ipſam continuò debet ob oculos habere. *l. quod ſi Epheſi. §. fin. ff. de eo quod cert. loc.* Quocirca cẽſuerunt interpretes, legem vel ſcriptam, vel municipij, quæ nonnihil boni viri arbitrio iubet explicari: de iudice intelligere. *d. §. cùm ita, & l. vir bonus. D. iudic. ſol. gloſſ. in c. potuit. de locat. Alexan. conſil. 139. vol. 2.* Quæque à lege determinationem non recipiunt, arbitrio iudicis, vti viro bono committi. *l.1. D. de tut. delib. l.1. § expilatores. D. de effractor. l. hodie. ff. de pœnis. c. de cauſis de offi. deleg.* Nunc verò, quoniam animaduerti, expoſitionem huiuſmodi, boni viri, id eſt, iudicis, nullibi legis, miniméque verbis, ac ſenſui legum cõuenire, factum eſt, vt communi interpretatione neglecta, aliam quæſierim. Huc pertinet quòd alium omnino bonum virum à iudice, probat. *d. §. cùm ita*, ſi tamen eius verba, vt & in vetuſtioribus, & caſtigatis codicibus: ſic emendata legantur. [Et magis eſt, vt totam eam rem ad iudicem, aut virum bonum remittamus.] Itidem probat. *d. l. ſed ſi vnius. §. prætor. ait. ff. de iniur.* cuius litera ſic etiam vulgò ſcripta eſt, [Prætor ait, arbitratu iudicis, vtique quaſi viri boni,] particulam autem [quaſi] aduerbium eſſe ſimilitudinis, eſt qui neſciat nemo *l. ait prætor. §. ſi. D. de re iudic.* Atqui ſimile, non eſt idem *l. quod nerua. ff. depoſiti. c. capitulum ſanctæ crucis, de reſcrip.* Malo itaque virum bonum dicere, probum, iuſtum, & innocentem hominem. *l. fin. C. de ali. pub. præſ.* ac prouidum quemuis, & induſtrium patremfamiliâs, rei controuerſæ peritum, qui ſic à partibus aditur, vt æquitatem ſequutus, in re, de qua agitur, æſtimet, & arbitretur. *l. ſi in lege. in princ. ff. loc. l. ſi pater. §. ſi Sticho. ff. de fid. libert.* Quòd præſertim faciet, ſi ſic conſtituat, vt in re ſua conſtitueret. *l.1. §. ſi. ff. de ſolut.* in dubiis, mediam viam eligendo. *l. ſi. § ſed & ſi quis. C. com. de leg.* naturali in omnibus æquitati voluntatem ſuam conformem faciens, *l.2. § de illis. D. de collat. bonor.* Sic enim ſtatuens, nemini infeſtus, bonus & iuſtus, litigatoribus, aliiſque, qui in eum conſenſerint, videbitur *l. fideicommiſſa. § proinde. D. de legat. 3.* Ad hæc pertinet præſignis illa de viro bono Horatij ſententia, in 1. Epiſtola.

Vir bonus eſt,
Qui conſulta patrum, qui leges, iuráque ſeruat:
Quo multa, magnáq; ſecantur iudice lites.

Hic autem nemo iure putauerit, nos de eo viro bono verba facere, quem ſe quærere Plato, Dionyſio tyranno conſtanter & intrepidè reſpondit, vt eſt apud Plutarch. in Dione. Hæc ex doctiſſimo viro collecta ſunt.

Ad titulum de iniuriis.

In *l. item apud Labeonem. §. quæſtionem. hoc tit.* Accurſius malè interpretatus eſt malam manſionem, carcerem, in quo quis ponitur, vt non comedat, donec dicat id quod quæritur, & eodem modo etiam interpretatur in titulo depoſiti. *l. ſi hominem.* vbi dicitur, Hominem vinctum fuiſſe. vt de eo quæſtio habeatur, vel ad malam manſionem extenſum. Ego hoc vocabulo vinculi genus vel tormenti ſignificari puto non carcerem, vt malè volunt Accurſius hoc tormenti genus vt notatur à quibuſdam Græcis [illegible] tam [illegible] dicitur, id eſt; vt Budæus interpretatur, [illegible]

NOTAE AD GLOSSAS IN LIBRVM QVADRAGESIMVM octauum Pandectarum.

Ad titulum de quæſtionibus.

MAlè Accurſius eo loco legis primæ huius tituli, cum aliis argumentis reus ita probationi admouetur, vt ſola ſeruorum confeſſio deeſſe videatur, male (inquã) Accurſius pro admouetur legit amouetur, & abſurdiſſimè interpretatur. dicit enim à moueri de innocẽtia ad nocẽtiã, qua interpretatione nihil abſurdius fingi poteſt, ne igitur vllum abſurdũ ſequatur, legendum admouetur, quod huic loco rectiſſimè conuenit: eſt enim admouere probationi, ita compellere reum argumentis, vt pene conuictus videatur.

Ad titulum de pœnis.

Ad l. aut facta. §. qualitate rixæ.

Accurſiani in hoc §. non intellexerunt quid eſſent graſſatores. nos igitur dicamus graſſatores eſſe viarum in vrbe virorúmq; obſeſſores, qui obuios iniuriæ opportunos ſpoliant.

Ad §. euentus. eadem lege.

Malè Accurſius Voluntarium exilium intelligit arbitratu iudicis ſtatuendum, cum voluntariũ pro ſpontaneo Iuriſconſultus intellexerit, quod ſibi quiſque conſciſſit. Voluntarium etiam exilium intelligi poteſt, quòd liberum dicitur, hoc eſt, non certo loco circunſcriptum: quod genus deportationis eſt, aut relegationis.

Ad l. ſi pœna eodem.

Eo loco huius legis, Si pœna alicui irrogatur acceptum eſt commentitio iure. ne pœna ad heredem tranſeat ius commentitium, malè hoc loco Accurſius à commentis iuriſprudentum dictum eſſe dixit. Ignorans ſignificationem eius vocis,

Dicamus hic Commentitium ius idem eſſe quod fictitium ſignificat etiam nouum & recens excogitatum, hoc eſt, non tranſlatitium, non aliunde ſumptum Ariſtoteles 12. Metaph. Commentitiam opinionem appellat figmento non veritate ſubnixam.

Ad l.aut damnum.§.quicunque.

Venatores ſerui inſtituebantur, id eſt, docebantur, non ad feras per ſaltus indagãdas, vt Accurſius exiſtimauit, ſed ad voluptatem populi, vt in oculis eius feras in arena conficerent. vt enim ludus erat gladiatorius, ſic venatorius ludus in quo ad venationem beſtiarij exercebantur.

In l.qui vltimo.h.tit. Accurſius non intellexit differentiam damnatorum ad beſtias & feris obiiciendorum.

In *l.moris.§.ſolet.* Pragmatici nõ ſunt qui pragmaticas ſanctiones ſcribunt, vt Accurſius ſcribit, ſed ſunt iuris interpretes, erant homines quidam forenſis profeſſionis, qui cauſarum actores interdum iuris ignaros monebant iuris reſponſa, formulásque actionum ſubminiſtrantes, quaſi admonitores poſteri dicendorúmque ſuggeſtores, cùm ad iuris diſceptationem ventum erat.

Ad l.ſi diutino.eod.tit.

Accurſius & Bartolus Latini vocabuli ignorantia ſenſum huius legis peruerterunt. Exiſtimauit enim Bartolus poſt Accurſium reatũ ſignificare ſpatium maleficij perpetrandi, quaſi Iuriſconſultus iis verbis ſtatuerit, mitius cum eo agẽdum, qui longo interuallo inter eos refertur, hoc eſt, diu poſt crimen admiſſum. Nos reatum eſſe dicimus, ſtatum & conditionem reorum, hoc eſt, habitum demiſſum & ſquallidum. ſenſus igitur his erit verus, in eum mitius animaduertendum, qui diu ſordidatus fuerit: id quod euenire ſolet, aut iudicum conſilio in diem longiorem iudicium reiicientium: aut pro re nata, ſi, quia de cauſa planè non liquebat reus, ſæpius ampliatus eſt.

Ad l.15. de publicis iudiciis.

Accurſius in hac legis explicatione ſeſe expedire non potuit, ipſe enim dubitabundus, vt ſolet duas lectiones affert, vel tres, vt inchoata per præſidem pro iudicante præſide, quæ lectio nullomodo cõuenit, vel legit ab alio iudicatã, quæ lectio etiam huic loco non congruit, nos veterem lectionem retineamus, hoc ſenſu, vt in rei accuſationem intelligamus ſuccedere poſſe aliũ accuſatorem priore mortuo. Idque fieri rectè iudice præſide prouinciæ præſente, & de hoc diſceptante, quis in locum defuncti ſubſtituendus ſit.

Ad l. 6. de accuſationibus.

Non ſat idonea exempla, affert Accurſius ad *l. Leuia. D.de accuſationibus*, vbi dicitur proconſulem opportere audire & diſcutere leuia crimina de plano. putat enim leue crimen eſſe, quod lege Iulia de annona mulctatur. Illud enim ſanè non eſt leue crimen, cum ad illius accuſationem etiam admittantur mulieres, quod non fit niſi in grauiſſimis criminibus, & quorum vltio, maximè ad vtilitatem publicã pertinet. Item quod ponit de nauibus ſubmerſis, nonne id ſatis graue crimen eſt, cum agatur de periculo vitæ & fortunarum. Item quod ponitur de crimine abigeatus, non eſt leue crimen cum abigei grauius puniantur quam fures. ſunt enim raptores, plus autem eſt raptorem eſſe quàm furem, deinde quod ponit de cognitione cuſtodum ex *l.vnica.de quæſtionib.* non ſat idoneum eſt, quia res eſt magni, non parui momenti habere cognitionem cuſtodum. Itaque ſi quis ea in re deliquerit, non leue crimen admiſiſſe videtur.

Ad l.ſi diutino. D.de pœnis.

Quid ſit reatus apud Iuriſconſult. Et plures leges aduerſus Accurſianos declaratæ.

Reatus eſt crimen authore Accurſ.
Interpretatio l.ſi diutino.
Pœna dilata grauior.
Accurſ. & doctorum ridicula expoſitio.
Reatus quid ſit.
Scipioni Africano dicta dies.
Confutata communis declaratio.
Expoſitæ verè innumeræ leges.

Omnes ferme iuris interpretes, quorum ſignifer eſt Accur. Reatum pro crimine vbique ſunt interpretati. Vnde cum dixiſſet Modeſtin. [pœnam eius ſubleuandam, qui diutino tempore in reatu fuerit,] *l. ſi diutino. D.de pœn.* ita Iuriſc. verba expoſuerunt, vt velint in eum ſeueriùs animaduertendum, qui recenter delictum patrauerit, atque in eum qui permultis antè annis illud commiſerit: quaſi vero criminum impunitas, longi temporis præſcriptione quæratur, & non ea quæ diu impunita fuerunt, potius vlciſcenda grauius ſint. Ad quod & quotidianis Deorum factis admonemur, qui vt Cæſar *lib.1.* Comment. ait, conſueuerunt, quò grauiùs homines ex rerum permutatione doleant, quos pro ſcelere eorum vlciſci velint, iis ſecundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere, vt grauior pœna ſequatur. Ridebis fortaſſis lector, ſi alium ad eam legem ſenſum, quem tertio loco Accurſ. profert, referam. Niſi hominis de ciuili iure bene meriti diligentiam admirari potius quàm probris & riſu inſectari velis. Exponit itaque Accurſius illic dictionem ſubleuanda, ad augenda, ſicut, inquit ille, in paſta, quæ leuatur, hoc eſt, augetur, & maioratur cum debet fieri panis. Nihil enim ex eius verbis omittandum duxi. Sed iam interpretum næniis & affaniis ſatis datum eſt, nos ſcopum attingamus. eſt reatus, ſtatus & conditio in qua rei ſunt, donec vel abſoluantur, vel condemnentur. Olim inter eos relati, in conſpicua & miſeranda calamitate erant capillo ſubmiſſo (vt Plin. lib.7. ad Suram ſcribens ſignificat) quem non antè fas fuit reſcindere, quàm omnium ſententiis abſoluerentur. Squalore & illuuie confecti, promiſſa barba, habitu ſordido, pannoſo, &, vt Bud. inquit, miſericordiæ aucupatore, Qui ſtatus reatus dicebatur. In pudendum ergo errorem ſe immergunt ſcriptores poſt Accurſ. exiſtimantes, à Iuriſconſultis, Reatus verbo, crimen ſignificari: quorum ſententia præterea confutatur *l.3.§.quod pater. D.de muner. & honor.* Non enim crimen, ſed habitum illum pannoſum, ſtatúmque demiſſum ſignificat. *l.ſi. D.ad l.Iul.maieſt. l.cum ratio. §.fraudis. D.de portion.quæ lib.damnat.conced. l.ſi.§.de illo. D.de bon.eor.qui ante ſentent.mor.ſibi conſciue.* Vt ita velit Modeſtin. in *d.l.ſi diutino*, cum mitius puniẽdum, qui diu in eo ſtatu fuerit. Nam antiquis miſeranda hæc & diuturna calamitas, pars pœnæ nec iniuria viſa eſt. Solum Publium Scipionem Africanum legimus cùm reus eſſet, eique à Claud. Aſellio Tribuno Plebis dicta dies eſſet, ad populum neque barbam radere, neque non candida veſte vti deſiiſſe, minimèque fuiſſe culto ſolito reorum: vt eſt apud Gell. *lib.3.c.4.* Hodie in reatu ſunt, inquit Bud. qui vel carcere detenti ſordibus & illuuie cõficiuntur, aut qui honoris cauſſa cuſtodię ſuæ, aut apparitorum commiſſi, aut vadimonio, aut vadibus obſtricti ſunt, aut ex promiſſoribus. Iuſtinus Hiſtoricus in 4. [Breui poſt tẽpore reuocato ad reatum Alcibiade, duo prælia pedeſtria ſecunda, Nicias & Lamachus faciunt.] Vide Corraſium.

Ad legem Iuliam maieſtatis.

Securitatis ſignificationem non intellexit Accurſius. putat enim ſecuritatem hic poni pro iis qui acceperũt ſecuritatem, ne vexarentur à populo Romano, nos dicamus, Securitatem eſſe ἀσφάλειαν cum ſcilicet ſtatus Reipublicæ ita compoſitus eſt, vt nulla ex parte periculũ imminere videatur, nec ſit motus belli externi aut ciuilis. Si quis autem Latinè dicere cupit, quod Accurſius intellexit ſecuritatis vocabulo ſignificari hoc modo dicendum erit contra fidem publicam aliquid eſſe commiſſum.

Ad tit. de cuſtodia & exhibitione reorum.

In *l.2.hoc tit.* Ignorauit Accurſius quid eſſet cauſam dicere. Ideóque ea de re nullam mentionem fecit ſuo more, aliquando cauſam dicere, eſt reum eſſe & criminis alicuius publicè poſtulatum eſſe. Pli. *lib.7.c.27.* Itaq; ſit propriũ Catonis quater & quadragies cauſam dixiſſe, 1. Inter eos receptum eſſe aliquando eſt defendi, vel per ſe vel per patronum, vnde cauſæ

dictio

dictio eſt apologia: & ſic hoc loco accipi puto. Cæſar libr. de bello Gallico, Moribus ſuis Orgetorem ex vinculis cauſam dicere coegerunt.

Dubitat Accurſius in *l.6. hoc tit.* quid ſit *ἀνάκρισις*. modò e- nim condemnationē aut ſignificare. modò inquiſitionem. cer- tè in ciuilibus cauſis *ἀνάκρισις* eſt veritatis indagatio. At in cau- ſis capitalibus erat, cùm delato nomine rei, receptóque accu- ſator interrogabatur à magiſtratu, an omnino cõſtituiſſet ac- cuſationem proſequi, reúmque peragere, an teſtes aut teſti- monia exhiberi poſtularet, hic accipitur pro ipſa quæſtione, reorúmque interrogatione, ſiue id per tormenta fiat, ſiue ſine tormentis.

Ad tit. de requirendis reis.

Malè Accurſius ad *l.1. de requirendis reis* Annotare reum interpretatur, bona eius publicè deſcribere, quæ interpretatio ita inualuit, vt ab Accurſianis è ſchola in forum producta ſit, & adeo recepta, vt deſcriptionem obſignationémque bonorum hodie, qui in foro verſantur, vocent (*Annotation de biens.*) Ve- rùm eos hallucinari in Latinæ dictionis ſignificatione nõ du- bito. Nam annotare dicitur iudex reum requirendum cùm de- cernit, & in acta ſeu commentarios referẽdum ac præſcriben- dum curat, vt is requiratur, quod genus loquendi, non à iuris authoribus modo, ſed ab aliis quoque vſurpatur. Plinius lib. 10. Epiſtolarum: fuerunt alij ſimiles abſentiæ, quos quia ciues Romani erant annotaui in vrbem remittendos.

Ad tit. ad Senatuſconſultum Tertullianum.

Ad l. ab accuſatione.

Eo loco huius legis, Nunciatores qui per notoria iudicia produnt notoriis ſuis aſſiſtere iubentur, malè Accurſius pro indicia, iudicia legit, & accuſationes iudiciales interpretatur, quæ interpretatio nullo modo huic loco conuenit: legendum ergo indicia, & ſic interpretanda ſunt hæc verba, Qui delatio- nes per indicia faciunt. Senſus igitur huius loci talis erit. Nun- tiatores, qui reos delerũt per notoria, licèt citra calumniæ me- tum accuſent, debere tamen aſſiſtere ſuis indiciis, eáque tueri notoria, quæ attulerunt. Interim dum quæſtio de crimine ha- betur. Notoria autem hic teſtificationum quoddam genus ſignificant, indicium prodere eſt, rem arcanam in medium afferre, ſed aliunde compertam: non autem ex criminis con- ſcientia.

Ad titulum ad legem Iuliam peculatus.

Accurſius in ſolutione quarundam legum, quę ſibi inuicem contrariæ eſſe videbantur, mera ægrotantium ſomnia affert, & hæc omnia ob vnius literulæ acceſſionem: nam Marcellus in tit. ad leg. Iuliam peculatus, *l.4. in fi.* Qui, inquit, de re ciuitatis aliquid ſibi ſubripiat, cõſtitutionib. cauetur, peculatus crimen committi, & hoc iure vtimur: cui reſponſo contrariũ affertur aliud Papiniani, *l.83. D. de furtis.* Qui ob pecuniam, inquit, ci- uitati ſubtractam actione furti nõ crimine peculatus tenetur, quos obices nequit remouere Accurſius. Verum nulla opus eſt ſolutione, modo legatur, vt eſt in antiquo exemplari, hoc modo: Ob pecuniam ciuitatis ſubtractam actione furti, nec non crimine peculatus tenetur. Ceſſat itaq; hic omnis diſſen- ſus, & concors ſit Marcello Papinianus.

Non intellexit Accurſius ad *l. qui tabulam. hoc tit.* quid eſſet leges refigere, quod vt intelligatur notandum leges in tabulis æneis inciſas fuiſſe, & in coloniis aſſignandis agros variis li- mitibus, confirmari olim ſolitos fuiſſe, & eodem modo hic leges refixæ dicuntur, quo modo apud Virgilium libro 6. Æ- neidos dicitur:

Fixit leges pretio atque refixit.

Cicero in Philippicis: Nam figentur rurſus hæ tabulæ; quas vos decretis veſtris refixiſtis;

Ad titulum de bonis damnatorum.

Malè Accurſius legit in hac lege ſupplicij damnatione, a- lij legunt, populi damnatione, quæ lectio etiam non eſt bona: mirum enim videtur, imperio à populo principi & in princi- pem conceſſo licuiſſe populo, vitam aut ciuitatem cuiquã adi- mere, Florentina ſcriptura omnem dubitationem aufert, quæ eſt eiuſmodi. Calliſtratus libro primo de iure fiſci & populi. Damnatione bona publicantur, cum aut vita adimitur aut ciuitas.

Ad titulum, ad legem Iuliam repetundarum,

Ad l. in Comites quoque iudicum, hac lege iudicium datur.

Accurſius hoc loco & Bartolus, qui eum ſequutus eſt quaſi in eius ſententiam iuratus, male comites duobus modis intel- ligi poſſe ait, id eſt, conſcios & conſortes criminis, vel officij ſocios, id eſt, collegas: nos rectè interpretabimur comites iu- dicum, id eſt, proconſulum prætorum præſulum, aliorúmque magiſtratuum prouincias regentium fuiſſe legatos, præfectos, quæſtores, ſcribas, qui cum magiſtratibus in prouincias mitte- bantur, vt hodie à Venetis mitti audimus, cum prætoribus de- ſinatis, afferamus locum ex Cicerone, qui de iis loquatur. Is eſt actione tertia in Verrem. Non nego tibi ipſi nullum nummum eſſe numeratum, ſed cum ob tua decreta, ob imperata, ob iu- dicata pecuniæ dabuntur: non erat quærendum cuius manu numerarentur, ſed cuius iniuria cogerẽtur, comites illi tui de- lecti manus erant tuæ: præfecti ſcribæ medici accenti, aruſpi- ces, præcones, manus erant tuę, & c. alias etiam comes nõ pro ſocio accipitur ſed pro eo, qui alium comitatur tanquam ma- iorem, *l.7. de iniuriis. §. ſi quis virgines.*

Ad l. eadem lege.

Mirum eſt Accurſium non intellexiſſe in hac lege, quid eſ- ſet mittere milites: putat enim mittere militem hoc loco eſſe, eum mittere in aliquam legionem: nos dicamus mittere mili- tes, hic eſſe à militia dimittere, vt cauſarios aut emeritos, Vl- pianus in *l. quid prætor. §. ignominia. de his qui not. infamia.* miſ- ſionum militarium genera diſtinxit.

Ad legem ſequentem.

Eo loco huius legis, Néve ob litem æſtimandam iudiciúm- ve capitis, pecuniæve faciendum, hoc verbum Accurſiani non intellexerunt, ſunt enim antiqui iuris verba, Cicero in vltimo Verrina. Non ex litibus æſtimatis tuis, pecuniam domum, ſed ex tua calamitate, cineri atque oſſibus filij ſui ſolatium vult re- portare. Lites æſtimatas ibi vocat pecuniam mulctatitiam & numarias ſententias, vt hodie cum iudices, certa ſumma acto- rum diſpendia & incommoda æſtimantes, tantæ pecuniæ reos damnant, id à iuris auctoribus, quanti intereſt actoris appella- tur. Sic in Iudicio repetundarũ fiebat. nam repetũdarum cau- ſa, inquit Aſconius, ita ſe habet, vt ſi reus conuictus ſit atque damnatus pecuniam reddat æſtimata lite.

Ad l. Pompeiam. de parricidiis.

In fine huius legis vbi ita legitur: Quique quæſierint pecu- niam, quique eorũ ita crediderint, aut à quo ita cauerint. Ac- curſius tanquã mendoſum hũc locũ conatur corrigere, vt pro cauerint, dicat legi curauerunt. Puto huius lectionis hanc cau- ſam eſſe, quod non intellexerit eam loquendi formulam, quæ tamen elegans eſt: ea enim Cicero vtitur in Bruto. At vero, in- quam, tibi ego Brute nõ ſoluam, niſi prius à te cauero, amplius eo nomine, neminem cuius petitio ſit, petiturum.

Ad l. pen. D. ad legem Pompeiam de parricidiis.

Modeſtini verba, virgis ſanguineis, non rectè à doctoribus in- tellecta.

Sapienter. Solon Athenienſis, rogatus cur nullum in eum qui parentem necaſſet, ſupplicium conſtituiſſet: Reſpondit, ſe id neminem facturum putaſſe. Sapienter hercle, cum de eo maleficij genere nihil ſanxit, quod antea commiſſum non erat: ne non tam prohibere, quam admonere videretur quanto maiores noſtri ſapientius, inquit Cic. pro Roſ. qui cum intelligerent, nihil eſſe tam ſanctum, quod non aliquando violaret audacia: ſupplicium ſingulare in parricidas excogitauerunt: Pœna autẽ parricidij, more maiorum ex Modeſt. ſententia *l. penul. D. ad l. Pompe. de parric.* hæc inſtituta fuit: vt parricida virgis ſagmineis verberatus, deinde in culleo inſuatur, & cum cane, & gallo gallinaceo, vipera, & ſimia: deinde in mare profundum culleus iactetur. Hoc ita, ſi mare proximum ſit, alioqui beſtiis obiiciatur. Planè omnium primus P. Malleolus, cùm matrem interemiſſe, totam vrbem mœrore ſubitò infuſcauit, vt Paul. Oroſ. lib. 5. hiſto. ſcribit. cui Romani ſingulare hoc ſupplicium ſtatuerunt: vt culleo inſutus, in mare præcipitaretur vt eſt apud Liuium *lib.* 48. Hecatem ſanguinariam prorſus fœminam, ſcribit Diodor. aconitum comperiſſe primum, ſicque Perſam patrem peremiſſe. Ardieum Pamphiliæ tyrannum, annis iam feſſum parentem, & inſuper natu maiorem fratrem occidiſſe, Plat. libro de repub. x. author eſt. Cæterùm quòd Modeſt. parricidam virgis ſanguineis (ita enim vulgò legitur) verberari tradit: vereor, vt ne locus mendoſus ſit, ſagmineis namque non ſanguineis legendum eſſe, iam diu animaduerti. Eſt autem ſagmen, herbæ genus, quam alio nomine verbenam dicimus, nota & vulgaris, ſine ſemine vbique creſcẽs, de qua Pli. lib. xxij. cap. 2. Interim, inquit, fortius augetur authoritas: quę quanta debeatur, etiam ſurdis, hoc eſt, ignobilibus herbis, perhibebitur. Si quidem authores imperij Romani, conditoréſque, immenſum quiddam & hinc ſampsère, quoniam non aliunde ſagmina in remediis publicis fuère, & in ſacris legationibus, quam verbenæ, certè vtroque nomine idem ſignificatur, hoc eſt gramẽ ex arce cum ſua terra euulſum, hac ſemper & legati, cum ad hoſtes, clarigatúmq; mitteretur, id eſt, res raptas clarè repetitum vſi, Vnus vtique verbenarius vocabatur. Legimus porro, Caſpios, efferam gentem & immanem, parẽtes incluſos, famẽ necare: cum iam ætatis annum ſeptuageſimum exceſſerint. Sed multo immanius quod Bactriani faciunt: eos Oneſicritus ſcribit, qui iam ſenio morbóve cõfecti ſunt, viuos canibus apponere, ad hoc ipſum de induſtria enutritis, quóſque illarum gentium vocabulo, ſepulchrales vocant. Hæc cum ſint Scytica, illorúmque morib. conuenientia, nonnulli tolerabilia putant. Ego verò hæc hominum eſſe portenta, & mõſtra execrabilia quibus dulcis illa naturæ commemoratio diſpicatiſſima eſt, verius dixerim: qui tamen immanitate, bruta vicerint, vt propter quos hanc ſuauiſſimam lucem aſpexerint, eos indigniſſimè iure priuent. Hæc ex Iohannis Corraſij Miſcellaneis deſumpta ſunt.

Ad titulum ad legem Corneliam, de falſis.

Ad l. 27. §. vlt.

Non intellexit Accurſius quid ſint diplomata, nos dicamus diplomata eſſe, quas literas patentes nunc appellamus, cuiuſmodi ſunt edicta, & mandata principum regio ſigno conſignata, & quoniam in iis diplomatibus exigendis, interdũ fraus committebatur, ideo lege Cornelia cõſtitutum eos teneri, qui adulterinis diplomatibus vtuntur, hoc loco ſunt chartulæ ſigno principis obſignatæ, quæ dabantur curſoribus, vt liceret eis vti equis publicis, quibus diplomatibus agnitis magiſtratibus publicos illis equos, & vehicula præbebant.

Ad l. 29.

Accurſius huius verbi obrepere, vim ſignificationémq; parum percepit, dicamus igitur obrepere eſſe latenter progredi, & fallaciter adire, vt ſerpentes humi repentes ſolent, vnde fit, vt quidquid ſenſum fallat, id obrepere dicatur, Accurſius obrepſit exiſtimauit ab obripio eſſe *in l. 3. §. Puberi. de Carboniano edicto.* cum veniat ab obrepo.

Ad legem Corneliam, de ſicariis.

Malè Accurſius in hac lege. *§. pro Indicium, legit Iudicium.* Nam prçterquam quod abſurdum eſt, profiteri iudicium à iuriſconſulto eſſe dictum, pro eo quod eſt ſententiam proferre, vt Accurſius male intellexit, tum verò ſequentia verba non cohærent, vt quis innocens conueniretur, videamus autẽ quid hoc loco ſit profiteri iudicium, & dicamus profiteri indicium eſſe vltro ſeſe conſortéſque criminis deferre, id quod Cicero iudicium ſibi poſtulare dixit in diuinatione.

Ad l. ij.

Accurſius hoc loco diuinat, vt & alibi ſæpe. Nã inauditum, modo ſuppoſitum, modò committentem aliquid inauditum interpretatur, & hunc ſenſum ſequitur Accurſius, quod ſanè mirum eſt, ſed vſque adeo valuit præiudiciũ authoritatis Accurſij in librorum iuris interpretatione, vt ab eius opinione ne digitum vnum abſcedere, vereantur inauditum filium hic oportet interpretari reum iudicio non conuictũ & indicta cauſa filium patrem interficere non poſſe.

Ad l. lege eodem.

Laſciuia quid ſit, Accurſius hic non ſatis intellexit, Ita nè Bartolus quidem & reliqui plurimi interpretes antiqui, alioqui doctrina multa nec contemnẽda præditi. Itaque hoc loco laſciuia, nec dolus nec culpa lata eſt, ſed proteruitas quædam ludicra, Laſciuiam, Plinius iocum petulãtia & procacitate improbum vocat.

In l. 2. non intellexit Accurſius, quid ſit Bupreſtis, nos ex Plinio dicamus lib. 30. eſſe animal rarum in Italia, ſimillimum ſcarabeo longipedi, fallit inter herbas bouem maximè, vnde etiam nomen inuenit, deuoratúmque tacto felle, ita inflammat vt rumpat, ἀπὸ τὸ πρήθειν τὰς βοῦς.

Non intellexit Accurſius, quid eſſet in eadem lege Naufragum ſupprimere: nos dicamus eſſe hominem naufragio errabundum arripere, & in vinculis habere, aut in ergaſtulo concludere ad opus faciendum.

Quod dicitur hoc eodem loco, hominem libidinis cauſa caſtrauerit, id Accurſius abſurdè intellexit, ignorãs, vt opinor, olim ſpadones in deliciis habitos ad libidinem. Tales erant Bagoæ apud Perſas.

Ad tit. ad leg. Iuliam. de adulteriis. l. ſi vxor.

Malè Accurſius, vt mihi videtur, vulgarem mulierem meretricem interpretatur, atque ea ratione nitor, quod apud antiquos nimis dura fuiſſet ſententia. vt adulterij pœna teneatur, qui meretricem vitiarit: Cur enim permittit maritus eã quæſtum facere, nec poteſt defendi Accurſius eo Argumẽto, quod vulgaris ſit, quæ licentiã ſtupri apud ædiles vulgauit, propter ſupradictã rationem. Ego exiſtimo vulgarem eſſe, quæ non ſit Ciuis Romana, & nitor Trãquilli authoritate in Vitellio c. 2. Ex muliere vulgari Antiochi cuiuſdã vſuarium exercentis filia equitem Romanum genuit, & quod magis confirmat opinionem meã. Certum eſt legem Iuliã, adulterium quidem generaliter in nuptiis puniuiſſe, excepta tamen meretrice vel famulis cauponum, quæ non ſolum vulgares, ſed viliſſimæ ſunt.

Ad l. ſi adulterium §. imperatores.

Accurſius in hoc §. Ignorãtia hiſtoriæ hoc in loco pueriliter addubitauit, cum putauerit Commodum fratrem & filium habuiſſe, qui ſic fuerunt nominati.

Accurſius in eadem lege (ſi vxor velut Mercuriali numine) inſtincta vxorem iuſtam iniuſtámque tripliciter enarrauit, & in omnibus adſtipulatorem habet Bartolum: ſed ego puto vnico tantum modo iuſtam aut iniuſtam vxorem poſſe dici: falſum eſt quod Accurſius *in l. Quod ait lex*, dicit res venereas etiam antecedentia hoc loco ſignificare, vt colloquia, baſia, contrectationes laſciuas, & locum conſtitutum. Nam ex ipſius Ciceronis verbis, quæ Accurſius affert, apparet aliud eſſe rem veneream, aliud antecedentia & conſequentia Veneris. deinde Vlpianus hic dicit, Ita demum hanc poteſtatem patri

com-

competeſe, vt filiam occidat ſi in ipſa turpitudine filiam ſuam deprehendat, ex quibus omnibus conſtat falſa eſſe, quæ hic Accurſius dicit.

Quòd in l. ſi poſtulauerit, dicitur, interrogandíque poteſtas datur patronis: Id ex more priſco eſt, quod Bartolus Perperam intellexit. Accuſatores enim & patroni olim & ſuos & aduerſarij teſtes, palam interrogabant. ex hoc more emanauit, quod dicitur in *l. ſi quando. C. de teſtib.* quo in loco Accurſius, tanquam in luto addubitationis hæſit.

Ad l. Iuliam. de adulteriis.

Cur lex Iulia de adulteriis dicatur, huius nominis rationem Accurſiani inuenire nequeunt, quæ expedita ſatis erit, quod ignorat (vt opinor) nemo Cæſarem Auguſtum, Octauianum, à Caio Iulio Cæſare Dictatore, teſtamento adoptatum fuiſſe. Itaque vt Dion optimè omniũ ſcribit, qui prius Caius Octauius dicebatur: deinde Caius Iulius Cæſar, Octauianus dictus eſt nomenq́; Octauij in cognomẽ verſum eſt, vt Æmilij Pauli filius poſteaquam à Publij Scipionis Affricani filio adoptatus eſt, Publius Cornelius Scipio Æmilianus dictus eſt, qui Africanus quoque minor dictus eſt. Hinc à Iuliis Iuliani, à Marcellis Marcellini, à Domitiis Domitiani, &, vt arbitror, ipſum Iuſtiniani nomen, à Iuſtino adoptiuo patre manaſſe.

Ad l. ſi vxor. de adulteriis.

Malè Accurſius iniuſtam vxorem accipit, eam quæ facto ſit vxor, iure prohibita. Id enim ineptum eſt: nam ſi quis inceſtas nuptias contraxerit, iure prohibitam vxorem retinet, nec vt maritus accuſationem de adulterio inſtituere poteſt, *d. l. ſi verò. §. ſed ſi ea.* quod vtique faceret, ſi duntaxat iniuſta fuiſſet, nimirũ vbi inceſtum interuenit, ibi plus quam iniuſtæ nuptiæ ſunt. Melius ergo dicamus iniuſtam vxorem eſſe, quæ ſecundum præcepta legis ducta non eſt, quamuis certam & legitimam fieri poſſe certum ſit, vt eam, quæ ſine patris conſenſu nupſit, vel ætatis illigitimæ, quantumuis hæc palam ducta ſit. *l. quod Seruius. de condictione cauſa data. l. minorem. de ritu nuptiarum.* Hoc ſatis iudicat Iuriſconſultus in *d. l. ſi vxor. §. diuus.* Cum ait nec matrimonium violari oportere, nec ſpem matrimonij. Nam qui impuberem duxit, ætate iuſta ipſius puellæ tandem perficiet matrimonium.

Ad titulum ad legem Iuliam de adulteriis.

Cur in adulterio tranſactio permiſſa non ſit, And. Alciati & anteriorum omnium rationibus confutatis, valida aſsignatur.

Reſcripſerunt Diocletianus & Maximianus Aug. & Cæſs. Valentiniano, Tranſigere vel paciſci de crimine capitali, excepto adulterio, non eſſe prohibitum. *l. tranſigere. C. de tranſa.* Cuius regulæ rationem ex Vlpian. excerpere licet, qui in *l. 5. D. de bon. eor. qui mort. ſibi conſciuer.* ita loquitur: [Principes cẽſuerunt ei qui ſanguinem ſuum qualitercunque redemptum voluerit, ignoſcendum] Cur autem à capitalibus criminibus Imperator exceperit adulterium, ingens eſt pugna, & concertatio inter ſcriptores, in reddenda ratione differentiæ. Accur. *in rub. D. ad l. Iul. de adult.* quem plerique ſecuti ſunt, hoc ideo conſtitutum credidit, quod adulterium crimen ſit cæteris grauius, & deteſtabilius. nam vt vates ille diuinus, carnis deteſtans flagitia dicebat: Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. Paul. 1. *ad Corint.* 6. Nam & ſi, inquit eo loco Theophylact. videatur, cùm hominem trucidamus corpore, admitti id facinus, non tamen vniuerſum ex eo corpus ſordeſcit: poſſumus námque vel lapide, vel ligno, vel alio quopiam tormento ictus infligere, & nihil corpus hoc inquinare, veruntamen nullo pacto licebit ſine corpore fornicari, quo fit vt illud omnino commaculetur. Quid ergo in omnibus peccatis adulterio grauius eſt? *cap. quod in omnibus. 32. quæſt. 7.* Non abs re igitur Accurſ. *l. auxilium. D. de minoribus*, quædam, inquit, crimina atrocia ſunt, quædam atrociora, quædam atrociſſima: vt adulterium, quod tam ægre fert maritus, vt moleſtius id patiatur, quam proprij filij mortem *l. codicillis. §. matre. D. de le. 2.* & libentius (vt Hyeronymus in Amos *cap. 7. ait*) audiat vxorem interfici, quàm pollui. Cæterùm hæc ratio cõmuni omnium calculo exploſa eſt, cum adulterio grauius aliquid admitti poſſit. *l. fi. §. 1. D. de publ.* &, vt homicidium, parricidium, & reliqua miſſa faciam, omnium delictorum nefandiſſimum eſt, quod contra naturam fit, quo ipſa ſocietas quæ cum Deo nobis eſſe debet, violatur: cum eadem natura, cuius ipſe author eſt, libidinis peruerſitate polluitur. *cap. adulterij & cap. flagitia. 32. quæſt. 7.* In quod facinus Conſtantinus Imp. ad populum ſcribent. inſurgere leges, armari iura gladio vltore voluit, vt exquiſitis pœnis ſubdantur infames, qui ſunt, vel qui futuri ſunt rei. *l. cum vir. Cod. ad le. Iul. de adult.* Sed & adulterium inter minora crimina collocat ſummus Pontifex. *cap. at ſi clerici. §. de adulteriis. de iud.* Cuius rei rationem Baldus illic prodidit, quia ad id facinus procliues impellente natura ſumus. atque ideò mitiùs puniuntur. Quod & Luc. de Pen. docuit, *l. mulieres. de incol. lib. 10. Co.* Alij adulterium ideò conceptum crediderunt, quòd Imperator amator ſit caſtitatis. quæ ſola poteſt hominum animas Deo præſentare. *§. 1. de leno. col. 2.* Sed neque hæc ratio concludit, quia idem inceſtu, & ſtupro dicendum eſſet, cùm tamen hic ſolùm adulterium excipiatur. Petrus de Bellaper. verò quandoque ſine ratione hoc cõſtitutum affirmauit ab Italo quodam, plus quam par eſſet de vxore ſolicito. Sunt etenim (inquit) Itali vxorij, hoc eſt, vxoribus nimium inſeruientes. Verum nec hæc aſſolutio placet, ſiquidem vt Ver. *lib. 9. Æneid.* dicebat ex Homeri ſententia, [non ſolos tangit Attridas iſte dolor,] *l. ſi vxor. D. ad leg. Iul. de adulteriis.* Quocirca Bartol. introductum id ex parte rei propter frequẽtiam delicti opinatur, vt verum ſit quod Claudianus ſcribit. *l. aut facta. §. nonnunquam. D. de pœn.* [nonnunquam euenire, vt aliquorum maleficiorum ſupplicia exacerbentur, quoties nimirum multis perſonis graſſantibus exemplo opus ſit.] Ex parte verò accuſatoris, quòd inter præcepta legis Iuliæ de adulteriis, coercendis hoc vnum legatur, vt pro comperto ſtupro pretium accipiens, reus adulterij fiat. *l. auxilium. in fin. D. de minorib.* Sed nec hæc ratio bona eſt. quid enim ſi gratis accuſator paciſcatur? Et ex hac ratione videretur pactionẽ valere, cùm nullũ pretium acceperit, cùm tamen paciſci, ne dum tranſigere vetitum lex ciuilis dicat. *d. l. tranſigere.* Præterea hæc ratio idem eſſe in ſtupro concludit, quãdoquidem lex pro comperto ſtupro pretium accipientem vt adulterum puniat. *l. ſi ſit quidem. D. quod met. cau. l. mariti. §. plectitur. D. ad leg. Iul. de adult. l. de crimine. Cod. illo tit.* Alij, vt Salyc. Fulg. Caſtren. Alex. Iaſ. & recentiores hoc ſpecialiter in fauorem matrimonij inductum eſſe prodiderunt, ne ſcilicet ſordido & ignobili patre nati liberi, per adulterium ingenuis, generoſis, & ſplendidis familiis inferantur. *l. ſuper ſtatu. Cod. de quæſt.* quam rationem Petrus prior attigerat. *d. l. tranſigere.* dum falſi partus periculum rationem eſſe putauit, quòd publicè interſit falſos partus nõ ſubiici, vt ordinum dignitas familiarúmque ſalua ſit. *l. 1. §. pen. D. de ventr. inſpic.* Cæterum & hanc Andre. Alciat. nec immerito damnat *lib. Parad. 5. cap. 8.* Nam & ſecundum eam idem in ſtupro foret dicendum. veriſimile námque eſt puellam, aut viduam mox vbi grauẽ vterum ſibi ſenſerit. nupturã, vt pariat citra famæ diſpendium, tanquam ex marito conceperit, cum tamẽ in ſtupro diuerſum dici debeat, vt communis doctorum opinio habet. Altera ratio ipſe quoque impellor. Nam ſuper homicidio, vt nemo ex hac legẽ dubitat, tranſigi poteſt, cauſa tamen vitæ humanæ cæteris omnibus fauorabilior eſt. *l. cum ratio. D. de part. eor. qua lib. damn. conc.* Proinde vt huiuſce rei rationem veram habeamus, Alciat. conſiderat adulteros iure veteri non ſolitos coerceri, ſed potius deportari. *l. ſi quis viduam. D. de q.* quod & Accur. Bart. cæterique annotauerunt. *l. Claudius Seleucus. ff. de his qui. vt indig.* igitur eo iure cùm pœna ſanguinis non irrogaretur, ex vltimo huius legis reſponſo tranſigere non licebat, cuius rei in cauſa eſt fauor Reip. cuius maximè intereſt maleficia non eſſe impunita. *l. ita vulneratus. D. ad leg. Aquil. l. licitatio. §. quod illicitè. D. de pub. l. ſi à reo. §. fi. ff. de fideiuſſ.* Hæc autẽ ratio cum non finalis, ſed ſuaſiora tantũ eſſet & impulſiua, tametſi ceſſauerit (quia poſteriorib. legib. pœna adulteris irrogata eſt. *l. quamuis. l. caſtrati. C. ad le. Iul. de adult.*) remanet nihilominus diſpoſitio. *l. 1. §. ſexu. D. de poſtu.* Verùm neque hæc ratio, bona Alciati ſcriptoris eruditiſſimi

venia dictum ſit, probabilis eſt, cùm verum non ſit quod Accurſius paſſim docet, & reliqui ſunt ſequuti in *l. qui cum vno: §. adulterij. D. de re milit. in l. 2. §. miles. D. de his qui not. infa. & in d. l. Claudius.* pœnam videlicet capitis pro adulterio, iure tantum Codicis cognitam, quandoquidem certum ſit alienarum nuptiarum temeratores lege Iulia gladio puniri. Item lex Iulia *de adult. de publ. iud. in inſtitution.* quæ à diuo Auguſto lata eſt, *l. 1. D. ad l. Iul. de adult.* qui tametſi luxuriæ ſupra modum ſeruiens eſſet, adeo vt alienæ coniugis amore obſeſſus abiecta vxore Scribonia, Liuiam Druſillam ſibi coniunxerit: erat tamen eiuſdem vitij ſeueriſſimus vltor, more hominum qui in vlciſcendis vitiis, quibus ipſi vehementer indulgent, acres ſunt. Iuliam autem hanc legem appellauit in honorem Iulij Cæſaris, à quo teſtamento heres ex ſemiſſe inſtitutus fuerat, neque aliud conuenientius duxit (vt hiſtorici ſcribunt) quam necem auunculi vindicare, atque in illius honorem nonnihil agere, vnde edicta ſua Iulia appellari voluit. Itaque ius forum, ex hac lege Iulia adulteros morte multauit. Quin & ſolicitatores alienarum nuptiarum, matrimoniorúmque interpellatores, tametſi effectu ſceleris potiti non ſint, tamen propter voluntatem pernicioſæ libidinis, extra ordinem puniri voluit, *l. 1. D. de extraord. cri.* vt meritò eorum opinio explodenda ſit, qui eo iure capitis pœnam pro adulterio incognitam dicũt. Nec me fugit, quandoque adulterij pœnam deportationem eſſe, veluti, vbi adulteri honeſtiore loco poſiti fuerint. *d. l. ſi quis viduam.* cum idem in l. Cornelia de ſicar. quę tamen pœnam capitis, infert, traditum ſit. *l. 3. §. fi. D. ad l. Cor. de ſic.* Ex his igitur non dubito quin emunctæ naris viri, has omnes interpretationes vti commentitias, & inconcinnas ſint reiecturi. Vnde vt huiuſce rei claram, & verã rationẽ habeamus, ſciendũ, cum, cuius conſilio factũ eſt, vt vir fœmináve in adulterio deprehenſi, pęcunia, aliquáve pactione ſe redimerent, pœna lenocinij damnari. *l. is cuius ff. ad l. Iul. de adult.* Noluit itaque Imp. ſuper crimine adulterij, tametſi capitali, tranſigi poſſe, aut paciſci, quoniam tranſigendo aut paciſcendo reus fiebat lenocinij. *l. 2. §. 1. l. miles. §. ſocer. & d. l. is cuius illo tit.* cuius facinoris author noluit ſacratiſſimus Imperator videri, ne inde naſceretur iniuriarum occaſio, vnde iura naſci debent. *l. meminerint. C. vnde vi.* néve qui tranſigit, aut paſciſcitur, legis decipiatur authoritate, *l. 1. Cod. de his qui ve. ætat. impetra.* Hæc habui quæ ex Ioan. Corralij Miſcellaneis hinc inde collegi.

NOTAE AD GLOSSAS IN LIBRVM QVADRAGESIMVM ſextum Pandectarum iuris ciuilis.

Ad l. 1. D. de appellationibus.

MAlè Accurſius ob prauam lectionem, ſeu verſionem Græci cuiuſdam reſcripti, quod extat in *l. 1. D. de appellationibus.* pro ad ſententiam legit malè ab enunciatione. Græca enim verba πρὸς διάφορον, id eſt, ad ſententiam dicunt, vt ſcilicet accipiendum ſit, de eo ad quem prouocamus: non autem à quo vt minimè dicatur appellari poſſe ab enunciatione, id eſt, mendacij relatione principi facta, vt male Accurſius ſenſit, ſed ab ipſo reſcripto, eo videlicet prætextu, quod minus vera in ſupplice libello enarrata fuerint.

Ad l. Imperatores. D. de appellationibus.

Lex hæc corrupte circumlata maximum Accurſio negotium fecit. ſic enim vulgo legitur, Imperatores Seuerus Antoninus reſcripſerunt appellationes, quæ retro, ad principem factæ ſunt omiſſis his, ad quos debuerunt fieri ex vno ordine ad pręſides remitti. Accurſius peſſimè vnum ordinem nunc interpretatur referri ad clariſſimos, nunc ad ordinem, qui ſit vt à minore ad maiorẽ prouocatur, quæ vtráque interpretatio nõ conuenit huic loco, non quidem prior cum præſides ipſi clariſſimatus dignitate fungantur, nec de clariſſimo ad clariſſimũ appelletur, ſed nec poſterior interpretatio quadrat, cum deficiat reſcriptum in eo, quod maxime intererat referre, videlicet à quibus iudicibus prouocetur, nec enim paſſim verum eſt, à quibuſcunque iudicibus retro prouocetur, ad præſidem negotium remitti, vt omnis dubitatio tollatur, ex Pandectis Florentinis, vbi legitur, retro, repone recto, vbi vno imo, appellauit autem imum ordinem, magiſtratus municipales, quorum ordo infimus eſt & ab his ad præſides iure prouocandum eſſe vulgo dicitur.

Ad titulum de iure fiſci.

De fiſco, & in quo ab Ærario differat, quædam quæ interpretes ignorarunt.
Fiſcus.
Confiſcare.
Ærarium.
Fiſco qui primum tanta vendicarint.
Traiani memorabilis ſententia.
Lienis & Fiſci ſimilitudo.

De fiſco, eiúſque iure ſingulari multa paſſim apud Iuriſconſultos leguntur: cuius cauſam nunquam malam eſſe, niſi ſub bono principe, dicit Plin. in Paneg. Traiani. Eſt autem fiſcus, receptaculum numorum, & proprie principis. *l. 1. §. hoc interdictum. D. ne quid in loc. publ.* quo loco Vlp. [Res, inquit, Fiſcales, quaſi propriæ & priuatæ principis ſunt.] fiſcis. i. ſportulis, vt Pedian. in d. Verrina ait, quæ numorũ ſunt receptacula, ad maioris ſummæ pecunias capiendas. Vnde quia maior eſt ſumma pecuniæ publicæ, quam priuatæ factum eſt, vt pro pecunia publica, quæ tamen principis eſt, fiſcus dicatur: & ab eo nomine confiſcare, id eſt, ad fiſcum principis deferre. Et apud Trãquillum in Auguſto, confiſcata bona dicuntur, quę fiſco adiudicata ſunt, indéque & confiſcationes recentioribus nuncupatæ. Propriè ergo fiſcus, principis dicitur. *d. l. 1. §. hoc interdictum.* Ærarium verò, publicũ, populique Rom. quod & Plinius vbi ſuprà euidenter oſtendit. [At fortaſſe, inquit, non eadem ſeueritate fiſcum, qua ærarium cohibes: imo tanto maiore, quanto plus tibi licere de tuo, quàm de publico credis.] Obſeruaui tamen, in iure, fiſcum pro Ærario, contráq; Ærarium pro fiſco, paſſim ſumi. Conſtabat autem Romanum Ærarium, tributis, & vectigalibus: quod ab ære, quod in æde Saturni condebatur, Ærarium dictum eſt. Idque tribuni ærarij, cum opus erat, promebant. Fiſcus verò, proprio principis patrimonio (habet námque ſuum patrimonium princeps, id eſt, facultates proprias. *l. apud Iul. §. fin. D. de leg. 1.* & extraordinariis reditibus conſtat. *l. inter publica. D. de verb. ſig.* Quo loco ex Pediani ſententia Alciatus redditus huiuſmodi principis in tribus potiſſimum verſari ſcribit, Canone vt portoriis & eiuſmodi quæ in vrbium exitu, vel ingreſſu ſoluuntur oblatione, hoc eſt, eo quod ex conſuetudine de rebus promercalibus ſolet pendi, & indictione, quo edicto principis ſubditis indicitur. Cùm ergo Fiſcus principis pecuniam, eiúſque proprium patrimonium, ſignificet: factum eſt, vt frequenter in iure noſtro princeps ipſe Fiſcus nuncupetur. Fuerunt porro primi, Palphurius, & Armillatus, qui per calumnias & iniquas interpretationes, multa fiſco, in Imperatoris gratiam, vendicarunt. Vnde Iuuenal. Satyr. 4.

Si quid Palphurio, ſi credimus Armillato,
Quidquid conſpicuum, pulchrúmque ex æquore toto eſt,
Res fiſci eſt, vbicunque natat.

Scitu profectò digna eſt, & æterna obſeruatione Traiani ſententia: qui corruptus ab vxore Pompeia Plotina, quod calumniis ſuorum procuratorum, prouinciæ diuexarentur: deteſtari cœpit improbas exactiones, diuinóque numine afflatus, pręſigni vſus eſt ſimilitudine, [Fiſcum appellans Lienem,] ſicuti enim creſcente in corporibus noſtris liene, artus reliqui tabeſcunt: ita turgente principis fiſco, marceſcunt cætera reip. membra, & grauiter ægrotant. Autor eſt Sext. Aurel. Victor in Iuliano. Egregia ſane & memorabilis ſententia, quam optarem in penitiſſimis omnium principum præcordiis ſculptam eſſe & reconditam. [Vis ergo princeps, vt corpus validum ſit? effice ne lien intumeſcat. vis ô Princeps, vt membra tua, hoc eſt, ciues, ſubditiq; tui bene valeãt? noli fiſcũ habere tumentẽ.

Ad l. Poſtliminij de captiuis.

Accurſius non intellexit hoc loco, quid eſſet hoſpitium, quod vt ſciamus, notandum eſt, antiqui fuiſſe inſtituti, vt hoſpicij

ſpicij

ſpitij neceſſitudo, non modo inter priuatos, ſed etiam inter populos contraheretur, neque id quidem modo, ſed etiam inter ſingulos priuatóſque homines & ciuitates, quod genus amicitiæ Latini hoſpitium publicum vocauerunt, quod inter priuatos contrahebat & priuatum hoſpitium dicebatur, cuius erat nota, pignuſque teſſera hoſpitalis.

Ad titulum de captiuis & poſtliminio reuerſis.

Budæum ab Alciato meritò repræhenſum, quod non intellexiſſet, quid eſſet hoſtium potitus, ſed & Haloandrum variaſſe.

Alter locus eſt Papiniani cap. 2. de captiuis: cuius verba ſunt hæc. Papinianus lib. 31. quæſtionum. Quod ſi filius antè moriatur in ciuitate, nihil eſt, quod de ſecundis tabulis tractari poſſit: ſiue quoniam viuo patre filiuſfamiliâs mori intelligitur, ſiue quoniam non reuerſo eo exinde ſui iuris videtur fuiſſe, ex quo pater hoſtium potitus eſt. Sic autem ſcribendum, non vt in Norico, non videtur huic, repugnaret enim legi tota Cornelia. Budæus, hoſtium poteſtati ſubditus eſt. Accurſium conniuentibus oculis ſequutus ſcribendum cenſet. Alciat. verò libro quarto de verborum ſignificatione ait: hoſtium potitus, id eſt, captus ab hoſtibus, exemplo Plauti in captiuis. licet in titulo, inquit, de captiuis, a quibuſdam male ſit immutatum. Idem lib. 1. parergôn, Alij etiam, inquit, magni nominis viri corruptum Codicem arbitrantur, & legendum, non hoſtium potitus, ſed hoſtium poteſtati ſubditus: qui modus loquendi, inquit, non ſat Latinus eſt, certè non elegans. hæc ille de Budæi negligentia. Plautinus locus apud eundem relatus hic eſt.

Nam poſtquam meus rex eſt potitus hoſtium,
Itanunc belligerant Ætoli cum Aulidis.

Et hic in eiſdem Captiuis:

Ergo poſtquam gnatus tuus potitus eſt hoſtium,
Expertus quanti fuerit, non deſidero.

Et in Epidico:

Filiam, quam ex te ſuſcepi, Eductam perdidi, hoſtium eſt potita.

Sed eſt apud iuriſconſultos frequentior hic dicendi modus, quàm apud cæteros. Tryphoninus cap. 12. de captiuis: *l. in bello. §. codic. ... de captiuis.* Cætera, quæ in iure ſunt, poſteaquam poſtliminio redit, pro eo habentur, ac ſi nunquam iſte hoſtium potitus fuiſſet. Iulianus cap. 22. *l. bona. eod. tit.* Apparet ergo eadem omnia pertinere ad heredem eius, quæ ipſe qui hoſtium potitus eſt, habiturus eſſet, ſi poſtliminio reuertiſſet. Vlpianus cap. 15. Ex quibus cauſ. maio. *l. ab hoſtibus. ex quibus cauſ. ma.* Ego autem etiam nomine eius qui hoſtium potitus eſt, ſi curator, vt plerúmque fuerit bonis conſtitutus, auxilium competere exiſtimo. Quibus locis rectè Haloander. At capite 10. de teſtamento militis, *l. facere. de teſt. milit.* ita ſcripſit: facere teſtamentum miles in hoſtium poteſtate poſitus, nec iure militari poteſt. Cum Florentiæ ita ſcriptum ſit: Vlpianus lib. 2. ad Sabinum. Facere teſtamentum hoſtium potitus nec iure militari poteſt. plura vide apud Antonium Auguſtinum.

Ad tit. de captiuis & poſtliminio reuerſis. Ad l. poſtliminium. §. filias.

Ad illum locum huius legis, vbi dicitur, Quia diſciplina caſtrorum antiquior fuit parentibus Romanis, quam charitas liberorũ, Accurſius deceptus fuit homonymia verbi, Ideóque perperam intellexit liberorum charitatem poſteriorem tempore fuiſſe diſciplina militari, quod perinde abſurdum eſt, ac ſi ius naturale poſterius eſſe, & recentius iure gentium dixerit, antiquius enim non modo vetuſtius, ſed etiam potius ac venerabilius ſignificat.

Ad l. Non dubito. eod.

Fœderati ſunt, non vt Accurſius cenſuit, quibuſcum induciæ factæ ſunt. Sed ij cum quibus populus Romanus amicitiã coierat, ſocióſque appellabat. Liberi erant ſuis omnino legibus relicti quales Aetoli apud Liuium, populi tamen Romani maieſtatem comiter conſeruare tenebantur: liberi etiam erant, qui in prouinciæ formam non erant redacti, quique nihil Romanis penſitabant, qui autem certis conditionibus pactiſque penſionibus in amicitiam venerant, ij ſtipendiarij vocabantur.

Ad titulum de re militari. Ad l. deſertorem.

Ad illum locum huius legis, quo dicitur capitalem animaduerſionem merere, qui explorandi prætextu cum hoſtes caſtris imitarent, aut exercitum vrgerent, à re gerenda & prælio abfuit, aut cuius culpa cùm exploratum nullus eſſet, hoſtes exercitum improuiſò oppreſſerunt. Accurſius id malè intellexit, de eo qui ab hoſtibus exortus erat. Item de eo qui pro vallo aut foſſa collocatus, ſtationem & locum non tenuit, in eodem reſponſo vbi debet eſſe, in bello qui rem à duce prohibitam fecit, aut mandata non ſeruauit, capite punitur, etiam ſi res bene ceſſerit, id eſt, ſi exitum felicem ſors dederit: malè Bartolus poſt Accurſium legit geſſerit: nam ſi hoc verbo voluiſſet vti, Iuriſconſultus dixiſſet rem geſſerit non res: aliud eſt enim rem gerere, id eſt, pugnare, aliud res gerere in §. proximo eiuſdem legis, vbi dicitur: Et cum multi milites in aliquod flagitiũ conſpirent, vel ſi legio deficiat, auocari militia ſolent, locum illum Accurſius inſcitè eſt interpretatus, ignorans interdum legiones exauctorari ſolere, eius rei exemplum eſt apud Lampridium in Alexandro, qui ita loquitur. Cùm nihilominus poſt iſta fremerent, exclamauit. Quirites diſcedite, atque arma deponite. Quirites enim eos appellantes, ſignificabant nõ eſſe milites, ſed ciues tantùm Romanos, & paganos iam eſſe.

Ad §. qui captus l. ſeq.

Magna eſt Latinitatis ignorantia Accurſij in hoc §. in interpretandis his verbis: Item qui in præſidio captus eſt. Ignorauit enim præſidium ſignificare numerum & ſtationem militum, ad vrbis vel arcis cuſtodiam deſtinatorum.

Ad l. officium. eodem titulo.

Accurſius ignorauit hic militaria principia, Latine vt Græcis ἀρχεῖα eſſe dicta à principibus, qui in acie ſecunda erant. Nã cùm in acie prima eſſent haſtati, in ſecunda erant principes, in tertia Triarij. Inde illud Terentianum in Eunucho.

Tu hoſce inſtrue, hic ego ero poſt principia,
Inde omnibus ſignum dabo.

NOTARVM LIBER QVINQVAGESIMVS, CORRESPONDENS quinquageſimo libro Pandect.

Ad tit. de muneribus & honoribus.

MAle interpretes colligunt ex *l. reſcripto. §. ſi quis accuſat, D. de mun. & hon.* regulamque confinxerunt: Neminem ſine accuſatione damnandum eſſe. Nam Vlp. quem eo loco eius regulæ authorem citant non prohibet, quominus citra accuſationem facinoroſus puniatur: (Id enim publicę vtilitati maximè aduerſarium eſſet nemine fortaſſis accuſare volente) ſed anteaquam ſit reus delatus, interim ab honoribus eum arceri vetat, *d. l. reſcripto. l. reus delatus. eod. tit.* Quinetiam iubentur magiſtratus latrones & alios quietem publicam turbantes cõquirere, & ſeueriſſimè in eos animaduertere. *l. 1. §. quies. de offic. præf. vrb. l. 4. ff. ad l. Iuliam peculatus. l. 1. C. de cuſtodia reorum. l. ſi quis in hoc. C. de epiſcop.*

Ad l. 3. §. quod pater.

Accurſ. huius §. ſenſum non percepit, hic tamẽ eius ſenſus eſt, Quod pater non conſenſit honorib. ſiue munerib. filij, ne illius patrimonium oneri ſubijciatur, præſtat defenſionem, legendũ non præſtat defenſionem. Latinitas autẽ purior exigit, vt iſtam

non ad patrem, vt Accurſius malè cenſuit, referatur, ſed ad filium, alioquin Vlpianus, non illius, ſed ſuum dixiſſet, ſi patrem intelligi voluiſſet. Senſus igitur eſt, pater, qui filium ſuum quantum poteſt patriæ Commodis aufert & auertit facere nequit, quominus filij patrimonium aduentitium, aut Caſtrenſe bonorum adminiſtrationi, munerumque functioni obſtringatur.

Ad l. generaliter. §. finali. D. de decurionibus.

Accurſius, Bartolus & alij valde errarunt, in interpretatione huius legis. Nam cùm verba huius legis ſic ſe habeant, in vulgatis codicibus. Eos qui Iudaicam ſuperſtitionem ſequuntur Diui Seuerus & Antoninus honores adipiſci permiſerunt, ſed & neceſſitatem his impoſuerunt, qua ſuperſtitionem eorum non læderent, verba hæc ſunt Vlpiani, quæ quantum Accurſium, Bartolum, & cæteros torſerint, vix dici poteſt. Nam cum alibi legiſſent, Iudæos omnibus honoribus arceri: hoc autem reſponſo contrarium ſtatuatur, in eam ſententiam deuenerunt, vt reſponſum iſtud correctum fuiſſe dicant, quo nihil abſurdius potuit dici. Quapropter vt nos iſtud clarum faciamus illud imprimis ſciendum eſt, Vlpianum ipſum à Chriſtiana religione alienum prorſus fuiſſe, Ethnicorum deos coluiſſe. floruit enim Alexandri Imperatoris temporibus, ſi credamus Ælio Lampridio, qui ſic ſcribit: Alexander, Paulum, & Vlpianū, magno in honore habuit, quos præfectos ab Heliogabalo, &c. Igitur tempore quo Vlpianus viuebat nondum recepta erat Chriſti fides. Primus enim Imperator, Chriſtianus fuit Philippus, longe Alexandro poſterior. Cum itaque à Chriſti traditionibus alienus eſſet Vlpianus, non mirum eſt, ſi noſtram fidem ſuperſtitionem Iudaicam appellauit, quoniam enim primum in Iudæa Chriſtiani fuerant, hoc nomine fuerunt appellati. Nota etiam in hoc reſponſo, non legendum Diui Seuerus & Antoninus, ſed Diui Verus & Antoninus. Nam Ælius Verus, vna cum hoc Antonino imperauit, vt eſt apud Capitoliū.

Ad l. Imperatores de decurionibus.

Dignitas in hac lege, non pro decurionatu accipienda eſt, vt Accurſius perperam exiſtimauit, ſed pro oris probitate, morúmque præſtantia in facie eminente, quod ita accipi probari poſſet multis exemplis. Cicero *lib. 1. officiorum.* Pulchritudinis genera duo ſunt, inquit, Vnum virile, quam dignitatem dicimus, alterum muliebre, quam venuſtatem appellamus. Idem in Oratore. Vulgus vero, inquit, qui ſecundum vocem plurimum poteſt, quantam affert, tum dignitatem, tum venuſtatem. Senſus igitur huius loci hic eſt: ita demum relegatum poſt relegationis tempus exactum in ordinem eligi poſſe, ſi damnationis tempore, nec dum ætatis decurionalis fuiſſet, & indoles morum in ore conſpicua, polliceri ei videatur indulgentiam principis.

Ad titulum de operibus publicis.

Male Accurſius ad l. 3. hoc tit. ad illum locum in quo dicitur opus nouum, ſine principis authoritate, fieri non licere conſtitutionibus declarari: malè, inquam, Accurſius exempla affert ex Codice, vt legem nemo. & legem intra. C. de operibus publicis. quaſi vero iuriſconſultus reſpexerit ad illas conſtitutiones, quæ longè poſt illum latæ ſunt ab Imperatoribus, ſed poſtea idem rectè affert. l. 6. hoc titul. vbi Diui Marci reſcriptum de ea re eſt.

Malè idem Accurſius Amphiteatum interpretatur tumbam, ſed hoc nomen tam notum eſt, vt non egerat pleniori explicatione.

Ad titulum de decretis ab ordine faciendis.

Malè Accurſius hic in *l. 4. h. t.* putat Ambitioſa decreta eſſe, quæ per largitionem facta ſunt, ſed quę per gratiam facta ſunt. Tria enim ſunt, quæ iudicia corrumpere ſolent, ambitio, odiū, & ſordes, id eſt, auaritiæ, alibi vt apud Tranquillum in Auguſto. ambitioſus pro gratiæ præcupido ponitur, & affectantius blandiente ad emerendum fauorem, hæc ſunt verba Suetonij, Neque poſt bella ciuilia, aut in concione, aut per edictum vllos militum commilitones appellabat ambitioſius id eſſe exiſtimans, quam aut ratio militaris, aut temporum quies, aut ſua maieſtas poſtularet.

Ad l. vj. eodem titulo.

Vide Græcorum verborum ſenſum reſtitutum apud Alciatum libro Diſpunctionum 2. *cap.* 18.

Ad l. v. de extraordinariis cognitionibus.

Malè Accurſius in hac lege ponit magnam capitis diminutionem pro media accipi vitandæ cuiuſdam antinomiæ cauſa: mirum enim hic videbatur, quod deportatis adimi libertatem ait, ſicut & iis, qui in metallum damnati ſunt, cùm alibi in iure ſcriptum ſit, deportatos ciuitatem tantum, in metallum verò damnatos libertatem etiam amittere. *l. 5. de bonis damnatorum.* Verum dicendum eſt, vtramque capitis minutionem rectè magnam dici, tametſi vna maior ſit altera, vnde Vlpianus *l. 1. ad Senatuſconſultum Tertullianum.* Si quis, inquit, ante delatam, ſiue poſt delatam capite minuatur, ad legitimam hereditatem admittetur, niſi magna capitis diminutio interueniat, quæ vel ciuitatem adimat, vt puta ſi deportetur. Et quod ait, libertatem adimi deportato, verum eſt, quamquam non omnino redigatur in ſeruitutem. Nam & dolorem & ſenectutem vires adimere, ait Poeta, quamuis minuant tantùm eas & penitus auferant.

Ad l. penult. verſiculo conſumitur. D. de variis & extraordinariis cognitionibus.

Huius reſponſi obſcuritatem, ab æquiuoca libertatis voce, variáque eius ſignificatione pendere admonuit hic Accurſius, cúmque alij ſubſecuti, ſed ita, vt variæ ſignificationis diſtinctionem, certam & rationem nullam tradiderint. Sed mihi loci illius obſcuritati, non tantùm libertatis, ſed & capitis diminutionis multiplex quoque ſignificatio, cauſam præbuiſſe videtur. Vide librum tertium ſententiarum Iuris Roberti *c.* 9.

Quod Accurſius in *l. quæſitum. D. de re iudic.* ſtatuit morbo ſontico laborantem, procuratorem mittere non cogendum eſt, non indiſtinctè, & ſine cauſæ cognitione ſtatui debet, vt fecit Accurſius. Nam eo quidem die, quem morbus ſonticus diffidit, proculdubio non cogetur procuratorem mittere, quia ipſo iure dilatio, à lege conceditur, poſtea autem ſi morbus duret dubium non eſt, quin cauſa cognita, & procurator conſtituendus ſit.

Ad titulum de iure immunitatis.

Ridiculum ſanè eſt, quod Accurſius in *l. 8. §. conductores. de iur. im.* dicit, paria facere, eſſe verbum Hiſpanicum, & malè idem legit principalia. Solet cum aliquid non intelligit, ad exteras linguas confugere, hæc ſanè loquendi ratio eſt vſitata Latinis authoribus, Plinius *lib. 7. epiſtolarum cap.* 19. Habuerunt officia mea in ſecundis, habuerunt in aduerſis, non feci tamen paria, atq; eo magis hanc cupio ſeruari, vt mihi ſoluendi tempora ſuperſint, id eſt, nec tamen ſatisfeci, ac plane perſolui acceptum ab eis beneficium, nondum plenas vires rependi. Idem Plinius eadem formula loquendi vtitur in Panegerico, his verbis, Parens tibi Imperium dedit; tu illi reddidiſti. Solus ergo adhuc es, qui pro munere tanto paria accipiendo feciſti: imo vltrò dantem obligaſti.

In l. vlt. hoc titulo.

Non intellexit Accurſ. pleráque verba quæ in hac lege proponuntur, vt quid ſint veterinarij. putauit enim eſſe eos qui fo-

Digitized by Google

fodiunt aurum vel argentum, cùm veterinarij propriè ſint iumentorum veterinorumque curatores & medici, qui idem ipſi ſoleas equis affigunt. Non intellexit idem quid eſſent Naupegij. ij autem ſunt fabricatores nauium. Valetudinarij medici ſunt qui valetudine affectos curant. Menſores, vt Vegetius ſcribit libro 2. cap. 7. ſunt qui ad Podiſmum dimetiuntur loca, in quibus tentoria milites figant, vel qui hoſpitia in ciuitatibus præſtant. Pelliones à pellibus conficiendis dicti, ſub quibus milites hyemabant. Librarij depoſitorum ij erant qui præſcribebant quid quiſque apud ſigna depoſuiſſet. Antiquitus enim inſtitutum erat, vt ex donatiuo quod milites conſequuntur, dimidia pars ſequeſtraretur apud ſigna, ibidémque militibus ſeruaretur, ne à contubernalibus per luxum abſumi poſſet. Victimarij in comitatu caſtrenſi erant ob hoſtias quæ in ſacrificiis cædebantur.

Ad l. 6. ad tit. de vacatione & excuſatione munerum.

Nullum Accurſius exemplum appoſuit in hac lege eorum quæ extra ordinem imperari poterant, quod tamen neceſſe erat ponere ad explicationem huius legis. nos talia exempla ponamus eorum quæ extra ordinem imperari poſſunt, vt munitio viarum, vel aggerum, vel riparum flumine ſe effundente, quo exemplo vtitur, *l. cui muneris*, 12. *de muneribus*. contra ordinaria munera non videntur remiſſa vt non videntur remiſſæ tributorum conditiones, ordinariæ functiones quæ conferuntur in fiſcum à priuatis, quotannis.

Ad tit. de Cenſibus.

Malè Accurſius putauit legem cenſoriam à cenſu dictam eſſe, cùm non à cenſu, ſed à cenſoribus nomen habeat, quorum erat munus portoria vectigalium locare. Liuius lib. 4. de Cenſura loquens, Sub ditione eius magiſtratus, publicorum ius, priuatorúmque locorum vectigalia populi Romani ſub nutu atque arbitrio ſunt.

Non intellexit idem Accurſius *in l. 4. hoc tit.* quid eſſet colonia. putat enim coloniam ſimpliciter eſſe terram vel comitatum quendam, vel villam, ſed colonia accipitur pro oppido quod coloniæ iure vtitur, coloniæ interdum agricolationis locum, aratoriſque officinam & domicilium ſignificant. Paulus in *l. Quæro locati*. Seruus qui coloniæ aſcriptus eſt, ad periculum coloni pertinebit. Sic Cicero in Agraria. Siculos colonos & aratores populi Romani vocauit. Colonia etiam ciuitas eſt à matrice ciuitate deducta, id eſt, metropoli, quomodo Athenis Ionicæ ciuitates deductæ erant & propagatæ. Colonia igitur interdum ab incolentibus terram, inhabitantibúſque dicitur, interdum à cultoribus terræ.

Ad l. 23. eod. tit.

Malè Accurſius ad finem huius legis, vbi legendum Meret, legit inhæret, vel haberet. qua lectione retenta, verus ſenſus haberi non poteſt. Merere verbum eſt ad milites pertinēs, ſignificat militare. Lucanus, Ære merent paruo: inde Emerere verbum, vt elugere, & emeriti milites, & ſtipendia emerita Ciceroni.

In l. 24. Accurſius reiecta optima lectione deteriorem apponit, & pro reliquatus eſt, relictus eſt apponit: fortè quòd nō intelligeret quid eſſet reliquari. Eſt autem reliquari, æs alienum, ex reliquis rationum contrahere. Paulus in *l. Lucius. de adminiſtratione tutorum*. Non ex eo quòd adultus eum qui prædia eius coluit, procuratorem habere voluit: debitum quod ex conductione reliquatus eſt, agnouiſſe eum videri.

Ad l. Roma. tit. ad municipales.

In hac lege valdè errat Accurſius, & plerique Doctorum, qui eum ſequuntur. hæc enim verba huius legis (Roma communis patria noſtra eſt) enarrans Accurſius id dictum, idcircò exiſtimat quod quilibet Romæ conueniri poſſit. Quam ſententiam iuris Pontificij Gloſſatores vbique probant, vt & pleraque alia errata Accurſij in ſuum ius tranſtulere: vt oſtendam plenius aliquando. nullúſque etiam fere eſt ex iuris ciuilis Doctoribus, cui hæc interpretatio non arrideat, & inter cæteros Iaſoni placet in *l. Quis Romæ. D. de verborum obligationibus*. Cæterum tantum abeſt vt hæc ſententia mihi placeat, vt verbis Iuriſcōſulti eam repugnare exiſtimem. Quis enim eſt tam ſtupidus, vt admittat id conſequens eſſe, propterea quòd aliquis conueniri in illa vrbe poſſit, idcircò eam cenſeri patriam, an quòd Lugdunenſis ſit à ſuis iudicibus ad ſupremam curiam Pariſienſis eſt. At hoc abſurdum videtur. ergo & illud: Si vellem veram ſententiam huius loci afferre, in medium eſſent mihi afferendæ nimis multæ hiſtoriæ, quas ob breuitatem omitto.

Ad l. 14. de legationibus.

Malè Accurſius pro libera legatione legit, Qui liber à legatione abeſt, & non tanquam legatus, inquit ille. & male idem interpretatur, [qui liberè. i. liberatus.] nos dicamus legendum [libera] ablatiuo caſu. & errore ac ignorantia librariorum in duas voces ſolutam fuiſſe hanc vocem. De liberis legationibus aliquid dicendum. hæ ornamenti tantùm cauſa à ſenatu impetrabantur: quemadmodum honorarij magiſtratus à principibus honeſtamenti cauſa tantùm conceduntur, titulóque tenus obeuntur, & geruntur. Hæ autem legationes impetrabantur ab iis Senatoribus, quibus negotia futura erant in prouinciis, vt qui hereditates aut legata perſequi velint, aut qui nomina exigere volebant in prouinciis.

Ad l. 16.

Accurſius ſenſum huius legis non percepit, quia compendij ſignificationem vbique ignorauit. hic autem eſt ſenſus, tum maximè eundem hominem plures ſimul legationes obire conceſſum eſſe, cùm viatici ratio & itineris compendium hoc fieri ſuaſerit, hoc eſt cum minore diſpendio plures ſimul obiri legationes, quàm ſeparatim & ſigillatim poſſunt.

Ad l. ſi quis. §. voto. D. de pollicitationibus.

Quærit hic Accurſius, qui fit vt filiusfamilias per conuentionem hominis potius obligetur, quàm Deo immortali, *l. filiusfamilias. D. de obligationibus & actionibus*. ſatis inepte reſpondet cum Deo agi mitiùs, quæ ratio non magis filiofamilias congruit, quàm cuiuis alij. nec video quare remiſſior ſit Deus ſeruo quàm libero, ſi non ſolet perſonas acceptare, *Nouella de monachis, collatione* 1. § 1. Quocirca ſcire debemus, Deū hominum ſummum creatorem ac principem nō ſemel hominis naturā conſiderari & cenſeri. inde fit vt munerum promiſſione capi eum quodammodo ſuſpicemur, tanquam contractu do vt facias, *canone magna. extra de pœnitentia, diſtinctione* 1. filiusfamilias vnà cum ſeruo à voti obligatione eximebatur, propterea quòd nimium ad vouendum propenſus vterque eſt.

Ad §. vlt. l. iij. de verborum ſignificatione.

Quod in hoc §. vlt. dicitur hæreditatem eius qui apud hoſtes eſt, non dici id Accurſius malè ſentit ex ſummo tantum iure dici. nam ex bono & æquo, inquit ille, aliter lex Cornelia, conſtituit, quæ antequam caperetur, mortuum fingit: quæ interpretatio huic loco non conuenit, licet alias vera ſit. nam qui rectius interpretantur, rectè putant hæreditatem eius qui apud hoſtes deceſſit, nullo modo poſſe dici, licet ex lege Cornelia hereditatem eius qui captus eſt dicere poſſimus, quoniam hæc captura in ea lege vice mortis ſucceſſit. Hæc Alc. ita interpretatur.

Ad l. viij. ad verſiculum extra computationem.

Accurſius quatuor interpretationes affert, ex quibus quatuor vnam probat, quæ omnium peſſima eſt. id enim accipit de actionibus, quaſi hæ pecuniæ appellatione non comprehendantur, vel de rebus ſacris, quoniam in nullius bonis ſunt: & hæc

hæc eſt quam probat Accurſius, cùm ſacrà vendi, & in pecuniam redigi non poſſint. Ego puto Iuriſconſultum non ita ſenſiſſe, ſed eum velle hîc latius accipi rem quàm pecuniam, cum res mea dicatur, etiam quæ in patrimonio non computatur. vt ſi de filio, vel de conſanguineo meo ſentiens commendem tibi res meas, quod minimè ei ſignificationi conuenit, quam habet pecunia.

Ad l.lxxvj.

Malè Accurſius ad l.10. hoc tit. ad illum locum in quo dicitur creditores eſſe accipiendos eos quibus debetur ex quacunque actione, excipit realem actionem: ait enim eum qui rei vendicatione conuenitur impropriè debitorem dici, vt qui eum ſequuntur exiſtimant, *l.ſi.ff.de act.in prand.* hoc, inquam, falſum eſt, quia negari non poteſt eum qui rem meam poſſideat reſtituere eam mihi debere. nec obſtat quòd *§. omnium Inſt. de act.* eum nullo iure teneri dicat, quia ex narrationis argumento apparet nullo iure perſonam ipſam obligari: non tamen ideo conſequens eſſe puto ratione rei debitorem eſſe.

Neſcit Accurſius ad quam potiſſimùm iuris partem interpretatio verbi Periiſſe, quæ proponitur in l.8. referri debeat. Pertinere enim poteſt ad rei vindicationem, hereditatis petitionem, locationem, commodatum, fideicommiſſum, legem Aquiliam, cæteraque id genus, quibus de rei reſtituendæ exhibendæue periculo & æſtimatione controuertitur.

Ad l.19. de verborum ſignificatione.

Malè Accurſius credidit hoc verbum [geſtum] ad extraiudicialia tantùm trahi, cum rem ſine verbis factam ſignificet: inde improbant quidam eam petitionem, qua quis in iudicio geſſiſſe negotia alicuius ſe aſſerebat. Merito ſane hæc Accurſij dogmata à pleriſque viris doctis non recipiuntur, cum ex ſubiecto argumento geſtum etiam accipiatur, ſiue ex contractu, ſiue aliter quid factum ſit, *l.at praetor. de minoribus.*

Ad l.28.

Nullam Accurſius idoneam rationem adfert, quare res litigioſa alienari non poſſit, & tamen præſcribi poſſit, *l.1.C.de longa temporis præſcriptione.* quoniam, inquit ille, vitium hoc rem ipſam non afficit. melius Bartolus *l.cenſemus. C.de litigioſ.* exiſtimat, licet id vitium perempta inſtantia duret, non tamen alienationem rei factam irritam eſſe. quapropter nec præſcriptionem. Vnde conſequitur, vt quibus caſibus prohibitio alienationis non efficit, quominùs diſtractus valeat, vſucapio quoque procedat, *l.ea lege. C.de Condictione ob cauſam.*

Ad l.30.

Malè Accurſius, quæ ſtirpes ſunt pedamenta eſſe arbitratur. id enim eſt contra M. Varronis & Columellæ cæterorumque antiquorum authoritatem. *ad §.integra. eiuſdem legis.* malè Accurſius paſcendi verbum pro pinguefaciendi accipit. id enim eſt contra rationem ſermonis. hoc enim loco terra integra intelligitur, nondum à pecore depaſta. In explicatione legis 37. Accurſius neque cælum, neque terram attigit. Itaque tota eius gloſſa delenda eſt.

Ad l.42.

Ad vocem Furtum Accurſius contra mentem Iuriſconſulti ita intelligit, vt furtum adulteriúmque natura probrum ſit, quoniam, inquit ille, eſt in Decalogo, Non furtum facies. Non mœchaberis. quæ interpretatio, licet vera ſit, huic tamen loco non conuenit. defendere enim poſſumus furtum non naturâ, ſed ciuili lege probrū eſſe, adulterium verò etiam naturâ. Nam leguntur fuiſſe aliqui populi, apud quos furari impune licebat, vt Ægyptij Lacedæmoniis. certè etiam laudi dabatur eſſe furem, nec deprehendi quòd hoc potiſſimùm exercitamento cautiores diligentioréſque adoleſcentes fierent. Cùm ergo communi omnium gentium iure furtum non puniretur, meritò huiuſmodi probrum magis ciuile quàm naturale dicitur.

Ad l.48. eod. tit.

Varias inſcriptioni huius legis interpretationes Accurſius affert, ego puto referri ad veterem debitorum in ius vocationem. Excipiuntur enim perſonæ quædam, quæ neque duci, neque ſequi aduerſarium coguntur. & de his perſonis titulo quodam ſpeciali ea de re edito tractauerat Caius: nam in omnibus antiquis Codicibus ea verba inſcriptionis loco ſunt.

Ad l.49.

Malè Accurſius ciuiliter ea bona eſſe intelligit, quæ onera etiam annexa habent, vt hereditas. & ea quæ bona non poſſidemus: naturaliter verò bonorum appellatione ſolum comprehendi quod ſupereſt deducto ære alieno. Ego etiam ita eſſe Iuriſconſulti ſententiam exiſtimauerim: hoc ſcilicet modo bona ex naturali ſignificatione omnia bona comprehendere quæ proſunt, ex ciuili verò ſignificatione ad facultates tantum referri.

Ad l.Impenſæ eod tit.

Accurſius in hac l. non intellexit quid ſit loricatio, non eſt enim cælatura in modum loricæ facta, ſed hoc loco Paulus huiuſmodi loricationem ſignificauit, quæ nonnihil ſimile, vel operis tectorij habeat ad picturam admittendam: vel in ſummis ſtructuris aliquid elegantius cohoneſtamenti gratia factum, potius quàm ſtructuræ protegendæ. nam lorica parietum murorum eſt, & ſtructurarum, Vitruuius libro 2. de lateritiis parietibus loquens, loricam appellat coronarum proiecturam, quæ fit in parietibus eiuſcemodi. Curtius libro 9. quodam loco loricam appellat ſtructuram faſtigiatam, quæ aquam pluuiam vtrinque diſpellit extra parietem, velut ſuggrundulis prominentibus.

Ad l.cùm biſſextus.

Malè Accurſius exiſtimauit in hac lege Catonem & Mutium à Celſo reprehendi, quaſi abſurda dicentes. Ne lōgiores ſimus in harum rerum interpretatione, quæ ad ius parum facere videntur, ſufficiet loca indicare, ex quibus hæc peti poſſint. Videndus igitur eſt Macrobius lib.1. Saturnaliorum cap.13.

Ad l.anniculus. § 1. eod. tit.

Reſponſum l.anniculus. §.1. D. de verb. ſignific. poſt varias aliorum interpretationes alio ſenſu declaratur.

Verba Iuriſconſulti in *l.anniculus. §.1. D. de verb. ſignific.* hæc extant. [Ante diem decimum Calendarum, & poſt diem decimum Calendarum, vtroque ſermone vndecimum dies ſignificatur. Sed huic reſponſo obſtat, quod in *l.qui ante. D. de verb. oblig.* dicitur, Si quis ante Calendas ſtipuletur, perinde eſſe ac ſi Calendis ſtipulatus ſit. Hinc enim inferri poteſt, eum qui ante diem decimam Calend. dare promittit, non vndecimo (vt in *d.l.anniculus. §.1. annotatur.*) ſed decimo die dare obligatum eſſe. Imò Iuriſc. in d. §.1. contrarium dicere videtur, cum aſſerit, ante diem decimum, & poſt diem decimum idem eſſe. In hac difficultate And. Alciatus in d. §.1. multa ſcribit, ipſéque reiectis aliorum opinionibus duas eius reſponſi interpretationes in medium affert. Ego verò Iurecōſultum in d. §.1. ad ſpecialem caſum reſpexiſſe arbitror: nempe illum, cum quis ita ſtipulatur: ſi ante diem decimum Calendarum opus perfectum non fuerit, tunc quanti id opus futurum ſit, tantam pecuniam dari: hoc enim caſu promiſſor non niſi poſt decimum diem, hoc eſt, vndecimo die, ad id, quod intereſt, tenetur: vt eſt text. in *l.ſtipulationes non diuiduntur. §.penult. D. de verb. obligat.* cuius verba hæc ſunt: Si quis ita ſtipulatus ſit: Si ante Calendas Martias opus perfectum non erit, tunc quanti id opus erit, tantam pecuniam dari: diem promiſſionis cedere, non ex quo locatum eſt opus, ſed poſt Calendas Martias, quia nec conueniri ante Calendas Martias reus promittendi poterat. Hactenus verba textus. Hoc ergo ſpeciali caſu procedit dictus §.1. vt verba illa, Ante diem decimum Calendarum, vndecimum diem ſignificent. Extra hunc caſum putarem locum eſſe *dictæ l.qui ante.* Vt hæc verba: Ante diem decimum Calendarum, de decimo die intelligantur, non autem de vndecimo. Si quis

autem

autem rationem ſpecialitatis in ſupra ſcripto caſu quærat: putarim rationem non longè quærendam eſſe, cùm Iuriſconſultus ipſemet in *d.l.ſtipulationes non diuiduntur.§. penult.* rationē reddat, his verbis. Quia nec conueniri ante Calendas Martias reus promittendi poterat. Et hæ quidem interpretationes dicti *§.1.& d.l.quæ ante.* nō ex vi verborum, ſed ex mente & ſententia procedunt. Nam ſi verbis inhærere velimus, vtique verba illa, ante diem decimum Calendarum, neque decimum, neque vndecimum diem ſignificarent, ſed nonum. Et hoc modo accipienda ſunt loca Ciceronis ab Alciato in *d.§.1.citata.* Notum autem eſt, interpretationem ſecundum mentem & ſententiam aliter fieri, quàm ſecūdum verba, *l.contra legem.l.ſequent. D.de leg.l.ſi in venditione.vbi gloſſ.pen.D.com.præd.d.l.ſed Celſus.§.ſi fundus.D.de cont.empt.l.ita ſtipulatus*, vbi gloſ. in verbo, ex ſententia. *D.de verbor.obligat.* Appellant id Rhetores ſcriptum & ſententiam. Vide Bernardinum Vaſtherum.

Ad l.verba de verborum ſignificatione.

De intellectu l.verba, D.de verb.ſignif.& l.eandem in princip. D.de duobus reis.

Vlpianus lib.12. Verba, inquit, contraxerunt, geſſerunt, non pertinent ad teſtandi ius, *l.verba.D.de verb.ſignif.* Sed huic reſponſo Accurſius duo obiicit. Primò, quod in *§.ſed neque.Inſt. de teſt.ordin.* dicitur, totum negotium, quod agitur, teſtamenti ordinandi gratia, credi hodie inter teſtatorem, & hæredem agi: vt appareat, verbum agi, ad teſtandi ius pertinere. Secundò obiicit Accurſius textum, *l.teſtamentum. C.de teſtam.* vbi dicitur, neceſſaria prætermiſſa imminuere contractus, & teſtatoris officere voluntati: quaſi diceretur, neceſſaria prætermiſſa, imminuere contractus, id eſt, teſtamenta. Præter Accurſium, tertio loco adduci poteſt, *l.eadem.in princ.D.de duobus reis.* In quo reſponſo teſtamentum inter contractus numeratur. Verba autem reſponſi hæc ſunt. Fiunt duo rei promittendi, quia non tantum verbis ſtipulationis, ſed & cæteris fiunt contractibus, veluti emptione, venditione, locatione, conductione, depoſito, commodato, teſtamento: vt puta ſi pluribus heredibus inſtitutis, teſtator dixerit. Titius & Mæuius Sempronio decem danto. Ego aliquando arbitratus ſum hanc contrarietatem legum ſic diſſolui poſſe: Vt dicamus Vlpianum in *d.l.verba non de proprietate verbi contraxerunt, & geſſerunt*, agere, ſed edictum Prætoris, ſecundùm mentem ipſius Prætoris interpretari. Eſt enim hoc Vlpiani reſponſum ex duodecimo ipſius libro depromptum: qui liber ad interpretationem edicti prætoris pertinuiſſe videtur: cùm relatum ſit, ipſum octuaginta tres ad edictum libros ſcripſiſſe: ex quibus decimus liber, in inſcriptione, *l.bona.& l.inter publica.D.de verborum ſignif.* citatur. Cùm ergo Prætoris edicto, hæc verba contineretur. Quod cum minore vigintiquinque annis natu geſtum eſſe diceretur, vtique, quæ res erit, animaduertam. *l.1.D.de minor.* Ea verba Vlpianus in *l.Prætor.in princ. D. eodem*, ſic interpretatus eſt, vt Geſtum accipimus qualitercunque ſiue contractus, ſiue quid aliud contingat. Cùm ergo Vlpianus in dubium fortè vocari animaduerteret, an quemadmodum in edicto Prætoris ſub verbo geſtum, contractus continentur, *d.l.ait Prætor.in princip.* Ita quoque teſtamenti factio ſub edicto contineatur: ita vt minor aduerſus teſtamentum, perinde atque aduerſus contractum, & rem geſtam reſtitui poſſit. Ideò dicit Vlpianus in *d.l.verba.* hæc verba contraxerunt, & geſſerunt, ad teſtandi ius non pertinere: quaſi diceret, mentem Prætoris non fuiſſe minorem aduerſus teſtamentum inconſultè conditum, reſtitui debere. Quod autem minor in hoc caſu reſtitutionem petere nequeat, id tradit Bartolus in *d.l.verba. & in l.1.§.fuit quæſitum.D. ad Trebellianum.* Cuius rei rationem Iaſon in *d.l.1.§.fuit quæſitum.* poſt Angel. Imol. Raph. Com. & Alexand. adducit: quia cùm minor poſſit ſibi prouidere de iure communi, reuocando nimirum tale teſtamentum, *l.ſi quis in principio teſtamenti.D.de leg.3.l.poſthumus.§.1.D.de iniuſto rupt.* ideo ceſſat remedium reſtitutionis, quod eſt extraordinarium. *l.in cauſa.2.in princip.D.de minor.* Imò ſi minor dolo alicuius inductus teſtamentum feciſſet, idque ex imbecillitate non reuocaſſet: tunc competeret heredibus actio de dolo. *l.Lucius.§. Sempronia.cum gloſ.in verbo, actione.D.de legat.2.cum concordant. per Iaſonem, in d.l.1.§.fuit quæſitum, allegatis.* Poterunt ergo hæc duo ſimul eſſe, vt verbo, contraxerunt, & geſſerunt, vltima voluntas contineatur: etiamſi mens Prætoris fuerit verba illa in edicto ſuo ad vltimas voluntates non extendere. Aliud enim iudicamus ſecundùm verba, aliud ſecundùm mentem, *l.contra legem.& l.ſequent.D.de legibus.* Sed vt concedam, verba Contraxerunt & geſſerunt, vltimam voluntatem non comprehendere: quæ communis videtur eſſe opinio Doctorum in *d.l.teſtamentum.* poterit tamen alia ratione prædicta contrarietas dilui. Nam quod in *d.§.ſed neque verbum, agere*, ad teſtamenti factionem refertur, id non obſtant *dicta l.*verba, quia illic non de ſignificatione verbi Agi, ſed verbi Geri, tractatur. Eſt autem differentia inter verbum agi, & verbum geri: nam verbum agi, ſiue actus generale eſt, ſiue re, ſiue verbis agatur: geſtum autem rem ſignificat, ſine verbis factam, *l.Labeo.2.D.de verborum ſignific.* Meritò igitur verbum Agi, ad teſtamenti ius referri poteſt, non autem verbum Geri: cùm in teſtamentis verba requirantur. Non obſtat etiam *d.l.Teſtamentum.* Nam Iaſon illic reſpondet, textum non hoc dicere: quaſi teſtamentum ſit contractus, ſed argumentum ducere à contractibus ad vltimas voluntates. Nec magis obſtat *dicta l. eandem in princip.* quam legem allegat Iaſon in *d.l.teſtamentum.* Nam etſi ad eam legem non reſpondeat, putarim tamen facilè reſponderi poſſe. Neque enim textus illic teſtamentum ſimpliciter inter contractus recenſet; quaſi teſtamenti factio, contractus ſit: ſed hoc potiùs dicit, teſtatorem in ſuo teſtamento, heredes ſuos, aliis obligare poſſe, vt tanquam ex contractu heredes teneantur. Idque ex his verbis colligitur, cùm text. ſic ait: vtputa ſi pluribus heredibus inſtitutis, teſtator dixerit, Titius & Meuius decem danto. Hæc ex doctiſſimi viri Miſcellaneis obſeruationibus, quæ ad inſtitutum meum facerent, deſumpſi.

Ad l.j. de regulis iuris antiqui.

Quid ſit cauſæ coniectio. Atque emendata l.1.D. de reg.iur.vbi hactenus cauſæ coniunctio lectum eſt.

In l.1.D.de reg.iur. ſic legitur: Regula eſt, quæ rem, quæ eſt, breuiter enarrat, nō vt ex regula ius ſumatur, ſed ex iure, quod eſt, regula fiat. Per regulam igitur breuis rerum narratio traditur. Et, vt ait Sabinus, quaſi cauſæ coniunctio eſt, quæ ſimul cùm in aliquo viciata eſt, perdit officium ſuum. Quo in loco, vulgò cauſæ coniunctionem, pro coniunctione rationis interpretantur. Ex coniunctione enim plurium cauſarum eandem rationem habentium, regula conſtituitur. *gl.& Doct.in d.l.1.& in rub.eod.tit.in 6.Arch.in c.regula.3.diſt.* Sed hæc interpretatio And. Alc. *lib.5.parerg.c.1.* nōn placet. Ipſe igitur verba legis, ex Rhetorum traditionibus, aliter interpretanda cenſet. Hi enim cauſam eſſe maximam propoſitionem definiunt, à qua argumentum ducitur. Vt ſi quis iuſtitiam velit oſtendere eſſe naturalem, dicat. Quorum cauſę efficientes ſunt naturales, ipſa quoque effecta eſſe naturalia: At conuentus hominum naturalis eſt, legitur & iuſtitia: Id quod latius apud And. Alc. in præd. c.1. explicatur. Sed hæc interpretatio à verbis Iuriſconſulti nimium aliena eſt. Ego igitur quod à Iuriſconſulto quodam in gymnaſio Viennenſi quandoque accepi, in medium adferam. Is pro coniunctione, coniectionem, in *d.l.1.* legendum eſſe arbitrabatur. Appellarunt enim veteres cauſæ coniectionem, cùm longa quæpiam oratio, in epilogum ſeu ſummam redigeretur. Quod Aſconius Pedianus in libr.2. Verrinarum actionum his verbis oſtendit: Quo, inquit, dato, deinde inter ſe comparendum diem, vt ad iudicium venirent denunciabant, quo cùm eſſet ventum, antequàm cauſa ageretur, quaſi per indicem rem exponebant, quod ipſum dicebatur cauſæ coniectio: quaſi cauſæ ſuæ in breue coactio. Meminit & Cicer. libr.2. ad Heren. his verbis, in comitio aut in foro ante meridiem cauſam coniicito. Gell. quoque *lib.17.c.2.* in duodecim tabul. inquit, verbum hoc ita ſcriptum eſt: Ante meridiem cauſam conſcito, cùm perorant ambo præſentes. Videtur autem pro conſcito coniicito legendum eſſe. Gel. *lib.5.c.10.* Litem, inquit, cum Euathlo conteſtatur: Et cùm ad iudices coniiciendæ conſiſtendæque cauſæ gratia veniſſet tunc, &c. Eſt igitur regula, quaſi cauſæ coniectio, id eſt, rei in breue coactio.

Ad l.1.de regulis iuris.

Quid his verbis ſignificetur [quaſi cauſæ coniectio] malè integ-

interpretes explicuerunt, ac primò Placentinus interpretatur ſic dici, quia plures cauſæ ſimul iunctæ regulam conſtituunt: qui ſenſus verbis ipſis repugnat. idque ita manifeſtum eſt, vt non egeat interpretatione. Ioannes [illegible] melius cauſam, id eſt rationem interpretatur, quaſi regulæ cauſam. i. rationem coniunga:, vt quæ in vno caſu reddita eſt in aliis quoque procedat, qui eadem æquitate nitantur, legendum eſt Coniectio. hæc autem cauſæ coniectio fiebat à litigatoribus, qui cum ad iudicium veniſſent antequam ageretur cauſa, rem quaſi per indicem exponebant, & cauſam ſuam in breue cogebant. hæc autem cauſæ coniectio videtur à xij. Tabulis originem ſumpſiſſe, in quibus ita eſt, [In foro aut comitio ante meridiem cauſam coniicito.]

Ad l. 2. de regulis iuris.

Ad l. 2. malè Græcus interpretes putat ciuile iudicium à publico differre. putat enim ciuile officium eſſe iudicare: publicum autem polluiare, & ſimilia quæ hic enumerãtur. ſic enim ait: [illegible] Qui melius interpretantur, putant ciuilia non eſſe ſeparanda à publicis: & perinde verba hæc iſto loco interpretantur atque ſi Iuriſconſultus dixiſſet, ciuilibus ſiue publicis.

Malè Placentinus, aut quiſquis ille eſt huius Tituli [illegible], Iudices hic accipit pro Iudicibus ordinariis, qui maiores iudices appellantur, *l. non diſtinguemus. §. de liberali. de receptis*. Nam frequentius ea vox in libris noſtris pedaneos, datos, delegatos iudices, qui priuati nec in vllo honore ſunt, ſignificat, licèt etiam ſæpe magiſtratus tam vrbani quàm prouinciales nominentur Iudices. *l. ſi cum dotem. §. eo autem. verſic. ideó que. ſoluto matrimonio. l. 1. de iudiciis. l. in comites, ad legem Iuliam repetundarum.*

Ad l. 6. eod. tit.

Malè Accurſius interpretatus eſt hanc legem, Nititur enim. nec tamen poteſt, niſi fallor, huic regulæ ſatis accommodatã, non dico veram ſpeciem proferre, nec vlli alij interpretes qui eum ſequuti ſunt, eam ſpeciem rectè protulerunt. Ex recentioribus quidam rectè putant hanc legem pertinere ad Titulum, *Si quis omiſſa cauſa teſtamenti.* Nam inde quæri ſolet, ſi quis teſtamentariam ſucceſſionem repudiauit, fraudandorum creditorum vel fideicommiſſorum gratia, quid ſtatuendum ſit. & lex hæc videtur pertinere ad l. 2. eius Tit. vbi à Diuo Adriano reſcriptum eſſe Vlpianus refert, vt in eum qui pretio accepto prætermiſerit hereditatẽ, actio detur, exemplo eius qui omiſſa cauſa teſtamenti ab inteſtato poſſidet hereditatem: licèt is pro herede gerere non videatur, qui ſucceſſionem tranſmiſit ad alium, vel accepto pretio. Sane hunc pro herede nõ gerere obtinuit. Non enim vt eodem libro 7. Vlpianus tradit, heres eſſe vult, qui ad alium transferre voluit hereditatem, vt hac noſtra regula continetur. ſic videtur hæc regula coniungenda cum illa lege illius Tituli, quæ eſt ex eodem libro: & hinc videre poſſumus quantum inſcriptiones illæ legum nos iuuent, quod non perceperunt antiqui.

Ad l. 8. eiuſdem tituli.

Huius regulæ ſenſum aſſecutus eſſe non videtur vllo modo Accurſius. Ius enim ſanguinis accipit pro iure conſanguinitatis, quod non eſt naturale, ſed ciuile. nam adgnatio iuris ciuilis nomen eſt, *§. vlt. Inſtit. de agnatorum tutela. l. Iuriſconſultus. ad ſi. de ſuis & legitimis.* & ideò ſeparatur à naturali iure. in *§. ſed hodie. Inſtit. de adoptionibus.* Ius autem conſanguinitatis eſt ſpecies adgnationis. *§. vulgò quæſitum. Inſtit. de ſucceſſione cognatorum.* Ius itaque ſanguinis à iure adgnationis diſtinguitur. hoc enim non illud aufert adoptio, *l. qui in adoptionem. de adoptionibus.* Reiecta igitur Accurſij interpretatione, ſic interpretemur quod hîc Pomponius ait, Iura ſanguinis nullo iure ciuili dirimi poſſe, vt hoc ideò fiat, quoniam iura ſanguinis ſunt naturalia, *l. 2. vnde cognati.* Ciuilis autem ratio naturalia iura corrumpere non poteſt, auctore Caio. *l. eas obligationes. de capite minutis. §. vlt. Inſtit. de legitima agnatorum tutela.*

Ad l. 9.

Cùm ſoleat Accurſius omnes oppoſitiones in medium proferre, mirum eſt ab eo prætermiſſam fuiſſe, *l. ſi is qui duntaxat. in princip. de rebus dubiis.* hæc enim huic legi obſtare videtur. Ibi enim cùm duæ ſummæ in ambiguitatem inciderint, non tantùm non debetur maior, ſed etiam vtraque præſtanda eſt. Verùm vt illud contrarium ſoluamus, dicamus in illa ſpecie illud accidiſſe propter vim, naturam, atque proprietatem articuli [eum.]

Ad eandem l. miror Accurſium & Placentinum latuiſſe ad huius legis interpretationẽ plurimum facere. *l. ſemper in ſtipulationibus. hoc eodem tit.* nam etſi diuerſa eſt inſcriptio, diuerſa oratio, eadem tamen omnino eſt ſententia Vlpiani.

Ad l. 11.

Huic legi non obſtat quod de pacto legis commiſſoriæ vel addictionis in diem vel melioris conditionis allatæ Accurſius tradit hoc modo fieri, vt rei dominium ad venditorem ab emptore rurſum ſine traditione transferatur. Nam cùm reſoluta & reſciſſa ſit emptio, atque adeo nulla, & iam vel emptio vel traditio interceſſiſſe videatur, quid opus eſt noua traditione, vt res ad venditorem tranſeat, à cuius dominio nunquam abſceſſiſſe creditur, omnibus ita in priſtinum ſtatum reſtitutis. Item non obſtat quod affert idem Accurſius de alluuione, de principe, aut fiſco, de creditore, de executore. nam hi modi ad acquirendum, aut ſine facto noſtro transferendum dominium in aliquem introducti ſunt, vel iure gentium, vel conſtitutionibus, & innumeri ſunt caſus quibus inuiti dominium rei noſtræ amittimus.

Ad l. 12. eod. tit.

Quæ hîc ab Accurſio referuntur inter legatum & venditionem, vel ſtipulationem differentiæ, nihil ad hanc noſtram regulam pertinent. Item quod ait, non vt legato, ita vendito vino vaſa ſequi, falſum eſt. Emptorem enim vini vaſa ſequuntur, in quæ ita diffuſum illud eſt, vt non ad perpetuum vſum reſeruaretur. Nam quod liquidæ materiæ eſt, quia per ſe eſſe non poteſt, rapit ſecum in acceſſionis locum id ſine quo eſſe non poteſt, *l. 4. de penu legata.*

In *l. cum hi. §. qui tranſigit. de tranſactionibus.* Accurſius torquet ſe miris modis in perſcrutanda diuerſitatis ratione, quæ non aliunde, quàm ex hoc loco deſumenda eſt. Locus talis eſt, vt qui de alimentis tranſigit, quod prætore authore facere debet, neque de habitatione, neque de veſtiario tranſegiſſe videbitur, niſi disertè ſingulorum fecerit mentionem: ratio eſt, quia pleniùs teſtantium voluntates interpretari debemus.

Malè Accurſius hæc verba pleniùs accipit, quaſi dicat, Iuriſconſultus pleniùs quàm in contractibus. eundem hac in re malè ſequuti ſunt iuris Pontificij conditores in *c. cùm dilectus in fine, extra de donationibus.*

Ad l. 13. quis obligatione. §. 1.

Malè Accurſius putauit hanc legem pertinere ad edictum [de eo quod metus cauſa.] nam vt ex inſcriptione manifeſtum eſt, pertinet ad edictum de calumniatoribus, vt is in edictum de calumniatoribus non incidat, cui ad negotium faciendum aut non faciendum ſtipulanti promiſſum ita quid fuerit, vt petituro poſſit aliqua opponi exceptio.

Ad l. 18.

Non obſtat quod huic legi Accurſius obiicit ex *l. ſi verò non remunerandi. § ſi filiusfamilias, mandati.* Nam ibi non priùs obligatio mandati nata eſt. nec enim antè ſoluit filiusfamilias, quàm emancipatus fuerit: ideóque patri eſt inutilis ex contractu actio.

Ad l. 27.

Nec nominatim, nec tacitè cõtra ius publicum paciſci poſſumus: quamquam ſecùs exiſtimet Accurſius, *l. neque. §. 1. ſ. hoc titulo*

titulo. nam fraus publico fieri non debet, *l. contra. l. fraus. de legibus*. Ius publicum circumueniri non debet: *l. cum hi. §. transactiones. de tranſactionibus*.

Ad l. 24. eod. tit.

Malè Odofredus & Martinus diſtinctionem illam de lata, leui & leuiſſima culpa, quæ adhibetur in quibuſdam contractibus etiam mandato etiam adhibere volunt authore Accurſio, quorum opinio non immeritò improbatur. Nam ſiue mea tantùm gratia tibi mandem, ſiue aliena tantùm ſiue mea & aliena, ſiue mea & tua, ſiue tua & aliena (nam his omnibus modis mandatum contrahitur, *l. 2. mandati. & Inſtit. eodem titul. in princ.*) ſemper mandatarius ſiue procurator exactiſſimam diligentiam adhibere debet, ideóq; improuiſo caſu excepto præſtat omne periculum, & vt aiunt Imperatores, *l. à procuratore. C. mandati*. dolum, omnémque culpam, id eſt, nō modò leuem, ſed etiam leuiſſimam, denique tenetur, etſi non geſſerit. Nam aliena negotia, vt Imperatores aiunt, *l. in re mandata. §. vlt. C. mandati*. exacto, id eſt, vt quidam rectè interpretantur, exactiſſimo geruntur officio, neque quidquam in eorum adminiſtratione neglectum culpa vacuum eſt, & vt Marcus Tullius ait pro Roſcio Amerino eo loco: In priuatis rebus ſi qui rem mandatam non modò malitioſiùs geſſerit, ſeu quæſtus aut cōmodi cauſa, verùm etiam negligentiùs is admittit ſummum dedecus, &c. vide quæ ad hunc locum faciunt ibidem.

Ad eandem legem.

Malè Accurſius exiſtimat eum qui in rebus ſuis ſit negligētiſſimus, ſi talem quoque ſe præſtet in depoſito, non teneri, quia nihilo magis tenetur, quicquid Accurſius exiſtimet. nec enim hîc ſubeſſe vlla fraus videtur. Cōtrà ſi in propriis rebus diligentiſſimum ſe quis præſtet, fraude non caret, ſi ad eum duntaxat modum, quem hominum natura deſiderat, in depoſito eſt diligens.

Malè Azo in eadem lege putat maritum non teneri, qui in ſeruos dotales vxoris alienos fuerit ſæuus etiamſi natura talis ſeruos dotales vxoris alienos fuerit ſæuus, etiamſi natura talis & in ſuos eſt, ego tamen puto de culpa leui teneri; quidquid Azo contrà exiſtimet, vt probatur *l. ſi filiofamilias. §. maritus. ſoluto matrimonio*, vel ob id quod ſui cauſa dotem accepit; *l. in rebus. de iure dotium* iudicio dotis dicendum eſt, immoderatam ipſius coërceri debere ſæuitiā in alienis, quæ in propriis quoq; culpanda eſt, vt Vlpianus ait in *l. ſi conſtante. §. ſi maritus. ſoluto matrimonio*. Ergò non ideo minùs tenetur maritus ob ſæuitiam in dotales immoderatam, quòd eadem in proprios vtatur, eáq; nimia vt magiſtri vt creditoris, ita mariti ſæuitia culpæ annumeratur.

Ad l. 29. eod. tit.

Falſum eſt quod Placentinus aut Scholiaſtes ille quiſquis eſt, ait hanc regulam non ad contractum, qui certè poteſt ex continuatione temporis firmari, ſed ad vltimam voluntatem pertinere. Et ſanè ad ſupremas voluntates accommodari rectè poſſe non inficior. nam omnia quæ teſtamento proficiſcuntur ita ſtatum euentus capiunt, ſi initium quoq; ſine vitio ceperint, *l. omnia quæ. hoc tit.* adeo vt quæ ab initio inutilis fuit inſtitutio, ex poſtfacto conualeſcere non poſſit, *l. penult. hoc tit.* Verùm arbitror ipſe accipiendam eſſe hanc Regulam cum Petro Fabro de non interpoſita in ipſo negotio tutoris authoritate. idque ex inſcriptionibus manifeſtum eſt. hæc enim Regula eſt ex libro 8. ad Sabinum, ex quo libro quæ deſumptæ ſunt leges, reliquæ omnes ferè ſex ad quæſtionem de Tutelis pertinent, multùm ſane facit ad intelligētiam horum fragmētorum inſcriptio legum. ex his enim ſcire potes ad quam partem Iuris quaſque leges referre poſſis.

Ad l. 28. debebat referri *l. in condemnato. in princip. j. hoc tit.* vt ratio inſcriptionis docet, quòd non eſt aſſecutus Accurſius. Placentinum tamen aut Bulgarum ex antiquioribus nō latuit.

Ad l. 57. eod. tit.

Malè vulgò ſic pronuntiatur hæc ſententia huius legis, vt nemo poſſit abſoluere qui condemnare non poſſit, vt is demū abſoluendi qui & condemnandi poteſtatem habeat. Itaque ab Accurſio & Placentino accipitur, quam regulam vitiari certum eſt in ſpecie, *l. 3. §. adeo autem. C. vbi ſenatores vel clariſſimi*, ſed Accurſius male eam vitiari putat in *Authent. clericus quoque. C. de epiſcopis & clericis*. quod falſum eſt. Nam Iuſtinianus in Nouel. Conſtit. 83. ex qua hæc Authentica deſumpta eſt, nō negat quin poſtquam ſacerdotio ſpoliatus fuerit clericus condemnari poſſit à Rectoribus prouinciæ: quinimò id iubet nominatim in *Nou. 123. §. ſi verò crimen.* Præſtat igitur reiectis his interpretationibus Placentini & Accurſij Florentinam lectionem retinere, vt qui condemnare poſſit, multò magis eum abſoluere poſſe definiamus, Cur verò melior ſit hæc interpretatio, mihi perſuadet Paulus qui *in l. 3. ſ. de re iudicata*, idem definit. Qui damnare poteſt, (inquit ille) is abſoluendi quoque poteſtatem habet.

Ad l. 33.

Malè Iohannes improbat interpretationem Bulgari, cuius opinionem Accurſius refert. hæc lex enim ab eo intellecta, & niſi fallor, vt oportebat explicata fuit.

Ad l. 41. eod. tit. ad verſic. fideiuſſores quoque.

Malè acceptum fuiſſe hunc verſic. ab Accurſio indicat *l. fideiuſſor. ſ. mandati*. ex qua exemplū ſententiæ huius elici poſſe arbitratur, non intellexit etiam quid eſſet allegare in hac regula: nos dicamus ſic allegare in hoc loco accipiendum eſſe, vt fideiuſſor iuſtam cauſam non aduerſus debitorem, ſed aduerſus creditorem alleget.

Ad illa verba, niſi lex impedit. l. 43.

Nullum idoneum exemplum affert Accurſius ad hæc verba. Omiſſis igitur iis quæ Accurſius & Placentinus, cæterique interpretes tradunt, dicamus legem impedire, cùm iubet fori præſcriptionem initio litis opponi, *l. vlt. C. de exceptionib.* nam ſi quis aliis præſcriptionibus vſus ad ſuſceptam actionem excludendam reuerti poſtmodum ad omiſſam initio defenſionē huiuſmodi voluerit, quamuis ante ſententiam id faciat, nō audietur, *l. ſed etſi ſuſcepit. de iudiciis*.

Non obſtat *§. quia autem. l. 1. quod legatorum*. quem Accurſius opponit, *nam ibi non ex eadem cauſa*.

Ad l. 53.

Ad illam quæſtionem Vtrum ſi pupillus ſine tutoris authoritate indebitum ſoluerit, cōſultò, id eſt ſciens eſſe indebitum, an quaſi donaſſe videatur, ei denegetur cōdictio indebiti. Accurſius vt in re dubia ſibi ſatis nō conſtat. nos dicamus, quoniam pupillus nihil cōſultò facere iure ciuili intelligitur, eum ignoranti comparari, & quia de ſuis bonis nihil deminuere poteſt, niſi auctore ſaltem tutore, perſonam hoc caſu locum repetitioni facere, quod ſimiliter in furioſo, & in eo cui bonis interdictum eſt, obtinet: ita vt ſiquidem nummi extant, vindicentur, pro cōſumptis verò condictio locum habeat. Et hoc ſenſit Vlpianus in *l. interdum. de condictione indebiti*. quam legem malè alij aliò contorquent. quidam ad indebitum ex ea cauſa ſolutum, ex quo lis inficiando creſcit: nonulli ad ſpeciem *l. Error. C. ad legem Falcidiam*.

Ad l. lxviij. de regulis iuris.

Quod dicitur in hac lege [in omnibus cauſis] Accurſius malè contra non in omnibus, dicit id locum habere. nam exemplum quod affert non ſat idoneum eſt: affert enim illud ex *l. non ſolum. de reſtitutionibus in integrum*, vbi ab Vlpiano traditur [omnium,] qui ipſi potuerunt in integrū reſtitui, ſucceſſores etiam poſſe, vnde concludit bonus Accurſius, deficiente perſona in hac ſpecie, non deficere beneficium, cui perſonæ conditio locum faciat. Verùm hac in re fallitur Accurſius, quia magis cauſæ ac rei, quàm perſonæ beneficium eſſe huiuſmodi reſtitutionem apertum eſt, ex eo quod non ſemper ſed cauſa cognita indulgeatur. *l. 3. de reſtitutionib. in integrum.* malè idem Accurſius adfert hoc loco, quod Imperatores aiunt, exceptionem Velleiani Senatuſconſulti, quæ mulieris gratia introducta eſt heredibus eius aduerſus creditores dari, *l. here-*

des.C.ad S.C.Velleianũ.nã illa ex exceptio numeratur inter eas quæ rei cohærent, & ſeparatur à perſonæ cohærentibus, *in l. exceptiones.2.§.penult.de exceptionibus*.vbi diſertè Paulus oſtẽdit interceſſionis exceptionem, quia rei cohæreat etiam fideiuſſori, nedum heredi competere.

Ad l.60.

Malè Accurſius & Placentinus voluerunt hanc regulam pertinere ad priuilegium. nam voluit Paulus hac regula idem ſignificare, quod libro 70. ad edictum Vlpianus cum ait, Quod cuique pro eo præſtetur, inuito nõ tribui, *l. inuitus nemo.§.vlt. hoc tit.* ex quo ſequitur vt pecuniam debitor, quam creditori iudicium adire volenti ſe debere faſſus eſt, confeſtim poſſit ſoluere, nec dies ei modicum tempus ad ſoluendã pecuniam detur inuito, quod reis poſt condemnationem indultum eſt, *l.ſi debitori. de iudiciis.l.ſi domus.§.ſi pecunia.de legatis primo.*

Ad l.73.§.nemo poteſt.

Nec Azo, nec Accurſius viderunt nõ obſtare huic legi, cùm dicit [cùm moritur] quod facti fortaſſe teſtamenti tempore in ſuis heredibus eum non habuerit, vt puta cùm filij ſui inſtituti, aut exheredati, quem in poteſtate habet filio, nepoti ſuo non præterito, ſed vel inſtituto, vel exheredato teſtator tutorem dederit ſcripto herede extraneo, ac tandẽ viuo patre ſuo, filius deceſſerit. Hic enim quaſi poſthumus viuo adhuc auo ſucceſſit, confirmatúmq. teſtamentum eſt lege Iulia Velleia. cuius ſecũdo cap. vt in hac ſpecie inſtitutio heredis, ita etiam tutoris datio cõſeruatur, *l.ſi hereditas. §. qui filium. de teſtamentaria tutela.*

Ad l.75.

Ad hanc l. recte ab Accurſio affertur *l. 8. de collationibus.* cùm ſit ex eodem lib.3. quæſt.Papiniani, & huius noſtræ regula quoddam quaſi vitium atque exceptionem complectatur. vt notauimus in libro Benedictorum Accurij.

Ad l.77.

Non idonea Accurſius pleraq; exempla attulit, ac præſertim cùm de hæreditatis aditione in hac lege mentio fit. nam leges quæ hic ab Accurſio afferuntur, non ad aditionẽ, ſed ad hereditatis dationem pertinent, adde quod huic loco manifeſtè repugnant, cùm in *l.hereditas.§.de heredibus inſtituẽdis.* tradatur vitio temporis ſublato, manere inſtitutionem. hic autem diſertè Papinianus tradat hereditatis aditionem vitiari per adiectionẽ cõditionis vel temporis. cui ſententiæ Papiniani valdè obſtare videtur id quod eſt in *l. primo gradu. quæ in fraudem creditorum*, quam hic ab Accurſio, & cæteris omiſſam eſſe miror. Nam ibi diſertè Scæuola ſpeciem ponit, in qua cū conditione adita eſt hereditas, vt creditoribus heres partem duntaxat præſtaret. Dicendũ aditionem puræ fecẽſſe, de eo tamẽ ante aditionem ita heredem conueniſſe cùm creditoribus defuncti, vt ipſis partem duntaxat præſtaret. cùm bona defuncti vix ad quartam partem æris alieni ſufficerent.

Ad tit. de regulis iuris ad l.quicquid.

Clamitat vbique Iul.Paul. Quicquid calore iracundiæ vel fit vel dicitur, non prius ratum eſſe, quàm ſi perſeuerantia apparuerit, iudicium animi fuiſſe: ideóque in breui reuerſa vxor, nec diuertiſſe videtur. *l.3. D.de diuor. l.quicquid. de reg.iur.* vt enim quæ mente captus gerit, rata eſſe non oportet. *l.negotia. ff. de reg.iu.* ita nec quæ ab irato geruntur, qui propè ad inſaniam accedit. [Iratos enim propriè (inquit Cic.in 3. Tuſc.) dicimus exiiſſe de poteſtate, id eſt, de conſilio, de ratione, de mente.] Et paulò ante: [An eſt quicquam ſimilius inſaniæ, quam ira? quam bene Ennius inſaniæ initium dixit.] Rectiſſimè itaque idem Iul.Paul. *l.licitatio in prin. D.de publ.trad.* Si quis vectigalium licitationem, iracundiæ calore vltra modum ſolitæ conductionis feciſſe dicatur, non aliter admittendum, quàm ſi fideiuſſoribus, aut aliàs ſatis cauerit, ſe vectigalia, vt eſt licitatus, ſoluturum: quòd tunc non iræ feruore, ſed animo planè conſulto id feciſſe exiſtimetur. Iram porrò ſemper, ſed in puniendo præſertim, cauendam eſſe, docet Cic. in offic. Architæque Tarentini exemplo admonemur, qui factus iratior villico ſeruo, qui grauiter deliquerat: Punirem nunc te, inquit, niſi iratus eſſem. Et Plato ſemel puero ſubiratus, Xenocrati dixit, Cæde tu hunc puerum. ego enim quia iratus ſum, nequeo. Sapientiſſimè itaque diuinus ille Iob c.36. ait: Nõ te ſuperet ira, vt aliquem opprimas: quemadmodum enim amantes de forma iudicare nequeunt, quòd oculorum ſenſum amor præſtringat: namque.

Ludit amor ſenſus, oculos perſtringit, & aufert.

Ita omnem inquirendæ veritatis rationem iratus iudex amittit. c.ita.11.q.3. Et nullus magis rationi obſtat affectus: quo fit vt ſapiens nuſquam iraſcatur, vt eſt apud Cicer. pro Murena, & Gel.in noct. Attic. lib.1.c.vlt: Quantò verò ebrioſus ab ebrio, iracundus ab irato differt: ira quippe de cauſa eſt, iracundia de vitio, aut morbus iraſcentis: Hoc eſt, qui natura ad iram proclinis eſt, tametſi nunc nulla moueatur ira, iracũdus: qui verò repentina aliqua cauſa mouetur, iratus dicitur. Cæterùm cum Iul. Paulus tradidit, per calorem miſſo repudio, ſi in breui reuerſa ſit vxor, non videri ipſam diuertiſſe, Haloander vir eruditiſſimus, Græcè Latinèque impensè doctus, huic locum non carere mendo putat, expungendamque eſſe dictionem Vxor, cuiúſque loco verbum Vox reponendum cenſet. Quæ emendatio parùm bona mihi videtur, tum quòd emiſſus ſemel ſermo, reuerti non poſſit, iuxta illud Horat. in Epiſt.

Et ſemel emiſſum volat irreuocabile verbum.

Tum quòd vox ad verba illa repudij, quæ apud Caiũ leguntur *l.2. D.de diuort.* Res tuas tibi habeto, res tuas tibi agito, accommodari non poſſit: Quia nõ ſermonem, ſed ſonum quendam duntaxat vox propriè denotet. vt meritò boni authores vocem finientes dicant, eam ſonum eſſe, ex ſignificandi propoſito editum, quæ monſtrat nempe vox, aut ægritudinem naturalis affectus, aut voluntatem. Et Ariſtotele docente, voces ſunt earum, quæ in animo reperiuntur, paſſionum notæ. Nec tamen me fugit, quandoq; vocis verbo ſermonem ſignificari, vt cùm Mart. ad Cæſarem dicebat,

Vox diuerſa ſonat populorum, eſt vox tamen vna,
Cum verus patriæ diceris eſſe pater.

Ad l.92.

Edere eſt copiam deſcribẽdi facere, vel in libello complecti & dare vel dictare, *l.1.de edendo, in princ.* Edenda eſt autem actio, non item exceptio. nec enim, vt Accurſius ibi exiſtimat, verbum actionis largiſſimè ponitur. hæc eius verba ſunt, vt exceptionem complectatur, actor enim inſtructus & paratus ad agendum venire debet: certus inquam eſſe debet, cùm ſit in poteſtate eius quando velit experiri, & ante debet rem explorare, & tunc ad agendum procedere.

Ad l.98.

Placẽtinus quod hîc traditur ad ſpeciem l.28.ſuprà accommodare tentat, quem Accurſius & cæteri quoque interpretes paſſim ſequuntur. nullũ autem appoſitũ exemplum ſatis afferunt: ego puto hãc regulam pertinere ad interpretationem tituli, vt in poſſeſſionem legatorum ſeu fideicommiſſorum ſeruandorum cauſa eſſe liceat, idque mihi perſuadet quod lex fideicommiſſorum eodem titulo habet eandem quam hæc regula inſcriptionem.

Quæ ad ſingulas ætates pertinent, accuratius & ſubtilius quàm verius ab Accurſio hoc in loco perſcrutantur.

Ad l.136.

Non facilè reperies ex interpretibus, qui accommodatũ ad hãc regulam exemplum iudicent. Nã quod Placentinus adfert de fructibus ſine cultura & cura prouenientibus qui ad poſſeſſorem bonæ fidei non pertinent, déque homine bona fide poſſeſſo, nõ ex re poſſeſſoris aut operis ſuis, ſed aliunde adquirente, licèt illud exemplum verum ſit, huic tamen loco non conuenit, quia nuſquam traditur legem ea in re impedimento eſſe, quominus bona fides id præſtet, quod veritas. Non eſt etiam aptum exemplum quod adfert Accurſius ex *l. ſi exiſtimans.pro ſoluto.l.hominem.pro ſuo.* quia ibi lex non eſt impedimento, quominus bona fides tantũ poſſidenti præſtet, quantum veritas, imò ipſi quoque veritati impedimento eſt.

Ad l.148.

De huius regulæ ſententia quæ dictas eius partes ad omnes pertinere, cuius affectus omnibus proſit, nihil Placentinus, nihil Bulgarus, nec Ioannes nec Accurſius aſſerunt, quod probari poſſit. Itaque reiicienda omnis illorum interpretatio eſt.

Ad

Ad l.156. de reg. iuris §. cui damus.

Malè obiicit Accurſius huic §. quod traditur in *l. ſi quis conductionis. C. locati.* vbi qui conduxit agrum, & litigare de proprietate vult, reſtituere priùs poſſeſſionem locatori debet: ex quo loco malè concludit Accurſius, ei cui damus actionem rei vindicationis ei exceptionem retinendæ poſſeſſionis cauſa nõ competere. Is enim à quo poſſeſſio petitur, non rectè de proprietate ac dominio excipit, cùm ſeparata ſit omnino poſſeſſio à proprietate. *l. naturaliter. §. 1. de adquirenda poſſeſſione. l. 1. §. bonum autem vti poſſidetis.* Idem Accurſius obiicit quod per interdictum, quod legatorum rediguntur ad heredem ea quæ legatorum nomine poſſidentur à legatariis, quamuis ea ipſe per actionem ex teſtamento ab herede auocare poſſint, *l. 1. §. redigi. quod legatorum.* Inde concludit, qui habent actionem, non poſſe exceptionem obiicere. reſpondendum id ſingulari iure introductum eſſe à prætore, cui æquiſſimum viſum eſt, vnumquemque non ſibi ipſum ius dicere, occupatis legatis, ſed ab herede petere. *l. 1. verſic. etenim quod legatorum.*

Ad l. 188.

Ad hanc regulam exemplum commodè nullum referri poteſt ex iis quæ adducit Accurſius, excepto eo quod ſumitur ex *l. ii Titi . . de condit onibus Inſtitutionum.*

Notarum ad Gloſſas Accurſij. & aliorum doctorum interpretationes, in Cod. Iuſtiniani, libri duodecim, totidem libris Cod. reſpondentes.

PRÆFATIO AVTHORIS.

IMperfectum ſane hoc opus noſtrum videretur, beneuole lector, niſi quemadmodum in Digeſtis fecimus etiam Notas conſcriberemus in gloſſas Cod. non minus enim errarunt gloſſatores & interpretes noſtri in explicandis Imperatoriis conſtitutionibus quàm in enarrandis Iuriſconſultorum veterum reſponſis, quod iis manifeſtum eſt qui Ius ciuile, vel primis labiis degustarunt: cùm igitur magna pars Iuris noſtri his Imperatorum conſtitutionibus conſtet, operæpretium duxi multos antiquorum Interpretum errores detegere, quibus Imperatorias Conſtitutiones iam ſatis per ſe obſcuras, nobis obſcuriores multo reddiderunt, & infinitis penè mendis commacularũt: quod ſi rectè à me præſtitum fuerit, ſpero hoc opus Iuris ſtudioſis vtiliſſimum fore, præſertim iis qui gloſſas, cum textu coniungunt, (quod plerumq; facere ſolent) qui non perfunctoriè iuri operam dant: admonitum autem te volui me non omnia notaſſe quæ notari poterant. ſuperſunt enim multa dicenda, præſertim ad librum v. vij. & viij. quæ breuitatis cauſa conſulto omiſi, ne volumen, (cui velut appendicis loco hæ noſtræ notæ adiunguntur) in immenſum excreſceret, ſi noſtrum hunc laborem tibi gratum eſſe compererõ, cætera fauente Deo, perſequar in ſecunda editione: habemus enim præparatas notas in gloſſas ad omnes Titulos Iuris Ciuilis. Interim (beneuole Lector) his fruere, & noſtrum hunc laborem æqui boniq; conſule.

Ad initium Cod. quæſtio quædam vtilis, aduerſus quoſdam tractata, vbi reprehenditur Alc. opin.

An iura Digeſtorum, Inſtitutionum, & Codicis, vbique concordent. & num rectè Alc. in hac re ſenſerit.

QVæſtio eſt, cùm Iuſtinianus Imperator ius ciuile in quatuor opera, nempe Pandectarum, Inſtitutionum, Codicis, & Authenticorum redegerit: an non alterum opus, ab altero corrigatur? Et quantum ad ius Authenticorum attinet, nulla eſt dubitatio, eo iure, ius Pandectarum, Inſtitutionum, & Codicis corrigi. Nam in 3. *Conſt. C. in §. hu igitur omnibus*, (vbi de ſecunda Codicis editione agitur) id ſatis expreſſum eſt, his verbis: Hoc enim nemini dubium eſt, quòd ſi quid in poſterum melius inueniatur, & ad conſtitutionem neceſſariò ſit redigendum, hoc à nobis, & conſtituatur, & in aliam congregationem referatur, quæ Nouellarum nomine conſtitutionum ſignificetur. Quo in loco gloſ. nouellas pro authenticis interpretatur. Sed dubium eſt, an ius Pandectarum, & Inſtitutionum ſimiliter, & Codicis vnius ſit conſonantiæ, an verò alterum ab altero corrigatur. Et quamuis Doctores aſſerant, ius Digeſtorum à iure Codicis quandoque corrigi. Id tamen Alciatus libr. 6. παρέργων, cap. 14. non facilè admittendum eſſe autumat, ſic ſcribens: [Sed huiuſmodi, inquit, concordiam haud facile ego admiſerim, qui ſciam, id in primis curæ Triboniano collegiſque fuiſſe, vt cum Codice Iuſtiniani concordarent, Digeſtorum reſponſa, *l. 1. § ſed in hoc ſtudium. C. de vet. iur. enucl.* quòd ſi qua erant, quæ aduerſari viderentur potiùs immutata in Digeſtis fuiſſe, vt vterque liber vnam in conſonantiam redigeretur. Igitur ſciendum eſt, Iuſtinianum Imperatorem anno Chriſti DXXIX. ad Imperij faſtigium adſumptum fuiſſe: is regni ſui anno 3. ex tribus veteribus Codicibus, ſuum nouum Codicem componi iuſſit, ediditque XVI. Calend. Maij, conſulatu Decij 2. *conſtit. C. in fin.* deinde intra quadriennium, id eſt, anno Imperij ſui VII. quinquaginta Digeſtorum libros pari cura enucleatos promulgauit: idque XVII. Kalend. Ianuarias, Iuſtiniano ipſo tertiùm conſule deſignato, quo tempore intra XI. menſes iuſſit deinde Inſtitutiones quoq; confici, quas XI. Kal. Decembris, tertio ſuo conſulatu edidit. Demum eodem anno iuſſit Codicem iterum emendari, & plures leges in eo inſeri, & præſertim quinquaginta deciſiones, ex quibus aliquæ erant, quæ priores leges corrigebant: appellauitque repetitam Codicis editionem, *l. 1. C. de emend. Cod. Iuſtin.* quam voluit ex die IV. Kalend. Ianuar. ſe quartum, & Theodoro Paulino conſulibus, vim & effectum obtinere. Igitur cùm Iuſtinianus concordaſſe Codicem ſuum, cum Digeſtis fateatur: quiſquis velit aſſerere, ſubeſſe correctionem, oportet vt id ab vna ex quinquaginta deciſionibus, quæ vltimæ editioni inſertæ ſunt, eſſe factum oſtendat: priores enim conſtitutiones, cum Digeſtorum iure concordabant. Qua in re duas ego ſoleo concluſiones ponere: Prima, Conſtitutiones, quas in Inſtitutionibus fatetur Iuſtinianus ſuo Codici inſeruiſſe, *Inſtit. quib. mod. toll. oblig. §. penul. & de S. C. Tertul. § ſed nos. & de pupill. ſubſt. § qua ratione*, cum iure Digeſtorum concordant, nec ex quinquaginta ſunt. Altera, Conſtitutiones, quæ quatuor illis poſt primam editionem annis, interim factæ ſunt, poſſunt ius vetus emendare, & in illis quinquaginta computari. Harum notitia ex eo accipitur, ſi ad finem adſcriptum ſit, dat. Lampadio, & Oreſte Conſulibus, vel poſt Lampadij & Oreſtis conſulatum, ſemel aut iterum, vel III. aut IV. Iuſtiniani, & Paulini conſulatu. Hactenus verba Alciati. Sed mihi videtur Alciatus in ſupraſcriptis concluſionibus, ſibi ipſi contrarius eſſe. Nam in prima concluſione aſſerit, conſtitutiones, quas Iuſtinianus Imperator in Inſtitutionibus fatetur ſuo Codici inſeruiſſe, cum iure Digeſtorum concordare. Pro qua concluſione allegat text. in *§ penult. Inſtit. quibus modis toll. oblig.* Vbi Iuſtinianus Conſtitutionem, *l. fin, C. de nouat.* allegat. Verùm illa conſtitutio edita eſt in conſulatu Lampadij, & Oreſtis. Et tamen Alciatus in ſecunda concluſione aſſerit, ius Digeſtorum per conſtitutiones, quæ Lampadio & Oreſte conſulibus editæ ſunt, corrigi. Præterea quòd in ſecunda concluſione dicit, conſtitutiones Codicis Lampadio & Oreſte conſulibus, vel poſt Lampadij & Oreſtis conſulatum ſemel aut iterum, vel tertio & quarto Iuſtiniani, & Paulini conſulatu editas, ius Digeſtorum corrigere poſſe: id ea ratione aſſerere videtur, quia ius Digeſtorũ ante nouellas illas conſtitutiones cõpoſitum fuerit.

Sed hoc aliter ſe habet: Quoniam in tertia conſtitutione, *C. §. ſupradictis itaque.* traditum eſt, Iuſtinianum Imperatorem etiam poſt ſecundam Codicis editionem (quæ repetitæ Lectionis appellatur) compilatoribus iniunxiſſe, Digeſta, & Inſtitutiones, cum ſecunda illa editione, in conſonantiam reducere. Verba autem *dicti §. ſupradictis itaque*, hæc ſunt: {Supradictis itaque magnificis, & prudentiſſimis viris permiſimus hæc omnia facere, & ſi qua emendatione opus foret, hanc facerent, non titubante animo, ſed noſtra auctoritate freti. Conſtitutiones verò ſuperfluas, vel ex poſterioribus ſanctionibus noſtris iam vacuatas, vel ſi quæ ſimiles, vel contrariæ inuenirentur, circumducere, & à proprij Codicis congregatione ſeparare: & tam imperfectas replere, quàm nocte obſcuratis abductas, noua illuminationis luce detegere, vt vndique non ſolùm inſtitutionum, & Digeſtorum via dilucida, & aperta pateat, ſed etiam conſtitutionum noſtri Codicis iubar omnibus clareat: nulla penitùs nec ſimili, nec diuerſa, nec inuſitata relicta: cùm nemini venit in dubium, quòd repetita prælectio probabit. hoc ſatis validum ſatiſque eſſe formoſum. Hactenus verba conſtitutionis. Quod autem ſupraſcripti compilatores, hoc quod conſtitutio illis iniunxit, executi ſunt: id ex ſequentibus Inſtitutionum locis apparet. Nempe ex *§. quæ autem. Inſtitut. de bon. poſſeſſ. & in §. fin. Inſtit. de legit. agnat. ſucceſ.* Vbi allegatur Iuſtiniani conſtitutio *l. fin. de emanc. liber.* quam poſt conſulatum Lampadij & Oreſtis edidit. Sic etiam in *§. ea omnia. Inſt. de hered. quæ ab inteſt. defer.* conſtitutio *l. penult. C. de adopt.* citatur. quæ, & ipſa conſtitutio, Lampadio, & Oreſte conſ. edita eſt. Ego igitur in hac difficultate pro regula ſtatuendum eſſe arbitror, inter ſupradicta tria iura nempe Digeſtorum, Inſtitutionum, & Codicis, concordiam eſſe, nec alterum ab altero corrigi. Et quod de Codice dictum eſt, id non ſolùm in Codice primæ editionis. iuxta *l. 1. §. ſed & hoc ſtudium.* verùm etiam in Cod. ſecundæ editionis, ſiue repetitæ lectionis, locum habere. *d. §. ſupradictos itaque.* Illud tamen negari vix poterit, compilatores ſupeadictos, non vbique ad vnguem Digeſta, & Inſtitutiones cum Codice concordaſſe, vt apparet in tractatu legatorum & fideicommiſſorum. Nam legata & fideicommiſſa nouis Iuſtiniani Imperatoris conſtitutionibus *in l. 1. & l. 2. C. commun. de leg.* æquiparata ſunt. Cuius æquiparationis mentio fit in *l. 1. D. de leg. 1. & in §. ſed non vſque. Inſtit. de legat.* Et tamen in aliis Digeſtorum, & Inſtitutionum textibus, inter legata & fideicommiſſa differentia reperitur. Nam in *l. pecuniæ. verbum. §. perſecutionis. D. de verbor. ſignific.* traditur fideicommiſſa iuris ordinariam executionem non habere, ſed extraordinariam perſecutionem. cùm tamen in *l. ſi pluribus. & in l. apud Iulianum. §. ſi Titius. D. de leg. 1.* aſſeratur, ad perſecutionem legatorum, actionem ex teſtamento dari. Sed & in *§. præterea. Inſt. de fideicommiſſ. hered.* inter legata, & fideicommiſſa alia quoque differentia conſtituitur, videlicet, vt fideicommiſſa ab inteſtato relinqui queant: legata autem non niſi ex teſtamento relinqui poſſint: ſic etiam *Inſtit. de ſingul. reb. per fideicom. relict.* inter legata, & fideicommiſſa differentia conſtituitur, vt fideicommiſſum à legatario relinqui queat: legatum autem à legatario legari non queat. Arbitror autem in hac re compilatores excuſari poſſe, quibus fortè viſum fuit ſatis eſſe, ſi in Digeſtis & Inſtitutionibus æquiparationis legatorum & fideicommiſſorum, in vno aut altero loco mentionem facerent, nec opus eſſe id paſſim in omnibus textibus repetere. Quin & illud negari vix poterit, compilatores in aliquibus iuris locis legura concordantiam omnino omiſiſſe: non fortè ex negligentia, ſed quia in tam prolixis iuris operibus, ingenio humana non facilè omnia aſſequi potuerunt. Quod quidem in *d. l. pecuniæ verbum. §. perſecutionis.* animaduerti poteſt. Illic enim dicitur, fideicommiſſa non habere iuris ordinariam executionem, ſed perſecutionem extraordinariam. Et tamen Iuſtiniani Imperatoris conſtitutione in *libro 1. C. commun. de legat.* introductum eſt legata & fideicommiſſa, tam perſonali, & in rem, quàm hypothecaria actione peti poſſe. Vt apparet *dictam legem, pecuniæ verbum. §. perſecutionis. cùm dicta l. 1.* à compilationibus concordatam non eſſe. Id quod & in aliis Iuris locis ſuprà *lib. 1. cap. 17. & hoc libro 2. capit. 11. & capit. 34.* à me annotatum eſt. Hæc habui quæ dicerem, aduerſus Dominum Alciatum, virum ſanè alioqui doctiſſimum, quæ etiam doctiſſimè animaduertit Bernardinus Vvaltherus in ſuis Miſcellaneis, ex quibus hæc collegi. Idem obſeruauit doctiſſimus præceptor meus in præfatione ſua ad Paratitla Codicis.

Ad titulum C. de Iuſtiniano Codice confirmando.

Cùm de origine indictionum diſputatio ſuborta eſſet. notandum Accurſium malè tradidiſſe in ſuis gloſſis, *ad tit. C. de Iuſtinian. Codice confirmando.* etiam ante natiuitatem Chriſti ex Indictionibus computationem à Romanis inuentam. Cùm enim Græci ab Olympiadibus, Hebræi à diluuio annos numerarent, Romanos tria luſtra, id eſt, annos xv. Indictionem dixiſſe, quod tali tempore indicerentur tributa, pro primo luſtro auri, pro ſecundo argenti, pro tertio ferri. Quoniam autem Chriſtus quarto anno primæ Indictionis natus eſt, quod etiam Dionyſius ſcribit. calculum ita ineundum cêſet, vt annis Chriſti addatur triennium, omniſque numerus per xv. diuidatur, vt qui inde exierit, indictionis tempora denotet, quæ vltra decimum quintum non progreditur, ſed deinde reuertitur ad primam. Beda libro de natura rerum, capite 47. conſentanea Accurſio ſcribit, niſi quòd mutationem illam de auro in argentum, deinde in ferrum non agnoſcit, ſed parem cenſum fuiſſe ſingulis luſtris ſcribit. malè ſenſit Accurſius, quia apud bonos authores nunquam legitur ſolitos ab Indictionibus annos cōputari, vel in Republica vetere, vel etiam ante tranſlatum Cōſtantinopolim imperium. opinórque hunc morem paulò ante cœptum ex Iuſtiniani Conſtitutione deinde inualuiſſe, in Authentica, vt præponatur nomen Imperatoris;& ſecundùm annos vrbis calculum ductum fuiſſe.

Ad titulum Codicis de nouo Codice faciendo.

Malè Gloſſa perpetuum Auguſtum generalem interpretatur. hæc enim interpretatio nullo modo huic loco conuenire prodeſt, & malè in medium profert. *l. edita. ff. de edendo*, quia ibi de edicto perpetuo meminit Imperator, non de perpetuo Auguſto, vt autem hic locus rectè intelligatur legendum eſt perpetuo Auguſti, non perpetui, malè eadem Gloſſa Auguſtum ab augeo dictum putat, vt obſeruauimus in notis noſtris ad principium Pandectarum, inde interpretes hic quærunt de donatione facta Papæ Syluestro per Conſtantinum, vt ibidem pluribus rationibus docuimus. Non rectè percepit Gloſſa quare huic libro repetitæ prælectionis à Iuſtiniano nomen inditum ſit, nos dicamus hac poſteriori editione multas conſtitutiones quæ erant in priori limaſſe Iuſtinianum, detraxiſſe & mutaſſe, multas addidiſſe & ſuas & alienas conſtitutiones, denique hoc genere priorem ſuum Codicem emendaſſe & expurgaſſe, atque ob eam rem hunc Iuſtinianum Codicem repetitæ prælectionis appellaſſe eleganter ſcribendo: quod repetita prælectione probauit ſatis validum eſſe, ſatiſque formoſum, & quòd maximè notandum eſt, ſecundas editiones à veteribus ait repetitas prælectiones appellatas fuiſſe, ideò Vlpianum retractatis libris ſuis ad Sabinum ſatis innuit ſecundæ editioni hunc titulum adſcripſiſſe Prælectiones ſcilicet vocabant lectiones, quibus præceptores diſcipulis præeunt, præmonſtrántque vias diſcendi ac intelligendi aut voce viua, aut ex ſcripto. Nam & quæ ex ſcripto veniunt, quaſi è voce magiſtra manare videntur, vt in oratione de conceptione Digeſtorum.

Ad eandem Conſtitutionem de nouo Codice faciendo.

Falſum eſt quod Matthæus monachus quidam ſcripſit Digeſtorum corpus bis editum fuiſſe: primùm breuiùs, deinde auctiùs redditum paratitlis, & paratitla eſſe ἀναπληρώσεις, vt loquitur, ſiue repletiones eorum, quæ cuique Digeſtorum titulo deerant, in priori editione, & ſcholia ipſa. hoc enim ipſa fides verò refellit ſatis quæ fidem facit, vnam tantùm Digeſtorum editionem fuiſſe, & Paratitla Iuſtiniano *lege prima, & ſecunda, de veter. iure enucleando*, nihil aliud eſſe oſtendit, quàm breues & ſubtiles Titulorum interpretationes, & quaſi monitoria ſiue claues eorum, quæ ſingulis Titulis continentur.

Ad tit.1.lib.1.Cod.de ſumma Trinitate,& fide Catholica.

Nullomodo placet Catholicum pro vniuerſali paſſim cum Accurſio &aliis in hac rubrica exponere,cùm extet in hac eadem lege locus quidam qui huic expoſitioni retragetur, in quo Chriſtianos catholicos pro vniuerſalibus accipere ridiculum eſſet. Quanquam non ignoro hoc nomine ex Græcis mutuato(καθολικὸς ſcilicet)cum non malè vocari, qui vniuerſalis ſit:quaſi circa omnia verſetur. κατὰ enim idem eſt quod circa,& ὅλον totum ſignificat, Vnde præcepta Catholica pro vniuerſalibus,& Catholica medicamenta pro iis quæ omnibus in vniuerſum humoribus vacuandis commoda ſunt vſurpata. Quintilianus lib.11.oratoriarum Inſtitutionum,cap.15. Fateor fidem Catholicam pro vniuerſali noſtra religione in hac rubrica rectè dici,ſed quod ad hunc locum ſpectat, in quo Chriſtianos catholicos appellat Imperator, non mihi videtur interpretatio iſta poſſe conuenire,vt perperam tamen multi interpretes exiſtimauerunt.

Ad l.1.C.de ſacroſanctis Eccleſiis.

Malè meo iudicio Bartolus putat hoc verbum [vnuſquiſq;] ad perſonas inhabiles de iure ciuili,hoc eſt, quæ legis ciuilis authoritate teſtari, legatum aut fideicommiſſum relinquere prohiberentur,referri:cùm idem tamen ingenuè fateatur in *l.1.l.iure militari. D. de militari teſtam.* eos qui iure gentium inhabiles ſunt,nullatenus contineri hac lege. Verùm reiecta hac Bartoli opinione receptius & verius eſſe puto, nec quidem eos qui iure ciuili reiiciuntur, generali huius legis ſermone comprehendi.argumento. *l. promittendo. in princip. D. de iure dotium.l.vt gradatim.§.1.D.de munerib.*& hæc mea ratio, quod ita demum Imperator diſpoſitionem morientis in hac ſpecie probet.ſi ea omni alia iuris ratione & ſolennitate munita ſit? *l. generali hoc tit.* Deinde non eſt credendum generalibus verbis voluiſſe legiſlatorem vniuerſam teſtamentorum rationẽ ſubuertere.argumento,*l.ſi quando.C.de inofficioſo teſtamento.* Nullomodo autem me mouet,vt contrarium ſentiam,publicus fauor,qui ſanè nunquam mihi ſufficere viſus eſt,vt generalia legis verba ad inhabilia protendere debeat.argumento.*l.in prouinciali.§.finali,cum l.ſequenti,& ſequentibus.in principio.D.de noui operis nuntiatione.l.2.§.finali.D.de iure immunitatis.* præterquàm eo caſu quo ſermonis extenſio prodeſſe poteſt alicui, nemini verò nocere. *l.3.§.vtrum.D.ad Syllanianum,* vt cùm per eum bene meritus ſeruus pro præmio libertatem accipit, *l.lex Cornelia.§.fin.D.de iniuriis.* Nos hic agimus de teſtandi legandíve poteſtate,quàm ad minùs idoneas perſonas,ſine detrimento venientium ab inteſtato, producere non poſſumus. Vt autem lex non difficulter permittit,quod mihi prodeſt,nihílque tertiò nociturum eſt,*l.21.§.quanquam. D. de aqua pluuia arcenda.* ita rigidè vetat priuilegij verba ad alienam iniuriam porrigere,argumento. *l. impuberi. D. de adminiſtratione tutorum.l.nec auus.C. de emancipatione liberorum.*

Ad eandem l.eod.tit.

Quis primus Imperatorum omnium,Chriſtianus effectus ſit, aduerſus ſcriptorum in iure ciuili,& Pontificio opinionem.

Zeno Imperator, Sebaſtiano præfecto prætorio ſcribens, Diuum Flauium Conſtantinum primum fuiſſe, qui fide Chriſtianorum Romanum muniuit imperium,teſtatur, *l.diui.C.de nat.libe.* conſentitque Milthiades Papa,religioſiſſimum virum Conſtantinum primum,veritatis Chriſtianæ fidem patienter adeptum referens,*c.futuram.12.q.1.* Indéque tradunt,& Cæſarei,& Pontificij iuris interpretes, Conſtantinum, Imperatorum omnium primum Chriſtianum effectum fuiſſe, in *l.1.C. de ſacroſanctis eccl.& in d.c.futuram.* Qua in re euidens cuique faciunt,quàm ſint hiſtoriarum, rerúmque omnium antiquarũ imperiti & ignari. nam,vt eſt apud Hiſtoricos omnes,M. Iulius Philippus,viceſimus ſeptimus ab Auguſto, vnà cum Caio Iulio Saturnino,Philippo filio,quem conſortem imperij fecit: exercitu incolumi,ex Syria ad Italiam reducto,primus omniũ Imperatorum,Chriſtianus Romæ factus eſt. Qui cùm in die Paſchæ communicare myſteriis voluiſſet, à Fabiano epiſcopo Romano prohibitus fuit initio,nec antè myſteriorum copiam ei facere voluit,quàm peccata confeſſus,per pœnitentiam culpas,quæ de eo plurimæ ferebantur,diluiſſet. Imperatum à Põtifice non grauatè eum ſuſcepiſſe, deincépſque animum religionis pleniſſimum habuiſſe legimus. Imperare autem cœpit Iul.Philip. anno ab vrbe condita, noningenteſimo nonageſimo ſeptimo. Flauius verò Conſtantinus,vt ex Annalium ſcriptoribus conſtat,anno milleſimo ſexageſimo primo. Quo cõſtat Iulium Philippum,ante Conſtantinum 64.annis imperare cœpiſſe. Et ita multo antè tempore quàm Conſtantinus regnaret,alium Imperatorem,nempe Iul.Philippum,religionis noſtræ fidem adeptum,de quo tale diſtichon alicubi legi:

Cæſarios inter proceres fuit ecce Philippus,
Primus qui Chriſti ſacra fidémque colit.

Eum tamen,vt ſcelera ſubtiliùs tegeret,cultum Chriſtiani nominis ſimulaſſe,ex hiſtoriis intelligimus. Habuit is filium M. Iulium Philippum,qui Agelaſtos,hoc eſt,irriſibilis dictus eſt: animi tam triſtis, támque ſeueri,vt nullius cuiuſquam commento,ad ridendum,iam tum à quinquennij ætate, ſolui potuerit,patrémque in ludo ſeculari, inſolentiùs cachinnantem, auerſo vultu,licèt adhuc tener,aliquando notauerit. quantum autem conceſſerint Chriſto Tiberius Adrianus, ac Seuerus, Romani Imperatores,ex Euſebio,Tertulliano, & Lampridio ſatis conſtat. Referunt namque Euſebius,& Tertullianus, Tyberium Cæſarem, voluiſſe Chriſtum à S.P.Q.R. adorari. Déque eadem re cogitans Adrianus Imperator, Chriſto templa condere cœpit:quamuis ab incepto deſtiterit,veritus,ne cætera etiam templa dVeſererentur: perſuaſerunt etenim præfecti ſacrorum Adriano,Chriſtianos omnes aliquando futuros, ſi illud effeciſſet,autor eſt Lampad.ad Conſtant. Imperatorem. Ex quo idem Adrianus mutata ſententia, Chriſtianam religionẽ mox acerrimè eſt inſectatus. Alexander verò Seuerus, qui optimus Imperator habitus eſt, Chriſti numen inter maximos & selectos diuos in ſacrario ſuo,ſeu(vt Lampridius vocat)Larario habuit. Plura vide apud Ioannem Corraſium Conſiliarium Tholoſatem in obſeruationibus ſuis,ex quibus hæc,quæ ad inſtitutum meum facerent,collegi.

Ad l.Archigerontes.C.de epiſcopis & clericis.

Errauit hîc valdè Accurſius in interpretatione huius legis, quæ ſic ſe habet,[Archigerontes,diæcetæq; nonniſi Chriſtiani dirigantur, ac primùm Archigerontes fuiſſe exiſtimat ſacerdotes,quibus delicta ſua in metallum damnari confitentur,Chriſtianos eſſe iuberi hac lege exiſtimat: ídque probat eo argumento, quod ſcriptum ſit Dioecetæ Ergaſiotanorum, quæ verba ipſe interpretatur ſignificare Epiſcopos ſeu Diœceſanos damnatorum in metallum. id enim eſſe ergaſiotanos putat. Quæ expoſitio quàm inepta ſit,nemo eſt qui neſciat qui Græcas litteras, vel primis labiis deguſtarit,& qui fuerint Archigerontes,eleganter explicat Dionyſius Godofredus vir doctiſſimus, & de hac noſtra diſciplina optimè meritus in ſuis Commentariis in hunc Titulum. Et cùm Accurſius in harum dictionum interpretatione inſigniter errauerit, non tamen durè agendum cum eo, aut contumeliis inſectandum: quod quidam Grammatici malè fecerunt, ſiquidem vitia illa temporum fuerunt,non hominis.perierant enim eius tempore aſſiduis bellis non ſolùm literæ Græcæ,ſed & Latinæ.

Ad tit.Codicis de epiſcopis aut clericis. ad l.Placet.& l.ſeq.

Non rectè Accurſius intellexit quinam eſſent Parabolani. Is enim cũ voluit videri ſe nihil præteriiſſe,tanquã rem maximè haberet in prõptu,ſtatim pronũtiauit Parabolanos eſſe medicos, noménq; ab eo ſumpſiſſe,quòd multas habent παραβολὰς quòd videlicet,vt quiſque loquacior eſt, ita doctior medicus vulgi opinione exiſtimetur.quæ expoſitio meo quidem iudicio planè ridicula eſt.& videdũ quinã fuerint Parabolani. Alciatus putat fuiſſe plebeios quoſdam Parabolanos, qui famulitio vel Eccleſiarum,vel hoſpitalium, xenonúmve deputati erant,& quaſi adſcriptitij glebæ, vt ſicut illis omni vita ab agrorum cultura recedere non licebat,ita his à ſeruitio ægrorum qui in Noſocomiis reſidebãt, Parabolanos glebæ adſcriptitios eſſe in Iuris ciuilis Græco interprete legiſſe ſe dicit Alciatus in Diſputationibus,& dictos eſſe à Græca præpoſitione παρὰ & βῶλος,quæ vox pro gleba accipitur.

Ad l.1.C.de epiſcopali audientia.

Ex hoc reſcripto nêc Accurſius, nec Accurſianorum quiſquam vllum ad huc ſenſum qui verbis cōgruat, elicere potuit. Videtur autem nobis in hoc reſcripto Valentinianus de quibuſdam negotiatoribus loqui, qui frumento, ſali, aliiſque rebus huiuſmodi populo vendendis præpoſiti erant à Principe. Nam olim earum rerum comparandarum neceſſitas munus erat publicum, quod authoritate Principis indicebatur populo, quódque nulli detrectare fas erat. Itaque reſcriptum eſt à piis Principibus, vt Epiſcopi quorum officium eſt redimere pauperes, & poſitos in neceſſitate, videant, ne ab huiuſmodi mercatoribus in ea re modus excedatur.

Ad titulum 5. libri 1. Codicis de hæreticis, & Manichæis, & Samaritanis.

Ignorauit Gloſſa rationem quare Iuſtinianus in hac rubrica hæreticis, Manichæos & Samaritanos adiecerit propter ignorationem hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quam callere debet, quicunque hos Titulos pro dignitate interpretari volet: tu dicas addi ſpecialiter in hoc titulo de Manichæis quaſi inſigniorihus hæreticis, quos ad imam vſque ſcelerum nequitiam perueniſſe ait. *l.5.h.t.* & inceſta peruerſitate religionis nomina lupanaribus quoque ignota vel pudenda committere, Nouella Valentiniani de Manichæis, quæ omnia vera eſſe ex Diui Auguſtini libris licet agnoſcere. Manichæi hi ſunt ex Chriſtianiſmo ſecundum diuiſionem Epiphanij, qui de omnibus hæreticis libros compoſuit. Plura videre poteris apud illum de horum opinionibus. non eſt enim huius loci hac de re plura dicere, ſufficit locos indicaſſe. Additur de Samaritanis, vt doctiſſimus Cuiacius in Paratitlis ſuis ad hunc titulum cenſet, propter ſpeciales quaſdam Conſtitutiones Græcas, quæ de eis ſunt in hoc titulo, ſicut & inter Nouellas ſunt duæ de Samaritanis, Horum ſecta miſta fuit ex Iudaiſmo & Paganiſmo.

Ad l.8. hoc tit.

Subſcriptio hæc [D. Conſtantinopoli, Id. Aug. Conſtantino & Ruſo Coſſ.] vulgò perperam tribuitur huic legi 8. cùm conſtet ex actis Chalcedonenſis Concilij, in quibus ea lex integra relata eſt, & ex *l. vlt. C. de apoſtatis*, quæ pars eſt huius legis octauæ, hanc potiùs eius ſubſcriptionem eſſe: Dat. ſub die Kalend. Aug. CP. Diuo Valentiniano VIII. & Anthemio V.C. Coſſ. hæc autem ſubſcriptio quæ l. 8. tribuitur, l.4. tribui poteſt, ad quam legem quædam præclarè addita ſunt à doctiſſimo viro Domino Cuiacio libro 12. Obſeruationum capite 30.

Ad l.3.C. de Apoſtatis.

Animaduertendum huic legi hæc verba eſſe perperam inſerta, quæ confundunt hæreticos cum Apoſtatis, (hæretica ſuperſtitione.) Cuius rei ſatis res ipſa & Codex Theodoſianus, & inferiora legis verba fidem faciunt. Item animaduertendum cum doctiſſimo viro legem vltimam huius tituli eſſe fugitiuariam, de hæreticis, nimirum non de apoſtatis, & partem eſſe legis octauæ, *ſuprà de hæreticis*, vt conſtat ex actis Chalcedonenſis Synodi, quod etiam demonſtrauimus in notis ad *l.8. de hæreticis*. Qui autem ſint hoc loco Apoſtatę, Gloſſa non ponit. Dicamus hos eſſe, quos poſteriores dixere Magaritas, qui penitus deſciſcunt à religione Chriſtiana, ex Chriſtianis facti Iudæi, vel Pagani, vel Samaritani, vel Sarraceni. Nota autem hanc rubricam non loqui de illis Apoſtatis, quos vulgò appellamus Apoſtatas, ſcilicet de egredientibus religionem, ſed de his qui fidem relinquunt, quia illi propriè dicuntur Apoſtatæ, vt hic dicit Bartolus.

Ad titulum de Iudæis & cœlicolis.

Qui ſint Cælicolæ non explicauit Gl. Iudæorum ſectam eſſe verum eſt, qui vt Iuuenalis ait,

Nil præter nubes & cæli numen adorant.

Et in Catalectis Petronius Iudæus licet & proximum nomen adoret.

Et cæli ſummas aduocet auriculas.

Et Sophonius Propheta inter eos quoſdam adorare militiam cæli, ſed miſcuiſſe ſe quoque eam ſanctam Chriſtianiſmo innuit Doctiſſimus Cuiacius hic ad aliquid quandoquidem (inquit ille) hanc ſectam hæreticis & Dogmaticis adnumerat imperator, & vt ad Chriſtianam religionem reuertantur quodammodo cohortatur. *l.12. h.t.* ex his intelligere poteris quinam fuerint cælicolæ.

Ad l j.

Ne exiſtimes cum quibuſdam quod hic dicatur Iudæis inutiliter legari. ideo pro illicitis eorum collegia habenda eſſe, alioquin pugnaret ea lex cum ſequentibus. Deinde Auguſtus apud Philonem in ſuis exprimit edictis, collegia & coitiones Iudæorum. ideo ſe permittere quod non ſint crapulæ primum vinolentię: Deinde quod non ſeditionum nutriculæ, ſed ſcholæ temperantiæ & iuſtitiæ ſummo ardore animi hominum omne virtutis genus amplectentium. Probari Iudæorum collegio antiquis conſtitutionibus oſtendit. *l.15. §.* [illegible] *D. de excu. tutor. l.3. §. vlt. de decurio. l. circumcidere. ad leg. Corn. de ſicariis.* ex ſuperioribus Auguſti verbis apparet non tam factionum metum, quàm Comeſſationum & Compotationum intemperantiam, quæ parit deterrima, inutiliſſima, nefandiſſima quæque cauſam fuiſſe primam non admittendorum collegiorum omnium.

Ad titulum de Paganis.

Pagani ſunt cultores ſimulachrorum & Dæmonum, qui & Gentiles dicuntur. *l.21. Cod. Theodoſian. eod. l.46. Cod. Theodoſian. de hæreticis.* Gentiles à Iudæis, quibus non Iudæi gentes ſunt & barbari: Pagani autem ita dicti vulgari ſermone, vt Oroſius ait, quaſi ex agreſtium locorum compitis & pagis alieni ciuitate Dei: ea ratione autem ita dicti ſunt, quia Chriſti non ſint milites, ſi quidem in iure noſtro hi ſunt pagani qui non militant, ſed in pagis & vicis ſua munera ſubeant.

Ad l.1.

Ex hiſtoriis repetere poſſumus quæ ad huius l.1. explicationem multum faciant cum Gloſ. eius interpretationem prætermiſerit. Hiſtoria hæc eſt ex Caſſiodoro, cùm Athanaſius à paganis & Gentilibus in multa diſcrimina coniiceretur, inter iurgandum quadam die ſuperuolitauit cornix, quæ cùm clariùs crocitaret, conuerſus ad eos Athanaſius: Scitis, inquit, quid vox cornicis prædicat? nempe cras, cras inquam fore, vt de templis veſtris eiiciamini. Nec feſellit diuinum hominem expectatio. Sequenti enim die allata fuit Conſtantini Imperatoris Conſtitutio, qua iubebat templa claudi, & ſub gladij pœna vniuerſis Gentilium ſacrificiis abſtinere, & hæc eſt lex prima huius Tituli.

Ad titul. de his qui ad Eccleſiam confugiunt. ad l.3.

Operæpretium eſt originem huius legis ex hiſtoriis repetere, quā ob ignorationem hiſtoriæ antiqui interpretes percipere non potuerunt. Id autem ex Othone repetemus Chronicorum lib.4. cap.9. tradit enim ibi Otho Imperatores Arcadium & Honorium conſilio Eutropij Eunuchi, qui & conſul fuerat, legem tuliſſe, vt ſerui ad Eccleſiam confugientes, aſyli ius non haberent, ſed abſtrahi inde à dominis poſſent: quam legem iniquo animo Ioannem Chriſoſtomū tuliſſe, hócq; nomine graues inimicitias cum Eutropio exercuiſſe: cúmq; fortuna tuliſſet, vt iram Imperatoris fugiens Eutropius ad Eccle-

ſiam

Digitized by Google

ſtum confugiſſet,& in ara ſederet, redargutum publicè fuiſſe, & diuino iudicio factum Ioannem dixiſſe, vt eo auxilio quod abſtulerit,ipſe indigeret. Lex autem de qua loquimur, ea videtur eſſe.l.3.& illud obſeruatione dignum eſt. pauci enim aduerterunt originem huius legis hanc fuiſſe. vide Alciatum lib. 2. *παρέργων*, cap. 45.

Ad l. digna vox. C. de legibus.

Princeps an legibus teneatur, expoſitaque plures leges ad eam rem pertinentes aliter explicatæ, quàm ab Accurſio, aut cæteris interpretibus vnquam fuerunt.

Occinitur aſſiduè auribus regum, etiam à theologis, vox illa ſcelerata,[Princeps, qui legibus non tenetur, quodcunque poteſt, etiam contra ius] *l. princeps. D. de legib. c. propoſuit, de conceſſ. preb.* Vnde Antonino Caracallo Imp. Iulia nouerca ad illam prope ſententiam reſpondit: cùm enim ea, quæ pulcherrima erat, quaſi per negligentiam ſe maxima corporis parte nudaſſet, dixiſſetque Anton.[Vellem ſi liceret] reſpondiſſe fertur [Si libet, licet. An neſcis te Imperatorem eſſe,& leges dare, nō accipere?] Vox infamis & impura, ſcorto famoſo, magis quàm Auguſto digna. Non idem Plato cenſuit, qui in 4. de Repu. ſe videre interitum ei Reip. paratum dicebat, in qua non lex Principi & magiſtratui, ſed legi Princeps ac magiſtratus præeſſet: ſalutem verò illi, vbi lex ſeruientibus magiſtratibus dominatur. Itaque laudabitur in omne æuum memorandum Zaleuci factum, qui Locris leges conſtituens, cùm ſanxiſſet ne quis armis obſeptus ſenatum ingrederetur, & vrente bello armatus ſenatum adiiſſet, ſucclamaſſetque quidam, legem ſoluit Zaleucus: conuerſus, non ſoluturum quidem, ſed corroboraturum pronuntiauit: móxque gladio ſe ipſum tradens vitam abrupit, quæ tranſgredienti ſanciebatur pœna. Oportet enim, vt Chryſippus dicebat, legem omnium ducem, & principem eſſe. Si ergo ſola lex omnium dux,& princeps eſſe debet: non alius eſſe poteſt. Et quis principi princeps erit? lex, (inquit Plut.) quæ omnium regina eſt mortalium, & immortalium, vt Pindarus ait. Sunt itaque impuri aſſentatores, qui aucupandæ voluntatis principum gratia, eius authoritatem effusè, & plerunque falsò extollentes, eum legibus obedire non oportere impiè prædicant, cùm lex ipſa inuentum ſit & munus deorum, *l. 2. D. de leg.* quorum decretis principem ſolutum eſſe nemo ſanæ mentis eſt dicturus, *c. cùm inferior. de ma. & obed.* Nec aduerſatur his illud Vlp. reſponſum ex *d. l. Princeps.* veriſſimum ſiquidem eſt, principem legibus ſolutum. non enim legibus ab alio conditis tenetur: cùm par in parem imperium non habeat. *l. nam & magiſtratus. D. de arb. c. innotuit. de elect.* non à ſeipſo promulgatis, cùm nemo poſſit ſibi imperare. *l. pe. D. de arb.* aut legem talem imponere, à qua non liceat recedere: *l. ſi quis in princ. D. de leg. 3.* Cæterùm hæc in ſolennium legibus,& ſimilibus obtinent. *l. imperfecto. & l. omnium. C. de teſta.* non in legibus naturæ, iuſtitiæ,& honeſtatis, *l. 2. §. 1. D. de reb. cor.* Ideò Bald. in *l. 2. C. de ſeru. & aqu.* quantumuis, inquit, princeps ſolutum ſe legibus dicat: rationis tamen naturalis dictamine tenetur,& obſtringitur, cùm ius naturale potentiùs ſit, quàm principatus, aut imperium. Bald. in *c. 1. §. ſi. qui feu. da. poſſ.* Qua etiam ratione conſtat principem lege conuentionis, & contractus obligari, Bal. in *l. 1. D. de conſt. Princ.* quoniam nihil magis ſit naturale,& congruum fidei humanæ, quàm pacta ſeruare, *l. 1. D. de pac.* & nihil ſit quod lumine clariore præfulgeat, quàm recta fides in principe, *l. inter claras. C. de ſum. trin.* legibus itaque ſolennitatis ſolutus eſt princeps, veluti ne teſtando ad teſtamentariam, iudicando in iudiciariam obſeruationem conſtringatur, *l. ex imperfecto. C. de teſt.* cùm eius præſentia ſuppleat omnes ſolennitates, *l. omnium. C. de teſt.* iis verò legibus, quibus à principe neglectis, publicum bonum offenderetur, principem quemcumque teneri iura omnia voluerunt. Quid autem dicemus in Auguſta, hoc eſt, in vxore principis? Et eam legibus ſolutam nō eſſe, ſed vt reliquum hominum genus obſtringi, verius eſt. *d. l. Princeps. & l. 1. C. de conduc. & procu. præd. do. Aug. lib. 11.* Ceſſant quippe in Auguſta rationes, quæ tantam dederunt principi auctoritatem, illę præſertim condendæ legis, quæ in ſolo principe locum habent. *l. fin. C. de legib.* aliis omnibus denegata eſt, mulieribus maximè, quæ legibus condendis, nec quidem intereſſe poſſunt. *l. 2. D. de leg.* Imbecillis enim ſunt,& inconſtantis animi, vt non immeritò veteres voluerint fœminas à ciuilibus ſeu publicis officiis remouere. *l. 2. D. de re iud.* neque vlla in re viris ſuis, quàm in his quæ ad lanificium pertinent, operari. Quāquā aliquādo vel principis indulgentia, vel moribus receptum ſit, vt mulieres ſceptra regia teneāt, pro tribunalíque ius dicentes ſedeāt. Nā & Britannis, quos nunc Anglos dicimus, morem eſſe, vt fœminæ in regno ſuccedant, regnique adminiſtrationem ſuſcipiant, palàm eſt. Ioannámque Siciliæ reginam, in regali ſolio ſedentem, ſententiámque pro tribunali ferentem, Angelus ſe vidiſſe refert. Et in reginam Francorum, aliquando compromiſſum eſſe legimus. *c. dilecti. de arbit.* Abbatiſſamque iuriſdictionem habere,& adminiſtrationem dignitati ſuæ annexam, ſummus Pontifex ſcribit, *c. indemnitatibus. de elect. in 6.* Planè licèt Auguſta legibus ſoluta non ſit: princeps tamen eadem illi priuilegia tribuit, quæ & ipſe habet, *d. l. Princeps. & l. fiſcus. §. fin. D. de iur. fiſc.* Vnde quemadmodum princeps ab omnium vectigalium præſtatione immunis eſt; *l. licitatio. §. fin. D. de pub.* & donatio ab ea procedens, vel in eā collata, non eget inſinuatione. *l. ſancimus. cum auth. ſeq. C. de do.* Et facta inter Auguſtum & Auguſtam donatio, conſtāte matrimonio rata eſt. *l. donationes quas diuus. C. de do. inter vir. & vxor.* Quibúſque donātur cubicularij principis priuilegiis; donati quoque intelligi debent, qui apud Auguſtam eodem munere funguntur. *l. cubicularios. de præpoſ. ſac. cubic. lib. 12. C.* Horum omnium ratio eſt, quia ſplendent honore mariti vxores: *l. fœminæ. D. de ſenato. l. mulieres. de dig. lib. 12. C.* Et cùm duo ſint in carne vna, ſociique diuinæ & humanæ domus dicātur. *l. 1. D. de ritu nupt. l. aduerſus. C. de crim. expi. here.* indignum lex exiſtimauit, marito in altiſſimo honoris gradu collocato, vxoris dignitatem pariter non concreſcere, *l. ſi liberam. C. de nupt.* quid enim tam humanum eſt, quàm fortuitis caſibus, proſperis, vel aduerſis coniugis participem coniugem fieri? *l. ſi cùm dotem. §. ſi maritus. D. ſol. matr.* Meritò abſurdum veteres putauerunt aliquid eſſe, quod non inter virum & vxorem commune ſit. Qua ratione virū ab vxore contráque vxorē à viro quicquā accipere, vetitū Plut. in Problem. ſcribit. iuriſconſ. tamen in aliā rationem eunt: ibus. *l. 1. D. de donat. inter virum & vxorem.* Vide Corraſium in Miſcellaneis Obſeruationibus.

Ad l. non dubium. C. eodem. tit. de legibus.

Ex hac voce [Non dubium] in principio huius legis poteſt confirmari vulgò falsò dici legem oportere dubitationis aliquid habere, cùm leges plurimæ ſint, quæ nullā habeāt iuris dubitationem, atque adeò quæ nec vllā olim habuerint, nec hodię habeāt, exempli gratia. *l. quoties. D. de naual. feſtu. l. qui ſeu. verſic. & ideo. D. de reſtu. l. 2. §. Conſtit. D. de pœnis.* Cuius rei vel vnicum proferam exemplum. Vlpianus in *l. filium. D. de his qui ſunt ſui,* inquit, Filium eum definimus, qui ex viro & vxore eius naſcitur. Sed ſi fingamus defuiſſe maritum, verbi gratia per decennium reuerſum aniculum inueniſſe in domo ſua, placet nobis ex Iuliani ſententia hunc nō eſſe mariti filiū. Hæc ille. cuius quæſo ſententia, quā poteſt habere dubitationem? quis obſecro tā ſtupidus, qui illo tempore putauerit aniculum nactum abſente marito, qui decem annis abſens fuerat, filium eſſe mariti. Minutiores ſunt profectò hæ argumentādi ratiunculæ, quàm quæ vulgò recipi debeant, tantum abeſt vt doctis eas ſcribere velim.

Ad hæc verba, Lege contrahere prohibente. eiuſdem legis, Non dubium.

Malè pleríque interpretes ex his legis huius verbis probare contendunt, ex contractu inito contra legis prohibitionem nec quidem naturalem enaſci obligationem, quod & aliis legibus confirmant. exempli gratia. *l. ſi non fortem. in princip.* vbi Doctores. *D. de condictione indebiti. l. cùm lex. D. de fideiuſſorib.* & hac ratione id probare adhuc nituntur, quia Iure gentium, ex quo naturalis obligatio deſcendit, *l. cùm amplius. §. in natura. D. de reg. iuris.* ſuperiorum legibus quilibet parere tenetur. *l. 11. de Iuſtitia & iure.* Et ita inquiunt, Ius ciuile quod naturale iam productum tollere nequit, *l. Iulianus. in principio. D. de condictione indebiti.* ne tamen ad effectum producatur, impedire poteſt, *dicta lege. ſi non fortem.* ſed hæc

omnia mihi falſa videntur.& hæc mea ratio,quia cùm naturalis obligatio ex conſenſu & naturali illa æquitate fidei ſeruādæ plerunque deſcendat.*l.Stichum.§.vitalis.D.de ſolutionibus.* Nec poſſit iuriſgentium ratio ipſaque naturæ æquitas, vlla ciuilis legis authoritate corrumpi. *l.11.§.finali.D.de vſufructu.* mihi nunquam viſum eſt per aliquam iuris prohibitionem, naturalem obligationem impediri poſſe.Nam & pupillum ſine tutoris authoritate naturaliter obligatum habemus.*l.pupillus.D.de verborum obligationibus.*

Ad tit.C.de legibus.

Falſa eſt ſubſcriptio l.9.huius tit. Nam ſubſcriptio quæ eſt in l.9.C.de legibus. [Dat.Sext.Idus Febru.Anthemio Coſſ.] legis eſt decimæ non nonæ. Sed nonæ huiuſmodi eſſe debet. [Dat.pridie Nonas April. cp. Ætio & Stadio Coſſ.]& ſequitur Leonis & Anthemij Conſtitutio Græca, quæ legibus alligat etiam homines pertinentes ad domum Auguſtam,*vt l.1.C. de cond.& prom.ſiue act.præd.fiſci.*cuius ſubſcriptio fuit talis, [Dat.8.Id.Feb.Anthemio A.11.Coſ.] Has ſubſcriptiones reſtituit doctiſſimus Cuiacius lib.12.Obſeru.cap.31. & hoc,vt & plurima alia illi debemus,apud illum videre poteris alias Cōſtitutiones quas ex Baſilicis reſtituit nobis, & quæ deſiderantur in tit.ſequenti,de mandatis Principum.

Ad tit.de veteri iure enucleando,& de auctoritate Iuriſprudentium,qui in Pandectis referuntur.

Non intellexerunt Gloſſæ quid ſibi vellet Iuſtinianus in *l.1. §.noſtram.C.de veteri iure enucleando.*his verbis,vt vobis poſſibile ſit quaſi per indicem ea tetigiſſe,nos ex doctiſſimo viro *lib.5.obſeruationum.cap.25.*dicamus id quod ſummatim & *κεφαλαιωδῶς* exponitur id prouerbiali ſermone , quaſi per indicem exponi,dici.quo loquendi genere vſus eſt Aſconius in 3. contra Verrem,his verbis,*Antequam,*inquit,*cauſa ageretur , quaſi per indicem rem exponebant.*hæc verba Iuſtiniani Theophilus rectè interpretatus eſt,[illegible] Index igitur eſt ex latiori ſcriptura breuis ſubnotatio quædam,nec idem quod exemplum,*l.2.D.de fide inſtrumentorum.* Exemplum enim ex integro deſcribitur rerum. Puto etiam indicem hunc libellum periculum appellari.Cicero 1.de Legibus, Qui in iſto periculo non puto veritatem exigunt,& in trumentaria. Idem Periculo magiſtratuum.

Ad l.Conſtitutiones.C.de iuris & facti ignorantia.

Iuris ignorantiam latæ culpæ non annumerandam , aduerſus omnium ſententiam.
Ius ignorare quibuſdam conceſſum.
Noua opinio.
Iudex tenetur ſcire leges.
Leges quæ ab omnibus ſciri debent.
Declarata nouè.l.leges ſacratiſſimæ.

In tractatu culparum,& alibi paſſim illud Doctores frequēter inculcant,latæ culpæ iūris ignorantiam aſcribendam. Bar. & alij ſæpiſſimè in *l.quod nerua.D.depoſi.*cuius ſententiam hanc duntaxat rationem habere poſſunt.quod latam culpam Iuriſconſulti dicant nimiam illam,& diſſolutam negligentiam,qua quod omnes intelligunt,ignoramus.*l.cedere diem.§.fi.& l.lata culpæ.D.de verb.ſig.* leges autem ab omnibus intelligi debeant,*l.leges ſacratiſſima.C.de legib.l.Conſtitutiones.C.de iur.& fact.ign.*Et hæc quidem eſt interpretum omnium ſentētia,quā, vix eſt,vt ego probare poſſim. Si enim latæ culpæ annumeraretur iuris ignorantia, cuicunque in damnis pecuniariis vtiq; noceret:eū.n tunc perpetuò dolum repræſentet,*l.1.§.non autē. D.ſi quis teſt.lib.eſſe iuſ.fue.*Atqui per manus traditum eſt, eam ſuum petentibus non nocere. *l.iuris.2.D.de iur.& fact.ign.* Præterea,latam culpam verè appellamus grauem illam negligentiam,qua non intelligimus , quod alij omnes intelligunt. Falſum autem eſt,omnes iuris noſtri cognitionem habere. *l. reperita.C.de epiſc.& cler.*Et plerique ſunt,quibus ius ignorare permiſſum eſt.*l.regula.§.1.D.de iur.& fact.ign.l.ſcimus.§.1. C.de iur.delib.* Denique enim latam culpam non contrahant, niſi qui diſſolutè,& excuſabiliter negligentes ſunt.*d.l.lata culpæ.& d.l.cedere diem.§.fin.& l.ſi fideiuſſor.D.mand.* non video quo pacto clericus , mercator, artifex,aut alij id genus homines,qui non ciuilibus ſtudiis ſe dediderunt, ſed honeſtam aliā artem ſequuti ſunt.legum peritiam non habentes, in lata culpa dici debeant.Quę cùm ita ſe habeant,perplacet nobis quod non ſemel docuimus:non contra latam culpam, ex ignorantia iuris.Præterquam in his perſonis,quæ ex officij,& artis, quam profitentur,natura,leges ſcire debent.*c.ideo.ad fi.38.diſt.* veluti in Doctoribus,iudicibus,& aſſeſſoribus. *l.2.D.quod quiſque iur.l.ſi iudex.D.de variis & extraord.cog.*quibus illud concinnè obiici poteſt , turpe eſſe nobili , & patritio viro , ius,in quo verſatur,ignorare.*l.1.§.Seruius.D.de origine iur.* Nec me mouet quod Valentinianus,& Mar.Imp. ad Palladium reſcripſerunt,leges ſacratiſſimas,quæ conſtringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debere.*l.leges ſacratiſſimæ.C.de legib.* id enim accipi volo,vel in legibus,quæ diuino præcepto,aut naturali ratione cōfirmātur.*l.venia.C.de in ius voc.*vel ad inſtructionem morum,cohibendámque inſolentem hominum vitā pertinent:vt vniuerſi præſcripto earum manifeſtiùs cognito, vel vetita declinent,vel conceſſa ſectentur.*d.l.leges.* Alias autem leges nemo,vt opinor,ipſe ita ſcire tenetur , vt ignorans in lata culpa dici debeat.Quāquam fortaſſe dici poteſt,leuem, eo nomine contrahi,quòd non eam adhibeat diligentiam,quā prudentes homines in negotio ſimili exhibere ſolent : qui ius quod ignorant,à peritioribus ſcrutantur. *l.2.§.fi.ff.quis or.in bon.poſſ.ſeruet.*Plura vide apud Ioannem Corraſium in Miſcellaneis obſeruationibus,qui hæc doctiſſimè animaduertit contra omnium interpretum ſententiam.

Ad tit.C.de precibus Imperatori offerendis.ad l.Quotiens.

Quamuis Accurſius & Anianus interpres Codicis Theodoſiani , & complures alij exiſtiment hanc legem pertinere ad dandum debitoribus, induciarum morem id mihi perſuadere nullo modo poſſum,cum doctiſſimo viro D. Cuiacio. Nam lex ait moratoriam præſcriptionem remitti poſſe, peremptoriā conuelli,relaxari non poſſe. Quòd ſi vera eſt illorum traditio,ſic erit accipiendum,vt moratoria remitti, id eſt,concedi poſſit,peremptoria conuelli & relaxari,id eſt , concedi non poſſit,qua interpretatione nihil eſt abſurdius.Doctiſſimus vir probandam cenſet ſecundam interpretationem Accurſij, vt ſi debitori competat præſcriptio dilatoria,vel moratoria,vt puta pacti conuenti,ne intra quinquennium petatur, hæc creditori ſuum perſequenti ante quinquennium remitti & relaxari poſſit:peremptoria exceptio non item,vtputa pacti conuentā ne vnquam petatur. Nec obſtat. *l.ſi ante.C.de pactis inter emptorem & venditorem.*quia ibi venditor non dilatoriā, ſed peremptoriam præſcriptionem remitti poſtulat : quandoquidem venditori poſt diem offerenti rectè ita præſcribetur. Plura vide apud doctiſſimum Cuiacium lib.2.Obſeru.cap.10. qui hæc doctiſſimè animaduertit.

Ad tit.de diuerſis reſcriptis & Pragmaticis ſanctionibus.

Non intellexerunt Gloſſæ rubricam huius tituli.neſciunt enim quid ſit pragmatica ſanctio : nos dicamus pragmaticas iuſſiones ſiue ſanctiones eſſe,quibus ſcilicet tractatu & conſilio adhibito princeps diligentius diffuſiúſque reſpondet ad preces,relationem vel ſuggeſtionem iudicum vel aliorum , & aliis quidem reſcriptis preces inſeruntur,nō pragmaticis. Diuus Auguſtinus in collatione tertij diei cum Donatiſtis in pragmatico reſcripto preces inſeri non ſolere ait. Explicationem huius rubricæ nolui prætermittere,quia Gloſſæ eam non explicarunt. In memoriam mihi reuocans quod Diuus Hieronymus in præfatione Pſalmorum ait , Titulos eſſe claues ſcripturæ,hoc videlicet innuens,eum qui vult textum intelligere,debere priùs Titulum intelligere.quod ſanè veriſſimum eſt.

Ad

Ad tit. Quando libellus principi datus litis conteſtationem faciat.

Operepretium eſt veterem adeundorum, compellãdorúmque principum morem hic in medium proferre, cum id ad intelligentiam huius tituli multum faciat, nec id antiqui interpretes intellexerint, Tacitus libro 4. Annalium, vel à præſentibus libello adiri ſolitos oſtendit his verbis: Componit, ait, ad Cæſarem codicillos, Moris quippe erat quamquam præſentem ſcripto adire. Vide Tranquillum in Auguſto cap. 54. vide eundem in Domitiano cap. 17. vide Martialem lib. 7. Epigrammatum:

Dante tibi turba querulos Auguſte libellos,
Nos quoque quòd Domi, carmina parua damus.

Idem alibi,

Sed iam ſupplicibus Dominum laſſare libellis
Deſine, & in patriam ſeruum ab vrbe redi.

Sic libellum principi datum in Digeſtis ſæpius legimus, exẽpla vide apud doctiſſimum virum Barnabam Briſſonium præſidem eruditiſſimum in ſuprema curia Pariſienſi libro 3. Selectarum Antiquitatum Iuris Ciuilis cap. 7.

Ad titulum Codicis de officio præfecti prætorio Orientis & Illirici.

Ad l. formam.

Malè meo iudicio Bartolus hanc legem explicat, cum ipſe & plures alij qui eum ſequuntur, putent ex hac conſtitutione præfectum prætorio habere vniuerſalem legem condendi, cùm alibi Odofredo authore, dicat id illi minimè licere, niſi in his quibus præeſt prouinciis, verbúmque illud generale extra eius territorij fines non accipi, quam ſententiam falſam eſſe puto, quia ex hac opinione nihil magis præfecto prætorio competet, quàm cæteris magiſtratibus, qui in ſua adminiſtratione, & ipſi iura ſtatuere edicerèque poſſunt, hunc igitur huius legis ſenſum eſſe puto: Si præfectus prætorio legem in ſua prouincia promulgauerit, & quidem generaliter hoc modo, Quicunque tale delictum commiſerit, plectatur: ſi Imperatoriis conſtitutionibus, non aduerſetur etiam cæteros alioquin eius iudicio non ſubiectos, tamen lege illa teneri: & hæc interpretatio magis textui conuenit, licet Iaſon contra exiſtimauerit. Plura vide apud Doctiſſimum virum Andream Alciatum lib. 2. Paradoxorum cap. 9.

Ad titulum de officio præfecti prætorio Africæ, & omni eiuſdem Diœceſeos ſtatu.

Ad hos titulos nihil ferè Gloſſularij noſtri ſcripſerunt, quod putarent hos titulos potius ad hiſtoriæ, quàm iuris cognitionem pertinere, videamus igitur quis fuerit hic præfectus, in hiſtoriis inuenimus Iuſtinianum poſt multos annos hunc præfectum prætorio Africæ conſtituiſſe: Africa Vandalis liberata & reſtituta Romano Imperio, & ſub eius diſpoſitione prouincias ſeptem fuiſſe, quas refert Doctiſſimus Cuiacius in ſuis Paratitlis ad hunc titulum, quibus ſeptem prouinciis ſingularis ſeptem. Idem Iuſtinianus ſuos conſtituit rectores, 1. Conſulares vel præſides, conſtituit & duces militares prouinciis quinque, *in l. 1. huius titu'i* in notitia ſingularij ſunt, qui ſingulis. vt notarios dicimus (eos qui ſcribunt notis) in *l. 2. §. in ſardinia. eo loco Clauſuris & Burgis.* non facile eſt cuiuis ſcire quid ſibi velit eo loco Imperator: varie enim hæc leguntur vt videre poteris, in obſeruationibus doctiſſimi viri *lib. 3. capite* 24. Suidas ſcribit *κλεισούρας* Romanos appellare *τὰ ὀχυρώματα τῆς ὁδοιπορίας*. Dixerunt etiam cluſuras Theodoricas apud Caſſiodorum libro 2. Variarum ad Fauſtum Præfectum prætorium: Præcipimus, inquit, ſexaginta militibus in Auguſtanis clauſulis igitur conſtitutis annonas præſtare, hæc vox Burgos deducta mihi videtur à Græca *πύργος*. Vegetius lib. 4. caſtellum paruum burgium vocant. Sunt igitur & Burgi ſiue caſtra, & cluſuriæ in limitibus.

Ad tit. C. de officio præfecti vrbis.

Malè omnium doctorum virorum iudicio in *l. vlt. huius tit.* quæ primicerium, id eſt, primatem priorem, antiquiorem, adiutorium officij vrbicariæ præfecturæ, poſt biennium in eo gradu conſumptum vult ſuſcipere curam epiſtolarum, malè, inquam Accurſius probat lectionem, quæ habet perſonarum, pro epiſtolarum: nullo enim ſenſu hæc vox (perſonarum) ſcripta hic eſt, cùm cura epiſtolarum numeretur inter officia præfecti vrbi. Notitia enim Imperij Romani inter officiales præfecti vrbi numerat, eum qui dicitur ab actis, & alium qui dicitur cura epiſtolarum, & adiutores. Et de his qui ſunt ab actis & adiutoribus eorum, eſt *l. per hanc. Cod. de adiutoribus diuerſorum iudicum.* quæ eorum ſingulos multat decem auri libris, ſi culpa eorum, vel datus fuerit commeatus aduocatis ſtatutis in foro præfecti vrbi vltra triennium, vel in aduocatorum collegium aſſumpti vltra octoginta, vel confuſus vel perturbatus ordo aduocatorum permutatis locis iuniore ſcilicet vetuſtiorem occupante & anteuertente. Plura vide apud doctiſſimum virum in obſeruationibus libro 13. capite 1.

Ad titulum de officio comitis ſacri palatij.

Notandus eſt hic error Alciati libro primo Parergôn cap. 37. dicens, perpetuarios in iure dici, vt in hac lege 1. qui fundum à principe vel Republica conductum certo canone in vitam habent ſuam, vel etiam hac lege, vt ad alios transferre poſſint, hæc ſententia Alciati eſt contra textum in *l. vlt. Cod. de locatione prædiorum ciuilium.* eo loco, quo dicitur [iure perpetuo publici contractus firmitate perpetuarius ſequutus ſit, & intelligat, neque à poſteris ſuis, vel his ad quos ea res vel ſucceſſione vel donatione, ſiue venditione vel quolibet titulo,] vnde male Haloander in hac lege prima, putat, verbum hoc eſt, eſſe reſtrictiuum (vt illius verbo vtar) cum potius ſit ampliatiuum, vt verbis doctorum noſtrorum vtar, vt nullum ius perpetuum, nec Emphyteuticum quidem excipiatur, melius igitur ſentiamus cum doctiſſimo Molinæo ſuper conſuetudines Pariſienſes titulo 2. num. 35. Emphyteuſim perpetuam & ad omnes tranſmiſſoriam venire appellatione perpetuarij generaliter & vniuerſaliter ſumpti, alibi exemplum ponitur in Emphyteuſi perpetua, quia lex nullum ius perpetuarium vult excipi. Plura vide apud doctiſſimum virum loco citato.

Ad titulum vt lite pendente vel poſt prouocationem aut definitiuam ſententiam nulli liceat Imperatori ſupplicare.

Operepretium duxi id hoc loco annotare, quod omnes antiquos interpretes latuit, quædam verba ſuperflua mihi videri in hac rubrica. Satis enim fuiſſet dicere, vt lite pendente vel poſt definitiuam ſententiam nulli liceat imperatori ſupplicare, nec addendum erat (vel poſt prouocationem) nam poſt interpoſitam prouocationem ſatis prohibetur, qui lite pendente ſupplicare prohibetur, ne ſimiliter poſt omiſſam prouocationem, qui poſt definitiuam ſententiam, vt breuior ſententia hæc ſit, ne lite pendente de re qua de agitur quidquam ſupplicare liceat, vt Nouella 82. & 113.

Ad l. 2. huius tituli vt multæ obiectiones diſſoluantur, quas Gloſſæ diſſoluere non potuerunt, notandum hæc quæ in hac l. 2. dicuntur, locum habere quando quis pendente lite vult impetrare nouum ius ſiue nouum priuilegium ſiue gratiam, vt inquit Baldus hoc loco, ſiue mutando Stylum ſiue deciſionem cauſæ: hæc doctiſſime animaduertit Doctiſſimus Molineus in commentariis ſuis ad conſuetudines Pariſienſes, tit. 2. gloſſa 1. numero 88.

Ad titulum de officio comitis Orientis,

Mirum eſt Gloſſatores ad hos titulos nihil ferè ſcripſiſſe, cùm tamen multùm conducant ad intelligentiam Cod. Iuſtiniani, video enim paſſim Gloſſas dicere hos titulos non legi,

hoc ſolent dicere Gloſſæ in plerìſque aliis locis, quos non intellexerunt: nos quædam animaduertenda eſſe duximus, ac primum quod ad inſcriptionem legis 1. attinet, puto cum Doctiſſimo viro malè vulgò legi ad Vicum, cùm hæc conſtitutio à Leone Auguſto ſcripta ſit ad Puſeum præt. præt. vt & in lib. 3. *C. de his qui ſponſ. mun. ſuſcep.* qui etiam eo anno conſulatum geſſit cum Ioanne, quo Anthemium occidentis Imperatorem fecit. Item hoc notandum eſſe exiſtimaui, veteres libros rectius pro Lyciarchiæ duobus locis habere Alytarchiæ, & ita hunc locum purgandum eſſe ex ſententia Doctiſſimi Cuiacij lib. 2. obſeruationum cap. 13. & hoc veriſſimum eſſe puto cum Aſiana, non Orientis Diœceſeos Lycia ſit, vti conſtat ex notitia imperij Romani, quod ſi ita ſit, fieri non poteſt, vt cura Lyſiarchiæ ad comitem Orientis pertineat. Hic autem Alytarcha fuit ſacerdos Antiochiæ in Syria ſic dictus, quod ludis, qui fiunt in honorem Deorum, τοῖς ἀλύταις, id eſt, Maſtigophoris præſit authore Phauorino. Inde Sacerdotium Alytarchia dicitur. Plura vide apud Doctiſſimum virum loco citato, cui has omnes reſtitutiones debemus, vt & plurima alia, & per quem ius noſtrum adeo obſcurum lumen maximum accepit.

Ad tit. C. de officio præfecti Auguſtalis.

Tantum abeſt vt Gloſſæ hanc rubricam explicent, cùm nihil prorſus dixerint ad totum hunc titulum. videamus igitur quis hoc loco ſit Præfectus Auguſtalis, & dicamus eum ſic appellatum eſſe, quòd Ægypto in prouinciam redacta ei regendæ, primum ſit ab Auguſto conſtitutus ex equitibus nō ex ſenatoribus, vt Tacitus ſcribit lib. 12. & Dio lib. 52. & Arrianus 3. de expeditione Alexandrica: & ideo conſtitutus, ne ſub potentiore præfecto, vt ſunt leues & mobiles Ægyptij facile ad res nouas impellerentur, vide Ioſephum lib. 2. contra Appionem. Hæc doctiſſimus Cuiacius animaduertit plura videre poteris apud illum, qui idem lib. 8. Obſeruationum cap. 21. In *l. 2. hoc tit.* corrupte ſcriptum eſſe putat [Præfectus prætorio Auguſtali, pro Præfectus Auguſtalis.] Hæc habui quæ ad hunc titulum dicerem, cùm Gloſſę prorſus obmutuerint, vt ſolent ſæpius facere in his, quæ ex hiſtoriis repetenda ſunt, ex quibus vnicuique compertum eſſe poteſt, quantum ad iuris noſtris intelligentiam faciat Hiſtoriarum cognitio. qua de re ſi plura, ſcire velis, vide Franciſcum Balduinum in præfatione ſua ad Hiſtoriæ methodum.

Ad tit. Cod. de officio vicarij.

Malè Andreas Alciatus in Paradoxis hanc quæſtionem, quænam ſit dignior, an ordinaria, an vero delegata iuriſdictio ex *l. 1. huius tit.* definiri putat, qua receptam ſententiam omnium delegatam, videlicet ordinaria digniorem eſſe euidenter probari dicit, quòd falſum eſſe puto: vult enim hæc lex vicarios in ciuilibus cauſis comitibus anteponendos, adeò, vt ſi cauſa vtrique communis acciderit, priore loco vicarium cognoſcere, & comes illi adiunctus accedere iubetur. Manifeſtum autem eſt ciuili iure vicarium delegatam habere iuriſdictionem, tametſi iure Pontificio ordinarius ſit. *ca. tua nobis, vbi But. Panormitanus, & cæteri, de officio ordinarij.* Hæc communis ſententia nunquam mihi placuit, quin verius ſemper exiſtimaui, ordinarium delegato etiam à principe eſſe digniorem. Ordinaria etiam propriè eſt iuriſdictio, delegata vero minus propriè, quo fit vt iuriſdictioni verbo ordinarium intelligamus. *But. in d. c. tua nobis.* Denique nihil facit hæc lex 1. quam Alciatus pro communi induxit, ſiquidem etiam iure ciuili Vicarium ordinariam habere iuriſdictionem verius ſit, Accurſius in *l. nec quicquam. §. vbi decretum. D. de officio procōſulis. Gloſſa in canone Perlectis. 25. diſtinctione.* plura vide apud Corraſium lib. 3. Miſcellaneorum. cap. 19. qui caput integrum hac de quæſtione ſcripſit.

Ad tit. de officio rectoris prouinciæ.

Non eſt omittendum, quod Doctiſſimus Cuiacius ad *l. 6. huius tituli*, obſeruauit, quod à nullo antiquo interprete animaduerſum fuit, quod tamen multum conducit ad intelligentiam huius legis, pro (ciuitas Phodiorum) legendum (ciuitas Rhodiorum) & errorem natum putat vir doctiſſimus ex litera P. accepta pro Latina, non pro Græca. In hac autem lege (quam Gloſſæ non explicarunt) conſtituitur in gratiam Rhodiorum, vt iudices, ſub quorum cura ſunt illæ prouinciæ quinque, hoc eſt, quæſtores exercitus, per vices hybernent in illis quinque vrbibus, quæ potiores eſſe cæteris aſſeruntur, id eſt, in illuſtribus & maioribus ciuitatibus totius Diœceſeos, vt *l. 1. C. vt omnes iudices tam ciuiles quàm militares, &c.* vel potius in metropolibus earum prouinciarum vt igitur vno anno hybernent in Rhodo, ibique audiant cauſas appellationum, alio in Cypro, & ſic deinceps in aliis prouinciis, quod tamen aliter definitur in Nouella 41.

Ad titulum Codic. de officio militarium Iudicum.

Operæpretium eſt *l. 4. huius tituli* explicare, cum non careat difficultate ob turpem quandam maculam, quam delendam cenſet vir Doctiſſimus, *l. 3. obſeruationum cap. 24.* Sententia igitur huius legis hæc eſt, vt duces militum, & maximè qui proximi ſunt gentibus, vt puta Sophanex & Balabitex, & aliis, de quibus in *l. vltim. Cod. de officio magiſtr. militum.* in ipſis limitibus commorentur, vt imminente magiſtro militum ad ſuum numerum milites redigant, vt circa arma diurnis eorum exercitationibus inhæreant, hæc ſatis aperta ſunt quę ſequuntur, propter varietatem lectionis difficiliora ſunt. Hæc ſunt verba quæ difficultatem faciunt. (*Caſtrorum quinetiam refectionis, luſtrationiſque earum habeant.*) multi codices habent, *Luxuriarúmque* quidam *Luſtrarúmque* Dominus Cuiacius emendat Cluſierarúmque, & hæc illius opinio quam ſic confirmat, vt enim, inquit ille, in *l. ſi fortuita. D. de incendio, ruina, & naufragio.* Haloander perperam ſcripſit luſoria, pro luxoria, ſic errore contrario in hac lege quarta, exiſtimauit Librarium omiſſa prima litera, ſcripſiſſe *Luxuriarúmque*, pro *Cluſuriarúmque*, & hoc idem confirmat ex *l. cura. Cod. de officio magiſtri.* eo magis quid pars ſit huius l. 4. etenim ſcripta eſt vtraque ad Nonium magiſtrum officiorum, & eandem vtramque ſubſcriptionem habet. plura vide apud doctiſſimum virum loco citato.

Ad tit. C. de defenſoribus ciuitatum.

Azo vir ille celebris, qui tum ſæpe in Gloſſis allegatur, & Odofredus errarunt in interpretatione quorundā verborum. exiſtimarunt enim defenſores eos dici, qui in ciuitatibus ſunt, municipales vero magiſtratus in caſtris ſeu villis: municipium enim caſtrum ſignificare putant. Sed quæ amentia hæc, vnde hęc ſibi ſomnia iſti confinxerunt: nemini enim, vel vili Grammatico ignotum eſt, municipes primum dictos ciues Romanos, qui in vrbibus ſuo iure ſuis legibus vtentes, muneris tantum honorarij cum Romanis erant participes, poſtea longa conſuetudine loquendi obſeruatum eſt, vt vnuſquiſque ſuæ ciuitatum municeps diceretur magiſtratus. itaque municipales dicuntur ipſi ciuitatum decuriones, at defenſores ciuitatum non ex decurionibus, ſed ex aliis deligebantur tres numero, qui hoc agerent, ne tenuiores & infirmi à nobilibus læderentur, quod ex ipſis conſtitutionibus, quæ in hoc titulo referuntur, ſatis conſtat.

NOT

Digitized by Google

NOTARVM AD GLOSSAS ET INTERPRETATIONES IN COD.

liber ſecundus, libro ſecundo Codicis reſpondens.

Ad libri ſecundi titulum 1. de edendo.

MAlè Gloſſa & Bartolus edere exponunt demonſtrare, hæc enim expoſitio vera non eſt, quia qui demonſtrat tantummodo actionem, non dicitur illam edidiſſe, nam edere tunc quis tantum dicitur ſi dictauit, ſi dixit, ſi libello complexus eſt, *l.1. D.hoc tit.* ex quo falſum eſſe arguimus, id quod nonnulli Doctores aſſerunt, ſcilicet eum qui poteſt compelli edere, poſſe quoque compelli demonſtrare: quia non ducitur bonum argumétum ex omnino diuerſis, vt ſciunt Dialectici, falſum item eſt quod hic Bartolus aſſerit, incorporalia ſcilicet non demõſtrare, quia voces quæ tangi nequeunt, demonſtrant, & inducunt obligationem, *l.1. D.de verb.obligat.* Idem non recte dicit libellum actionem ſignificare, quia libellus eſt id quod actionem continet, quòd probari poteſt ex *l. D.h.tit.* nec vſquam legitur actionem ſignificare libellum. Actio enim ius eſt, quod libello complectitur actor, vnde non dicitur, edi libellus, ſed offerri: edi autem actio dicitur.

Ad tit. C de in ius vocando.

Conſtitutionem Græcam, quæ deeſt in hoc titulo, & quam antiqui interpretes non habuerunt, vide apud dominum Cuiacium lib. 10. obſeruationum cap.10. vbi lapſu librariorum non integram eam protulit, integram vide lib.13. obſeruationum cap.11. vbi illius ſenſum explicat.

Ad l. vltimam. hoc tit.

Ad eam quæſtionem quam mouent Doctores ſuper verbo petita huius legis, vtrum impetratio expreſſa requiratur, an vero tacita ſufficiat: malè quidam non ſufficere tacitam exiſtimant, quod falſum eſſe puto. Prætorem enim mandando vt ad vlteriora procederetur hanc veniam conceſſiſſe credendum eſt. *arg. l. à procedente. j. de delatoribus. Aretinum conſil.* 118. Idem ſi citationi, in qua venia peteretur ſubſcripſiſſet. Cum enim de plano id cognoſcatur, ſufficit libelli ſubſcriptio, *l. nec quicquam. §. vbi decretur. D. de officio proconſulis & legati.*

Ad l.1. C. de pactis.

Liberos per clauſulam, ſi ſine liberis, in diſpoſitione eſſe, in omnium fermè opinionem: & nouo intellectu percepta, l.1. C. de pa. aliæque quamplurimæ leges declaratæ, aliter quam cæteri faciant.

Ex teſtamento an vocentur liberi per clauſulam ſi ſine liberis.
Exploſa communis interpret. ad l. Lucius.
Nou. intellect. ad l.1. C. de pactis.
Expoſita noue l. ſi ita quis heres.

Agitata diu multúmque inter doctores vetus illa quæſtio, an poſiti liberi ſub illa conditione, ſi ſine liberis, vocati ex teſtamento intelligantur. In qua ſcriptores ferè omnes crediderunt, liberos ab inteſtato tantum vocatos. Accur. in *l. Lucius. 2. de here. inſti.* Et vt Bar. in *l. ſed & ſiſic. D. de leg. 1.* tradit, è fortuna potius quàm defuncti iudicio hereditatem conſequi. Conditionaliter enim liberorum teſtator meminit. At qui in conditione poſitus eſt, vocatus non intelligitur. *l. ſi quis ſub conditione. D. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam. l. ex facto etiam. D. de hered. inſtituend.* vnde vulgò dici ſolet, conditionem non diſponere. vt leuiter exiſtimauerint Chriſti diſcipuli, Ioannem non moriturum, quòd dixiſſet Petro Dominus: [Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te? Quod ſi diceremus liberos ex teſtamento vocari, alienata per patrem grauatum, ſine dubio per eum reuocarentur. *l. fin. §. ſed quia. & authent. res quæ, C. com. de leg.* cùm tamen id neget Imp. in *l.1. C. de pact.* Denique confirmant hanc ſententiam. *l. ſi ita quis heres inſtituatur. D. de her. inſt.* & leges, ſexentæque rationes commemoratæ ab Alexand. conſ. 190. volum. 2. A communi tamen recedunt doctores nonnullis caſibus, vt ſi in conditione teſtator maſculorum qualitatem expreſſerit. Guid. Pap. quæſt. 184. Philip. Dec. conſ. 316. Vel liberis in conditione poſitis, grauamen iniunxerit. Bartol. in *l. centurio. col. 10. D. de vulg.* vel digreſſus ſit ad plures ſubſtitutionum gradus, Anchar. conſ. 70. Alexan. conſ. 64. vol. 5. Sed & ſi in legatis non putat communi heredum Angel. Peruſ. in *l. in legatis. C. de leg.* Differentiæ rationem adnectens, quia nutu legata relinquuntur. *l. nutu. D. de leg. 3.* quòd non eſt in hæreditate. *l. iubemus. Cod. de teſtam.* Ego verò aduerſus doctores indiſcriminatim exiſtimo, liberos per hanc clauſulam ſi ſine liberis, ex teſtamento vocatos: ideo & alienata reuocare, *d. l. fi. §. ſed quia.* Euidenter quippe conſtat, eum qui teſtatus eſt, liberos inſtituti præ cæteris poſt inſtitutum vociſſe, cum & eos ſubſtitutis antepoſuerit, quos tamen ex teſtamento venire nemini non eſt cognitum. Spectemus ergo non inanem quandam verborum ſubtilitatem, ſub qua, vt adoleſcens Celſus dicebat, pleruмque perniciosè erratur. ſed voluntatem ipſam defuncti, quæ in fideicommiſſis ſola attenditur, & veluti regina dominatur. *l. heredi. D. de leg. 1. l. in conditionibus. & l. pater Seuerinam. §. conditionum verba. D. de con. & demon.* Et nemo eſt qui non eam defuncti mentem eſſe intelligat, vt inſtituti liberos vocare voluerit: & quod eos in conditione poſuit, celerioris locationis gratia feciſſe. Quod & apertè *l. Lucius. in fin. D. de hered. inſt.* tradit, vt nobis officiat tantum abeſt. [Nam (inquit ille Scæuola) prudens conſilium teſtantis animaduertitur: non enim fratrem ſolum hæredem prætulit ſubſtitutis, ſed etiam eius liberos.] Quibus verbis quis negauerit liberos ex teſtamento vocatos? Scio hæc verba ita ab Accurſ. & cæteris expoſitá, vt ab inteſtato vt proximiores liberi à teſtatore prælati cenſeantur, non ex teſtamento. Quæ diſſolutio abſurda eſt, verbiſque legis repugnans, quæ hoc docere voluit, quòd ſicut frater præfertur ex teſtamento ſubſtitutis, ita & eius liberi: quod & ſuadent verba illa, non ſolum. quæ eandem diſpoſitionem in ſingulis orationis partibus implicant. *l. cum non ſolum. Codic. de bonis quæ liberis.* Et quod controuerſiam finire videtur, alibi Papinian. tradidit, verba ſi ſine liberis, diſpoſitionem facere, *l. inter ſocerum. §. cum inter. D. de pactis dotalib.* qui text. ſine cauillo tolli non poteſt. Alia permulta legendo inducere ad noſtræ ſententiæ probationem ſolitus ſum, quæ hic conſultò à me prætereuntur. Nobis duntaxat facere negotium videtur. *l. 1. Cod. de pact.* in qua, vt paucis concludamus, ea ratione dicimus alienata per patrem inſtitutum, non reuocari ab eius liberis, quòd non ſimpliciter, ſed in vim pacti, & tranſactionis facta eſſet alienatio: aduerſus autem tranſactionem bona fide interpoſitam, nec quidem fideicommiſſarius venire poteſt. Si enim tenetur approbare compromiſſum, ab hærede factum. *l. cum hereditas. ff. ad Treb.* multo magis tranſactionem, quæ facilius permittitur. *l. non diſtinguemus. §. de liberari. ff. de recep. arbit. coniuncta. l. fratris. C. de tranſact.* Quod autem ſpectat ad illud vulgare: conditio non diſponit, expeditam habet ſolutionem: ſiquidem nouum non ſit, conditionalia verba diſponere. *l. auia. §. fin. ff. de cond. & demonſtr. l. ſi ita ſtipulatio. ff. de oper. libert.* quod & regulare videtur, vbi fauor liberorum verſatur, vt & in enuntiatiuis verbis proditum eſt, *l. vnum ex familia. §. fin. ff. de leg. 2.* Nec in ſpecie noſtra diuerſum dicere poſſumus. niſi enim diſponerent, verborum expreſſio inanis reddi poſſet: cùm ſine illis grauato ex deſcendentibus ſuperſtite, ſubſtitutus excludatur. *l. cum auus. D. de conditionibus, & demonſtrationibus. l. cum acutiſſimi. C. de fideicommiſſ.* Atqui vbi conditionalia verba ſine effectu reddi poſſent, niſi diſpoſitionem inducant, proculdubio diſponunt. *l. Proculus. D. de vſufru.* Quod verò ad *l. ſi ita quis heres. D. de hæredib. inſtituend.* pertinet, verius eſt quod Accurſ. *in l. quandiu. ff. de reg. iur.* ſubodoratus eſt, & nos apertè *in l. Gallus,* defendimus, in ead. l. legitimum hæredem ex teſtamento, & vt inſtitutum hæreditatem vindicare, *l. cum in teſtamento. in prin. ff. de here. inſtit.* Alioqui perperam ſub eodem titul. *l. illam inſertam eſſe dicendam foret.* Et violenda intollerabiliter regula. *l. quandiu. ff. de acquir. hered. & l. antequam. C. comm. de ſucceſſ.* Plura vide apud Corraſium ex quo hæc collata ſunt.

Ad l.fin.Cod.de pactis.

Quid ſit fiducia, quidque in iure noſtro, contracta fiducia emancipare; quod Accurſius non recte intellexit.

In tractatu pactorum futuræ ſucceſſionis vulgò celebratur pactionem de ſuccedendo, iure improbari. *l.ſtipulat.hoc modo. D.de verborum obligat.l.pactum quod dotali.C.de pactis.l.ex eo. Cod.de inutil.ſtip.* quod reſpectu iuris nouè adquirendi, dubitationem non habet: dictis iuribus. At vbi de iure conſeruãdo tractamus, diuerſa cauſa eſt: neque enim improbatum eſt pactum, quo ius noſtrum ſuccedendi tuemur. *§.ſi. de leg.agn.ſuc. Bartol.& cæteris, in l.ſi. Cod.de pactis.* veluti cum pater emancipat filium, contracta fiducia, hoc eſt, expreſſim retinendo ius ſuccedendi, huic filio, quem ea fiducia emancipabat. *l.fin.C.de emancip.lib.& d.§.fin.* hæc autem fiduciaria emancipatio: quomodo fieret, non omnibus compertum eſſe ſcio: vt non inanem operam me ſumpturum putem, ſi ad communem ſtudioſorum vtilitatem, ad eam rem pertinentia, quædam adiiciam. Sciendum igitur, præter notam fiduciæ verbi ſignificationem, vſurpari nonnunquam Fiduciam, pro pignore. Vnde Cicero pro L.Flacco de Apollonide agens, cuius fundum paternum pignoris nomine, Decianus acceperat, in Decianum ait: Abduxiſti Temno Apollonidem, pecuniam adoleſcentibus grandi fœnore, fiducia tamen accepta, occupauiſti. Hanc fiduciam commiſſam tibi, tenes hodie, ac poſſides: cum tu teſtem, ſpe recuperandi fundi paterni, venire ad teſtimonium dicendum coëgiſti. Inde fiduciaria res, quæ pignoris loco apud creditorem depoſita eſt. Eſtq; fiducia à fide appellata, quod reſtituẽdi fides interponatur. Accipereque fiduciam dicitur, vt Boet. in Topic.Ciceronis exponit, cuius fidei res aliqua, ea lege cõmittitur, vt eam aliquando redderet. Cicero pro Roſcio Comœdo, [Si qua enim ſunt priuata iudicia, ſummæ exiſtimationis, & penè dicam capitis, tria hæc ſunt: fiduciæ, tutelæ & ſocietatis. æquè enim perfidioſum, & nefarium eſt, fidem frangere, quæ continet vitam: & pupillum fraudare, qui in tutelam peruenit: & ſocium fallere, qui ſe in negotio coniunxit.] Hinc fideicommiſſa olim fiduciaria dicta ſunt. *l.certi condictio. D.de reb.cred.* quod ante diui Auguſti tempora, nullo iuris vinculo, ſed pudore tantùm heredum rogatorum continentur. *§.1.de fideicom.hered.* Et heredes reſtituere iuſſi, quiq; non tam ſui, quàm fideicommiſſariorum contemplatione, inſtituti proponebantur. *l.3.§.cum pollidius.D.de vſuris.* fiduciarij appellati ſunt. *l.Seius.D.* Eodémque modo fiduciaria poſſeſſio, veluti depoſitaria (quam, inquit magnus ille Bud.in *l.2. D.de orig.iur.* ſub manu regia, Galli poſſidere vocant) quaſi fide data acceptam. Vnde Liu.2.de bell.Macedon.de Corintho loquens quam Philippus Nabidi Tyranno, ea lege dederat, vt ſi victor ex bello rediiſſet, Nabis ei reſtitueret, inquit, Nabidi eam tyranno velut fiduciariam dare, optimum viſum, vt victori ſibi reſtitueret: ſi quid aduerſi accidiſſet, vt ipſe haberet. Quamobrem ſi quis tempus dubium timens, amico potẽtiori, fundum mancipet, vt cum ſuſpecta præterierint tempora, reſtituat, mancipatione fiduciaria, amicus ille recipere dicitur: author eſt Boet.in 4. Top. quæ magnam profectò cognationem habet cum imaginaria venditione, quam hodie ſub redimendi redhibendique lege facimus, cuiuſque pulcherrimum eſt exemplum in *l.is quis.§.ſi ab ignoto.D.de manu. & in l.2.Cod.de pact.inter empt.& vend.* Cum itaque non eſſet alius præterquam in ſeruis manumittendi modus, atque ideo non poſſet pater rectà è manu ſua, id eſt, poteſtate mittere filium, imaginariam venditionem excogitarunt: qua, redacto prius ad ſeruilem ſtatum filio, is tanquam ſeruus manumitteretur, non à naturali, ſed à fiduciario patre. Qui in iure noſtro dicitur is, cui filium pater naturalis, imaginaria venditione mancipat, vt deinde eum manumittat. Ad hunc fermè modũ, vt Tit. Caius inſtitutionum lib.1. refert. quia fiduciarius pater, vnum, duos, pluréſve numos, velut in ſimilitudinem pretij, vero naturalique patri numerabat: viciſſimque naturalis pater accepto pretio, filium manu ſua mittebat, tradebátque patri fiduciario. Eúmque ſic emptũ, tanquam ſeruum, fiduciarius deinde manumittebat: propter quam dationem libertatis exemplo veri patroni, lex olim dedit ius legitimæ ſucceſſionis manumiſſori: adeò vt patri naturali, nedum cæteris, qui manumiſſo quondam agnati, nunc cognati, ſolùm erant, propter capitis diminutionem, ipſum manumiſſorem prætulerit. pater quippe naturalis nihil iuris habebat in bonis filij, ita vendito: niſi à fiduciario, filium tanquam ſeruum redemiſſet, & ipſe manumiſiſſet, aut fiduciario patri vendendo, hoc ius ſuccedẽdi, ſpecialiter ſibi reſeruaſſet, quod contracta fiducia emancipare dixerunt. *l.ſi.C.de emancip.lib.* Quod iniquum nimis prętor exiſtimans, decem perſonas quas commemorat Iuſtinianus, in ſucceſſione inteſtati, extraneo manumiſſori, præferri voluit: dans eis bonorum poſſeſſionem, ex eorum numero, qui petere poterant.]Vnde decem perſonæ.] appellatã. *§.ſunt autem.& §.quæ autem.vbi Theoph.de bon.poſſ.* Ampliúſq; nouiſſima Iuſtiniani. le. ſublatis priſcis, & vanis illis in emancipandis liberis, venditionum, fiduciarique patris, imaginibus, conſtitutum eſt, apud competentem iudicem, licere patri naturali, recta via, filium ſuum emancipare, perindéque ad bona liberorum ſuorum ius habere, abſque prætoris etiam auxilio, ac ſi contracta fiducia, ſecundum veterem formulam, ſibi proſpexiſſent. *d.l.ſi.C.de emancip. lib.§.ſi.de legit.agnat.ſucceſſio.* ex his autem patet, parentem tunc contra fiduciam emancipare dici ſolitum, cum fiduciarij patris fidem ſequutus, filium ea lege manumittebat, in fiduciariique patris poteſtatem transferebat: vt ne ſuccedendi ius amitteret: quod ſibi ſpecialiter reſeruabat. *d.l.ſi.* ne mero iure excluderetur, aut prætoris egeret auxilio. plura vide apud Corraſium.

Ad l.finalem.C.de pactis.

Donationem omnium bonorum præſentium, futurorum valere validiſſimiſque id rationibus defendi, tametſi contraria ſententia obtinuerit.

Donatio vniuerſalis omnium bonorum an valeat.

Communis omnibus fermè legum interpretibus ſententia eſt. Donationem omnium bonorum præſentium, & futurorum nullius eſſe momenti. Bart.Cuma.Imol. Caſtr. Alexand. *D.de verb.oblig.* Bald.Fulg.Caſtr.& alij in *l.fin.C.de pact.* Quia tollat hic actus liberam teſtamenti factionem. *l. pactum quod dotali. Cod.de pact. & dicta l. ſtipulatio.* quæ tamen ambulatoria eſſe debet, vſque ad extremum vitæ exitum. *l. diui. §. licet. D.de iur.codicil.l.3.§.fin. D.de adi.leg.* nec humanis pactionibus conſtringendam. *l.ſi fratres.§.idem reſpond.D.pro ſoc.* Atqui conſtat, eum, qui bona non habet, teſtari non poſſe. *auth. ingreſſi.C.de ſacroſanct.eccleſ. l.obſides. vbi Accurſ. D. de teſta.* Alia prætereà ratione, non valet donatio, quia pacto non poteſt dari hereditas. *C.de pact.con.* tum etiam, quia contra bonos mores eſt diſpoſitio huiuſmodi. *d.l.ſtipulatio hoc modo.l.cũ donationis.C.de tranſ.l.ex eo. C.de inut.ſtip.* ideo pleriſque creditum, non roborari eam iureiurando. Bartol.& cæteri, *in d.l. ſtipulatio.* cum actus bonis moribus repugnans, non firmetur iuramento. *l.ſi quis inquilinos.§.ſi.D.de le.1.c.non eſt obligatoriũ, de reg.iur.in 6.* Addi poteſt & alia ratio, quia teſtamenti factio publici iuris eſt. *l.3.D.de teſtam.l.teſtandi.Cod.eo.tit.* quod ius, priuatorum pactionibus neque niti. *l.fin. D.de ſuis. & l.neque tolli poteſt.l.ius publicum ff.de pact.l.neque pignus.§.priuatorum. D.de reg.iur.* Cæterum cum hæ rationes frigidæ ſint admodũ, & ieiunæ, & diſpoſitionem rerum ſuarum, iuſtum eſſe lex dicat, vnicuique permittere, *l.nemo exterus.C.de iud. l.in re mãd. C.mand.etiam abutendo.l.ſed & ſi le.§.conſuluit ff.de pet.hered.* vniuerſorúmque bonorum donationem non improbet. *l.omnes.§.Lucius.§.quæ in fraudem cre.* crebra hęc doctorum traditio, dubia ſemper mihi viſa eſt. Quòd enim primo loco, & potiſſimum inducitur, eiuſmodi donatione teſtandi libertatem impediri, verum non putamus, quandoquidem ex ſolo donationis titulo non transferatur rerum donatarum dominium ſine traditione. *l.traditionibus.Cod.de pac.§.per traditionem.de rer.diuiſ.* licet de omnibus concepta ſit, vt in ſpecie, quam diſputamus. *l.qui tibi.Co.de hered.vel act.vend.l.qui tibi.C.de iis, quæ à non do.ma.* Iuris enim regula, quæ vult dominium ex cõtractu non tranſire, abſque traditione. *d.l.traditionibus*, procedit in contractu quoque facto, ſuper iure vniuerſali. Accurſ. & Bart.in *l.1. D.pro dot.* Remanet ergo dominium apud donatorem, de quo teſtari, aut alio modo diſponere poteſt. *l. fin. §. Lucius.D.de donat.* Conſtat prætereà, in generali, aut vniuerſali conceſſione, ea non contineri, quæ veriſimile eſt quenquã in ſpecie conceſſurum non fuiſſe: vt, ſupellectilem, alumnos, miniſteria perquam neceſſaria, & quæ ad affectionem eius,

max

maximè pertinent. *l. obligatione. cum l. ſeq. & ſeq. D. de pign. l. 1. C. quæ res pign. obl. poſſ. c. in generali. de reg. iur. in 6.* de quibus ideo donator moribundus diſponere poterit. Idem huic donatori poterunt ea lege relinqui bona, ne ad donatarium perueniant: ſicuti & filiorum patri quærantur. *§. 1. vt lic. mat. & aui. col. 7.* Aut excipitur. *C. de bon. quæ lib.* Deinde conſiderandum eſt, quòd licet rectè, & actu ad hoc ordinato, nemo poſſit ſibiipſi teſtandi facultatem præripere: *d. l. ſtipulatio.* indirectè tamen poteſt non ſolum per actum laudabilem, & honeſtum, nempe ingreſſum monaſterij: *Authent. ingreſſi. C. de ſacroſanct. eccl.* ſed etiam per actum turpem, & vitioſum, veluti patiendo ſe venumdari ad pretium participandum. *l. & in ſeruorum. D. de ſtat. hom. §. ſi. de iur. perſo.* nec exiſtimandum eſt, donatorem pro eo, quod nulla, aut pauca bona habeat, hærede cariturum: forte enim hoc ignorabit heres, vt veriſimile eſt. *l. verum. D. de prob. l. fin. D. pro ſuo.* Et quamuis ſciat, non credit lex (iure præſertim, quo vtimur, ſpectato) heredem tam auarum, támque impium, vt voluntatem defuncti negligat, ex quo damnum ipſe ſenſurus non eſt: vtpote qui inuentarij beneficio ſit ſuccurſum: nam nec diſſimili admodum ratione, Iuſtinia. Nouel. conſtitutum eſt Falcidiam à teſtatore hodie prohiberi poſſe. *§. hinc nobis. de her. & fal. col. 1. Auth ſed cum teſtator. Co. ad l. Fal.* licet. l. Falcidia in gratiam teſtatorum, vt heredem habeant, ſit inducta. *§. 1. de l. Falcid.* Bart. & cæteri pulchrè in *l. nemo poteſt. D. de leg. 1.* Non obſtat item, quod dicebatur, pacto hereditatem dari non poſſe: quia verum eſt, vbi pactum illud, vice teſtamẽti interpoſitum eſt. *d. l. hereditas. C. de pact. conuent.* nõ etiam ſi animo donandi Bart. in *l. fi. C. de pact.* Et ſic ſi in fraudem fiat, quod non præſumitur. *l. merito. D. pro ſoc. l. quoties. §. qui dolo. D. de reg. iur.* nec item me mouerit, quod dictum eſt, hanc conuentionem eſſe contra bonos mores: quia hoc fortiter negamus, contrariúmque ſupra probatum eſt. Et ſi quiſpiam inſtet, induci votum captandæ mortis. Reſpondeo, non præſumi iniquam hanc voluntatem, ex quo conſentit is, de cuius bonis agitur. *l. fin. C. de pact.* In donatario præſertim, in quo ad antidora obligato, *l. ſed & ſi lege. §. cõſuluit. D. de pet. her.* magis præſumi debet beneuolus animus, gratus, & remuneratorius. *l. ſi verò non remunerandi. §. idem Pap. D. mand.* Alioqui eadem ratione dicendum, non valere donationem bonorum præſentium, poſt mortem collatam, quod eſt falſum. Accurſ. Bartol. & omnes in *d. l. fi. Cod. de pact.* Ex his quoque patet, poſtremam rationem de teſtamẽti factione, non obſtare. Quamuis enim ea publici iuris ſit. *d. l. 3. D. de teſt.* publicámque vtilitatem reſpiciat. *l. vel negare. D. quemadmod. teſt. aper.* non tamẽ principaliter, ſed in conſequens, & vt vocant, ſecundario. Vnde legitima conuentione, iure, meritóque tolli poteſt. *l. iuriſgentium. §. ſi paciſcar. D. de pact.* Præterea quamuis principaliter fateamur teſtamenti factionem iuris eſſe publici: atque ideo pactionibus priuatorum tolli non poſſe. *l. ius publicum. D. de pact. l. teſtandi. Cod. de teſtam.* paulo antè tamen euicimus, donationem, de qua tractamus, teſtandi facultatem non impedire. Et ita mihi, in hac quæſtione videtur, tametſi cæteri omnes contra, præter Angel. in *dicta l. ſtipulatio, & Salycet, in d. l. fin. Cod. de pactis.*

Ad l. petens. 27. C. de pactis.

Malè quidam colligunt ex hac lege pactum ex continenti adiectum ſtipulationi ineſſe ex parte actoris, quod loquatur hæc lex de ſtipulatione adiecta pacto, non è conuerſo de pacto adiecto ſtipulationi, & rectè: ſtipulatio enim adiecta pacto obligat, pactum adiectum obligationi non obligat. Et hac in re diſtat ſtipulatio, maxime à contractu bonæ fidei, pactum enim emptioni adiectum ex continenti obligat. *l. venditio. D. communia prædiorum.* ex his omnibus liquet ineſſe pactum propter proximitatem cohærentiámque ſtipulationis ex parte rei tantum, non ex parte actoris, & ſi poſt interuallum aliquid ſeorſim à ſtipulatione fieret neutra ex parte ineſſe, hæc doctiſſime animaduertit præceptor meus lib. 10. obſeruationum cap. 24. apud quem explicationem huius legis videre poteris, ſufficit locum indicaſſe.

Ad l. ſiue apud acta C de tranſactionibus.

Tranſactionem contractum nominatum eſſe, aduerſus omnium ſententiam, ac præſertim Accurſij.

Protrita eſt, & peruulgata Bart. aliorúmque iuriſperitorum ſententia in *l. ſiue apud acta. C. de tranſact.* Trãſactionem contractum innominatum eſſe, tum quòd nonniſi ſequuto implemento actionem pariat. *d. l. ſiue apud.* aduerſus contractus nominati naturam, ex quo ſtatim cum ineſſe, vt aiunt, productus eſt, actio datur. *l. iuriſgentium. vbi Accurſ. D. de pactis. l. 1. §. item emptio. D. de rer. perm.* tum quod non tranſeat in ſpeciale nomen contractus, ſed ſub nomine generis remaneat. nam ſiue pacto gratuito, renunciatione ſimplici, compromiſſo, iureiurando, vel etiam ſententia, à lite diſcedatur, tranſactum eſſe dicimus. *l. 1. §. cõuentionis. D. de pact. l. 2. D. de iureiur. l. 1. §. ſi. D. ad Tertul. auth. ſi verò contigerit.* & in corpore vnde ſumitur. *C. de iud.* Quin & tranſacta, generaliter accipienda ſunt, etiam quæ ſine controuerſia ſunt finita *l. tranſact. D. de verb. ſign.* nam & tranſigere rem dixit Cic. pro Quint. tranſigere ætatem. Plin. tranſigere vitam, Salluſt. & tranſigere tempus, Trypho. iuriſc. *l. ſi is qui. §. ſi. D. de adquir. rer. dom.* Adduna aliam huiuſce pronunciati rationem ſcriptores. Habent contractus nominati certos fines, veluti in emptione: vt venditor rem, emptor pretium præſtet: in locatione, conductor pecuniam, locator rem tradat: quod cum non ſit in tranſactione, in qua actor pecuniam quandoque dat, quandoque recipit. *l. 2. l. ſi ſuper poſſeſſione. C. de tranſact.* legumlatoribus minimè placuit, tranſactionem inter contractus nominatos collocare. Verum hæc traditio à vero quam maximè eſt aliena: probabiliúſque ſemper opinatus ſum, trãſactionem contractum eſſe nominatum, cum non ſtet ſub generis nomine alteri contractui conueniẽte, ſed tranſeat in ſpeciale nomen. generis quippe nomen eſt conuentionis verbum. *l. 1. §. conuentiones. D. de pact.* quo magis proprium & ſpeciale nomen habet tranſactio. pactum námq; ſub conuentione continetur, tanquam ſpecies ſub ſuo genere. *d. §. conuentionis.* pactum autem ſub ſe tranſactionem comprehendit, tantum igitur abeſt, vt tranſactio in ſuo generis nomine remaneat, vt non etiam ſtet ſub nomine pacti, quod tamen vt conuentionis ſpecies conſideratur. Qua ratione defendi quoque poſſet, permutationem contractum eſſe nominatum. Huc pertinet quod vulgo effertur, in contractibus innominatis, re integra, pœnitentiæ locum eſſe. *l. ſi pecuniam. D. de condict. cauſ. dat.* quod in tranſactione minimè obtinet. *l. quamuis. C. de tranſac.* Non igitur tranſactio innominatus cõtractus dici debet. Nec in communem ſenſum nos traxerint tres illæ rationes, quibus præſertim doctores adnituntur. Non enim tranſactionem in ſuo generis nomine propterea remanere dicemus, quòd pactum, renunciatio, compromiſſum, iuſiurandum, & ſententia, tranſactionis verbo veniant: alioqui nec emptionis contractus, nominatus cenſendus eſſet: cum lex xij. tab. emptionis verbo omnem alienationem, quinimo etiam legatum complecti videatur. *l. ſtatuliberi à cæteris. §. Labeo. D. de ſtatu. lib. l. ſicut. §. venditionis. D. quib. mod. pig. vel hyp. ſol.* cum tamen emptor ſecundum propriam ſignificationem accipiendus ſit, qui pretio emit. *l. ſciendum. §. deinde. D. de ædil. edict.* Exiſtimauerim igitur tranſactionis verbum dupliciter conſiderari. In primis pro quocunque actu, quo concordia inducitur, ab obligatione receditur, aut aliquid ad finem perducitur: vt multifariàm multiſque modis iam antè probatum eſt, túncque tranſactionem, neque nominatum, neque innominatum contractum dixerim, ſed verbum eſſe generale, latiſſiméque patens ad omnia pertinens, quibus vel diſſidium componitur, nonnihil abſoluitur, & perficitur. Accipitur quandoque trãſactio ſpecialiter, vt eſt de re dubia, lite incerta, aliquo dato vel retento non gratuita pactio. *l. 1. ff. de tranſa.* túmq; rectiſſimè contra doctores putauerim, tranſactionem contractũ eſſe nominatum. neque enim tunc nomen generis eſt, cum non aliis conueniat. nam iuſiurandum, renunciatio, pactum, compromiſſum, ſententia & alia eiuſmodi, & ſi nihil detur, vel retineatur, cõſiſtunt. Vnde licet olim tranſactio generale nomẽ confuſum & æquiuocum eſſet, cum tamen hodie ſit proprium & ſpeciale nomen, vni tantum deſeruiens, conceptionem, definitionémque propriam habens, contractus nominatus dici debet, vt & in emphyteuſi Iuſtin. conſti. *l. 1. C. de iure emph.* Nõ item me mouerit altera ratio. negare quippe poſſumus, contractus nominatos omnes, etiam non ſequuto implemento, actionem parere. contractus námque pignoris nominatus eſt. *l. 1. §. fin. D. de pact.* ex quo nihilominus conſtat actionem non naſci, niſi ſoluta pecunia. *l. ſi rem. §. omnis. D. de pig. act. §. ſi. quib. mod. re contrah. obli.* Sed demus nominatos contractus, ſtatim

cum

eum producti ſunt actionem parere: hoc tamen negotium nullum nobis facit, ſiquidem tranſactio mox cum perfecte eſt ineſſe producta, actionem producat: non autem prius pro ſu-cta intelligitur quàm ab actione receſſum ſit: ſola quippe cõuentio, qua quis promittit non agere, aut litem proſequi, contractum non perficit. Nam tametſi hodie non agit, cras tamen & in futurum, quando volet, experiri poterit ſuis actionibus vſque (vt in caſu non diſſimili doctores ſcribunt in *l. ſiue apud acta. C. de tranſa.*) ad diem iudicij. Non tam igitur conuentio huiuſmodi tranſactio, quàm pactũ de transigendo dicenda eſt, quandoquidem ſit tranſitus ab actione tráſactio. Sic & in donatione ſcripſit Bartol. in *l. iuriſg. in prin. D. de pact.* quæ forum iure contractus nominatus erat: non tamen ſtatim donatione ſecuta, oriebatur actio. quandoquidem donatio ſit quaſi doni datio. *l. ſenatus. §. 1. D. de don. cau. mortis.* nõ ergo ante donationis cõtractus perficitur, quàm res tradita ſit. Quod & in permutatione accipiendum eſt, vt ea actionẽ pariat. *l. 1. §. item emptio. D. de rerum permuta.* neque enim ante rem ſequutam permutatio dici poteſt, ſed placitum permutationis. *ex placito C. de rer. permut.* Oppoſitorum hoc loco quempiam prçuideo. Contractus innominatos reſpectiuos, do vt des, do vt facias, & reliquos, qui ſi à datione vel facto incipiant, actionẽ pariũt, preſcriptis verbis. *l. naturalis. D. de præſcrip. verb.* Quod nõ negamus, quin in vniuerſum tradimus, quoſcunque contractus, ſiue nominatos, ſiue innominatos, ſtatim cum producti ſunt, actionem producere., vt male argumententur Bart. & cæteri in d. l. ſiue apud acta, negantes ex contractu innominato in eſſe, vt dicunt, producto, actionem dari. Denique non nobis negotium facit poſterior ratio, quam tamen Bartol. meliorem affirmat, quæ dari poſſit: ſiquidem quod Barto. & alij ſupponunt, verum non ſit, contractus, inquam, nominatos omnes, certos habere, & determinatos fines: vt in ſocietate videre eſt, in qua interdum pecuniã tantum, aliquando bona omnia, nonnunquam alius rem, alius operam ponit. *l. 1. l. ſocietas. l. coire. l. cum duobus. §. ſi in ſecunda. D. pro ſoc.* Cum autem diſtincta non ſint cõtrahentium nomina, certum eſſe non poteſt, vt errem, vtérve operam præſtet. Præterea ſtipulatio contractus eſt nominatus. *leg. 1. §. fin. D. de pactis.* ſtipulationum tamen quædam certæ ſunt, quædam incertæ. *l. ſtipulationum quædam. D. de verb. oblig.* & quædam in dando, quædam verò in faciendo conſiſtunt. *l. 2. D. eod. ti.* Indéque conſtat, ſtipulationem certam non habere naturam, aut fines, vt dicunt, determinatos, cum, ſi in dando conſiſtat obligatio, præcisè promiſſor cogi poſſit. *l. ſi quis ab alio. §. fin. D. de re iudic.* Si verò in faciendo, eius quod intereſt præſtatione liberetur. *l. ſtipulationes non diuiduntur. ver. Celſus. l. vbi autem non apparet. §. fin. D. de verborum oblig.* in ſtipulatione præterea vterque contrahens tam is, cui promittitur, quàm qui promittit, ſtipulator dici poteſt, *l. ſi non ſortem. §. ſi decem. D. de condict. indebi. l. in his. §. imperator. D. de ſoluto. §. 1. de æqualita. dot. col.* 7. Plura vide apud Ioannem Correſium, ex cuius Miſcellaneis obſeruationibus hæc deſumpta ſunt.

Ad l. 4. C. de aduocatis diuerſorum iudicium.

Non mirum eſt Gloſſas nõ intellexiſſe, quid eſſet puncti ſolatium in hac lege 4. cum & eruditiſſimi viri in eo laborarint, neſciant tamen an adhuc inuenerint expeditam huius loci expoſitionem: hos enim torquet varia huius loci lectio. Alij enim Codices habeat puncta conſequi ſolatia, alij punctos conſequi ſolatia, alij & ij quidem frequentiores, & vt arbitratur Doctiſſimus Cuiacius veriores puncti ſolatium habent, Videamus quid hoc loco ſibi velit Imperator. vir doctiſſimus putat Imperatorem velle patronos qui fiſci cauſas defendunt in foro præfecti prætorio Kalendis Ianuarijs, inter comites conſiſtorianos de manu ſua puncti conſequi ſolatium, idem vir ex Baſilicis dubitat, vtrum potius pacti ſolatium, quàm puncti legere debeat. cum in iis reperiatur conſequi τὸ pactum. & hoc confirmat ex *l. iubemus tempore, & l. petitiones. C. eod.* vbi communi conſenſu ſiue communi placito & conuentione totius collegij, aduocatorum patronis fiſci conſtitutum eſt quoddam ſolatium, aut ſi mauis inquit ille, poteris legere pacta ſolatia: Hæc eſt coniectura Doctiſſimi illius viri, quæ veriſimilitudinem magnam habet & probabilis videtur. Plura videre poteris apud illum libro decimoquinto obſeruationum cap. 2.

Ad titulum Cod. ex quibus cauſis infamia irrogatur.

Primus omnium vir in antiquum ſtatum iuriſprudentiæ reſtituendæ natus verba Græca, quæ deſiderantur in l. 16. huius tituli reſtituit: nec enim ille legendum putat, vt in vulgaribus exemplaribus extat [illegible], ſed [illegible]. In eadem l. 16. ſic legendum putat ex Baſilicis, [illegible]. Huius legis hanc ſententiam eſſe dicit ictum fuſtium per ſe ſolum non importare infamiam, vt *l. ictus. D. hoc titulo.* Sed ſi inter cedendum præco ita dixerit, Ne ſis adeo vilis vt ſine iuſta cauſa accuſationem inſtituas, hoc enim perinde eſt, ac ſi dixiſſet, Ne calumnieris in poſterum, vel ne ſis adeo infamis, quæ cauſa irrogat infamiam, inter cedendum prætorem pœnæ cauſam dicere ſolere, nemo ambigit, quod ſuperdicere eſt in *l. ſi duo. §. vltimo. de iureiurando.* Plura exempla vide apud Dominum Cuiacium libro octauo, obſeruationum, capite ſeptimo, vide eundem libro 13. capite tertio, & libro 15. capite 7.

Ad titulum C. de procuratoribus.

Duas conſtitutiones quæ deſiderantur in hoc titulo, nobis reſtituit, vir in antiquum ſtatum reſtituendæ Iuriſprudentiæ natus, libro 13. obſeruationum capite 5. 27 *ſcilicet vt* 28. hoc eſt penultimam & vltimam, qua in re quantam vtilitatem attulerit, nemo eſt qui dubitat, hæc enim conſtitutio Græca, à Doctiſſimo viro reſtituta, ex Baſiliciis dubitationem quandam tollit, quæ moueri ſolet à Doctoribus noſtris ad l. inuitus. hoc tit. quàm antiqui interpretes ſoluere non potuerunt, hæc eſt quæſtio. An qui procurator datus eſt ad litem agendam, ſententia dicta & interpoſita appellatione, cauſam appellationis exequi poſſit vel debeat: & ita diſſoluit hunc nodum hæc conſtitutio, cùm vetat ne quis duobus iudiciis, cuiuſquam procurator ſit, ſed vt alius ſit in maiori auditorio procurator veluti in foro præſidis prouinciæ, alius in minori à quo ſoleat ad maius appellari vel referri, veluti apud iudicem pedaneum, atque ita vt nõ idem qui procuratorio nomine apud pedaneũ iudicem agit, agat etiam eandem rem eodem nomine apud præſidem. Sed vt tranſlationem negotij faciat in aliquem, ex his qui in foro pręſidis procuratorum officio fungatur. Ex hac conſtitutione videamus diſſolutam fuiſſe illam dubitationem in qua tantopere interpretes noſtri laborarunt, nec tamen eam rectè diſſoluere potuerunt.

Ad titulum C. ne liceat potentioribus patrocinium litigantibus præſtare, vel actiones in ſe transferre.

Quod dicitur in hac lege, in principio Diuum Claudium conſtituiſſe, intelligitur Marcus Aurelius Claudius, cuius & à Zonara celebratur alia conſtitutio de petitionibus bonorum ſublatis. Cæterum quod attinet ad differentiam inter titulum Codicis, de alienatione iudicij mutandi cauſa facta, & hunc titulum. malè eam differentiam conſtituerunt gloſſæ, cum dicunt, non eodem modo potentiorem, vtroque titulo accipi: hoc enim falſum eſt, ſed vt quæ ſit differentia inter vtrumque titulum, rectè intelligatur, ſecundum opinionem præceptoris mei dicendum hunc titulum Cod. pertinere ad actorem. titulum Digeſtorum ad reum. titulum Cod. eſſe de actore in potentiorem tranſlato, titulum Digeſtorum eſſe de re in potentiorem tranſlato futuræ actionis euitandæ cauſa. Hæc eſt euidentiſſima differentia, quam nec Gloſſæ nec antiqui vlli interpretes, (quos equidem viderim) intellexerunt. Plura vide apud Doctiſſimum virum libro 8. Obſeruationum cap. 31.

Ad

by Google

Ad titulum C. vt nemo priuatus titulos prædiis ſuis vel alienis imponat, vel vela regia ſuſpendat.

Gloſſæ non intellexerunt quod ſibi velit poſterior pars huius rubricæ, cùm ignorent quid ſint vela regia. Tu dicas vela regia eſſe vela purpurea auro pretioſiſque lapillis & gemmis prætexta, quibus Imperatores aliique reges & ſummi principes in ſuis palatiis uti conſueuerunt eodem ſenſu Tertullianus vela regia accepit in libro de habitu muliebri. Sed & parietes (inquit) Tyriis & hyacinthinis, & illis regiis velis, quæ vos operosè reſoluto transfiguratis, pro pictura abutuntur. Haud dubiè eo loco Tertullianus per vela regia, purpurea vela intelligit. Idque ex Plinio euidenter poteſt intelligi *libr.* 19. *Naturalis hiſtoriæ, cap.*1. Hæc vela alio nomine appellata fuiſſe videntur Aulæa Attalica, de quibus meminit Valerius Maximus *lib.*9. *cap.*1. qui locus mihi perſuadet erraſſe Nonium Marcellum cùm dicit Aulæa eſſe genus veſtis peregrinæ: fortaſſis rectius dixiſſet eſſe genus veli peregrini, & quidem pretioſiſſimi Aulæa Attalica ſcripſiſſet Nonius. Vide Ræuardum *lib.*5. *Variorum. cap.*11. qui copioſius hac de re ſcribit.

Ad titulum C. vt nemini liceat ſine iudicis authoritate ſigna rebus imponere alienis.

Mendoſum eſſe hunc titulum præter inſignem quam præ ſe fert obſcuritatem, nemo eſt qui neſciat. Quorſum enim illud *Alienis* in fine rubricæ ponitur? Sanè in antiquis exemplaribus omnibus non *Alienis, ſed quas alius detinet*, expreſſe ſcriptum inuenimus. In hac epigraphe, eáque lectio cum viro Doctiſſimo Iacobo Ræuardo *l.*5. *Variorum cap.* 16. mihi viſa eſt probabilior multis de cauſis, primùm quod in hoc titulo duæ tantùm ponantur diuerſorum principum conſtitutiones, & in vtraque non de rebus alienis agi videri, ſed de iis mobilibus rebus controuerſis tantùm agi, quas alius detinet, hoc eſt, quæ aut apud iudicem ipſum, aut apud ſequeſtrem, aut etiam in æde apud æditũum cuſtodiæ cauſa deponuntur, nec mirum eſt Gloſſas nihil dixiſſe ad hanc rubricam, cùm ob mendum iſtud inſigne, non dubium eſt gloſſatores hunc titulum non intellexiſſe, itaque operæpretium eſt etiam rationem harum conſtitutionum pręterre quam antiqui illi prętermiſerũt, hæc meo iudicio proferri poteſt, quod ſigna rebus duntaxat propriis potuerint imponi, quarum numero non poſſe res litigioſas comprehendi tam palam eſt, vt huius rei cauſa nullius Iuriſconſulti ſchola intranda ſit. Hæc habui quæ dicerem ad hunc titulum, quæ omnia, nec Gloſſæ, nec vlli antiqui interpretes explicarunt, multum tamen conducunt ad intelligentiam huius tituli.

Ad titulum C. de negotiis geſtis.

Ad l. curatorem.

Bartolus & Doctores ſummarium huius legis obſcurum admodum faciunt, nos conabimur in pauca verba ſummam huius legis facilius perſtringere, hoc modo, curator non poteſt teſtamento dari, ſi autem datus immiſceat ſe geſtioni, tunc ex geſtione tenetur, non vt curator, ſed vt ſimplex geſtor, illorũ Doctorum ſummarium multo obſcurius eſt, quod ſic ſe habet. Si officium iunctum alicui eum non arctat, tum ſi is ſe ingeſtioni immiſceat, tenetur actione negotiorum geſtorum, quo ſane ſummario nihil obſcurius eſſe poteſt, plerunq; ſummaria Bartoli ſic corrigi poſſent, vt aliquibus in locis in noſtris notis præſtitimus, & fauente Deo aliquando copioſius præſtaturi ſumus, ſi ſtudioſo & beneuolo lectori laborem hunc noſtrum gratum eſſe perceperimus. Eſt enim mihi in animo aliquando Notas has noſtras tertia parte ampliores reddere, ſi mihi Deus vitam dederit.

Ad l. nemini. C. de aduocatis iudicum.

Apud quoſdam Accurſij error inualuit, vt is pro aliis poſtulare poſſit, qui morum regionis peritus ſit, licet iuri communi dediſſe operam Doctorum teſtificatione minimè conſtet, qui ſanè mos peſſimus eſt, nec apud omnes inualuit. nam apud pleroſque gradu ſcholaſtico inſignitus eſſe debet, quam Licentiam vulgò appellant, quòd iuri Romano conuenit, & id extat in Britanniæ conſtitutionibus, artic. 63. & ſequenti conſtitutione ad finem. Idem eſt Cautum conſuetudine Senatuſconſulti Pariſienſis, quæ extat inter leges Regias.

De reſtitutionibus in integrum. Ad l. pen. C. de iis quæ vi metúſve cauſa geſta ſunt.

Accurſius non explicat quomodo diſſolui poſſit quoddam *ἐναντίωσιν*, quod videtur eſſe in hac lege. ei enim quod dicitur in hac lege pretium remanere apud venditorem, poteſt obiici. *l. milites. ff. de re milit. & l. aufertur. §. quod à præſide. ff. de iur. fiſc.* quas leges mirum eſt ab Accurſio prætermiſſas fuiſſe, allegat enim ſolum *l. non licet. de contrahenda emptione.* quę cum ſit ex libro Martiani de delatoribus, vbi ſanè dum emptorem rem amittere ait ſignificat eam vindicari fiſco, & adiicit in *§. quod à præſide.* etiam pretium inferri fiſco, & in *l. non licet.* adiicitur pœna tripli ex conſtitutione Seueri & Antonini. nam in quadruplo ineſt ſimplum, id eſt, æſtimatio rei. vt hæc Pſeudantinomia diſſoluatur, quam Accurſius quidem attigit, ſed non rectè explicauit, dicamus rem fiſco vindicari. Ita demum verum eſſe, ſi venditor poſt depoſitam ab emptore adminiſtrationem venditionem fecerit ratam, & ſi quinquennio integro in repetitione ceſſauerit. *l.* 5. *C. Theodoſiano, de his quæ adminiſt. vel officij publ. ger.* Nam & hoc in hac ſpecie ſingulare eſt, vt rectè Accurſius dixit, ſpeciale hoc eſſe) vt actio, Quod metus cauſa, vel ea vindicatio tollatur præſcriptione quinquennij, itémque ratihabitione venditoris, licet venditio non ideo magis confirmetur. *l.* 1. *C. de cont. iudic.* nimirum ſtatim fiſco vindicante rem illam venditam. Hæc eſt vera diſſolutio, quam antiqui interpretes non rectè expoſuerunt. Plura vide apud Cuiacium lib. 16. Obſer. cap. 13.

Ad titulum C. de dolo malo.

Ad l. 1.

Non potuerunt diſſoluere Gloſſæ *ἐναντίωσιν*, quod videtur eſſe inter hanc legem primam, & *l. ſi mandato Titij. §. 1. ff. mandati.* nec ſanè mirum eſt, valdè enim pugnat, vel Doctiſſimorum virorum iudicio, ſed vt diſſoluatur hæc Antinomia notandum (vt Doctiſſimus vir animaduertit *lib.* 3. *Obſeruat. c.* 37. hanc legem fugitiuam eſſe, & malè fuiſſe ſub hoc titulo collocatam, cùm potius poni debuerat ſub titulo Mandati, quibus poſitis obſeruandum erit hanc *l.* 1. accipiendam eſſe non de prætoria de dolo actione, quæ ſubſidiaria eſt actio, ſed de mãdati actione, vt Iohanni Azoni & Accurſio viſum eſt, quod veriſſimum eſſe verba illa huius legis [fidei ruptæ gratia] ſatis indicant. In directis enim actionibus bonæ fidei de fide rupta agitur. *l. et apud quem. ff. depoſiti. l. ad comparandam. C. mandati. l. non videbitur. ff. de ſtatulib.* hæc igitur ſit ſententia huius *l.* 1. Ob fidem mandati ruptam debitorem actione mandati (cui vt in omnibus bonæ fidei iudiciis de dolo actio ineſt) cum fideiuſſore agere, qui pignus emit à creditore, neque id omni oblato debito cum fructibus debitori reſtituit. Plura vide apud præceptorem meum loco citato.

Explicationem *l. cum proponas.* huius tituli. Vide in Notis noſtris ad *l. naturalis. ff. de præſcriptis verbis.* vbi legem iſtam ex Corraſij ſententia contra aliorum interpretationem expoſuimus.

Ad titulum C. de in integ. reſtit. minor. 25. anni.

Ad l. vltimam.

Malè adiungunt quidam in fine huius legis (in ſubſcriptione videlicet,) Baſilio Conſtantem. Nam is Baſilius

Conſul fuit ſolus,vt & in ſubſcriptione *l.mulier. C. de iur.dot.* eidem Baſilio adiungitur Armarius.nam is Armarius (de quo in illa lege mentio fit) non cum hoc Baſilio Conſul fuit. ſed cum alio qui Baſiliſcus dicitur. Cuius memoria damnata fu.. *l.decernimus.C.de ſacroſanct.eccl.* adeo vt in ſubſcriptionibus eius nomen non ponatur,quod obſerua diligẽter. pauci enim id aduerterunt. Nota etiam quod ad hanc conſtitutionem attinet vnicam fuiſſe conſtitutionem Zenonis ad Ælianum P F. P.ſcriptam,quæ diuiſa eſt in Codice Iuſtiniani in partes tres, videlicet in hanc legem vltimam,& *l.mulier.C.de iure dotium.* quem ſupra attulimus.& *l.vlt.C.de mag.conu.* Hæc obſeruauit Doctiſſimus præceptor meus *lib.16.Obſeruationum.cap.14.*ſufficit indicaſſe locum.Nos id plenius oſtenſuri ſumus in Commentariis noſtris ad omnes Zenonis conſtitutiones ſeparatim & aliorum etiam quorundam Imperatorum , quos præ manibus habemus,& propediem in lucem edituri ſumus , ſi Deus Optimus Maximus nobis vitam dederit.

Ad titulum C.ſi aduerſus libertatem.

Non intellexerunt Gloſſæ quid ſibi velint hæc verba huius legis(in Concilio manumiſiſti.)Accurſius enim in Concilio interpretatur,cauſa probata,ego puto per Concilium Imperatorem conuentum prouincialem intelligere. In prouinciis enim extremo Concilij ſiue conuentus die præbebat præſes aut proconſul conſilium authore Theophilo.§.eadem. inſtitutionibus,quibus ex cauſis manumittere non licet. Nam fuiſſe videtur quidam dies cognitionum, quo minori manumittere volenti,& aliis omnibus qui quod ſine ſententia conſilij facere prohibentur,quique in integrum deſiderant reſtitui,conſilium prætor præbere ſolet.Nam minor annis 20.lege Ælia Sentia manumittere ſine Conſilio prohibetur.*l.4.§.2.de manumiſſ.vindict.* & ibi cognoſcit prætor an cauſa manumiſſionum quas minor annis 20.allegat iniuſtæ ſint,necne,& non ex luxuria potius,hoc eſt prodigalitate proficiſcantur , quàm ex affectu. *l. vnic.in princ.ff.de offic.Conſulis.l.5.6.& 16.de manumiſſ.vindict.l.27.de manumiſſ.teſtam.* Et tunc ſi cauſæ viderentur iuſtæ , tunc manumittendi ſeruum prætor faciebat poteſtatem,vindictáque eius qui manumittendus erat capite impoſita hæc ſolennia verba pronuntiabat. Aio te liberum more Quiritum. Vide cap.9.lib.4. Variorum Iacobi Ræuardi viri eruditiſſimi.Ex his omnibus liquet ſummam eſſe differentiam inter hæc , *In Conſilio, & apud Conſilium* manumittere: quod valdè notandum eſt. à nullo enim antiquorum interpretum hoc animaduerſum fuit. primus,vt opinor,vir doctiſſimus Iacobus Ræuardus,libro ſingulari Protribunalium *cap.* 12.id obſeruauit.

Ad titulum C. vbi & apud quem cognitio in integrum reſtitutionis agenda ſit.

Ad l.quoniam ea.2.

Malè Iaſon ex hac *l.2.*exiſtimat leges illas quæ volunt contrahentem in loco contractus conueniri poſſe,ſi ibidem inueniatur, intelligendas eſſe tantùm quod attinet ad ipſius contractus actionem exercendam,non quo ad eius reſciſſionem. Nam(inquiunt illi)ſi de contractu reſcindendo quæſtio ſit coram proprio & vero domicilij iudice reus erit ad iudicium vocandus,non coram iudice loci contractus, tametſi in eo loco reperiatur,quæ ſententia mihi nullo modo placet,nõ enim dubium eſt, quin contractus ibi diſſolui poſſit & reſcindi, vbi quis ex eo contractu conueniri poteſt,ſi quidem locus vbi cõtractus fuerit celebratus de iure , idoneus ſit & competens, vt in eo agatur de eius diſſolutione, ſi reus ibidem præſens fuerit,& hoc confirmare poſſumus authoritate. *l.in contractib.* §. *vlt.C.de non numerata pecun.* Ex quibus omnibus facilè adducor vt credam Baldi,Pauli Caſtrenſis,& Iaſonis interpretationem eſſe reiiciendam, ac proinde in integrum reſtitutionem rectè poſtulari poſſe in loco contractus, ſi ibidem præſens fuerit is aduerſus quem petitur, nec ſolus ſim in hac opinione : mecum enim conſentit vir Doctiſſimus Didacus Coarruuias lib.1.Variarum Reſolutionum.cap.4.

Ad titulum C.de arbitris.

Nullum eſſe arbitratorem,contra omnium & Legiſtarum,& Canoniſtarum traditionem. Quiſque propriè in iure dicantur arbitri.

Doctorum declaratio reiecta.
Noua declaratio contra Accurſium.
Andr. Alciati lapſus.

Fecerunt commentatores noſtri arbitrorum tres ſpecies. Quoſdam iuris dicunt.qui ſecundùm formam legis, & ex iuris neceſſitate deliguntur:quales illi ſunt , quos oportet partem ſuſpicionis cauſas in iudicem proponentem eligere , vt de his cauſis,an legitimæ ſint,cognoſcant,*l.fi.C.de iud. c. ſuſpicionis. de offic.deleg.c.ab arbitris,illo tit.in 6.* Quoſdam compromiſſarios,qui à litigatoribus adeuntur, vt ordine iudicij ſeruato, litem dirimant,de quibus *tit.ff.& C.de arbitr.*denique quoſdam arbitratores,qui aſſumuntur,vt & de iure,& de facto, ſuper lite procedentes , negotium amicabiliter tractent , & componant. *l. ſi ſocietatem.§.arbitriorum.vbi Car. col. 2. D. pro ſocio.* Horum ego cùm nullibi in iure noſtro mentionem factam legerim,non modò vocabulum ipſum , ſed & totam hanc arbitratorum declarationem,commentitiam puto:nam nec vel lege,vel ratione , defendi poteſt , quod Doctores paſſim docent, arbitrum (quem vocant arbitratorem) vt litem dirimat iam cœptam aſſumi:aut vt iudicem quoquo modo eligi. Itaque arbitrum eum propriè exiſtimo dici , quem ex compromiſſo partes conſentientes adeunt dirimendæ litis gratia , quã iudicandi poteſtatem qui recipiunt , arbitrarium recipere dicuntur.*l.idem Pomp.§.recepiſſe.D.de arbitr.* Eſt autem compromiſſum,ſimultanea illa partium promiſſio,quæ ſua ſponte ad alicuius boni viri arbitrium,ſuam remittunt controuerſiã. Quod frequentiſſimè fit,addita per ſtipulationem pœna , ſi eius iudicis arbitrio paritum non ſit : tametſi quandoque ſine adiectione pœnæ fiat.*l.diem proferre.§.fi.D.illo tit.* Alij,qui de litibus non cognoſcunt, arbitri propriè non ſunt , licet arbitrium habeant,hoc eſt,poteſtatem de re aliqua arbitrandi.nec obſtat *§.arbitrorum.*duo ſunt genera.*d.l ſi ſocietatem.*in quo ab ineunte ætate docui,arbitriorum,non arbitrorum legendum : vt ſequentia textus verba , [Vnum eiuſmodi , vt ſiue æquum ſit, ſiue iniquum,parere debeamus] & poſteriora congruant. Quódque vulgò per manus traditum eſt,aliquos eſſe arbitros, ab ſcriptoribus arbitratores appellatos, qui de iure & de facto circa litium cognitionem, & diffinitionem procedant : tam falſum eſt,quàm quod falſiſſimum. ſolus ſiquidem eſt Arbiter. mox à nobis declaratus,qui de controuerſiis cognoſcat. Ille enim Arbiter , quem Arbitratorem nouo vocabulo dicunt, non ad lites,ſed ad contractus , alióſque actus extraiudiciales adhibetur:veluti, cùm Titius à contrahentibus eligitur : vt pretium rei in emptione æſtimet,vt partes , ex quibus ſocietas coiri debet,præſcribat , vel eius arbitratu res relinquitur , aut reſtituenda venit:vel etiam operæ promittuntur.*l.ſi coita.& l. veluti.D.pro ſoc.l.ſi libertus ita.D.de oper.liber. l.fideicommiſſa. §.quanquam. D.de leg.3. l. ſi quis arbitratu. D. de legat. 3.§.pretium.de empt.& vendit.in inſtit.*Quam rem paulò plenius exequutus ſum , in *d.§. Arbitriorum.* Sententiam porrò Arbitri Doctores voce magis barbara, & ineptiore , laudum dicunt, cum Latina locutione etiam Iuriſconſ.vſitata , vel ſententia, vel Arbitrium,dici debeat.Licet And. Alc.vir alioqui doctiſſimus libr. *parerg.* 1. *cap.*45.perpetuò exiſtimet iudicium id Arbitri Arbitrium dici non poſſe : immemor permultorum textuum qui in *tit.de receptis arbitriis.* Sic enim,non de receptis arbitris legendum frequenter admonui : cùm arbitri à partibus adeantur,& eligantur : ab arbitris verò arbitria recipiantur.Arbitrium pro ſententia ponunt:ſed præſertim . *l.idem Pomp.in fi.prin.& l.ſi in tres.* Plura vide apud Corraſium in Miſcellaneis obſeruationib. vbi copioſius hac de re tractat.

Ad l.

Ad legem antepenultimam. §. ſi quis autem. C. de arbitris.

Quod quidam in hoc §. addunt [illegible], vel [illegible], vel [illegible], nullo vetere libro authore id comprobare poſſunt. Cùm Doctiſſimus Cuiacius in tribus veteribus Codicibus ſe ita clarè ſcriptum legiſſe aſſerat. Si quis autem poſt arbitri definitionem ſubſcripſerit, [illegible] vel [illegible], vel [illegible], vel [illegible], vel [illegible], &c. Idem lib. 17. obſeruat. c. 16. reſtituit quædam alia verba Græca in hac lege.

Ad titulum C. de formulis & impetrationibus actionum ſublatis.

Hæc conſtitutio Theodoſij & Valentiniani Imperatorum non id reſpicit (quod Accurſius & quidam alij qui eum ſequuntur perperam exiſtimarunt) vt à Pontificum collegio actiones impetrari ſolitas oſtenderet, cùm id etiam ante horum Imperatorum tempora in vſu eſſe deſiiſſet: ſed puto potius ad iudiciorum conſuetudinem quæ ſub prætoribus agitabantur referri. Nam priuſquam cuiquam litem conteſtari permitteretur, neceſſe erat vt prætorem adiret: narratáque illi re prętor quæ competere ſibi videbatur actionem illi dabat. Plura vide quæ ad hanc rem pertinent apud Alciatum libro 4. Diſpunctionum, cap. vlt. vbi fuſius hac de re diſputat.

NOTARVM AD GLOSSAS ET INTERPRETATIONES DOctorum in Codicem liber tertius libro tertio Codicis reſpondens.

Ad l. certi iuris. C. de iudiciis.

Imperitos, iudices eſſe non poſſe, aduerſus aliorum opinionem: & præſertim Accurſij.

Imperiti, an iudices eſſe poſſint.
Decuriones indocti eſſe poſſunt.
Expoſita noue l. certi iuris. contra cæteros interpretes.

ILliteratos & iuris imperitos, iudices eſſe poſſe, vulgo dici ſolet, ex *l. certi iuris. C. de iudic.* ſuffiteréque, eum, qui iuriſdictioni præeſt, cauſarum peritiam, ex diuturna experientia habere. Accurſius *l. fin. C. de ſentent. ex breuic. reci. gloſſ. cap. ad audientiam. de conſuet.* Et quamuis hoc in ordinariis iudicibus vno ore receptum, in delegatis controuerſum ſit: quibus niſi literarum peritis delegari non poſſe cauſam, plerique putant, Iuſtiniani nouella adducti, §. 1. vbi Accurſius *de iudic. coll.* 6. vnde Baldus *l. fin. 16. queſt. C. de hered. inſtituend.* docet, ſi cauſæ ſubtiles, gloſſis, vt ille ait, doctoribus committantur, poſſe eos iure recuſari. Receptius tamen videtur, vt illiterato quoque cauſa delegari poſſit. Gloſſ. & Doctores *cap. ſciſcitatus. de reſcript. & ita vſu ſeruari*, Albert. Roſaceus refert in *d. l. certi iuris.* conſentitque Specul. in *tit. de iud. c. deleg. §. excepi. col.* 9. modò cauſarum experientiam delegatus habeat, & iudicio polleat naturali ſeu diſcretione, quam ſacri canones omnium virtutum matrem dicunt *cap. 1. de offic. cuſtod. cap. præſentium. 1. queſt.* 5. Alij, hoc in delegato Principis admittunt, eo videlicet caſu, quo Princeps ſciens, prudens imperito homini cauſam committit. *l. quidam conſulebant. D. de re iud.* De eo enim, quod à Principe ex certa ſcientia geſtum eſt, diſputare non licet. Gloſſ. *cap. cum dilecta. de confirmatione vtil.* ſiquidem tunc pleniſſima ſua poteſtate vti præſumatur. *Gloſſ. cap. ad hæc. de reſcriptis.* Enimuero, ſi errore ductus, illiterato, quem peritum Princeps credebat, cauſam commiſiſſet, nullius momenti eſſet delegatio. Accurſius *d. §. 1. de iudic. coll.* 6. quando errantis principis, nulla ſit voluntas. *l. ſed hoc ita. D. de aq. plu. arc.* nihilque magis ſit conſenſum impediens, quàm error. *l. ſi per errorem. D. de iuriſd. omn. iudic. l. nihil. §. fin. D. de reg. iur.* Quod verò pertinet ad delegatum ab inferiore, admittunt illi oportere iuris peritiam habere. *d. §. 1. de iudic.* Et ita aliter, atque aliter, à Doctoribus hic noſter articulus diffinitur. Qui omnes ſuum errorem hauſiſſe mihi videntur ex Iuſtiniani conſtitutione *d. l. certi iuris.* iniquiſſimè ab iiſdem percepta. eam enim ſic intellexerunt, vt illiteratos iudices eſſe poſſe dicat: cùm longè aliter Iuſtinianum ſenſiſſe, non dubitem. Itaque ſciendum, nuſquam in iure noſtro legi, ignarum & indoctum iudicandi munere fungi poſſe: ſed potius contrarium, indecens, videlicet, nimis eſſe, vt quiſquam iudicis nomen geſtet, qui legum ſit imperitus. Nam qui iuris peritiam non habent, ſed aliunde emendicare coguntur rectè iudicandi formulam, grauem certè iacturam, maximámq; labem reipublicæ inferunt. *§. 1. de iudic. coll.* 6. verùm enim illud eſt, quod ſenex Mitio in Adelphis Terentianis cecinit.

Homine imperito nunquam quicquam iniuſtius:
Qui niſi quod ipſe facit, nihil rectum putat.

Et Socraticum illud, vnicum bonum eſſe ſcientiam: Inſcitiam verò, malum vnicum. fertur enim rudis, & indoctus, effreni ſuo ſenſu, vt equus indomitus. Et hanc iuris peritiam, in iudicibus præſertim Eccleſiaſticis, deſiderauerim. cùm enim ij ſecundùm quod leges Pontificiæ cenſent, iudicare debeant. *c. 1. de offic. ordin.* grauioréſque cauſæ, nempe nuptiarum, & hæreſeos, apud eos plerunque tractentur, ſtatuta ſaltem canonum ignorare non debent. *c. 1. in fi. de conſang. & affin.* Quare hic libenter ab Epiſcopis, & Antiſtitibus omnibus per Chriſtianam pietatem peterem, ac per omnem amorem, quo Chriſtū complectuntur, orarem, & obteſtarer, vt in deligendis, ſubſtituendíſque ſibi vicariis, & officialibus, multa cura deliberent, néve quemuis huic muneri præficiant, ſed eum tantum, qui ſingulari doctrina, eximiáque vitæ probitate, & ſanctimonia, refulgeat. Audio Philonidem quendam Melitenſem, authoritate ſua, tam ſceleratè quandoque abuſum, vt, cùm ſelecti à ſe Aſſeſſores eruditiſſimi, & eius prouinciæ celeberrimi, abſoluendum reum hæreſeos delatum, cenſuiſſent, quem ille per fas, nefáſque hoc pietatis velamento in interitum tradere ſatagebat, abiectis eorum ſuffragiis, rabularum, & cauſidiculorum neſcio quorum, ſententiam commercatus, innocentem opprimere ad mortem vſque crudeliſſimè tentarit: cùm interim ille conniueret ad manifeſta, & inſignia impurorum hominum ſcelera, diuexánſque columbas, nigerrimis coruis, magno Reipublicæ malo, daret veniam: verum quoq; illud Clementinum efficiēs, inquiſitores & vicarios, ſuæ poteſtatis metas nonnunquam ita excedere, vt quod in augmentum fidei ſalubriter prouiſum eſt, dum ſub pietatis ſpecie grauantur innoxij, cedat in fidelium detrimentum. *clem. 1. in princ. de heret.* Enimuerò vt Chriſtianæ Reip. maximè intereſt, hæreticorum conuenticula diſſipari, religionem noſtram propagari, eandēque ab impiorum hominum iniuriis vindicari: ſic bonos & innocentes viros à ſycophantis eiuſmodi, & nebulonibus, non opprimi, vexariq; *§. neque occaſione de mand. prin. coll.* 3. ac eorum hominum iniquitatem, atq; imprudentiam coerceri, qui cùm pro libidine ſua quaſcunque nefarias voluptates perditiſſimè expleant, vt quibus non alius ſit modulus vitæ quàm culinæ, & ganearum nidor, atque fumus ſub nomine religionis, nihil non licere ſibi opinantur. quod & ſequenti capit. tracto. Ergo, vt in viam redeamus, veriſſimum eſt, iudices eruditos, iuriſq; peritos eſſe oportere. Quamuis olim ſolerent Romani in prouincias mittere magiſtratus, qui rei militaris, magis quā legum peritiam haberent. At ij non niſi Aſſeſſorum peritorū conſilio, ius dicebant. Quòd ſi eueniebat vt Aſſeſſoris imprudentia, ius aliter dictum eſſet, quàm oporteret, non hoc magiſtratui officiebat, ſed ipſi Aſſeſſori. *l. 2. ff. quod quiſque iur.* Sed cum Alex. Imp. animaduerteret, Reip. pernicioſam eſſe imperitorum magiſtratuum creationem, dicere ſolebat, tales adminiſtrationi publicæ pręficiendos, qui per ſe ſine Aſſeſſorib. Remp. gerere poſſint. Lamprid. in Seuero: Decurionis munera ab expertibus literarum peragi poſſe fateor. *l. expertes. C. de dec. lib.* 10. quòd Decuriones iudicandi munere non fungātur, ſed publici tantùm conſilij gratia creentur in municipiis. *l. pupillus. §. decuriones. ff. de verb. ſign.* Quod & ē. lib. 3. c. 6. fuſius oſtendi. Nec prædictis obſtat lex Iuſtiniani, *d. l. certi. C. de iud.* quæ hominibus militaribus, iudicandi facultatem permittit, non quidem eis etiam imperitis, vt vulgò creditum eſt: textus

Notæ ad Accurſ.

aaa ij

enim repugnat, cùm ait, [pro ſui & legis ſcientia] ſed ſi & rei militaris (cùm inter milites & de re militari cognoſcant) & iuris peritiam habeant. Plura vide apud Iohannem Corraſium olim Conſiliarium Tholoſatem , ex cuius obſeruationibus hæc collegi.

Ad eandem legem properandum. C. de iudiciis.

An productio inſtrumentorum, aduerſario non citato, fieri poſſit, doctorum argumenta confutata, & de intellectu l. properandum. §. ſin autem reus. C. de iudic.

Iuſtiniani Imper. verba in *l. properandum. §. ſin autem reus. C. de iudic.* hæc extant : Sin autem reus abſuerit, & ſimilis eius proceſſerit requiſitio, quemadmodum pro perſona actoris ediximus: etiam abſente reo eremodicium contrahatur. Et paulò pòſt: Cùm autem eremodicium ventilatur, ſiue pro actore, ſiue pro reo: examinatio cauſæ ſine vllo obſtaculo celebretur. Cùm enim terribiles in medium proponuntur ſcripturæ, litigatoris abſentia Dei pręſentia repleatur, &c. Ex quibus verbis Iaſ. poſt Ang. & Alex. in *d. §. ſin autem reus.* ſingulariter notari debere ait, productionem inſtrumentorum in iudiciis non valere, niſi præſente vel citato aduerſario. Cùm enim requiſitio rei ante productionem terribilium ſcripturarum, fieri debeat. *d. §. ſin autem reus.* liquidò apparere ait, productionem inſtrumentorum nullius efficaciæ eſſe, ſi aduerſarius prius requiſitus ſeu citatus non ſit. Quam opinionem inde quoque confirmat, quòd nec teſtes parte abſente, vel non citata produci poſſunt. *l. ſi quando. C. de teſtib.* vt meritò idem quoque in productione inſtrumentorum requirendum ſit : cùm teſtes & inſtrumenta æquiparentur, *l. in exercendis. C. de fide inſtrumen.* Eodem adducit quod in *c. charta. 3. q. 9. dicitur* , chartam abſente aduerſario propoſitam, vim nullam habere. Poſtremò allegat text. in *l. iudices. C. de fide inſtrum.* in qua lege traditur, eum qui inſtrumento ſuſpecto fidem facere velit, aduerſarium citare debere. Et his quidem argumentis legibúſque Iaſ. in *d. §. ſin autem reus, vtitur.* Quibus tamen ego parum moueor. Nam quod in *d. §. ſin autem reus,* de terribili ſcriptura dicitur , non de inſtrumentis (quod Iaſon cæterique arbitrati ſunt) ſed de ſacroſanctis Dei Euangeliis intelligendum eſt. Ea enim iudex penes ſe apud tribunal habere debet, vt Deo quaſi præſente, maiore cum religione ac timore cauſas decidat. Id quod & in *l. rem non nouam. C. de iudic.* traditur, vbi hæc verba extant : Et generaliter omnes omninò iudices Romani iuris diſceptatores non aliter litium primordium accipere , niſi prius ante iudicialem ſedem ſacroſanctæ deponantur ſcripturæ, & hæ permaneant non ſolùm in principio , ſed etiam in omnibus cognitionibus, vſque ad ipſum terminum , & diffinitiuæ ſententiæ recitationem. Sic enim antecedentes ad ſacroſanctas ſcripturas, & Dei præſentia conſecrati , ex maiore præſidio litem diriment. Hactenus verba legis, quam legem gloſſ. in *d. §. ſin autem reus, citat.* Nec etiam argumentum de teſtibus ad inſtrumenta ductum me mouet. Nam vt concedam teſtes, & inſtrumenta in probando eandem vim habere. *d. l. in exercendis.* Nõ tamen inde ſequitur , vt in modo producendi æquiparentur. Hæc enim diuerſa ſunt. A diuerſis autem argumentum duci non poſſe vulgo notum eſt. Nam & in productione teſtium multas ob cauſas præſentia aduerſarij requiritur : quæ cauſæ in inſtrumentis ceſſant. Nec magis etiam ſupra dicta Iaſ. opinio ex *d. c. charta,* adiuuatur. Non enim illic charta pro inſtrumento, ſed pro libello accipienda eſt, quod ſummarium illius textus oſtendit. Non negarim autem libellum præſente vel citato aduerſario producendum eſſe. *Authent. offeratur. C. de litis conteſt.* Sed quid hoc ad inſtrumentorum productionem? Poſtremò non obſtat etiam text. *d. l. iudices.* Non enim illic de productione inſtrumentorum agitur, ſed de eo caſu, cùm quis ſuſpectum inſtrumentum teſtibus corroborare nititur. Quo caſu mirum non eſt, partis aduerſæ citationem requiri: cùm aliàs quoque in omnibus teſtium examinationibus citatio aduerſarij neceſſaria ſit. *d. l. ſi quando. C. de teſtibus.* In hac tamen re non inepta videtur diſtinctio, quam facit Bald. in *d. l. iudices num. 14.* Plura vide apud Bernardinum Vualtherum in Miſcellaneis obſeruationibus, vbi copioſius hac de re tractat.

Ad l. properandum. C. de iudiciis.

Litis inſtantiam, tam in exceptionibus quàm in actionibus, locum habere: licet aliqui diuerſum doceant.

Litis inſtantiam in cauſis ciuilibus triennio, in criminalibus biennio, poſt litis conteſtationem, finiri conſtat. *l. properandum. in princ. C. de iudic.* Sed dubium eſt, an exceptiones eodem tempore finiantur. Et Iaſ. Alexand. cæterique in *d. l. properandum. in princ.* negant finiri. Inſtantiæ enim computatio fieri ſolet à tempore litis conteſtatæ. *d. l. properandum. in princ.* Atqui in exceptionibus nulla litis fit conteſtatio. Abb. Card. Ioan. de Imol. in *c. interpoſita. §. fin. de appellat.* Abb. Felin. in *cap. prudentiam. §. ſexto. de offic. delegat.* In contrarium autem non leues rationes vrgent. Nam quòd litis inſtantia triennio finitur, litium finiendarum fauore conſtitutum eſt. *d. l. properandum in princ.* Quæ ratio etiam in exceptionibus locum habet. Vbi ergo eadem ratio eſt, idem quoque ius ſtatui debet. *l. illud. D. ad legem Aquil. l. à Titio. D. de verb. oblig.* Pares enim cauſæ paria iura deſiderant, vt M. Cicero in Ret. ait. Accedit huc, quòd reus in exceptionibus pro actore habetur. *l. 2. ff. de except.* Quod ergo de actione conſtitutum eſt, vt triennio finiatur, ad exceptionem quoque extendendum eſt. Nec obſtat, quod ſuprà dictum eſt, in exceptionibus litis conteſtationem non fieri. Id enim apud pleroſque ambiguum eſt. *gloſſ. in cap. 1. de litis conteſt. in 6. gloſſ. in d. cap. interpoſita. §. fin.* Et vt concedam, in exceptionibus litis conteſtationem non requiri , tamen in his caſibus, in quibus litis conteſtatio non fit , primus actus vim litis conteſtationis habet. Bart. in *l. nullo. C. de procurat. Abb. in cap. penult. column. vltim. de iudic.* In hac contrarietate ſic diſtingui poſſe cenſeo. Aut enim quærimus , an exceptionis inſtantia poſt triennium reo currat: ita vt ab exceptionis inſtantia tanti temporis lapſu excludatur. Et arbitror inſtantiam hoc in caſu currere. Idque rationibus paulò ante adductis. Aut quærimus , an cauſæ principalis inſtantia actori poſt triennium pereat , ſi reus litem exceptionibus vltra id tempus protelauerit. Et hoc caſu Baldi, Iaſonis, Alexandri, cæterorúmque ſententiam ſequor, vt inſtantia non pereat. Etſi verò argumentum illorum non ſatis ad hanc ſententiam efficax ſit: Aliunde tamen manifeſtius opinio illorum probatur. Nam quoties reus in cauſa eſt, vt lis longius protrahatur , non ſolet actori inſtantia cauſæ perire. *l. petenda. C. de temp. in integr. reſtit. l. fin. in fin. de adulter.* Ergo nec in hoc quoque caſu inſtantia actori peribit, ſi reus exceptionibus propoſitis cauſam principalem protrahat. Plura vide apud Bernardinum Vualtherum , qui copioſius hac de re tractat in ſuis Miſcellaneis.

Ad eandem l. properandum. C. de iudiciis.

Inſtantiam triennij in ciuilibus, biennij in criminalibus cauſis, conſenſu partium, prorogari poſſe, aduerſus Iaſon. cæterorúmque interpretum ſententiam diſputatum.

Quæſitum eſt, an inſtantia , quæ litibus finiendis conſtituta eſt, conſenſu partium prorogari poſſit. Et glo. Iaſon, cæterique Doctores in *l. properandum. in princ. C. de iudic.* id negant. Inſtantia enim publicæ vtilitatis cauſa introducta eſt: Fauori autem publico non poteſt renunciari, vt not. in *l. ſi quis in conſcribendo. C. de pactis.* Sed ego contrarium cenſeo. Primò, quoties iudici delegato certum tempus præſtituitur , intra quod iudicare debeat: tum, niſi ſpecialiter delegans prorogationem fieri prohibuerit, poteſt fieri prorogatio. *l. 2. §. ſed ſi iudex. ff. de iudic.* Idem ergo & in legis inſtantia locum habebit, vt prorogatio permittatur. Secundò, ſi reus per ſubterfugia differat litem, tum etiam vltra triennium durat inſtantia. *l. petenda. C. de temp. in integr. reſtit.* Doctor. in *d. l. properandum. in princip.* Ergo apparet in poteſtate litigatorum eſſe , vt prorogent inſtantiam. Tertiò, de conſenſu partium poteſt alius iudex pro alio adiri: Sicque fieri poteſt prorogatio perſonæ. *l. 1. ff. de iudic.* Poterit igitur temporis quoque prorogatio fieri. Nam valet argumentum de perſona ad tempus, *l. qui plures. vbi Bartol. num. 1. ff. de vulg. & pupill.* Quartò, hoc expreſſum extat in *clement. quamdiu. de appellat.* Vbi dicitur , tempus in-

ſtantiæ

ſtantiæ in appellationibus non currere, ſi expreſſo conſenſu partium id prorogetur. Nec mouet, quòd ſupra dictum eſt, inſtantiam fauore publico introductam eſſe. Id enim nunimè conceſſerim: cùm priuatorum potius fauor in ea re verſetur, de quorum facultatibus agitur. Vt meritò priuatam potius, quàm publicam vtilitatem, hac in re ſpectare debeamus, idque iuxta doctrinam Bart. & Doct. in *l. 1. ff. ſol. matr.* Plura vide apud Bernardinum Vualtherum, qui hæc doctiſſimè animaduertit aduerſus Iaſonem.

Ad eandem l. properandum. C. de iudiciis.

De intellectu. §. & ſi quidem, in l. properandum. C. de iudic. contra gloſſatores omnes.

Iuſtinianus Imperator in *l. properandum. §. etſi quidem. C. de iudic.* Et ſi quidem, inquit, pars actoris ceſſauerit, quatenus multiplici dilatione reus fatigetur, & triennij metæ poſt litem conteſtatam, iam prope finem veniat, vt ſemeſtre tempus tantum ei ſuperſit, licentia erit iudici per executores negocij actorem requirere parte fugiente, ex vna parte, actoris abſentiam incuſante, & iudicibus omnimodo ſuas aures huiuſmodi quæſtionibus referantibus, & ſi per tres vices hoc fuerit ſubſecutum decem dierum ſpacio, per vnumquemque introitum deſtinato, & nec ita actoris pars fuerit inuenta, & neque per ſe, neque per procuratorem inſtructum peruenerit: tunc iudicem negotij acta apud ſe confecta, conſpicere cenſemus: & ſiquidem nihil ſufficiens actitatum eſt, ex quo poſſit termino cauſæ certa fieri coniectura: volumus non ſolum partem fugientem ab obſeruatione iudicij relaxari, ſed etiam in omnes expenſas, quæ conſueto modo circa lites expenduntur, eum condemnari: vera quantitate earum ſacramento fugientis manifeſtanda & omni cautela, quam ſuper lite reus expoſuit reddenda, quæ etſi remanſerit viribus euacuerit. Sin autem ex geſtis apud ſe habitis, parte actoris minimè inuenta, poſſit inuenire viam, ex qua manifeſtum ei fiat, quid ſtatuendum ſit, etiam abſente actore, ſi eum meliorem cauſam habere perſpexerit, pro eo ferre ſententiam non moretur, & præſentem reum abſenti actori condemnare: expenſis tantummodo litis, quas reus legitimè ſe expendiſſe iurauerit condemnatione excipiendis, quia hanc pœnam actori etſi meliorem cauſam habenti propter ſolam abſentiæ contumaciam imponimus, nullo penitus ei regreſſu ad eandem litem conſeruando. Sed actor contumax cedat omninò à lite, & ſic reus abſoluetur. In huius conſtitutionis interpretatione dubitatum eſt, quomodo verbum [Inuenta] intelligendum ſit. Et Accurſius quidem duobus modis intelligit. Primò, vt verbum [Inuenta] intelligatur, quaſi actoris pars, hoc eſt, actor noluerit venire ad cauſam, à quo tamen inuentum ab executoribus, & ſibi denunciatum. Nam niſi hic intellectus recipiatur, obſtaret text. in *l. 1. §. cum ex edicto. D. quæ ſent. ſine appellat. recip.* Vbi dicitur ſententiam latam contra eum ad quem edictum non peruenit, nullam eſſe. Sed hic intellectus Bartolo, & Iaſoni diſplicet, quia verbis conſtitutionis non conuenit. Secundò interpretatur Accurſius ſupraſcripta verba, vt intelligantur, cùm actor citatus eſt, ſed non inuentus. Satis quippe eſt citatum eſſe, vt in negocio procedatur, etiam ſi inuentus non ſit: Dictam autem *l. 1. §. cum ex edicto.* locum habere, cùm pars non ſolùm non inuenta, ſed nec citata quidem ſit: tunc enim ad ſententiam procedi non poſſe. Quamuis autem Bart. Bald. & Iaſ. in *d. §. & ſi quidem.* hunc intellectum approbent, mihi tamen recipiendus non videtur. Nam in caſu *d. l. 1. §. cum ex edicto.* manifeſtum eſt, edictum fuiſſe propoſitum. Non ergo dici poteſt, citationem illic factam non eſſe. Ego igitur quandoque arbitratus ſum ſupraſcripta conſtitutionis verba aliter accipienda eſſe: vt intelligantur, non de eo, qui ab executore, vel nuncio inuentus non ſit, ſed de eo qui in iudicio inuentus non ſit, hoc eſt, qui abfuerit à iudicio, ita vt ille non inueniatur: Si quis tamen iuxta communem intellectum verba iſta, [Non inuentus] ad executorem referre malit: Quaſi executor, illum citando, non inuenerit: putarim adductam contrarietatem aliter ſolui poſſe. Nempe vt conſtituatur differentia inter jus Codicis, & ius Digeſtorum. Nam iure Digeſtorum, ſi actor edicto peremptorio impetrato, die cognitionis abſit: reus autem præſens ſit, tunc circumdicitur edictum, hoc eſt, inſtantia perimitur, non autem diffinitiuè pronunciatur *l. & poſt edictum, in princ. ff. de iudic.* Sed iure Codicis, in *d. l. properandum. §. & ſi quidem.* introductum eſt, vt in poſterum ciuiles cauſæ, intra triennium terminentur: hoc addito, ſi triennij ſpacium prope finem veniat, & actor litem non proſequatur, licentiam fore iudicij per executores negociorum, actorem requirere: idque per tres vices: qui, ſi non fuerit inuentus, neque per ſe, neque per procuratorem inſtructum peruenerit, iudicem ad ſententiam procedere poſſe, &c. Et quamuis iure Digeſtorum ad ſententiam perueniri non poſſit, niſi citatio ad actorem peruenerit: *d. l. 1. §. cum ex edicto.* tamen hac noua Codicis conſtitutione, introductum videtur, vt ad ſententiam perueniri poſſit, etiam ſi Actor ab executore inuentus non ſit. Et quæ de Actore dicta ſunt, eadem de reo dici poſſunt: Nam & ex parte rei ius Digeſtorum in *d. l. & poſt edictum. in princ. per d. l. properandum. §. ſin autem reus.* corrigi cenſendum eſt. Plura hac de re vide apud Bernardinum Vualtherum, qui copioſius hac de re tractat.

Ad titulum de ſportulis & ſumptibus in diuerſis iudiciis faciendas.

In hoc titulo nobis reſtituit quaſdam conſtitutiones Græcas Doctiſſimus Cuiacius præceptor meus, vir in antiquum ſtatum reſtituendæ iuriſprudentiæ natus, vt non immeritò inuerſis literis ſui nominis alter Caius appellari poſſit. Has conſtitutiones ſi habuiſſent antiqui interpretes, multas quæſtiones diſſoluiſſent, quas diſſoluere non potuerunt.

Ad titulum C. de pedaneis iudicibus. Ad l. Placet.

Errant ferè omnes antiqui interpretes in enarratione huius legis. ab eis enim verba huius conſtitutionis frequentiore calculo ſic accipiuntur, vt cauſæ magnæ iuriſdictionis cuiuſmodi ſunt, quæ trecentos aureos egrediuntur. *§. & iudicare. in Authentica de defenſoribus ciuitatum. coll. 3.* non niſi ob publicas occupationes, aut cauſarum multitudinem mandari poſſint: Cauſæ verò iuriſdictionis maximæ, velut ſtatus & meri mixtique imperij ab ipſomet præſide iudicari dirimique debeant, vt Bartolus & Doctores hic ſentiunt. Hic ſenſus vt ingenuè fatear verbis huius conſtitutionis nullomodò congruit. Ipſi ruſus in medium proferunt aliam interpretationem inter quos eſt Alciat. lib. 2. Parad. cap. 2. qui Bartoli ſuperiorem ſententiam reprehendit, ipſemet verum & genuinum huius legis ſenſum aſſequutus non eſt. Itaque reiectis his omnibus opinionibus, ſi concludamus hic ſtatui præſides prouinciæ aduerſus veteris legis prohibitionem de leuioribus cauſis poſſe, imo verò debere cognoſcere, ſi non cura grauiorum auocentur. Tum enim cùm publicis & grauibus implicantur, aut cauſarum multitudine onerãtur viliores illas cauſas delegare poſſunt, dum non exiſtiment libertatem hanc dandi iudices ad ardua tantum & magna negotia extendi & porrigi: quorum ex antiqua lege duntaxat cognitionem habebant, niſi fortè ex cauſa veteribus legibus cognita, nempe abſentiæ aut morbi. Quo fit vt hac conſtitutione non cenſeatur. Deminuta vetus delegandi poteſtas, vt perperam nonnulli exiſtimarunt, præterquàm reſpectu cauſæ ſtatus, quam præſes per ſeipſum debet omnino tractare.

Ad titulum C. vbi cauſæ fiſcales, vel diuinæ domus, hominúmque eius agantur.

Malè nonnulli in *l. 7. hoc tit.* Rationalem ſummarum legunt veluti in *l. 7. C. Theodoſ. de iure fiſci.* & in notitia Imperij Romani, Auctorem ſummarum aiunt dici à Suetonio in Domitiano. Ego cum Doctiſſimo præceptore meo rationalem ſummæ rei retinendum cenſeo, quemadmodum in *l. 3. C. ſi propter publicam penſitationem*, procurator Cæſaris, procurator ſummæ rei appellatur. Cornelius Tacitus lib. 5. Annalium eadem loquendi formula vſus eſt his verbis. Neminem ſummæ rei imponere poterant. Idem lib. 12. ſent. euolutum ſe de patria rebuſque ſummis.

Ad l.ſi quando.C.de inoffic.teſtam.

Malè Accurſius in hac lege facit meliorem cauſam liberorum quàm patronorum,cùm ſit par vtriuſque in ea re, nempe vt data libera teſtamenti factione fraus liberis vel patronis non fiat,niſi ea mens principis fuerit. In eodem errore verſatur Accurſius noſter in quæſtione *l.ſancimus.§.1. hoc eodem titulo.* nam vt patrono olim euicta legitima portione in totum vel pro parte competebat bonorum poſſeſſio contra tabulas, Ita & filio querela inofficioſi teſtamenti,& hodie vt filio euicta legitima,pro parte,ſupplementi petitio datur. Ita & patrono ad ſimilitudinem ſucceſſionis ingenuorum.*§.ſed noſtrá. inſtit. de ſucceſſ.lib.* Idem Accurſius errat in quæſtione. *l.vlt.C. hoc tit.* dum putat meliorem eſſe filiorum & parentum , quàm patronorum cauſam,cùm ſit par omnimodo,vt rectiſſimè putat Doctiſſimus præceptor meus. Nam vt contra bona Caſtrenſia liberti militis patronus non habet bonorum poſſeſſionem contra tabulas , ita nec pater contra bona Caſtrenſia filij militis,ſui vel emancipati habet querelam inofficioſi teſtamenti, hæc omnia Doctiſſimus Cuiacius obſeruauit lib. 8. Obſeruationum cap.8.

Ad l.vlt.C de petitione hereditatis.

Malè Haloander iudicio Doctiſſimi viri in *l. vltim. hoc tit.* In his verbis,Si quis hereditatis petitionem vel ſuſceperit,vel ſuſcipere ſperat,ſuſtulit illa verba vel ſuſceperit. Melius Græci probauerunt & retinuerunt,vt refert Dominus Cuiacius libro 4.Obſeruationum,cap.26. *ἐὰν δὲ τὴν τῆς κληρονομίας ἐναγωγὴν ἢ ὑποστῇ ἢ ἐλπίζῃ ὑποστῆναι αὐτῇ*, & rectè hæc non omiſerunt Græci.Nam ſiue ſuſceperit,ſiue ſuſcipere ſperat, vtroque caſu differri cætera iudicia ſolent.*l.7.D.de petit.hered.* Nec obſtat.*l.ſi poſt litem.D.de exceptionibus*.qua mouetur Accurſius noſter. Nam actiones quidem cæteras poſt litem de hereditate conteſtatam differri,eiſve quod præiudicium hereditati non fiat,exceptionem opponi non dicimus,ſed non debere de eis iudicem pronuntiare antequam de hereditate pronuntiatum ſit.*d.l.7.ff.de petit.hered.*Plura vide apud Doctiſſimum virum loco citato.

Ad l.2.C.familiæ erciſcundæ

Conſtitutionem l.2.C.famil.erciſc.corruptam videri , & aliter intelligi quàm Gloſſa exiſtimauerit.

In *l.2.C.famil.erciſc.*dicitur, filium in diuiſione hereditatis paternæ habere actionem familiæ erciſcundæ , ad exequendum dotem vxoris.Quæ verba innuere videntur,filium teneri dotem vxoris ſuæ,cum fratribus diuidere. Sed cùm hoc ſit contra.*l.ſi filiæ.§.familiæ.D.eod.*Reſpondit Gloſſ.in *d.l.2.*verbum [Exequi]pro Conſequi accipiendum:vt ſit ſenſus *d.l.2.* fratrem actione familiæ erciſcundæ dotem vxoris ſuæ conſequi poſſe.Sed ego verbum [Exequi] nuſquàm in ea ſignificatione legi:vt non parua ſuſpicio oriatur. *d.l.2.* corruptam,& pro[Exigi]mendoſè,ſcriptum eſſe[Exequi]facilè autem[IG] in[EQ]deprauari potuit.Qua tamen in re nihil certi conſtituo. Vide obſeruationes Bernardini Vualtherij.

Ad l.filiæ cuius.18.C.familiæ erciſcundæ

Zoares à Ribyora libro 1.Obſeruationum cap. 33. Conatur diſſoluere Pſeudantinomiam,quæ videtur eſſe inter hanc. *l.& l.ſi donatione.C.de collationib.*ſed ea in re non eſt felix concordiæ reconciliator,dum conniuet ad verbum præcipuas , quod eſt in hac lege ſolum præcipuo enim nihil eſt magis contrarium quàm collatio. Quod igitur præcipuum habeo, id ſanè non confero,ſed neque in portionem meam reputo. Melius Græci referente Doctiſſimo Cuiacio & conſultius dixerunt in hac lege collationi locum non eſſe, quid in donanda volũtate perſeuerauerit pater vſque ad mortem,in *l. verò* , ſi donatione,non perſeuerauerit,ſed tamen melior adhuc ſolutio dari poteſt,quia hæc diſtinctio ex facto ſumitur , cuius cognitio incerta eſt, Igitur ex iure certo ſumi diſtinctionem melius eſt, vt in ſpecie huius legis non fuerit collationi locus, puta ex teſtamento,in *l.ſi donatione fuerit collationi locum ab inteſtato.* Ex iure in legibus ſunt ſæpenumero multa ſubaudienda nobis quæ conditoribus iuris inculcare erat moleſtum , atque etiam infinitum.Plura vide apud Doctiſſimum virum libro 9. Obſeruat.6.7.

Ad l.vnicam.C.vbi conueniantur qui certo loco dare promiſit.

Arbitraria actiones quæ ſint,& cur ſic dictæ,præter communem interpretum opinionem explanatum.

Arbitraria finitio ex Bart.
Cauſa quatuor quibus fiunt arbitrariæ actiones.
Arbitrium iudicis quomodo verſetur in actionibus.
Nomen arbitrariarum declaratio.

Finiunt communiter Scriptores , ita arbitrariam actionem ex Bart.in *l.hoc edicto,in prin.ff.de publ.*vt ſit actio cui officium iudicis mercenarium deſeruit propter aliquod extrinſecùs accidens,contra naturam actioni intentatæ.Clarus idem Bart.in *l.vnic.C.vbi conuen.qui cer.loc.*fit autem arbitraria quatuor de cauſis præcipuè:vel propter adiectionem loci.*l.2.l.ſi heres.& l.centum.ff.de eo quod cert.loc.*vel ob iudicis contemptum.*l.qui reſtituere.ff.de rei vend.*vel propter interrogationem in iudicio noxali.*§.præterea. de act. in inſt.* vel ob pœnæ impoſitionem.*l.ſi cum exceptione.§.1.ff.quod met. cauſ.* Quæ familiarius multò à Bart.tractantur.,in *d.l.hoc edicto.*à Fab. Aret. Iaſ.& aliis,in *d.§.præterea.*Porrò in actionibus ſtricti iuris , quoniam nihil iudex poteſt , niſi quatenus nominatim à partibus conuentum eſt.*l.quicquid adſtringendæ.ff.de verb.obl.* aduentitia aliqua cauſa,vna,puta,ex prædictis neceſſaria eſt , qua iudici liceat,præter partium conuentionem, & actionis naturam arbitrari.veluti,in rei vendicatione : contumacia rei in non reſtituendo rem,ad iudicis iuſſum. *l. qui reſtituere.ff. de rei vend.* Qua ratione traditum eſt,ſolas ſtricti iuris actiones , Arbitrarias effici : cùm in bonæ fidei iudiciis officium iudicis, eiuſdémque arbitrium,ſecundùm actionis naturam ancilletur , & deſeruiat , atque adeò alter alteri obligetur, de eo,quod præſtari æquum eſt:tametſi à parentibus nihil dictum ſit.*l.conſenſu.in fin.ff.de act.& obl.§.in bo.fid.de act.in inſtit.* Tantum ſiquidem valet in his actionibus officium iudicis, quantum in ſtricti iuris nominatim facta rerum expreſſio, *l. quia tantundem. ff.de neg.geſt.*Ego cùm viderem hæc eſſe mera commenta,à legiſlatorum verbis longè latéque abhorrentia: volui rem hanc totam,vt lucidius,ita verius tractare,germanóque ſenſui reſtituere.Neque aliunde ſumendam eius rei declarationem duxi, quam ex Iuſtiniani verbis,in *d.§.præterea.*quæ tam plana ſunt, & aperta, vt manifeſtum faciant , diſputationem noſtram tantam controuerſiam non exigere. itaque ſciri volo , Arbitrarium illud ſignificatiſſimè dici,quod non à lege ipſa diffinitum , iudicis arbitrio relictum eſt. *l.1. ff.de iur. delib.* Ad quem ſenſum dicimus Arbitrariam pœnam , quæ non legis conſtitutione præſcripta,ſed iudicis poteſtati,& arbitrio commiſſa eſt.& Arbitrariam conditionem (quam noſtrates parum aptè poteſtatiuam dicunt) quæ voluntati noſtræ relinquitur. Sic & Arbitrariam actionem, Iuſtinianus dici putat , quæ ex arbitrio,& poteſtate iudicantis pendet.*d.§.præterea.* vt ſi iudex æſtimauerit ſemel ſuo arbitrio(quod ſcitè Placen.in ſumma,*tit.de act.*interlocutorium appellauit) rem reſtituendam, aut alio modo ſatisfaciundum actori,obtemperétque reus,abſoluatur.ſin contra,minimè pareat,damnetur,veluti, in actione,quod met.cauſ. *l. ſi cum exceptione.,§.1.& §.in hac.ff.quod met.cauſ.*In actione de dolo,*l.arbitrio.ff.de dol.* in actione ad exhibendum. *l. 4.§.ibidem.l.tigni.§.fin.& l.Iulian.§.fin.ff.ad exhib.*in actione rerum amotarum.*l.ſi cum dos.§.ſi.ff.rer. amot.* in actione in factum de publicanis.*l.1.in prin.& l. hoc edicto. ff. de publ.*in rei vendicatione. *l. qui reſtituere. ff. de rei vend.*in confeſſoria & negat. *l.harum.ff.ſi ſer.vend.* in Publiciana,Seruiana,quaſi Seruiana,& cæteris omnibus, quæ cum his ſimilitudinem habent.*d.§. præterea.* in quibus priuſquam iudex negotium definiat,benignè ante arbitratur,interloquendo : cui arbitrio,ſi paritum non ſit , pronunciat diffiniendo. In aliis namque actionibus.bonæ fidei præſertim , nullum ante diffinitiuam interponitur arbitrium , ſed mox cum de cauſa liquet,fert diffinitiuam iudex. Accurſ. Bart. & cæteri in *l.1.D. de act.*

de act. empt. Itaque, vt verus ſit omnium, & planus ſenſus; Actionum quædam bonæ fidei ſunt, in quibus permittitur iudici, ex bono & æquo æſtimare: quemadmodum actori ſatisfieri debeat. *§. in bonæ fidei. de actio.* Quædam ſtricti iuris: in quibus, videlicet, iudex eam libertatem non habet. *l. quicquid. D. de verb. oblig. §. actionum. de actio.* & quædam arbitrariæ, in quibus quemadmodum actori ſatisfieri oporteat, non ex ſola actionis natura pendet, ſed ex iudicis arbitrio: nec tamen libero, qualis eſt illa, in bonæ fidei iudiciis libera poteſtas: ſed quaſi cõditione quadam coarctato: niſi is, cum quo agitur, ad iuſſum, & iudicis interlocutionem, actori ſatisfaciat: veluti rem reſtituat, exhibeat, ſoluat, & ex noxiali cauſa ſeruum dedat. *d. §. præterea. de act. in inſt.* Quam rem totam ipſe pleniore manu ſum executus in *l. in actionibus. D. de in lit. iuran.* Plura vide apud Corraſium.

Ad l. vnicam. C. ne quis in ſua cauſa iudex eſſe poſsit.

Quando filius patrem, & pater filium, iudicem habere poſſit. Et quæ ſint priuata negotia, nouè declaratum aduerſus alios interpretes.

Expoſita nouè. l. in priuatis. contra Accurſium.
Declaratus. §. fin. l. ille à quo.

Qui præeſt iuriſdictioni, inquit Vlpianus, nec ſibi, nec vxori, neque liberis ſuis, ius dicere poteſt. *l. qui iuriſdictioni. D. de iuriſd. omn. iud.* iniquum ſiquidem eſſet, aliquem ſuæ rei iudicem fieri. *l. Iulian. 2. D. de iudic. l. vnica. C. ne quis ſua cauſa.* in cauſa autem propria, ſatis iudicat, qui in vxoris negotio ius dicit: quando vxor cum marito ſit vna caro, ſociáque diuinæ, & humanæ domus. *v. l. 1. D. de rit. nupt. l. aduerſus. C. de crim. expil. hered.* idémque ſi in cauſa filij, cum quo pater vna perſona exiſtimatur. *l. fi. C. de impub.* & vna caro, *c. contradicimus. §. 1. 35. q. 3.* vt meritò filium patrem corporis patris Imperator eſſe dixerit. *l. cum ſcimus. §. fin. de agric. & cenſit. lib. 11. C. quare,* vt in propria cauſa, ita in liberorum negotiis iudex quis eſſe prohibetur: niſi fortè in eum conſenſerit aduerſarius. *l. quinetiam. D. de recept. arb. l. quidam conſulebant. verſ. ſed & ſi. D. de re iudic.* Quod olim fieri ſolebat, dari videlicet à Prætore iudex, ſuper priuatorum controuerſiis, in quem litigatores conſenſerant. *l. 2. §. 1. D. de iud. l. ex conſenſu. D. de appell.* Repugnat tamen ex profeſſo, *l. in priuatis. D. de iudic.* Quo loco African. in priuatis negotiis, inquit, pater filium, vel filius patrem, iudicem habere poteſt. Quæ verba ſcriptores multipliciter, at ſemper diuinatoriè, ſunt interpretati: nec defuerunt, qui generalia Africani verba, ad eum caſum coarctauerint, quo pater, vel filius, conſentiente aduerſario, iudex à Prætore dabatur. idque ſe ex nobis didiciſſe, palam déque ſuperiore loco, hunc articulum diſputantes, teſtabantur. At nunquam ego ita deſipui, vt ad caſum rariſſimum, vel quem potius nunquam euenturum putem, vt ſcilicet conſentiat aduerſarius, patrem, aut filium, iudicem dari, generalem Africani regulam, in *d. l. in priuatis conſtrinxerim.* Quanquam illud me non vno in loco docuiſſe fateor, atque etiamnum confirmo, Prætorem olim qui ius dicebat in vrbe Roma, ex centumuiris, quibus præerat, nonnunquam etiam ex priuatis, iudices litigatoribus dediſſe, in quos conſenſerant, recuperatores appellatos, quibus prætor, ius, æquitatem, & formulam cognoſcendi, iudicandique, quam ſequerentur, præſcribebat. Ego igitur à proprietate verborum non recedens, dico, patrem in cauſa filij, iudicem eſſe non poſſe, præterquam in priuatis negotiis: de quibus apertè African. illic loquitur. Sunt autem propriè priuata negotia domeſtica, quæ ita propria ſunt patris, & filij, vt ad alium pertinere nequaquam poſſint, vt quòd filius emancipetur, aut detur in adoptionem. id enim ideò coram ipſo patre naturali, proculdubio explicatur. *l. magiſtratum. D. de adopt.* priuatum ſiquidem eſt, & domeſticum hoc negotium: cùm non alterius intereſſe poſſit, quàm patris, & filij, vnde nec filius inuito patre emancipatur, adoptatúrve: nec pater filium inuitum emancipat, aut dat in adoptionem. *l. fin. D. de his qui ſunt ſui. §. fin. quibus mod. ius pat. pot. ſol.* idem quoque in manumiſſione dicendum. *l. apud filium. D. de man. vind.*

Hac etiam ratione, tametſi ad alios negotium pertineat, ſi tamen, quod magiſtratus iubet, magis vtile, quàm damnoſum extraneo eſſe poteſt id in cauſa filij, pater, aut in cauſa patris, filius, magiſtratum gerens ſtatuit. *l. ille à quo. §. fin. D. ad Trebel.* nec in huiuſmodi negotiis paternam poteſtatem turabimus, cùm iudicare munus publicum ſit. *l. quippe. D. de iud.* quod autem ad ius publicum ſpectat, patriæ poteſtatis ius non attenditur. *l. filiusfam. ff. de his qui ſunt ſui. l. nam quod. D. ad Trebell.* Plura vide apud Corraſium in Miſcellaneis Obſeruationibus.

Ad l. doce ancillam. C. de rei vindic.

Maritum, rei dotalis verum dominum non eſſe, aduerſus receptam omnium fermè ſententiam.

Expoſita l. in rebus.
Noua opinio contra omnes Doctores.

Carus, Carinus, & Numerianus Imp. rem dotalem ab vxore vendicari poſſe negant. *l. doce ancillam. C. de rei vend.* Quoniã, inquiunt Doctores, non vxoris, ſed mariti, rei dotalis dominium eſt. *l. ſi prædium. C. de iur. dot.* Actio autem in rem, ei tantum datur, qui dominus eſt. *l. in rem. D. de rei vend.* Rectè igitur dicemus vxorem dotalis rei dominam non eſſe, tum quòd eius vendicatio mulieri non detur. *d. l. doce ancillam.* illiúſque res dici non poſſit, cui vendicatio denegatur. *l. 3. §. fin. D. ad exhib. l. Quintus. §. argento. D. de aur. & arg. leg.* tum quòd maritum, dominum eſſe probatum ſit. *d. l. ſi prædium.* duos autem eiuſdem rei, inſolidum dominos eſſe, & ciuilis, & naturalis ratio vetet. *l. ſi vt certo. §. ſi duobus vehiculum. D. commod. l. hereditate. §. pater. D. de caſtrenſ. pecul.* Huic interpretationi, nec quicquam Iuſtinianeam conſtitutionem. *l. in rebus. D. de iur. dot.* officere putant: quæ res dotales, & ab initio mulieris fuiſſe, & naturaliter in eius ſemper permanſiſſe dominio, dicit. Dominium enim, vt dicunt, duplex eſt. Verum, & efficax, quod maritus habet. *d. l. ſi prædium, & d. l. doce ancillam.* alterum imaginarium, & interpretatum, idque mulieris eſt. *d. l. in rebus.* propter promiſcuum (vt credendum eſt) rerum vſum, & mutuam coniugum affectionem, quibus ſocietas quædam diuinæ, & humanæ domus coiri putatur. *l. 1. D. de rit. nupt. l. aduerſus. C. de cri. expi. hered.* & vna caro, ex duabus perſonis effici. *c. gaudemus. de diuor. c. fraternitatis. 35. q. 10.* vnáque domus & familia conſtitui. *l. 1. §. ſi vir. D. ad Sillan.* nam nec diſſimili ratione Iul. Paul. filios viuo patre ſubſtantiæ paternæ quodammodo dominos exiſtimauit. *l. in ſuis. D. de lib. & poſthu.* A quibus non abhorrent, quæ Plutarch. in problematis ſcribit. Virum ab vxore, vxorémque à viro, aliquid accipere prohiberi: quòd abſurdum veteribus viſum ſit, quicquam inter coniuges reperiri, quod commune non eſſet. Inde & olim factum, vt ſponſam introducentes, iuberent dicere, [Vbi tu Caius, ego Caia.] vt ita cum viro quaſi depaſceretur, omnia inter coniuges futura communia, ambobúſque pariter ius eſſe imperandi, nec enim aliud his verbis oſtendebatur, quàm vbi tu dominus, ac domus princeps, ibi ego domus domina atque hera. Cæterùm neque his adduci eò poſſum, vt veram communem interpretationem exiſtimem, quandoquidem apertè, & nulla circuitione vſus Iuſtin. in *d. l. in rebus*, dicat, rem dotalem in mulieris dominio, omni tempore permanſiſſe. Et paulò poſt ex profeſſo communi ſententiæ repugnans, naturali iure, res dotales mulieris eſſe ſcribit: tametſi legũ ſubtilitate, ad mariti ſubſtantiam perueniſſe videantur. Quæ verba demonſtrãt admiſſa veri & imaginarij dominij diſtinctione, verum apud vxorem, interpretatum & imaginarium, apud maritum aduerſus interpretes eſſe: atque ita, quòd & quondam Martin. perſenſit, communi iure, & naturali ratione, mulierem rei dotalis dominam eſſe. Iure verò ſingulari, & legis authoritate, virum. *d. l. ſi prædium. §. 1. quibus alien. lic.* propter vſumfructum, reíque exercitium & adminiſtrationem, quam lex ei concedit, conſtante matrimonio, vt nuptiarum oneribus ſeruiat. *l. ſi pater mulieris, in fi. D. de iur. dot. l. fi. in prin. D. de dol. except. l. pro oneribus. C. de iur. dot.* atque ita vno reſpectu, duos eiuſdem rei dominos eſſe, nouum videri non debet. *l. in bello. §. ſi quis ſeruum. D. de cap.* Manifeſtáque ſit ratio, cur maritus theſauri partem, quam in alieno inuenit, dirempto matrimonio vxori reſtituere debeat. *l. diuortio. § ſi fundum. in fi. D. ſol. matr.* Prædictis non obſtat, quod Iul. Paul. ait in bonis mariti conſtante

matrimonio dotem eſſe. *l. Lutius. §. idem reſpond. 5. D. ad municipalem.* hoc enim non negat mulieris dotem eſſe, vt & Tripho his verbis oſtendit. Quamuis (inquit) in bonis mariti dos ſit: mulieris tamen eſt. *l. quamuis. D. de iur. dot.* Rem enim in bonis noſtris computamus, non ſolùm quę dominij noſtri eſt, ſed & quæ bona fide à nobis poſſidetur: Et pro qua poſſeſſa defendenda, exceptionem, amiſſáque recuperanda, actionem, vel etiam officium iudicis habemus. *l. rem in bonis. D. de acqui. rer. dom. l. bonorum. 1. §. pen. & fi. D. de verb. sign.* Quod ius maritum habere ambigit nemo. *d. l. doce ancillam.* Plura vide apud Corraſium in Miſcellaneis.

Ad l. 1. C. de ordine iudiciorum.

Notandus eſt error Gloſſæ & Doctorum qui legis huius ſententiam idcirco peruerterunt, quod exiſtimarunt in ea tradi, Præſidem non habere notionem de cauſa liberali, ſiue de quæſtione ſtatus, quod eſſet abſurdiſſimum, vt patet ex *l. ſi pater. C. ne de ſtatu defunctorum. l. 4. D. ſi ingenuus eſſe dicatur. l. 3. C. de bonis. l. penul. C. vbi cauſæ ſtatus agi debeat. l. 2. C. de pedaneis iudicibus.* videamus quæ fuerit erroris cauſa, cenſet Doctiſſimus vir Franciſcus Hotomanus in ſuis Obſeruationibus erroris anſam præbuiſſe ſcriptorem huius legis, cùm plus ſenſit, minus ſcripſit (inquit ille) in illis verbis, Etſi ſuper ſtatus cauſa cognoſcere non poſſis, in quibus vox iudex neceſſario ſupplenda eſt: eam ſatis conſtet, pedaneos iudices in prouinciis de cauſis ſtatus iudicare non potuiſſe. *d. l. ſi pater. 7. ne de ſtatu defunctorum.* Roma autem vtraque hæc controuerſia, quæ eſt de cauſa liberali, & de rupto teſtamento, apud centumuiros agi debuiſſet, vt manifeſtum eſt ex Cicerone libro 1. de Oratore. *& l. inter pares. 38. de re iudicata.* & apud Paulum *libro 5. Sententiarum tit. 16.* Quærebatur ergo me prodente hereditatis iudicio, cauſæ ſtatus incidens reuocari ad præſidem poſſet? Dubitandi cauſa erat, quia iudici omnium rerum officium incumbit, quæ in iudicio verſantur. *l. 28. §. ſciendum. de ædilitio edicto.* Plura vide apud Franciſcum Hotomanum virum Doctiſſimum, libro 5. Obſeruationum, cap. 27. vbi plenius hanc legem explicat.

Ad l. 2. C. de ſeruitutibus & aqua.

In ſeruitutem vſucapione, perperam ſenſiſſe Doctores: & recentiorum noua quadam opinio refutata.

Longouallij Pariſienſis noua opinio exploſa.
Noua vſucapionis ſeruitutum declaratio.
Explicatæ ad eam rem leges permultæ.

Exiſtimatum eſt, communiter, continuas ſeruitutes decennio, inter præſentes, aut vicennio, inter abſentes vſucapi. *l. ſi quis diuturno. D. ſi ſer. vind. l. 2. C. de ſer. & aq.* Quæ verò cauſam perpetuam non habent, vſucapionem non admittere. *l. ſeruitutes. 4. in prin. D. de ſeruit.* niſi temporis, quòd hominum exceſſerit memoriam. *l. hoc iure. §. ductus aquæ. ff. de aq. quotid. & æſt.* Quam diſtinctionem Ioan. Longouallius Pariſienſis, in editis à ſe commentariis, ad *l. imperium. ff. de iuriſd. omn. iud.* pluribus confutat: citra diſcrimen tandem exiſtimans, omnes in vniuerſum ſeruitutes, *vſuc. x. aut xx. annorum ſpatio. l. 1. §. fi. ff. de aq. plu. l. apparet. §. pen. D. de itiner. actúque priuato. l. fi. in fi. C. de præſcrip. long. temp. Et ad d. l. ſeruitutes. ad l. ſequitur. §. fi. & l. ſi aliena. §. 1. D. de vſucap.* quæ generaliter tradunt ſeruitutes prędiorum non vſucapi, perfacile reſponſum patere dicit. Hoc enim ideo conſtitutum, quia res ſunt incorporales: nec habent certam, continuámque poſſeſſionem ſeruitutes. Vnde cum nō cadat poſſeſſio, conſequenter (inquit) nec vſucapio. *l. ſeruus. §. incorporales. ff. de acquir. rer. dom.* At quaſi poſſeſſio in ſeruitutibus cadit, quare & quaſi vſucapio, vt meritò dicendum ſit, eas quaſi vſuc. *d. l. ſi quis diutur.* ibi, & [longa quaſi poſſeſſione,] *& d. l. apparet.* ibi, [velut longæ poſſeſſionis.]. Sed ſi vera eſt hæc Longouallij opinio, cur abſolute vbique dixerunt Iuriſconſulti, ſeruitutes prædiorum non vſucapi? ſublatam ſeruitutum vſucapionem ſeruitutéſque nunquam longo tempore quæri. *d. l. ſeruitutes. in princ. l. ſequitur. §. fi. & l. ſi aliena. §. 1. ff. de vſucap.* deludentur certe hæ conſtitutiones, ſi ſeruitutes quaſi vſucapi dixerimus. Cùm vſucapionis verbum, ad incorporalia relatum, illam, quam Longouallius vocat, Quaſi vſucapionem, exprimat. Silendum igitur deinceps de hac ſententia: quanquam nec magis probandam communem arbitror, ſed noue dicendum, Ruſticarum duntaxat ſeruitutum, antiqua lege inhibitam vſucapionem, quòd eæ, vt plurimum, certam continuámque poſſeſſionem non haberent. *d. l. ſeruitutes. in prin.* Deinde Scribonia lege ſublatam omnium in vniuerſum, tam ruſticarum, quàm vrbanarum vſucapio. *l. ſequitur. §. fi. ff. de vſuca.* proinde & in *d. l. ſeruitu. in fi. prin.* Iul. Paul. ſcripſiſſe legimus. Idem iuris hodie obſeruari in vrbanis, quod olim in ruſticis ſeruitutibus, vt neutræ ſcilicet vſucapiantur. Et Vlpia. hoc iure nos vti dixiſſe, vt per ſe nunquam longo tempore ſeruitutes capiantur viſ. *l. ſi aliena. §. 1. D. de vſucap.* Quæ omnia quod pertinet ad veram, & propriam ſeruitutem, recipi lex voluit. nam commodum ſeruitutis, quod Vlpian. Quaſi ſeruitutem nuncupauit: ab eo quæri voluerunt, qui diu ſeruitute, non vi, non clam, non precario, vſus eſſet. *l. 1. §. fi. D. de aq. plu. ar.* vt ita vſus ille diuturnus, effectum conſtitutæ, aut aliter quæſitæ ſeruitutis haberet. *l. 2. C. de ſerui. & aqua.* non autem vera & propria ſeruitus eſſet: alioqui directa daretur actio: ſed quaſi ſeruitus ex quadam lege æquitate, in quam vtilis actio prodita eſt. *d. l. ſi quis diuturno. D. ſi ſer. vind.* & poſſeſſorium interdictum. *d. l. 1. §. fi. D. de aqua pluu. arcen. l. apparet. §. pen. D. de itin. actúque priu.* ſicut pro vera ſeruitute, *l. quoties. 2. D. de ſeruitut.* Qua ratione, conſiderato nempe effectu, dixit Imper. longo tempore ſeruitutem acquiri. *l. 2. C. de ſeru. & aq.* In eiuſdémque acquiſitione, per longam quaſi poſſeſſionem, ea omnia obſeruanda, quæ in præſcriptione rerum immobilium. *l. fi. §. fi. C. de præſcript. long. temp.* Quæ omnia paulo fuſius exequar, in *d. l. ſeruitutes.* Hæc habui quæ aduerſus Neotericorum quorundam opinionem dicerem, quas ex Doctiſſimi viri obſeruationibus paſſim collegi.

Plurima quæ ad hunc librum pertinent, prætermiſi, quę addam Deo volente, in ſecunda editione. habeo enim notas in vniuerſos titulos, quas breuitatis cauſa in hac prima editione omiſi, ne ſextum volumen corporis iuris ciuilis, cui hæ notæ velut appendicis loco adiectæ ſunt, in immenſum excreſcat. Interim hæc beneuole lector, æqui boníque conſule.

NOTARVM AD GLOSSAS ET INTERPRETATIONES DOctorum in Codicem liber quartus libro quarto Codicis reſpondens.

Ad l. 2. C. de rebus creditis & iureiurando.

SANE præter rem ab Accurſio propoſitum hic exemplum eius qui iurauerit ſe carnes non comeſturum: eadémque ratione alia eiuſdem Accurſij explicatio minus etiam illi loco accommodari poteſt, quam neotericis nonnullis cōprobari comperimus, qua illud Alexandri reſcriptum ad eum tantum caſum referri vult, quo quis calore iracundiæ peierauerit. Qui enim cum de litis deciſione agitur vehementiore animi motu nos ad iurandum concitatos cauſari poſſemus? Nam quod ibid. illius reſcripti ſententia ad eum extenditur, qui per principis venerationem calore iracundiæ peierauerit intellectum illum minimè comprobat, ſi quidem eo tantum id ſpectat, vt quod generaliter in contemptu iuriſiurandi religione propoſuerat, id & ad aliud quoque protrahat, quo per principem iuratum fuerit, ſed illo ſpecialiter caſu quo nimio iræ impetu id fuerit actum, vt patet ex adiectione particulæ Etſi.

Ad eandem l. 2.

Malè Accurſius cui ſubſcribit Alciatus exiſtimauit pro promiſſionem ſuffragij nomine, tunc tàtum vetitam fuiſſe cum clam

fieret

Digitized by Google

fieret, aliud autem ſi palàm quid ſuffragij nomine dari conueniſſet. argumento. *l. non exiſtimo. ff. de adminiſtratione tutorum.* Quod vt commentitium & paulo alienius eſt à Theodoſij ſanctione huic noſtri iuri inſecta, quæ extat integra in *l. 1. ſi cert. petat.* de ſuffragio in Codice Theodoſiano cam conſtet in vniuerſam reprobatas iſtas promiſſiones fuiſſe, atque ne in poſterum fierēt Imperatores quacunque ratione poſſent improbare voluiſſe. ſic enim eiuſcemodi contractus leges Romanas penitus ignorare, vel ipſe Iulianus ait. *d. l. 1. ſi cert. petat.* de ſuffragio qui tamen penes ſuffragatorem manere voluit.

In concilianda Seueri & Antonini conſtitutione in *l. 1. C. de bon. libert.* fruſtra laborauit Accurſius. nullomodo enim contraria eſt. *l. eorum. D. ad legem Iuliam maieſtatis.*

Ad l. 1. C. de condictione ex lege.

Quomodo in l. 1. C. de cond. ex lege, intelligendum ſit, debita ex primipilo contracta ante tempus exigi poſſe. Iaſonis interpretatione reprobata.

Extat Imperatoria conſtitutio in *l. 1. C. de condict. ex lege.* cuius hæc ſunt verba: Licèt ante tempus debita exigi non poſſint: tamen ſi te ex primipilo debitorem fiſci conſtitutum, ac patrimonium tuum exhauſtum præſes prouinciæ comperit, vt ad ſolutionis ſecuritatem ſolùm fœnebris pecuniæ ſubſidium ſupereſſe videatur: commonebit debitorem tuum, ſi ſaltem ipſe ſoluendo ſit, vt ante definitum tempus debita tibi repræſentet, vt fiſco (cuius ob neceſſitates publicas potiorem cauſam eſſe oportet) debita pecunia exoluatur. Ex qua conſtitutione Iaſ. in *l. pecuniam. col. fin. D. ſi cert. pet.* poſt Baldum ſingulariter colligit, fiſcum à debitoribus ſuis pecuniam, ante diei vel conditionis euentum, exigere poſſe. Sed hanc ſententiam ego vix probauerim. Et vt concedam eum, qui in diem debeat, ante tempus à fiſco conueniri poſſe. *dicta lege, prima,* Tamen in conditionali debito id nequaquam admittendum eſt: Non enim in *d. l. 1.* de conditionali debito vlla mentio fit, ſed de debito in diem: inter quæ plurimum intereſt. Nam ex debito in diem obligatio ſtatim oritur. licèt agi ante diem nō poſſit. *§. omnis. de verb. oblig.* At ex conditionali debito neque actio, neque obligatio vlla ante conditionis euentum oritur. *§. ſub conditione. inſtit. eod.* Vt merito debitum in diem ante diē exigi à fiſco poſſit, debitum autem conditionale ante conditionis euentum, non poſſit. Cæterùm quod in *d. l. 1.* traditur, fiſcum debitores ante diem conuenire poſſe, non de quolibet fiſci debitore intelligi debet (quod tamen Iaſ. in *d. l. pecuniam* arbitratus eſt.) Sed de eo duntaxat, qui ex primipilo debitor eſt. Non enim text. *d. l. 1.* de fiſci debitoribus generaliter loquutur, ſed de iis ſolùm, qui ex primipilo debent. Solebant enim primipili in exercitu annonæ curam habere, vt And. Alc. in *rub. C. de primipil. lib. 12. docet.* Et quoniam annonæ præſtatio ſine magno exercitus periculo differri non poteſt, merito in *d. l. 1.* conſtitutum eſt, vt debita ex primipilo contracta ante diem exigi poſſint. Quæ ratio in reliquis fiſci debitis non perinde viget, vt merito *d. l. 1.* ad reliqua fiſci debita extendi non debeat. Plura vide apud Bernardinum Vualtherum in ſuis Miſcellaneis obſeruationibus, vbi plenius hac de re tractat.

Ad l. ſtatim. C. de fide inſtrument.

Quid ſit naturalis profeſſio in l. ſtatum. C. de fide inſtrum. aduerſus Caſtr. interpretationem.

In *l. ſtatum. C. de fide inſtrument.* hæc verba extant: Statum tuum, natali profeſſione perdita mutilatum non eſſe, certi iuris eſt. Quod Paul. Caſtr. ſic interpretatur. Inſtrumento manumiſſionis perdito, manumiſſionem nihilominus teſtibus probari poſſe. Sed hæc interpretatio mihi non placet. Non enim in ea lege vlla manumiſſionis mentio fit. Nec video, quomodo profeſſio natalis ad manumiſſionem referri poſſit. Vt ergò legis illius, apertus ſenſus habeatur, ſciendum eſt apud veteres Romanos conſtitutum fuiſſe, natos liberos apud tabularia publica profiteri, vt de ingenuitate conſtare poſſet. Quod Seruius his verbis teſtatur: Populi tabularia, vbi actus publici continentur. Significat autem templum Saturni, in quo ærarium fuerat, & vbi reponebantur acta, quæ ſuſceptis liberis faciebant parentes.

Iuuenalis Satyra 9.

Tollis enim & titulis actorum ſpargere gaudes.
Argumenta viri. Hæc Seruius.

Iulius quoque Capitolinus in M. Antonino: Inter hæc, inquit, liberales cauſas muniuit, vt prius iuberet apud Præfectos ærarij Saturni vnumquemque ciuium natos liberos profiteri, intra tertium diem nomine impoſito. Per prouincias tabulariorum pub. vſum inſtituit: Apud quos idem de originib. fieret, quod Romæ inter Præfectos ærarij, vt ſi forte aliquis in prouincia natus cauſam liberalem diceret, teſtationes inde ferret. Atque hanc totam legem de aſſertionibus firmauit. Quod ergò in *d. l. ſtatum.* dicitur ſtatum natali profeſſione perdita mutilatum non eſſe: ſic intelligendum eſt, Ingenuitatem non amitti, etiam ſi tabulæ ſeu inſtrumenta profeſſionis, apud publica tabularia perdita ſint. Cuius deciſionis ratio eſt, quia ſine profeſſionum tabulis, ingenuitas probari poteſt. *l. non admiſſa. C. de liber. cauſa.* Cæterùm quod Iuuenalis in eo verſu, cuius paulò antè mentionem feci, titulos actorum nominat, in quibuſdam codicibus non titulis, ſed libris legitur. Plura vide apud Bernardinum Vualtherum in Miſcellaneis.

Ad l. 1. C de rerum permutatione.

Nihil aliud eſſe permutationem, quàm contractum do vt des, aduerſus Accurſ. Bart. & reliquos omnes probatum.

Vulgaris inter eos contractus differentia.
Iaſon parum ſobriè loquutus.
Recentiorum ratio exploſa.
Noua opinio contra omnes Doctores.

Solent Accurſ. Bart. & alij propè omnes in *l. 1. D. de rer. permut. in l. 1. C. illo tit. in l. 2. D. de reb. cred.* & alibi paſſim, hanc inter permutationem, & contractum, do vt des, conſtituere differentiam: vt ſi agatur vt ſpecies pro ſpecie detur, puta Stichus pro Pamphilo, vel etiam quæ non ſint eiuſdem generis, ſicuti refertur apud Homer. lib. Iliad. 6. Glaucum cum Dyomede arma ſua aurea, pro æreis permutaſſe, ſit permutatio. *l. quoniam aſſeueras. C. de rer. perm.* Quòd ſi genus pro genere, puta decem modij tritici, pro viginti cadis vini; aut genus pro ſpecie, vt decem modij tritici, pro Sticho ſeruo, erit contractus innominatus, do vt des. *l. naturalis. § 1. D. de præſcrip. verb. l. pen. & fi. C. de rer. perm.* Cuius differentiæ rationem Iaſ. in *d. l. 2. ff. ſi cert. petat.* nouè affert, ſed talem vt profiteatur Iureconſultum, ſi viueret, non aliam reddere poſſe: cùm enim permuto verbum, à per & muto componatur, dictióque, per, notet perfectionem. *l. urbana. § pernoctare. ff. de verb. ſign.* conſtat vti inq; rem ſeu ſpeciem certam tradi oportere, vt ſit perfecta mutatio quæ in genere non cadit. Quam rationē rident & meritò Curt. & Recentiores in *d. l. 2.* Ex quibus ſunt qui Iaſon. ſomniaſſe, aut parum ſobriè loquutum affirmare non vereantur. Neque enim, inquiunt, lege aliqua aut ratione probari poteſt, in iis, quæ in genere conſiſtunt, non fieri illam perfectam mutationem, & dominij tranſlationem, vti in ſpeciebus: cùm præſertim mutuus contractus ſit perfectiſſimus dominij tranſlationem deſiderans. *d. l. 2. § appellata.* quod in iis tantummodò rebus conſiſtit, quę generis ſunt, quæve pondere, numero, menſuráve conſtant. *d. l. 2. § mutui datio.* Quare aliam rationem conſiderant, vt in ſpeciebus magis propriè permutatio dicatur, quòd illæ ab ipſo principio certæ ſint: cùm genus non niſi poſt ſolutionem certitudinem habeat. *l. cùm incertus. ff. de leg. 1. l. in ratione. § incerta. ff. ad legem Falc.* meritò cùm datur ſpecies pro ſpecie, contractus nomen accipit permutationis, tanquam certius, ratione materiæ in qua contrahitur, quæ eſt certior. Sed neque hæc ratio quæ tamen plurimum habet coloris, mihi placet: nam ea attenta, cur cùm genus pro ſpecie datur, contractus certum nomen accipit, ſicut fit in emptione: aut cur tam emptionis contractus, eadem ratione ſub generis nomine non remanſit? Dixerit quiſpiam, cùm contractus, do vt des, & permutatio, contractus ſint innominati, inquiſitio hæc omnino infructuoſa videtur. Sed dicunt Iaſ. & nouiſſimi, in *d. l. 2.* fructum huius diſputationis vberrimum eſſe, cùm actio præſcriptis verbis, quæ ex permutatione oritur, bonæ fidei ſit. *§. actionem de actionibus.* Illa verò quæ ex contractu innominato,

do vt des,ſtricti iuris.Bart.in *l.1.in fin.D.de rer.permut.* Ego,vt tandem finiam,exiſtimo nihil aliud eſſe permutationem, quã contractum do vt des,quod meo iudicio apertè probat Iulius Paulus in *d.l.naturalis.* §.1. vbi cùm vniuerſum tractatum ob rem dati in quatuor articulos diduxiſſet, prioréque loco de contractu,do vt des,dicturus eſſet, tradit, quòd ſi pecuniam dem vt rem accipiam,emptio eſt:quòd ſi rem dederim,vt rem accipiam:permutatio:quia,inquit, placet permutationem rerum,emptionem non eſſe: & in fine adiicit, explicatum eſſe articulum,do vt des.Non eſt igitur conſtituenda hæc differẽtia,ſed ſimpliciter,& abſolutè dicendum,vtroque caſu permutationem eſſe:quod etiam ex iis quæ ab Imper. in *l. pen. C.de rerum permut.* Timotheo reſcripta ſunt,colligitur,vbi vtrunque genus datum eſt. Nam Timotheus frumenti certam modiationem Callimacho,& Archamacho dederat, vt olei deſignatum pondus reciperet,cum contractum permutationis eſſe Imper.dixit,& titulus ipſe,ſub quo lex inſerta eſt,indicat. *l. Imperator.D.de in di.add.* Quòd ſi Accurſ.Bart & reliquorum differentia vera eſſet,nónne ineptiæ, & abſurditatis non tolerandæ accuſandi eſſent legiſlatores, qui tantopere laborarunt in aſſignanda differentia inter permutationem,& emptionem. *l.1.§.1.D.de rerum permut.§.item pretium.de empt.in inſtit.* Si etenim permutatio tunc duntaxat dici poterat, quòd vtrinque ſpecies daretur, & emptio non aliter conſiſtat, quàm ſi pretium in pecunia numerata interueniat, quorſum, bone Deus, hæſitare oportebat,an idem eſſent.Non igitur hoc diſcriminis conſtituendum, ſed exiſtimandum,omni caſu permutationem eſſe, ideóque actionem præſcriptis verbis bonæ fidei naſci. Et hinc noua ratione tueri potes, quod Doctores communiter,ſed ſine fundamento, tradunt, permutationis contractum innominatum eſſe:nam niſi hæc ratio pugnet, reliquæ à Doctoribus productæ, nudæ ſunt, & fragiles. Plura vide apud Corraſium in Miſcellaneis Obſeruationibus.

Ad l.cùm ipſe.C.de contrahend.empt.

Nullum contractum inter tutorem & pupillum,etiam palàm geri poſſe:tametſi cæteri omnes contra.

Noua opinio contra Doctores.
Expoſita l.cùm ipſe,& l.non exiſtimo.

Cùm ſenſiſſet Accurſius pecuniæ creditæ ſingularia tractãs, in *l.ſingularia.D.de reb.cred.* tutorem poſſe ſolum mutui contractum cum pupillo celebrare, à pupillo mutuò accipiendo. *l.quoties.§.non tantum.& §.ſicut. D. de adminiſt. tutor.* excanduerunt cæteri,exploratum habentes, inter tutorem,& pupillum,contractum quemcunque confici poſſe,modò palàm, & bona fide contrahatur. *l.cùm ipſe. C. de contrahend.empt.& l. non exiſtimo. D.de adminiſtr.tutor.* Túncque palam & bona fide cenſent tutorem cum pupillo contrahere, cùm amicis, vel conſanguineis pupilli interuenientibus,negotium geritur. *l. tranſactionem.C.de tranſact.Bart.in l.frater à fratre.col.11. D.de cond.indeb.* Aut præſente iudice.Bart.*d.l.tranſactionem.* cùm idem operetur iudicis,quod amicorum cognatorúmve præſentia. *l.fi.in princ. D.quod met.cauſ.Imol.l.1.§.fuit quæſitum. D. ad Trebell.* perhibetur ergo clanculum duntaxat,cum pupillo tutor contrahere. *d.l.non exiſtimo.* niſi vno caſu inquiunt Roma: & Iaſ.in *d.l.ſingularia.* quando ſcilicet res pupilli fuit vendita alteri,cum decreto,& authoritate iudicis. Nec ille tertius pretium numerat:tunc nanque tutor rem eiuſmodi emere poteſt, ſiue palàm, ſiue clàm,cùm iam alienabilis facta ſit. *l.tutor rerum.vbi Bart.D.de admin.tut.l.pater.§.quindecim.D. de leg.3.* Quæ limitatio,parum apta mihi ſemper viſa eſt, cùm tunc nõ clam,ſed palàm tutor contrahere dicatur: ex quo enim in prima venditione iudicis præſentia, deſiderataque à lege ſolennia interuenerunt: cenſentur in contractu cum tutore poſteriore loco geſto,& in locum prioris emptoris ſubrogato, hæc omnia reperita.*l.ſi pupillorum. §.ſi pupillus. vbi Bald. in ſimili. D.de rebus eorum.* Fui præterea quandoque in noua ſententia, vt nec mutuum, nec emptio, nec alius quiuis contractus, per tutorem,cum pupillo propria authoritate geri poſſit,palam etiam & bona fide. *l.ſi emptio.§.fin.D.de contrah.empt.* cùm de ſubſtantia obligationis,per pupillum contrahendæ, ſit tutoris authoritas.*l.obligari.D.de author.tutor.* non poſſit autem tutor, in negotio proprio authorem fieri. *d.l.1.§.fuit quæſitum. D.ad Trebell.* nec tutoris,& contrahentis officio ſimul fungi. *l.pupillus. §.item ipſe tutor.D.de author.tut.* Præſertim in obligatione de nouo contrahenda,cùm in actu, qui per pupillum neceſſariò explicandus venit,& tendente ad contractæ obligationis diſſolutionem,authoritati tutor ſibi nequeat. *d.l.1.§.fuit quæſitum.* vnde non putat tutorem aliter cum pupillo contrahere poſſe,quàm ſi contutoris authoritas interueniat. *l.pupillus.D. de author. tut.* tametſi coram amicis cognatiſve geratur negotium.*d.§.item ipſe tutor.* Nec obſtat,quod Imperator ſcripſit, non prohiberi tutorem,palàm & bona fide rem pupillo comparare.*l.cùm ipſe.C.de contrahen.empt.* Tunc enim interpretor palàm & bona fide inter tutorem & pupillum geri negotium, cùm interuenit authoritas contutoris. *d. l.non exiſtimo.D.de admin.tut.* ſi tamen tutor contutorem habeat.*d.§.ipſe tutor.* aut (ſi duo tutores dati non ſint) decretum iudicis cùm cauſæ cognitione.*l.profectitia.in fi.princ.D.de iur.dot.l.1.& tot.tit. D. de reb.eor.* Et ita falſo puto,quòd Doctores tradunt, hac in re, amicorum,cognatorúmve præſentiam ſufficere. Eo tamen caſu putarem hæc iuris ſolennia non deſiderari, cùm contractus non poſſet non vtilis eſſe pupillo.*l.pupillus.ff.de acquir.rer.do.* vt in Iuliani ſpecie,cùm ex Marcelli ſententia reſcripſit, poſſe tutorem ſe mutua pecunia obligare,ſibi mutuatam ſcribendo. *l.quoties.§.non tantum.ff.de adminiſt.tutor.* Etenim quantum ad acquirendum,authoritate tutoris,pupillus non indiget. *d.l. pupillus.ff.de acquiren.rer.dom.* Plura vide apud Ioannem Corraſium Conſiliarium Tholoſatem,in ſuis Miſcellaneis obſeruationibus,vbi copioſius hac de re tractat.

Ad l.2.C.de reſcind.vend.

Conſtitutio regia corrigit opinionem Gloſſæ & Doctorum in *l.2.C.de reſcin. vend.* vt ratione exceptionis vltra dimidiam agi poſſit vſque ad triginta annos. Obſeruatur autem in Gallia vt intra decem annos agatur, poſtea non audiatur quis volens reſcindere contractum ratione deceptionis, niſi intra illos decem annos impeditus fuerit in expeditionibus militaribus, aut detentus fuerit captiuus ab hoſtibus, aut ita ægrotauerit,vt ſua negotia non potuerit agere, aut furioſus & mẽte captus fuerit. his enim caſibus licet decem anni expirauerint, non tamen ideo minus poterit obtinere literas reſciſſionis.

Ad l.1.C de vſuris.

In iudiciis ſtricti iuris vſuras à tempore litis conteſtatæ,citra ſtipulationem venire:& aliter intellecta plures leges quàm ab aliis fuerint.

Quia in tractatum nobilem moræ incidimus, illud quoque huic parti ſubſcribendum eſt,in quo ſcriptores noſtros miſerè conflictari animaduertimus,à vero longe aberrantes. Hoc ſiquidem inter bonæ fidei, & ſtricti iuris iudiciis diſcrimina conſtituunt,quòd in illis ex mora vſuræ debeantur. *l. mora.§. in bonæ fidei.ff.de vſu.* In his verò cùm citra ſtipulationis vinculum non veniant.*l.quamuis.C.de vſu.* nec quidem à tempore conteſtatæ currunt.*l.1.C.de cond.indeb.l.quoties. C.de cond. ob tur.cau.* quanquàm fructus,aliæve acceſſiones naturales, & intrinſecæ(quibus vt magiſ faueatur æquitas poſtulat, cùm ex re ipſa ſint)ab eo tempore veniant.*l.cùm fundus.ff. de reb.cred.* non autem niſi petierit actor quod ſuum fuit, quo caſu à tempore moræ debentur.*l.videamus. §. ſi actionem.ff.de vſur.* Et quod Iul.Paul.dixit in *l.lite.illo tit.*[lite conteſtata vſuras currere]ex communi Doctorum calculo accipiendum eſt in contractibus bonæ fidei,cùm mora non præceſſit litis conteſtat. Quem ſenſum nos quam longiſſimè à vero abeſſe opinamur, cùm illud Paul.reſponſum,non de iudiciis bonæ fidei loquatur,de quibus paulò antè Marcel. tractauerat,ſed de ſtricti iuris,in quibus quãdo vſuræ venirent,nihil dictum erat. Quod igitur conſtituit Paul.[lite conteſtata vſuras currere,] docuit, vt nemo non videt,per modum regulæ quam coarctare ad caſum,qui nunquam aut rarò euenit: nempe ad iudicia bonæ fidei,in quibus ante litis conteſtationẽ mora facta non eſt, præter intolerabilem diuinationem perquam abſurdum videtur. Nec enim facilè,inquit Vlp.euenire poteſt, vt mora non præcedente perueniatur ad iudicium.*l. in fideicommiſſo. ff. de vſur.*

Pro-

Propterea ſemper ipſe exiſtimaui eum tex.in *d. l. lite.* in iudiciis ſtricti iuris loqui,quo fit,vt verius eſſe aduerſus doct. crediderim, in contractibus ſtricti iuris vſuras à tempore litis conteſtatæ venire,& ſi ſolenni ſtipulatione promiſſæ nō ſunt. Nec quicquam me mouerit *d.l.quamuis.*quę ſpecialiter in pecunia credita loquitur, in qua hoc ſingulariter conſtitutum reperitur,vt vſuræ non in ſtipulationem deductæ non debeātur.*l.Titium.D.de praeſcr.verb.* hæc,vt opinor, ratione, quòd mutuum re contrahatur.ideo noluit lex facilè concedere maiorem ſummam deberi,quam re ipſa numerata eſſet.*l.ſi tibi decem millia.ff.de pact.l.rogaſti.§.ſi tibi.D.de re.cre.* ſed ſolennem ſtipulationem deſiderauit. *d. l. quamuis. & d.l.Titium.* Adde quòd cum Imp.*d.l.quamuis.*de funebri pecunia ſpecialiter loquatur,ab ſpeciali ita ratiocinabimur,ſi in funebri pecun.hoc ſingulariter eſt conſtitutum, vt vſuræ citra ſtipulationis vinculum non debeantur. ergo in aliis contractibus tametſi ſtricti iuris ſint,ſecus eſt dicendum.Et ita conſtat interpretes noſtros ex eo tex.perperam decerpſiſſe in contractibus ſtricti iuris non niſi ex ſtipulatione vſuras deberi. hoc enim non ex puris particularibus ſed ex vno,& ſimplici particulari eſt aliquid inferre,quod nec Logicus,nec Legiſta admittit. Ang.in *l,2.ff.de verb.oblig.* Nec præterea negotium nobis faciunt *l.1. C.de cond.inde.l.quoties.C.de cond. ob tur. cau.* nam leges illæ non negant vſuras à tempore litis conteſtatæ venire,ſed nolūt vſuras pecuniæ indebitæ ſolutæ,quam ſoluens per condictionem indebiti ob turpem cauſam, repetit ab eo tempore quo pecunia indebite tradita eſt,venire. ſatis enim conſultum eſſe pūtauerint legiſlatores ei qui pecuniam imprudens ſoluerat, ſi concederent ei pecuniæ ſolutæ repetitionem, nec negāt quin vſuræ lite conteſtata currant. Verumenimuerò placuit mihi aliquanto in hac materia liberius ſpatiari. cùm enim in legatis & fideicommiſſis poſt moram vſuras deberi communis ſententia ſit.*l.Titia Seio.§.vſuras.l.ſi quis ſeruo.D.de leg.2. l. ſi cui. D.de cond.& dem.l.1.§.belliſſimè.D.vt leg.no.ca. etiam ſi Reſp.* moram fecerit.*l.qui ſolidum.§.etiam.D.de leg.2.*quòd legata & fideicommiſſa iudiciis bonæ fidei adæquata ſint. *l.in minorum. C.in quib.cau.in integ.reſt.non eſt neceſſ.* exercitandi tum ingenij gratia,de ſuperiore loco aliquando defendi etiam in legatis,qua actione ex teſtamento petuntur,vſuras non venire, niſi à tempore litis conteſt. in quam ſententiam fortiſſimè me impulit *l.1.C.de vſu.& fru.leg.*Legatorum,ſeu fideicommiſſorum(inquiunt illic Seue.& Ant.Impp.) vſuras ex eo tempore, quo lis conteſtata eſt,exigi poſſe manifeſtum eſt. Sed & idem Ant.*in l.2.illo tit.*Et ſi conſtiterit legi Falcidię locum non eſſe, & vſuras,& fructus poſt litem conteſt.percipietis. Quæ conſtitutiones à doctoribus violenter reſtringuntur, vt accipi debeant cùm ante litem conteſtatam mora facta non eſt. Hæc autem declaratio quàm parum literæ conueniat, vnuſquiſque viderit.Facit & ad noſtram opinionem regula, quam nos veram inexpugnabiliter probauimus; lite conteſtata in iudiciis ſtricti iuris vſuras currere.*l.lite.ff.de vſur.* Actionem autem ex teſtamento ſtricti iuris eſſe,nemo eſt dum ciuilis inſtitutiones viderit,qui neſciat.*§.actionum.de actio.in Inſt.* nam & in ea ideo in litem non iuratur.*l.aliàs.D.de in lit.iur.*cum qua etiam non concurrit,propterea condictio ob turpem cauſam, licet cum bonæ fidei iudiciis concurrat.*l.fin.D.de cond. ob tur. cau.* & ſit arbitraria propter locum:cùm tamen in bonæ fidei contractibus actio tantùm ex eo contractu detur.*l.ſi heres,& l. in bonæ fidei.D.de eo quod cert.loc.* Neque inficior nonnunquam legatorum petitionem bonæ fidei iudiciis comparari, cæterū id ſpeciali ratione conſtitutum,vt in minorum perſona. *d. l.in minorum.*aut cùm ſubeſt alia vel naturæ, vel legis æquitas: vt cùm proditum eſt in actione ex teſtamento, ſicut in bonæ fidei iudiciis ſoluentem rem deteriorem prima actione non liberari,ſed ea contra reum agi poſſe. *l.huiuſmodi.§.ædes.D.de leg.1.l.Mæuius.§.fundo.D.de leg.2.l.3.§.ſi reddita.D.commo.l. 1.§.ſi res depoſita.D.depoſi.* Planè genuina & natiua natura eius actionis ex teſtam.eſt,vt ſtricti iuris ſit, & iudiciorum ſtricti iuris naturam ſequatur. In quibus cùm certum ſit ex iis quæ nos præter alios palam fecimus,vſuras à tempore litis conteſtatæ deberi,neque tempus moræ ſpectari,cur in legatis,& fideicommiſſis aliud conſtituendum ſit,neque legem, neq; rationem video:loquor reſpectu vſurarum. nam quod ad periculum interitus ſpectat,poſt moram iure commiſſam ad heredem pertinere non negauerim.*l.quod te.D.de reb.cred. l. ſi ex legato.D.de verb.obl.*tunc quippe de re ipſa agitur:vſuræ autem extra rem ſunt,& odioſæ,quibus ideo non tam fauendum eſt. Et quod Marcel.in *d.l.mora.* dixit, [moram factam intelligi quoties opportuno loco aut tempore interpellatus non ſoluit,] in legatis,& fideicommiſſis quod ad vſuras ſpectat, non procedit. in iis etenim tempus opportunum lex tantum eſſe voluit,tempus litis conteſtatæ.*d.l.1.C.de vſu.& fruct.leg.* Aliæ autem leges,quæ dicunt ex mora in iis quæ pendent ex vltima voluntate vſuras venire.*l.ſi quis ſeruo.l.qui ſolidum. §. etiam. l. Titia Seio.§.vſuras.D.de leg.2. l. 1. §.belliſſimè. D.vt le.no.cau.* ab Imp.interpretatæ ſunt;vt moram fieri in vſuris per factum extra iudicium non intelligant,ſed per litis conteſtationem. Quod ne tibi durum videatur,legendus eſt Pap.in *d.l. qui ſolidum.§.etiam.*qui poſteaquam docuit vſuras legatorum, aut fideicommiſſorum etiam Remp.poſt moram præſtare oportere,moram interpretatus eſt per ſententiam.[Sarciendum erit, inquit,ab his,qui poſt dictam ſententiam ſoluere ſuperſederunt.Neque enim vult illic Iuriſconſ.quod doctores putant, à tempore moræ factæ per interpellationem extraiudicialem teneri Remp.vſuras præſtare,ſed tantùm poſt ſententiam,perquam ſingulare eſt in Rep.vt mora tantùm facta intelligatur. Sic ergo in legatis ab herede priuato abſurdum non erit ex Imperatoris *l.1.C.de vſur.* moram ex litis conteſtatæ tempore interpretari. Plura vide apud Iohannem Corraſium virum Doctiſſimum in ſuis Miſcellaneis obſeruationibus.

NOTARVM AD GLOSSAS ET INTERPRETATIONES DOctorum in Codicem liber quintus libro quinto Codicis reſpondens.

Ad titulum Codicis de ſponſalibus & arris ſponſalitiis & proxeneticis.

HIc valdè hallucinatur Accurſius, qui proxenética dici putat, ea ſalaria quæ proxenetis illis nuptiarum dantur:quorum nuſquam vlla mentio toto illo titulo, neq; ad ſponſaliorum materiā faciant quicquam.Arras enim proxeneticas appellat,quę proxenetis dantur ſpōſæ deferendas, & quas proxenetæ ipſi ſponſarum nomine accipiunt,ſic arræ ſponſalitię dicuntur Iuſtiniano quæ ſponſis ipſis dātur:proxeneticę quas pro eis proxenetæ,id eſt,pater,mater,tutor,aut alij amici qui in ea re fidē ſuam interponunt,quarum vtrarumq; eadem ratio eſt, vt Imperatores Leo & Anthemius reſcripſerūt ibi lege vltima, pro reſtitutione arrarum teneri mulierem in ſimplum, ſi minoris eſt ætatis,ſiue virgo ſiue vidua ſit,ſiue per ſe, ſiue per tutorem & curatorem,aut aliam perſonam eaſdem arras acceperit.

Ad l.7.C de nuptiis.

Iuſtinianus titulo de nuptiis ſanciuit, vt ſcenicis mulieribus ætatem ludicram exercentibus liceat pœnitere, & relicta ea arte veniam anteactæ vitæ impetrare à principe, & cuique inde poſſe licenter nubere, ſimiliter earum filias poſtea ſuſceptas:ſi quæ verò ante abſterſam eam maculam natæ ex eis, & procreatæ ſunt ſi id petierint,vt à principe reſtituantur. Cui ſiquę conſtitutioni vult Iuſtinianus locum eſſe etiam ſi iuraſſent ſe id genus vitæ nunquam relicturas. Huius autem conſtitutionis ratio eſt vt reuocētur mulieres ad caſtitatem, quam difficile eſt in eo vitæ genere conſeruare intactam hàncque conſtitutionem peruerſe eſt interpretatus Accurſius,vt locum habeat etiam in meretricibus & proſtitutis,quas Scenicarum vocabulo comprehendi malè putat, vt in illa conſtitutione vbi Iuſtinianus appellat τὰς ἐπὶ σκηνῆς μιμάδας mulieres appellat eas quæ in tabernis pudorem ſuum quæſtui habent, hic *l.* autem haud dubiè Scenicas propriè Imperator appellat, quæ in ſcenam artis ſuæ ludicræ cauſa prodeunt.

Ad l.liberi.C.de nuptiis.

Explicata ratio.l.liberi.C.de nupt.ante nos non intellecta ab Accurſio,nec aliis gloſſatoribus.

In conſanguinitatis, & affinitatis gradibus cùm verſare-

mus, illúdque agitaremus, an illicito coitu, affinitas contraheretur: nobis viſum eſt veriſſimum, quod ſcriptores cenſent, conſanguinitatem improbato etiam coitu contrahi, quod ad impedimentum matrimonij pertinet: atque ideo, ex eo complexu natum, patris conſanguineam non poſſe vxorem ducere. *c. per tuas. de probat.* Nam quod de affinitate propoſueramus parum habebat dubitationis, ſiquidem cōſtet, inceſtuoſo quoque coitu affinitatem contrahi, *c. de illo. c. ſuper eo. c. diſcretionem. c. fin. de eo qui cogn. conſang. vxor ſua*, quod ad nuptias ſpectat: per copulam quippe carnalem, fornicator & concubina, vna caro efficiuntur. *c. in eo. 32. q. 4.* vt maritus & vxor. *c. ſi quis. 30. q. 4.* quam carnis vnionem canones ob oculos habuerunt, vt affinitatem inducerent. atque eò ſpectare videntur Alexan. Imper. verba. *l. liberi. C. de nup.* [Liberi, inquit, concubinas parentum ſuorum vxores ducere non poſſunt: quia minus religioſam, & probabilem rem facere videntur, qui ſi contra hoc fecerint, crimen ſtupri committunt.] Nam quod attinet ad reliquos affinitatis effectus, non eſt affinitas, niſi cum quibus ſunt nuptiæ: ex quibus affinitas coniungitur. *l. non facilè. §. ſciēdum. D. de gradib. & affinib. Panor. in d. c. diſcretionem.* Quandoque tamen animaduertimus in Alex. reſponſo *d. l. liberi.* illicitum coitum non eſſe prohibitionis nuptiarum rationem, cum eſſet duntaxat concubinatus, qui complexus, ſanctionibus ciuilibus permiſſus eſt, qui cùm per leges nomen aſſumpſerit, ideò ſit extra legis pœnam. *l. 3. ff. de concub.* Aliam itaque ſemper exiſtimaui eſſe rationem, eámque ex Iuriſconſ. viſceribus excerptam, quoniam non tam quod liceat, quàm quod honeſtum eſt in matrimoniis ſpectatur. *l. ſemper. ff. de rit. nupt. l. ſemper in coniunctionibus. ff. de reg. iur.* in quibus naturale ius, & pudor reſpiciendus eſt: contra pudorem autem eſt, filium eam vxorem ducere, quæ in contubernio patris fuerit. *l. adoptiuus. §. tantundem. & §. ſeq. ff. de rit. nupt.* Quam rationem ſatis Imp. verba indicant in *d. l. liberi.* cùm fœdum, & irreligioſum eſſe dicit, vt filius cum ea miſceatur, quæ patri fuerit aliquando concubina. Cæterùm quod diximus, concubinatum ciuili iure permiſſum, non ita recipiendum eſt, vt propterea exiſtimemus, conſtitutiones ciuiles, rem tam turpem, fœdam & inhoneſtam approbaſſe. *c. hac ratione. 31. q. 1.* ſed ſub quadam, vt quidam rectè putant, diſſimulatione permiſiſſe, vt & Lupanaria, gratia vitandi raptus, inceſtus, & adulteria. Gloſſ. Hoſtienſ. & Panor. *c. inter opera. de ſponſ.* Nam & id Cato, vir prudentiſſimus, ſuaſiſſe videtur apud Horat.

Sententia Catonis.

Nam ſimul ac venas inflauit tetra libido,
Huc iuuenes æquum eſt deſcendere, non alienas
Permolere vxores.

Sic & in pleriſque Chriſtianorum ciuitatibus, ne furtis, rapinis, & homicidiis detur prætextus aliquis, magiſtratus oculos claudunt, viſum diſſimulāt, & in maximis fœneratorum (quos publicos vſurarios dicimus) ſceleribus conniuent. Glo. *c. ita. x. diſt.* Chryſtoph. Porc. in *§. 1. de adopt.* Itaque in hoc meretricio, lex ciuilis conniuebat, ſeque videre diſſimulabat, impendentibus, longéq; maioribus periculis obuiam ire cupiens: ſicque licebat conceſſa venere vti, non quòd tam turpe facinus approbauerit. Idq; vel eo liquet, quod natos ex concubina, naturales duntaxat dixerit, honorifico legitimorum titulo eorū non exornans. *§. aliquando.* Plura vide apud Corraſium.

Ad l. vnic. C. de rei vxoriæ actione.

Deciſio cuiuſdam quæſtionis ex hac lege aduerſus interpretes.

An quod vxori legatum eſt, vltra lucrum præcipuum habeat vxor, an verò cum nuptiali lucro compenſare teneatur, aliquantulum habet dubij, cùm Iul. Paul. dixerit: [Si voluntas teſtatoris compenſare volentis, euidenter non oſtendatur, creditorem non prohiberi & legatum, & debitum petere.] *l. creditorem. ff. de leg. 2.* & expreſſius Imp. in *l. vnica. §. primum itaque C. de rei vxor. actio.* [Manifeſtiſſimum eſt (ait) teſtatorem qui non hoc addidit, voluiſſe vxorem cui aliquid vltra dotem legatum eſt, vtrumque conſequi.] Contrarium tamen ex cauſidicis celebriores reſpondebant, quòd imò legatum huiuſmodi, in additamentum computare debeat. *l. ſi cum dotem. §. ſi pater. ff. ſolu. matr. l. cum pater. ff. de iur. dot. auth. præterea. C. vnde vir & vxor.* Bart. vbique concludente, maritum, cui ab vxore nonnihil relinquitur, debere id imputare in eam portionem, quam ex lege municipali lucratur. Sequitur Bal. in *l. quoniam in prioreb. col. fin. C. de inoff. teſt.* Quamuis idem Bald. parum ſibi conſtans contradicat in *l. ſi vxor. C. de bon. auth. iud. poſ.* & in *d. auth. præterea.* Sic tamen diſtingui ſolet, vt debitor neceſſarius ex legis puta ciuilis, aut municipij diſpoſitione, ſi quid teſtamento creditori legat, compenſandi animo reliquiſſe intelligatur. *d. auth. præterea.* cùm in neceſſitatibus (vt Modeſtin. ait) nemo liberalis exiſtat. *l. rem legatam. ff. de adi. leg.* qui caſus noſter erat: quoniam ſtatuto Tholoſano mulier agenſatur (ſic enim loquendum eſt) in media dotis parte. Quare quòd ſibi à marito legatur, imputabit: quemadmodum in patre dicimus, ex cuius bonis filio debetur omni iure legitima. Quodcunque enim ſibi relinquitur, in legitimam filius imputat. *l. quoniam nouella. C. de inof. teſta. l. 3. §. ſi debita. ff. de bon. lib.* Verum ſi qui facto ſuo, & voluntarius debitor eſt, legat creditori, vtrumque præſtandum erit, & debitum & legatum. *d. l. creditorem.* Huc pertinet ratio, quia longè potentius debitum eſt, quod ex facto noſtro deſcendit, quàm quod ex alieno. Accur. in *§. ex conditionali. de ver. obl. inſtit.* Quæ caſuum differentiæ ratio, receptiſſima eſt: apud me tamen ſemper fuit dubia per *l. in quartā. ff. ad l. Falc.* vbi legata non imputantur in quartam falcidiam, quam tamen certum eſt ex legis prouiſione, contráq; teſtantis voluntatem detrahi. *l. Titia. ff. ad l. Falc. c. Raynaldus. in fin. de teſta.* Præterea ſi vera eſſet hæc communis ſententia, legata omnia, quæ à coniugibus relinquuntur, inutilia forent: quod aſſeuerare nimis eſt abſurdum. Quamobrem exiſtimaui ſemper non eſſe à verbis Imperatoris recedendum, vt vtrunque vxori præſtandum ſit. Manifeſtiſſimum ſiquidem eſt, teſtatorem, qui non aliter voluntatem ſuam expreſſit, vxorem voluiſſe vtrunque conſequi. *l. vnic. §. primum itaque. C. de rei vxor. act.* Neque obſtat *authen. præterea.* quæ docentium perſtrinxit oculos: illius quippe deciſio in inopia fundatur, quæ aſſequutione legati ceſſat, aut ſaltem leuior fit. Hoc tamen quod aduerſum alios tueor, in propoſita facti ſpecie, cùm mulier iterum nubit, non defenderem: quin eo caſu ſine diſtinctione arbitror, communem ſententiam veriſſimam, vt quod vxori relictum eſt, animo compenſandi relictum videatur. Nullum enim tam vecordem eſſe exiſtimo, qui, ſi futurum ſciret, vxorem neglectis communibus liberis alteri nupturam, illi quæcunque poſſet non detraheret, tantùm abeſt, vt de ſuo elargiretur. Angel. Caſtr. & alij in *l. mulier. §. cum proponeretur. D. ad Treb.* alioqui, ſi mulier priore contenta viro, vidua permaneret, eam vtrunque conſequi non negarem, quanquam alij contradicant, ſed falluntur omnes. Planè nos & illud videamus, quòd ſi prior maritus det teſtamento vxori iterum nubendi licentiam, an ob id ſecundo nubentium pœnas mulier effugiat? Et exiſtimauit Accur. quod ſic, in *§. 1. de nupt. col. 4.* Bald. ſequitur in *l. fœminæ. C. de ſecun. nup. & in l. filium quem. C. fam. erciſc.* cæterique conſentiunt. Cùm enim ſecundo nubentium pœnæ ſuper iniuria, quæ defuncto marito infertur, fundatæ ſint. *§. quæ verò. de nup. col. 4.* volenti vel ex vulgari regula neque dolus fit, neque iniuria. *l. 1. §. vſque adeo. ff. de iniur. l. donationis. C. de tranſa.* Solet tamen creberrimè diſtingui, aut prior maritus permittit, vt intra annum luctus mulier nubat, & cùm hoc ſit contra bonos mores. *l. 1. C. de ſecund. nupt.* teſtatoris diſpoſitio nullius eſt momenti. *l. ſi quis inquilinos. §. fi. ff. de leg. 1.* aut poſt annum luctus, & tunc vera ſit communis opinio ex iam dicta ratione. Bald. in *d. l. 1. col. 2. C. de ſecun. nupt. Roma. conſ. 209. & ſing. C. 143. Iaſ. in d. l. filium. col. 9. C. fa. erciſc.* Ego verò de hac communi ſententia nonnunquam hæſitaui. ſiquidem per poſteriores nuptias, non tam priori marito, quàm eius liberis, mulier iniuriam faciat. *§. proſpeximus. de non elig. ſecun. nub. col. 1.* niſi intra annum luctus nubat, vnde conſtitutum, vt ſi nulli ſint filij poſt annum luctus, nubens nullas patiatur pœnas. *§. 1. & §. ſi verò expectes. de nup. col. 4.* Quāquam autem pater illatam filio iniuriā donare atq; remittere poteſt. *l. qui cœtu. §. fi. ff. ad l. Iul. de vi publ.* non tamen eam (vt mea fert ſententia) quę filiis poſt mortem eius infertur, cùm eo tempore nō amplius ſint in poteſtate: cui tamen lex annititur patri concedens, vt filio illatam iniuriam remittat. *l. ſed ſi vnius. §. filiosfamiliàs. ff. de iniur.* Et ex his conſequens eſt, vt id ſaltem verum fateamur, quod Accurſ. in *§. 1. de non elig. ſecund. nub. col. 1.* docuit, aliique ſequuti ſunt, vt ſi de filiorum prioris matrimonij conſenſu, mulier ſecundo nuberet, nulla prorſus pœna plecteretur. Nam cùm lex in filiorum gratiam & fauorem ſecundo nubentes puniat, illi fauori filij proculdubio renunciare poſſunt. *l. ſi index. ff. de minorib.*

norib.l.pen.C.de pact. Quo tamen caſu non ſatis eſſe puto, maioris partis conſenſum habere, ſed omnium exigerem. nam cùm hoc ſit pluribus, vt ſingulis commune, ab omnibus debeat approbari. *l.per fundum.ff.de ſeru.ruſt.præd.l.fi. C. de auth. præſt.* Plura vide apud Corraſium in Miſcellaneis.

Ad l.vnicam.§.finali.C.de rei vxoriæ actione.

In ſtipulatione dotis præſumpta, probationem in contrarium non admitti, contra quoſdam probatum.

Quod in *l.1.in princ.& in §.fin.C.de rei vxor. actione* dicitur, in promiſſione dotis ſtipulationem fingi, id Baldus in *l.1.§.rei vxoriæ.num.1.* ſic diſtinguit: aut interceſſit re ipſa ſtipulatio: & tunc illam ſtipulationem haberi pro vera, & non pro ficta: aut incertum eſt, an ſtipulatio interceſſerit, & tunc ſtipulationem dici præſumptam: aut certum eſt, nullam interueniſſe ſtipulationem, & hoc caſu locum eſſe dictæ *l.1.in princ.ſiue §. rei vxoriæ.& §.final.* vt ſtipulatio dicatur ficta. Hanc diſtinctionem ſequitur Ludouic.Gomeſi. poſt Iaſ. in *§. fuerat.Inſt.de act.num.23.* Ex qua, hanc vtilitatem Gomeſius oriri ait: quod ſi ficta eſt ſtipulatio, non admitti probationem in contrarium, ſecus ſi præſumpta ſit. *l.ſi duo. D.de adqu.hered. l.ſiue poſſidetis. C.de probat.gloſſ.in l.fi. D.quod met.cauſ.* Sed ego arbitror etiam in præſumpta dotis ſtipulatione, probationem in contrarium non admitti. Nam quod dicitur, contra præſumptionem admitti probationem in contrarium, id locum habet in præſumptione hominis, non autem in præſumptione iuris, & de iure, vt eſt gloſſ. *in ſpecie in l fin. D.quod met.cauſa.* quæ dicit contra præſumptionem. *d.l.prima, in princip.* probationem in contrarium non admitti, quia ſit iuris, & de iure. Quod autem Bal. in *d.l.1.§.rei.de rei vxoriæ actione.* non de præſumptione hominis, ſed de præſumptione iuris, & de iure intelligendus ſit: id ipſemet illic declarat: quod fortaſſis Gomeſi. non animaduertit. Plura vide apud Bernardinum Vualtherum.

Ad l.14.C.de iure dotium.

Quando de ſuis & maternis bonis dixit pater ſe dotare filiam, vt ſi inops ſit, ex bonis maternis dos ſumatur, hoc mariti gratia inductum eſt: nam hic filiæ non habetur reſpectus, cuius intereſſet dimidiam potius, quam totam dotem de bonis ſuis dari: quia quominus dotis haberet tanto plus ſibi patrimonij retineret, quod Accurſius malè intellexit, cum iis qui hoc ſecundum membrum Iuſtinianæ conſtitutionis putarent eſſe ſuperfluum: quia alias iure communi pater, nunquam de dote conuenitur, niſi inquantum poteſt facere, reſpondet hoc nouum ex hac lege conſtitui, quod & ſi ipſe poſtea effectus fuerit ſoluendo, non tamen tenebitur iſtius dotis nomine, pro qua parte ſoluta non eſt, ad id fruſtra dicitur: cùm ſtatim maritus poſſidet dotem integram de bonis maternis exigere.

NOTARVM AD GLOSSAS ET INTERPRETATIONES DOctorum in Codicem liber ſextus libro ſexto Codicis reſpondens.

Ad l.dos à patre.C.ſoluto matrimonio.

ILlud nullomodo approbare poſſum, quod in hac lege Accurſius ſubſignificat, Martini vel alius eiuſdem ſeculi authoritatem tantum valere in lege interpretanda, vt contra loquendi conſuetudinem veterum iuris authorum, contra voluntatem Iuſtiniani, & rationem rectum valeat interpretatio, quod ſemper certa fuerit apud iudices, qui ex commentariis tantum ſapiunt, ſed à qua interpretatione recedant, quibus eadem authoritas data eſt, quæ Martino Accurſio Bartolo, ſuo cuique tempore, nimirum nudum

miniſterium, leges tradendi diſcentibus, & ex legibus reſpondendi, non autem præiudicatas opiniones nobis relinquendi, quas contra legum latoris certam voluntatem ſequi oporteat. *argum. legis prima.C.de legibus.*

Ad l.finalem. C.de carboniano edicto.

Ridiculam eſſe phantaſiam Butrig.& aliorum omnium ferè, exiſtimantium minus iuſtos eſſe ſimiles marito filios.

Filius nono menſe natus, an primi vel ſecundi mariti præſumatur.

In *l.Gallus.* Bartolus & alij quærunt: Si mulier ſtatim poſt mortem primi viri ſecundo nubat, & nono vel decimo menſe pariat, cuius filius præſumatur. in qua quæſtione tot feruntur ſententiæ, quot capita. Sunt inter cæteros qui putent, non negligenter ſpectandum eſſe cui ſimilis ſit filius, vt eius iudicetur, cuius imaginem & lineamenta refert. *l. quod ſi nolit.§.qui mancipia. D.de adil.edict.* Quam opinionem Bart. & alij crebro rident: cùm enim ex cogitatione figurati partus edantur, ſæpe contingit naſci, filios verò patri diſſimiles. *Accur.in l.non ſunt liberi. D.de ſtat.homin.& in l.quæret aliquis. D.de verb.ſign.* Quo fit vt cum adultera aduentum viri metuens, de marito ſemper cogitet, ex adultero filios pariat patri tam ſimiles, vt non lac magis lacti ſimile, (vt Plautus in Amphitrione dicebat) videri poſſit: quod & Butrigar.in *l.fi.Cod. de carbon. edict.* didiciſſe ab amico quodam ſuo refert. Illud certum eſt, ſub conceptum oblato, vt Empedocles dicebat, informari infantem. Vnde mulieres ſimulacra ſepiuſculè ſtatuáſque in delicijs habuiſſe, ſimiléſque iis partus enixas. Nec deſunt in eam rem exempla, ex bonis authoribus. Nam Hieronymus in Geneſim, Hippocratem ſummum illum medicum, & aliorum omnium facilè principem, ſcriptum reliquiſſe tradit: ſuſpicione adulterij mulierem liberatam, quæ pulcherrimum infantem pepererat, vtrique ſtirpi & paternæ & maternæ diſſimilem; quod è regione cubilis non abſimilis effigies depicta eſſet: Extat item declamatio Quintiliani qua adulterij accuſatam, quod Ætiopem peperiſſet, validiſſimè defendit, probato Ætiopis ſimulachro. Vulgata eſt item Iacobi aſtutia, Geneſ. 30. is virgas varij coloris effictas in canalibus poſuit, vt cum venirent greges ad bibendum, in aſpectu earum conciperent: factúmque eſt, vt in ipſo calore coitus, oues intuerentur virgas, & parerent maculoſa, varia ac diuerſo colore reſperſa. Verum ego quotidiana experientia edoctus, præſumptionem illam ex ſimilitudine, lineamentiſque paternis promanantem, meliorem multò, & certiorem quàm doctores exiſtiment, putauerim: cùm & Parmenides, aliique permulti philoſophi, & docti viri, fœtum à dextra vuluæ parte editum, patrem ſemper referre apud Plutarchum de placitis philoſophorum tradiderint. Nec veriſimile eſt quod de adultera effertur, in titillatione veneris, & voluptaria illa ſeminis per meatus emiſſione, de marito cogitare adulteram. Quamobrem ſine controuerſia opinor, homines genitali lege trahi, vt in animalibus & plantis, ſibi ſimilia gignentibus: vt non immeritò Phauorinus inſignis philoſophus apud Gel.lib.12.c.1.exiſtimauerit, ad fingendas animi & corporis ſimilitudines, naturam & vim ſeminis plurimum valere. Et cùm ſimilitudo, vt naturæ magis conſentanea, multum valeat, videmus patresfamilias, omni ſtudio curare canum atque equorum generationem ex optimis atque pulcherrimis fieri: quod Plato de republica & admiratur & ridet, quòd non idem operæ in copulandis hominibus nauant. Culpam igitur prolis abeſſe matrimonio, patris ſimilitudine aduerſus But. & alios ſuam ſententiam tam accuratè efferentes, crediderim. Quin & puto certiſſimum illud eſſe maternæ pudicitiæ teſtimonium: quod & Mart. lepidè ſignificat, cùm ait:

Eſt tibi qui patris ſignatur imagine vultum,
Teſtis materna nata pudicitia.

Et Horat. in Odis ad Auguſtum:

Culpari metuit fides:
Nullis polluitur caſta domus ſtupris:
Mos & lex maculoſum edomuit nefas.
Laudantur ſimili laude puerpera.

Et Phocillides poëta Græcus, cuius meminit Alciat. in *l. quæret. D.de verb.ſig.*

Non faciunt ſimiles ſtuprata cubilia natos.

Huc etiam quodammodo pertinere videtur Didonis querela, ſic apud Virgil. in 4. Æneid. loquentis:

Saltem ſi qua mihi de te ſuſcepta fuiſſet
Ante fugam ſoboles, ſi quis mihi paruulus aula
Luderet Æneas, qui te tantum ore referret, &c.

Hæc habui quæ dicerem aduerſus Batrig. ſententiam, quæ collegi ex Miſcellaneis obſeruationibus Ioannis Corraſij olim conſiliarij Tholoſatis. Hæc autem tranſtuli, quia ad inſtitutum meum facerent, eadem ipſius authoris verba in medium pretuli, nec immutaui.

Ad l.2.C.vnde legitimi.

Accurſiani auſi ſunt conſtitutioni *l.2.Cod.vnde legitimi.* Interpretationem addere de ſuo, quæ conſtitutionis verba eiuſmodi hodie eſſe exiſtimamus.

Impp. Diocletianus & Maximianus AA. Zenoni.

Cum propius ſobrino, id eſt, conſobrina natum, rebus humanis inteſtato defunctum proponas, inte ligi ſine auxilio bonorum poſſeſſionis eius te ſucceſſionẽ vindicare non poſſe. Alij cum propiorem ſobrinum, id eſt, natum à conſobrina ſcribunt. Accurſius addit, id eſt, in quinto gradu à conſobrina, qui reſpectu ſequentis dicitur ſobrinus propior. Quæ verba cum mihi tanto viro digna non viderentur, falſo eſſe Accurſio aſcripta exiſtimo: præſertim cum Antonius Auguſtinus teſtetur ea verba in Albornotiano lib. non eſſe, aut non ita ſcribenda eſſe, ſed vt duo illa verba, A conſobrina ex contexta, conſtitutionis irrepſerint, & Accurſianæ notæ, quæ in Fradinianis libris duæ ſunt, tres ſint.

Ad l. qui ſe patris. C. vnde liberi contra Iaſonem.

In ſucceſſionibus, an Moſis lex ſeruanda ſit, & quia inter Iudæos.

Moſi referendi cauſam filiam Salphaad, ad iudicium Domini vt ad parentum ſucceſſionem admitterentur, ſic à Domino reſponſum legimus: [Homo cùm mortuus fuerit abſq; filiis, ad filias eius tranſibit hereditas. Si filiam non habuerit, habebit ſucceſſores, fratres ſuos: quod ſi fratres non habuerit dabitis hereditatem fratribus patris eius. Sin autem nec patruos habuerit, dabitis hereditatem his, qui proximi ſunt, eritq. hoc filiis Iſrael, ſanctum lege perpetua.] Quæ verba, vt obiter admoneam, planè demonſtrant, non tam iniquas eſſe leges municipiorum, maſculis exiſtentibus, fœminas excludentes, quàm vulgò creditum eſt. Cùm hoc primum à Deo Opt. Max. ſtatutum fuerit, & fauore publico latæ ſint agnationis ſcilicet, & familiæ conſeruandæ cauſa. *leg.1 quamuis. D. de vent. inſp.* leges autem vtiles Reipub. fauorabiles eſſe, atque ideo interpretatione adiuuandas, nemo neſcit. *l. hoc modo. D. de cond. & demonſt. Bal. & aly. l. 2. Cod. de in ius voc.* qua de re alibi diximus *l.1.C.de impub.* In præſentiarum tractandum illud occurrit, an in ſucceſſionibus præſcripta diuinæ legis formula vti nos oporteat, proximam quamque perſonam ex eo ordine admittendo. Et extat omnium ſententia quod non: ex quo ciuilis lex aliter diſpoſuit. Ioan. Imo. *l. ſtipulatio hoc modo. col.3. D. de verb. oblig. Iaſ. l. qui ſe patris, col.5. C. vnde lib.* neque enim ligant veteris inſtrumenti præcepta niſi quatenus recentioribus legibus confirmata reperiuntur. *c. ſi. §. his ita. 6. diſtin.* Sed nos exercendi ingenij gratia contrarium quandoque defendimus. Illa enim non hominis, ſed Dei lex eſt, quæ per hominem violari non poteſt, *c. cum inferior. de maior. & obed.* ſuprema etiam dignitate, imperatorea puta, aut Papali refulgentem. *cle. ne Roma. de elect. c. non licet. 10. diſt.* neque in præſentiarum repugnat, quòd antiquæ legis Dei præcepta non obſtringant, niſi nouè probata legantur. *d. ca. fin. §. his ita.* hoc enim in myſticis præceptis obtinet. *gl. d. §. his ita.* in quibus, magis literam ipſam, & præcipientis autoritatẽ ſpectamus, quàm quod rationem aliquam habeant. Pau. *c. ſi. col. 2. de conſuet.* Cuiuſmodi ſunt cærimonialia, quæ nulla ratione, litera præcipuè ſpectata, adiuuarẽ poſſunt: quale illud. [Non arabis in boue, & aſino ſimul, & non indues veſtimentum, lana linóque contextum.] Deut. 22. c. cum cauſam, de electio. Sacramentalia præterea, quorum ad literam ratio reddi poterat, veluti, præcepta Circumciſionis. Geneſ. 17. Ceſſationis ab ingreſſu templi, poſt partum. Leuit. 12. c. 1. 5. diſt. & obſeruationis ſabbati, Exod. 20. Hæc enim omnia myſtica præcepta, id eſt, figuralia, per aduentum Chriſti ceſſauerunt, quod tunc veritas illuxerit Euangelij. Quare conueniens fuit, vt vmbra legis pariter tranſlatio fieret. *c. tranſlato, de conſt.* At his myſticis præceptis, lex Dei de ſucceſſionibus loquens, Num. xxvij. Myſticis annumeranda non eſt, ſed magis moralibus, quæ mutabilitatem nullam receperunt. *d. §. his ita.* Quæ ſententia noſtra, data etiam communis opinionis veritate, haud dubie inter Iudæos obtinet: apud quos à Moſis lege, ne tranſuerſum quidem vnguem diſcendentes, veterem illam ſucceſſionis legem, ſeruandam eſſe omnes ad vnum docent. Idque fuiſſe in hereditate triginta millium ducatorum cuiuſdam Iudæi iudicatum, Floria. alibi refert, *in leg. 3. Cod. de liberis præterit.* licet enim in his, quæ ordinem litis reſpiciunt, Iudæos Romano iure viuere oporteat *l. Iudæi. C. de iud.* cùm tunc non contrahentium qualitas, ſed locus iudicij ſpectetur. *l. 3. §. fin. D. de teſtibus.* ob id quòd abſurdum nimis eſſet, iudicem cogi ex noua litigatorum qualitate, morem, ritum, & ſtylum fori ſui mutare: B r. *& aly l.1. C. de ſum. Trin.* in iis tamen, quæ ſpectant ad litis deciſionem. Moyſis lex inter Iudęos ſeruanda erit. *leg. Iudæos. C. de iud.* Propria quippe, & ſpecialis eſt Iudęorum lex illa, vnde magis quàm generalis attendenda, ſicuti de ſtatutis ſpecialibus, & generalibus, Bart. & cæteri ſcribunt. *leg. omnes populi. D. de iuſtit. & iur.* Ergo inter Iudæos à filiis maſculis fœminæ excludentur. *Cal. conſ. x. tit. de conſtit. & conſ. xxx. tit. de teſta. Fel. c. 1. col. 6. de conſt.* licet ius ciuile repugnet. *d. l. 3. C. de lib. præter. Auth. in ſucceſſione. C. de ſuis & legit.* Quæ tamen ita recepi volumus, ſi cauſa inter ſolos Iudæos tractetur. Secus ſi inter Chriſtianum, & Iudæum: tũc enim Chriſtianus dignior, ad ſe Iudæum pertrahens efficeret, vt iure communi Romanorũ decideretur negotiũ. *l. 2. C. com. de leg. l. præcepimus. § fin. C. de appel. c. quod in dubiis, de conſecr. eccleſ.* Sic enim dicimus, vbi eſt commune negotium clerico, & laico, coram eccleſiaſtico iudice cauſam eſſe ventilandam. *Bar. l ſolent. D. de alim. & cib. leg. & in d. l. præcepimus. § eo autem obſeruando. Pleniſſimè Iaſ. l. ſi emancipati. C. de colla.* Rurſus procedit, quod diximus, niſi caſus eſſet iure communi expreſſus in perſonis Iudæorũ. *d. l. Iudæi. Cald. conſil. xxx. generaliter docens,* vbi lex ciuilis expreſſè non derogat, Moſis legem ſeruandam: at in iis, quæ nominatim prohibita reperiuntur, vt ne diuortium faciant, ne ſororem ducant vxorem, iuri ciuili ſtandum. *leg. nemo. Iudæorum. C. de iud. vbi Acc.* Ex iis autem non valde obſcurum arbitror diffinire, quod Andr. Tiraq. magnus vtique vir, & quem omnis iure miretur poſteritas à ſe quæſitum aliquando refert, in *l. ſi vnquam in vltimis verbis. C. de reu. don.* an, ſcilicet, eius legis diſpoſitio inter Iudæos obtineret: quæ magna fuit quandoque capentoracti controuerſia, cum Iudæus quiſpiam liberos non habens, precioſa quædam alteri donaſſet, iſque poſtea filios ſuſcepiſſet. Sed fuit aliquãdo quæſtionis, quid ſit caſus controuerſus, nec à noſis, nec à ciuili lege, expreſſim deciſus ſit: veluti, ſi Iudæus vxorem dominam miſſariam, & vſufructuariam, reliquerit. Et tunc cum caſus omiſſus, iuris communis interpretationem ſubeat. *l. commodiſſimè. D. de lib. & poſth. l. ſi cum dotem. D. ſolut. matr.* dicendũ, inter Iudæos quoque vulgari ſententiæ ſtandum, vt filiis inſtitutis, vxor dũtaxat habeat alimenta. Acc. in Auth. hoc locum. *Cod. ſi ſecund. nup. mul. Paul. Piſch. in ſpecie. in l. T i ia cum teſtamento. §. Titia cum nuberet. 53. col. 20. q. D. de leg. 2.* Neque putandum eſt, hunc caſum in perſonam Iudæorum euenire non poſſe, quod ſi fœnus palam exercentes, teſtari prohibiti videantur. *c. quanquã. de vſurp. in 6.* Etenim conſtitutionem illam Iudæos non comprehendere, permultis, & iis quidem acutis rationibus, probat Franc. Aret. *conſ.* 157, copioſè & ſubtiliter. Plura vide apud Corraſium.

Ad l. licet. C. de iure deliberandi.

Iure adeundi xxx. annis præſcribi, contra vtrúmque Salycetum. Et nouo ſenſu illuſtrata l. licet. C. de iur. de lib. contra Doctorum opinionem.

Receptiſſima interpretum ſententia eſt, iuri adeundi, quod eſt extraneorum, præſcribi xx. annis, Accurſius *l. 3. De acq. hered.* tum quod perſonale ſit, & omnia iura perſonalia, tanto tempore tollantur *l. omnes, & l. ſicut. Cod. de præſcriptione xxx. ann.* tum quod ius adeundi, & ex aditione quæſitum, ſit tanquam habitus, & actus: nã ius adeundi conſideratur vt habitus, & po-

& potentia, quæ deducitur ad actum, per aditionem. Atqui ius ipſum ex aditione quæſitum, eo ſpatio xxx. annorum tolleretur. *d.l.omnes, & d.l.ſicut.* ergo ius adeundi. cum infirmiora ſint, quæ in potentia quàm quæ in actu exiſtunt. *l. in bello. §. ſi quis ſeruum D. de capt.* huicque ſententiæ, dicunt Doct. apertiſſimè ſuffragari. *l.licet. C.de iur.delib.* vbi Accurſ. vterque verò Salyc. contendit nullo tempore quantumuis longiſſimo, etiam mille annorum, ius adeundi hereditatem tolli: cùm non ſit in bonis noſtris, ſed dum quædam facultas cenſeatur *l. preſta rerum. verſ. ſed nec heredem. C.ad l.Fal.* Quæ autem facultatis ſunt, nullo tempore præſcribuntur. *l.viam. D. de via public.* & quoniam nemo eſt, qui alterius poſſideat animam, in quo ſolo aditio cõſiſtit. *l.ſi auia. & l.potuit. Cod.de iur.de lib. §.fin.de her.quale.* Sine poſſeſſione verò præſcriptio nulla procedit. *l.3. D.de vſucap. ſine poſſeſſione. de reg.iur.in 6.* Denique quia abſurdum ſequi poſſet, eandem videlicet perſonam, & præſcribentis, & eius contra quem præſcriberetur, vice fungi. *l. 2. D. de ſtip.ſeruo.cap.ſi.de inſtit.* Si, puta, heres ſcriptus eſſet, qui alioqui ex inteſtato ſucceſſurus erat, & quem ad inteſtati ſucceſſionem venire non poſſe, quoad ex teſtamẽto adiri poteſt hereditas, certum eſt. *l.quandiu. D.de adquirenda her.* Cùmque ex prædictis communis ſententiæ rationes ſublatæ ſint, ad *d.l. licet.* vterque Salyc. reſpondeat, vt non de iuris immiſcendi adeundive, ſed petitionis hereditatis præſcriptione loquatur. In eam rem, verba illa, [Hanc recte vendicent,] expendentes. Etenim pronomen [Hanc] relationem facit, & demonſtrationem ad aliquid, nempe ad hereditatem, de qua paulò ante Imperator verba fecerat: non etiam ad ius adeundi, vel immiſcendi, de quo nullum antea verbum. Præterea non dicit textus,]Adeat,]vel [Immiſceant,]ſed[vendicent:]vt petitionem hereditatis deſignet, qua hereditas vendicatur. & quæ, tametſi præſtationes quaſdã perſonales habeat, in rem eſt. *l. ſed & ſi lege. §. petitio. D.de pet.hered.* Mihi hæc Salycetorum opinio quamuis arguta, non tam placet, quam communis: quam ego ſpiranti, & viua ratione quandoque ſuaſi, quia ſiue dicamus ius adeundi, ius eſſe ſiue facultatem: præſcribi tamen longiſſimo tempore negari non poteſt: cùm ſit quid perſonale, *d.l.omnes. & d.l ſicut.* Quamuis ingenuè confitemur, minore tempore, decem puta, aut viginti annos, non vſucapi: cùm huiuſmodi iura præſcribens non acquirat poſſeſſionem, vel quaſi, ſed innitatur tamen negligentiæ non petentis. *l. aut prætor. §. item ei. D. ex quibus cauſ.maio. Accur. in l. regulariter. D. de pet.her.*. Nec nos mouerint obiecta, & imprimis quod ceruicoſi Saly. contendebant, ius adeundi facultatem eſſe duntaxat, non etiam ius: nã hoc falſum eſt *l.mater.* vbi Caſt. & alij de inſtit. Præterea quod dicitur, impræſcriptibilia eſſe quæ facultatis exiſtunt, publicæ vtilitatis fauore procedit. Et ita in iis quæ publicæ facultatis ſunt, vt in via publica. *d.l.viam. vbi Acc. D.de via pub.* Nam quæ ſunt priuatæ facultatis, præſcriptione tolli poſſunt. *l.ſi quiſquam D.de diuer. & temp.præſcript. l. in bello. §. ſi quis ſeruum D.de capt.* Non item obſtat, quod ius adeundi in animo conſiſtat, qui non poſſidetur: & ideo præſcriptio locum non habet, ceſſante poſſeſſione. nam reſpondeo nos hic propriè non agere de præſcriptione, ſed de extinctione iuris adeundi, per non vſum longiſſimi temporis: quam etiam lata ſignificatione præſcriptionem dicimus inductam ex ſola negligentia non petentis, aut non vtentis iure ſibi competenti Bartolus in *leg.fin. D.de eo per quem fac.er. & in leg. fin. Cod.de edic.di.Adr.* nam et in corporalibus, quæ non propriè poſſidentur, *l.3. D.de adquirenda poſſeſſione. Accurſ. l. regulariter. D.de petit.hered.* ſatis eſt, argui eius negligentiam, qui ius ſibi competens exercere negligit. *l.ſequitur. §. ſi viam. D. de vſucapion. l.1. & 2. Cod. de ſer. & aqu. l. corruptione. Cod. de vſufr.* Vnde nec obſtat, quod abſurdum putabant, actionem, & paſſionem in eodem ſubiecto concurrere nempè eundem eſſe qui vſucapit, & contra quem præſcribitur: nam hęc, vt modò diximus, non tam præſcriptio, quàm extinctio iuris adeundi, dici debet. Intellectus verò vtriuſque Saly., parum conuenit tit. de iur. delib. ſub quo ea conſtitutio inſerta eſt: vnde reiiciendus. *l. Imperatores. D. de in diem addic.* tum etiam, quia Imperator illic in eo vim facit; quòd ſui ſe non immiſcuerint, quibus ideo non poterat hereditatis petitio competere: quæ heredi quæ iam adiuit, proculdubio datur. Quare otioſè tractaretur ibidem de petitione hereditatis, quæ nondum competebat per præſcriptionem, aut non vſum longiſſimi temporis, excludenda: verum nec ſenſus communi, vndequáque

Notæ ad Accurſ.

tutus videtur: nam cum vult Imp. tollere, ius adeundi, ſiue immiſcendi, non præſcribi longo tempore, contra filium ignorantem: à contrario dicendum foret, aduerſus filium ſcientem delatam ſibi hereditatem tanto ſpatio præſcribi quo nihil abſurdius. Conſiderabam igitur ſi noua interpretatione poſſet reſcriptum illud declarari, vt dicamus, recenſeri illic ab Imp. duo ſingularia circa ſuos heres. Primum vt quamuis ipſo iure currat, etiam contra ignorantem longi temporis præſcriptio. *l.fin. Cod.de præſcript.long.temp.* quæ tamen poſtea, per reſtitutionem, ex generali illa clauſula, [Si qua mihi iuſta cauſa eſſe videbitur]eludi poteſt. Bart. *l.1. §. ſi quis autem. D. de itine. actúque priu. Alex.plenè conſil.4. col.8. vol.2.* contra tamen filiũ ſuum, nec quidem ipſo iure procedat ea præſcriptio *d. l. licet.* ea, vt opinior, ratione, quod ſui heredes, ad bona penè propria venire intelligantur *l.in ſuis. D.de liberis & poſthumis. l.cum ratio. D.de portion.quæ lib.damnat.conced.* Alterum, vt quamuis in ſuis iacens hæreditas non conſideretur. Acc.*leg.cum hereditas. C. depoſi.* cum non ſit dare medium inter mortem defuncti, & ſui heredis exiſtentiam. *l. Iulianus noſter. D. de cond. & de.* Etenim ſimulatque exhalat quis animam, ſuus efficitur heres, Bal. *l.ſi fratris. C. de iure delib.* Hoc tamen recipiendum ſit, quoties de commodis ſuorum heredum agitur, in quorum gratiam ne hereditas iacere dicatur, conſtitutum cenſeri debet non etiam in eorum odium. *l.d.l.licet.* in qua hereditas ideò cẽſetur iacere, ne contra eam procedat pręſcriptio. *leg.coeptam. D. de vſucap. & l.en quæ. C. de temp.in int.reſt.pet.*

Ad l.finalem. Cod. de teſtamento militis.

Quid ſit apud Iuſtinianum Tribunatus Numerorum quid Accurſius ignorauit.

Quamuis minoribus ruſticis, & mulieribus, in quibus tamen iuris ignorantia toleratur. *l.1. §. fi. D. de edend. l. regula. §.1. D. de iur. & fact. ignor.* non remittatur propter imperitiam ſolennis teſtamentorum obſeruatio: quoniam peritiores conſulere poſſunt. *l.2. §. fi. D. quis ordo in bon poſſ.ſer.* Militibus tamen, qui ſunt in expeditione, conceſſum eſt, vt quoquomodo teſtentur rata ſit eorum voluntas. *l.1. D. de milit. teſtam. l. milites. §. fin. & l.pen. Cod. eod. tit.* idque propter rerum ciuilium imperitiam, & quoniam in expeditionibus occupati, prudentiores conſulendi, non habent poteſtatem. *§.1. de milit.teſtam.* Adiicitque Iuſtinianus, veteres quondam impuberibus permiſiſſe teſtamenti factionem, ſi Tribunatum numerorum mererentur, *l.fi. C. de teſt.mil.* At quis ſit ille tribunatus, curque eius muneris pupillus capax ſit, Doctos viros, eoſdémque diligentes rerum æſtimatores, fluctuare quandoque vidi. Ego verò rem non valde obſcuram arbitror, ſi præcognouerimus, Tribuni nomen honoris, non officij fuiſſe: Quod & Liu. ſub finem 7 lib. Decad.1. ſatis demonſtrat. [Lex quoque, inquit, ſacrata militaris lata eſt, ne cuius militis ſcripti nomen, niſi ipſo volente, deleretur, additúmque legi, ne quis, vbi tribunus militum fuiſſet, poſtea ordinum ductor eſſet.] Pupillus autem cuiuſcumque dignitatis, quæ offitium & adminiſtrationem non habet, capax eſt. *l.vn. C.de mune.non con.lib.*10. vnde & Rex coronari poteſt Bart. in *d.l. vn.* dum interim, ab vniuerſa rerum adminiſtratione abſtineat patiatúrque omnia per tutores adminiſtrari. *cap. grandi. de ſupp.negl.prælat. Old.conſ.52.* Numeros verò in re militari, aut etiam numerum (nam & hoc verbo ſingulariter vſum Vlpian. comperio *l.filius familiæ. §. veterani. D. de procur.*) pro militum ordine, & ſocietate, quam Gallico ſermone Bandam & componiam, vulgo dicimus: à bonis quoque authoribus vſurpari, iam diu compertum habeo. Atque arbitror minimè obſcurum cognoſcere quid ſit apud Vlpianum in numeros referri. *l.ex eo. D.de milit.teſtam.* [Ex eo tempore, inquit, quis iure militari incipit poſſe teſtari, ex quo in numeros relatus eſt, ante non. Proinde, qui nondum in numeris ſunt licet etiam electi Tirones ſint & publicis expenſis iter faciant, nondum tamen milites ſunt: debent enim in numeros referri.]& alibi, [Si quis militum ex alio numero tranſlatus ſit in alium, quamuis & hinc exemptus ſit, & illo nondum peruenerit: tamen poterit iure militari teſtari. Eſt enim miles, quamuis in numeris non ſit. *l.vnic. in fine, D. de bonor. poſſ. ex teſtam. milit.* Hactenus ille, qui ſuis verbis vtique ſatis

demonſtrat milites nondum relatos in numerum dici, cum delecti quidem ſunt nec dum tamen in ſuos ordines peruenerunt. nam & per contrarium, milites in numeris manere dixit, qui in ſuis conſiſtunt ordinibus. *l. iure militari. D. de teſt. milit.* neque verò ignoro, in militari diſciplina, eos milites quoque qui in legionibus non ſunt, proprium tamen ducem agnoſcunt, ſignaque ſua, & vexilla habent, ad quæ ſe recipiant, numeros quandoque dici, diuerſos tamen ab iis, quos extraordinarios appellamus. Erant ſiquidem extraordinarij milites, qui extraordinem adiiciebantur, vt Cornicines, Tibicines, & alij id genus.

Ad l. 1. Cod. qui admittantur ad bonorum poſſeſſionem.

In petenda bonorum poſſeſſione hodie decreto opus non eſſe: communis Doctorum opinio aduerſus Neotericos defenſa: & de intellectu l. 1. C. qui admit. ad bonorum poſſeſſio. l. fin. §. nos itaque. C. de curat. fur.

Imper. Conſtantini conſtitutio talis extat. Vt verborum inanium excludimus captiones: ita hoc obſeruari decernimus, vt apud quemlibet iudicem, vel etiam apud duumviros, qualiscunque teſtatio amplectendæ hereditatis oſtendatur ſtatutis priſco iure temporibus coarctanda, &c. *l. fin. C. qui admit. ad bonor. poſſeſſ.* Ex qua conſtitutione, iuris noſtri interpretes colligunt, in adipiſcendâ bonorum poſſeſſione, hodie non ſolum nullam petitionem, ſed ne decretum quidem vllum requiri. Quæ opinio inde etiam confirmatur, quod *in l. fi. §. nos itaque. C. de curat. fur.* traditur, bonorum poſſeſſionem olim ante Conſtantini conſtitutionem ex decreto datam eſſe: quaſi hodie ex decreto amplius non detur. Sed hæc ſententia Andreæ Alciat. lib. 2. paradox. cap. 13. non placet. Nam etſi in *d. l. fin. C. qui admit. ad bonor. poſſeſſ. poſ.* traditum ſit, antiquam formulam petendæ bonorum poſſeſſionis ſublatam, eiúſque loco ſimplicem teſtationem introductam eſſe: Non tamen inde ſequitur, quod decreti quoq. interpoſitio ſublata ſit. Tum quia in correctoriis, extenſio fieri non debet. *leg. præcipimus, in fin. C. de appellat.* Tum quia ratio legis: vt inanes captiones excludantur ad decretum referri non poteſt: Non enim decretum inanis captio eſt. Verùm vt conceſſerim Andreæ Alciat, ſupraſcriptam Doctorum opinionem, *ex d. l. fin.* iuxta ipſorum inductionem non probari: Tamen ſi verba legis penitus inſpiciantur, opinio illorum aliter inde colligitur. Dicitur enim in *d. l. fin.* agnitionem etiam apud duumuiros fieri poſſe: iam verò conſtat duumuiros, authoritatem decreti interponendi non habere. *l. 4. §. 1. verſ. quod cauſa cognita. ff. de dam. infect.* Ex quo manifeſte apparet, decretum in agnoſcenda bonorum poſſeſſione, non requiri. Quod autem ad *d. l. fin. §. nos itaque* attinet, negat And. Alciat. communem Doctorum ſententiam inde iuuari: Quamuis enim ea in lege dicatur, bon. poſſeſſ. olim ex decreto datam eſſe, non tamen inde ſequitur, hodie ex decreto non dari. Nam à legiſlatore id enarratum veriſimile eſt: Quoniam cùm ipſe agnoſcendi licentiam curatori præſtiterit, nón ex iure prætorio videbatur amplius illam bonorum poſſeſſionem eſſe, ſed ex iure ciuili: Quamobrem vt hanc ambiguitatem e medio tolleret, eandem eſſe dixit, quæ antea ex decreto dabatur: & ideò prætoriam. Ego quidem hanc Andreæ Alciat ſolutionem non per omnia reiicio: Arbitror tamē communem Doctorum opinionem, ex prædicta *l. fin. §. nos itaque.* alio modo colligi poſſe. Cum enim illic dicatur, petitionem bonorum poſſeſſionis ſublatam eſſe: Neceſſariò conſequens eſt, vt decretum quoque ſublatum ſit. Neque enim iudex decreti interponendi facultatem habet, niſi à patre id petatur, *d. leg. 4. §. in iudicio. ff. de dam. infect.* Vbi ergo petitio ſublata eſt, ibi & decretum ſublatum eſſe neceſſe eſt.

Cur filius familias ex contractu obligetur, non autem ex agnitione bonorum poſſeſſionis, contra Doctores diſputatum.

Non valet bonorum poſſeſſionis agnitio à filiofamiliás facta, niſi pater eam ratam habeat. *leg. 1. C. qui admitti. ad bonorum poſſ. poſ.* Sed cum filius familiás ex contractu, etiam diſſentiente patre, obliget[illegible] *tam ex contractibus. ff. de iudic. leg. filius familias. D. de aſt. obligat.* Quæſitum eſt, cur non idem in agnitione bonorum poſſeſſionis conſtitutum ſit. Et Doctores quidem, in *d. l. 1.* rationes aliquot adducunt, quas Andreas Alciat. *lib. 4. paradox. cap. 2.* confutat: Ipſeque aliam rationem in medium adfert. Ego quoque aliam & quidem hanc adducerem rationem: Quod filius ſine conſenſu patris in iudicio ſtare nō poteſt, *l. fi. §. neceſſitate. C. de bonis quæ liberis.* Et quoniam agnitio bonorum poſſeſſionis in iudicio facienda eſt, *l. fin. Cod. qui admitti. ad bonor. poſſeſſ. poſ.* non poterit filius ſine conſenſu patris agnoſcere. Quæ ratio in contractibus ceſſat: quippe qui extra iudicium iniri poſſunt. Plura vide apud Bernardinum Vualterum.

Ad l. hac conſultiſſima. C. de teſtamentis.

De intellectu §. ex imperfecto, in l. hac conſultiſſima. C. de teſt. & auth. quod ſine. C. eod. tit. contra Gloſſatores.

Imp. Theodoſ. & Valentinianus in *l. ex hac conſultiſſima. §. ex imperfecto. Cod. de teſtam.* Ex imperfecto autem inquiunt teſtamento voluntatem teneri defuncti, niſi inter ſolos liberos à parentibus vtriuſque ſexus habeatur, non volumus. Si vero in huiuſmodi voluntate liberis alia ſit extranea mixta perſona certum eſt, eam voluntatem defuncti, quantum ad illam duntaxat permixtam perſonam pro nullo haberi, ſed liberis accreſcere. Sed huic conſtitutioni obſtat, quod in Auth. *quod ſine. C. eod. tit.* dicitur, parentes in teſtamento imperfecto, inter liberos cōdito, etiam aliis legata, fideicommiſſa, & libertates relinquere poſſe. Reſpondet Bartol. in *d. §. ex imperfecto.* quoſdam dicere dictum *§. ex imperfecto.* omnino corrigi per *d. Auth. quod ſine.* Gloſſatores autem arbitrari, quando teſtamentum ſine ſcriptis fit, nihil mutari per *d. Authent. quod ſine.* Sin autem in ſcriptis teſtamentum fiat: tunc mutari in duobus, quia requiritur teſtatoris ſubſcriptio, & poteſt legari extraneis. Verum Alexand. in *d. Authen. quod ſine.* poſt Sal. & Fulg. huic reſponſioni obiicit, non videri dictum: *§. ex imperfecto.* in teſtamento imperfecto nuncupatiuo, locum habere: Primò quia conſtitutio *l. hac conſultiſſima*, ab initio vſque ad *§. per nūcupationem*, de teſtamentis in ſcriptis tractat: non ergo dictum *§. ex imperfecto* qui procedit dictum *§. per nuncupationem.* de teſtamento nuncupatiuo intelligi poſſe. Secundo, ſi teſtamentum imperfectum inter liberos in ſcriptis conditum non valet ſine ſubſcriptione teſtatoris *dicta Authent. quod ſine.* abſurdum eſſet, teſtamentum nuncupatiuum, (quod ſine aliqua ſubſcriptione fit) valere. Tertiam ergo rationem addiderim. Nempe quod in correctoriis appellatione teſtamenti, ſubintelligitur ſcriptum, & non nuncupatiuum, *leg. quæ nuper. vbi hoc not. Iaſ. Cod. de inoffic. teſtam.* Ergo quod in dicto *§. ex imperfecto.* de teſtamento dicitur, ad teſtamentum nuncupatiuum referendum non eſt: Sed ſi hæc ita ſunt, quomodo ſupraſcriptam antinomiam diſſoluemus? Ego alias putaui, verbum MIXTA in *d. §. ex imperfecto.* non de legatis, & fideicommiſſis intelligendum eſſe, ſed de heredis inſtitutione: vt ſenſus ſit dicti *§. ex imperfecto.* Si extranea perſona liberis ſit admixta, hoc eſt, Si cum liberis heres inſtituta ſit: inſtitutionem, quoad extranei perſonam non valere: ſed legata & fideicommiſſa extraneis relicta, non ideò inualida eſſe, quæ iuxta dict. authent. quod ſine. Verùm hæc quoque ſolutio dubia eſt. Nam clauſula in dicto *§. ex imperfecto.* de extraneis perſonis admixtis, non ſolū ad heredis inſtitutionem, ſed etiam ad legatum referri poteſt, *arg. l. ſi mulieri. D. de vſufruct. accreſcend.* his verbis: Sed Pomponius quærit: Quid ſi mixti fuerint liberi, & extranei heredes? & ait filios legatarios eſſe intelligendos, &c. Putarim igitur alia ſolutione opus fore: illa nimirum, quæ ſequitur. Aut loquitur de teſtamento nuncupatiuo imperfecto. Et eiuſmodi teſtamento non ſolum extraneis nihil relinqui poteſt, ſed nec inter liberos id validum erit, vt ſuprà, contra Bartolum à me dictum eſt. Aut loquimur de teſtamento imperfecto in ſcriptis condito. Et tunc ex Bartoli ſententia putarim inter ius Codicis, & ius Authenticorum, diſtinguendum eſſe. Nam iure Cod. teſtamenta inſcriptis, ſine ſolennitate condita (dummodo conſtet de voluntate teſtatoris) inter liberos valent: ſed extraneis perſonis in his, nihil relinqui poteſt. *d. §. ex imperfecto.* At iure Auth. introductū eſt, vt teſtamēta imperfecta inter liberos, certa ſolennitate confici debeant: nēpe vt parens lite-

tras

tas doctus, manu propria, non ſignis, ſed literarum conſequentia declarèt, & tempus & liberorum nomina, item vnciarum numerum, ſeu ſigna rerũ ſpecialium. *d. Authen. quod ſine.* Et in einſmodi teſtamentis, hac quaſi quaſi ſolennitate conditis, etiam extraneis perſonis, legata, & fideicommiſſa, ac libertates relinqui poſſunt: idque iure Authenticorum. vt d. Auth. *quod ſine.* Plura vide apud Bernardinum Vualtherum.

Ad l. omnium. C. de teſtamentis.

Quo modo in l. omnium. Cod. de teſtam. ſcrinium accipi debeat, aduerſus cæterorum Doctorum interpretationes.

Imperatores Honorius & Theodoſius in *leg. omnium. C. de teſtam.* ſic reſcripſerunt: Sicut ergo ſecurus erit qui actis cuiuſcunque iudicis, aut municipum, aut auribus priuatorum, mentis ſuæ poſtremum publicauit iudicium: ita nec de eius vnquam ſucceſſione tractabitur, qui nobis mediis, & toto iure (quod in noſtris eſt ſcriniis conſtitutum) teſte ſuccedit. Dubitatum eſt, quomodo ſcrinium in hac cõſtitutione accipiendum ſit. Et Saly. in *d. l. omnium.* ſcrinium pro Curia Imperiali interpretatur. Quod planè abſurdum eſt. Alij ſcrinium pro pectore Imperatoris accipiunt, vt ſit cenſus conſtitutionis, in pectore Imperatorum omne ius conſtitutum eſſe. *gloſſ. in cap. præterea. 23. diſt. in & cap. 1. de conſtit. in 7 Iaſ. in d. l. omnium.* Sed hæc quoque interpretatio à verbis conſtitutionis aliena eſt. Ego igitur ſcrinium in *d. l. omnium.* nihil aliud eſſe arbitror, quàm armarium, quo epiſtolæ, libelli, tabulæ, cæteráque Imperatorum literaria monumenta conſeruabantur. Plinius ad Troianum: Et quia, inquit, vera & emendata in ſcriniis tuis eſſe credebam Vopiſc. in Aurel. Eiuſdem Valeriani alia eſt epiſtola, quæ laudes illius continet, quam ego ex ſcriniis præfecturæ vrbanæ protuli. Lamprid. in Alex. Negotia & cauſas prius à ſcriniorum principibus, & doctiſſimis Iuriſperitis, & ſibi fidelibus, quorum primus tunc Vlpianus fuit, tractari, ordinarique atque ita referri ad ſe percepit. Idem: Nam & conſiliarius Alexandri & magiſter ſcrinij Vlpianus fuiſſe prohibetur. Idem: Nonnunquam etiam ſi ſtare per valetudinem nõ poſſent, ſederent relegentibus cuncta librariis ex iis qui ſcrinium gerebant. Sparti. in Ælio Nero. Nam cum de prouincia Ælius rediiſſet, atque orationem pulcherrimam, quæ hodie legitur, ſiue per ſe, ſiue per ſcriniorum, aut dicendi magiſtros paraſſet. Plinius in 7. Captis, inquit, apud Pharſaliam Pompeij Magni ſcriniis epiſtolarum, &c. Plura vide apud Vualterum.

Ad l. 1. C. de heredibus inſtituendis.

Imperator Titius Aurelius ſic ait: Qui deportantur ſi heredes ſcribantur, tanquam peregrini capere non poſſunt, ſed hereditas in ea cauſa eſt, in qua eſſet ſi ſcripti non fuiſſent heredes, vbi Accurſius oſtendit, quam fuerit in lingua Latina hoſpes & peregrinus, qui huic legi contrarium eſſe ait, quod ſcribit Iuſtinianus titulo de heredibus inſtituendis, ad finem abſentes & peregrinantes inſtitui poſſe heredes, quaſi peregrinum Aurelius Imperator dixerit eum, qui peregre profectus eſt. Imo vero quicunque ciues non erant, peregrini vocabantur. Vlpianus *l. ſed ſi hac de in ius vocand.* Si per pœnam deportationis ad peregrinitatem redactus ſit patronus. *l. ſed & ſi. de hered. inſt.* Solemus media dicere tempora non nocere: vt puta cuius Romanus heres viuo teſtatore factus eſt peregrinus, mox ad ciuitatem Romanam peruenit.

Ad l. precibus. C. de impuberum ſubſtitutionib.

Huius conſtitutionis verba mirum eſt quantum Accurſius & cæteri Gloſſatores violent: nam cum præciſè Imperator conſtituat differentiam, quando non ad certam ætatem ſubſtitutum eſt. Idem inquiunt ipſi, etiam ſi ad certam. Dicant quæſo, id ne eſt legem interpretari, an prorſus abrogare?

Ad titulum C. de liberis præteritis.

Malè interpretes *l. vlt. §. vlt. C. de liberis præteritis.* ſuperiori obiiciunt, & eſt ridiculum, quod Accurſius eam fingit eſſe priorem & altera, tanquam poſteriori correctam. Id enim falſum eſt, ea enim poſt conſulatum. Lampadij & Oreſtis altera verò, quæ ſuperior eſt, Decio conſule edita eſt. Idque ita eſſe ſubſcriptio teſtis eſt, hinc videre licet quo recidant, qui legum Chronologiam contemnunt.

Nota ad Accurſ.

Ad Authenticam niſi tricennale. Cod. de bonis maternis.

De directo, & vtili dominio, & verum non eſſe, quod frequenti ſermone vſurpatur, præſcriptione non quæri directum dominium.

In dominij finitione conſentiunt omnes propemodum Bartolo dicendi, Dominium ius eſſe, de corporali perfectè libereque diſponendi, niſi lege prohibeatur. Bart. in *l. ſi quis vi. §. differentia. ff. de acq. poſſ.* Qua de re ſcripſimus, in notis ad *l. naturaliter. §. nihil commune. ff. de acq. poſſ.* Hoc autem dominium partiri ſolent ita interpretes, vt aliud ſit directum, aliud vtile. Et vtile duplex. Alterum, quod opponitur, contradicit, & vtile in faciem reſiſtit directo: quale illud eſt, quod ex præſcriptione quæritur. De quo plenè Bar. & cæteri *in l. vſu. capioiſſ. de vſucap.* & in Authẽ. niſi tricennale. C. de bo. mater. Aduerſatur enim ita directè, vt ſi directus dominus agat, præſcriptione exceptionis repellatur *l. ſi quis emptionis. C. de præſcript. xxx. anno.* Alterum, quod directum recognoſcit, quale illud eſt, quòd emphyteuta, ſuperficiarius, & ſi qui ſimiles ſunt, habent. *l. 1. §. fi. ff. ſi ag. vectig. lege. 1. §. quod autem. ff. de ſuperficiebus. l. poſſeſſores. C. de fund. patrim. l. xj. & l. ſi quis ex titulo. C. de diuerſ. præd. templ. & ciuit. lib. xj.* Nec defuerunt veteres, qui hanc dominij diuiſionem negarent, vnicum tantum dominium eſſe concedentes: quos refert, improbátque Bar. *in d. §. differentia,* nec nos ſequimur. Quamuis enim verum ſit, verba hæc, directum, & vtile dominium, apud Iuriſconſultos nuſquam legi; traditionis tamen familiaris gratia, hoc loquendi modo vti non recuſabo: cum enim duplex eſſe dominium, fateri cogamur, & ego nunc retineam, in hæc verba, directum & vtile dominium, directæ, & vtilis actionis exemplo, facillimè concedam: aliquando tamen placuit, Iuriſconſultorum verbis propius inhærendo, dominium, quod vtile vocamus. Vlpiani exemplo, qui ſimile ius ſeruitutis & poſſeſſionis, quaſi ſeruitutem & quaſi poſſeſſionem dixit. *l. ſi quis diuturno. D. ſi ſer. vend. l. 1. §. fin. D. de aqua plu. arcen.* quaſi dominium dicere. nam propriè & ſignificanter dominium dici non poteſt. *l. 1. § fi. D. ſi ag. vect.* Sed ad rem emphyteuta dominus eſt. *d. l. poſſeſſores.* Vnde & ſeruos adſcriptitios manumittit, quod ſolis dominis conceditur, *l. ſi quis ex titulo.* Concedens autem rem in emphyteuſim, dominus permanet. *l. 1. & 2. C. de iure emphy.* Igitur duo dominia ſunt: cum idem dominium apud duos eſſe non poſſit. *l. ſi vt certo. § ſi duob. D. commod. l. pe. §. pater peculij. D. de caſtrenſ. pecul.* Eodémque ratiocinandi modo vti poſſumus in cliente, ſeu vaſſallo, & domino cum vterque dominium habeat. *c. j. § res autem. & §. quid ergo. de inueſtit. de re alie. fac. in feud.* Deinde cum dicant Iuriſconſulti, directam, & vtilem ſeruitutem. *l. ſi diuturno. D. ſi ſer. vend. l. 1. §. fi. D. de aqua plu. arcen.* Et actionem directam, vtilemque in rem. *l. 1. §. fin. D. ſi ag. vect. l. qui mortis. D. de don. cauſ. mort. l. 2. §. 1. ff. de ſuperfic. & leg. qua ratione. §. litera. ff. de adqui. rer. dom.* cur non pariter dominium directum, & vtile dicere poſſimus non planè video. Et vtinam tam bonam cauſam Doctores haberent, cum adfirmant, præſcriptione longi temporis vtile tantũ dominium acquiri. Eorum namque ſententia, hac in parte nulla lege, nulláque ratione defendi poteſt. Cùm enim rerum mobilium vſucapione iuſtum ſeu directum quæratur dominium. *§. 1. de vſucapionib.* Et in præſcriptione longi temporis, ea omnia concurrant, nẽpe titulus & bona fides. cur hæc à ſuperiore diſtinguenda ſit, minimè video. Nec me fugit, Andr. Alciatum virum doctiſſimum ſuffuratum ex Bald. & Aret. in *d. l. traditionib. C. de pact.* differentiæ rationem prodidiſſe. Si enim res mobiles contrectæ ſunt aduerſus domini voluntatem, affectæ vitio, ex lege Attinia non vſucapiuntur. *l. ſequitur. §. quod autem. D. de vſuc. l. poteſtatis. §. fi. D. de verb. ſig. §. furtiua. de re. diuiſ. in inſt.* Cuius legis hæc fuiſſe verba Gel. in Attic. noct. lib. refert. [Quod ſurreptum erit, eius res æterna authoritas eſto.] Quæ hoc ſignificant, res quæ in furti cauſam reciderunt, nullo tempore, quamuis longiſſimo vſu, & authoritate, id eſt, vſucapione, quæri. Si verò ex voluntate domini, res mobiles habitæ ſunt,

priuatur is iuſtiſſimè dominio,qui ſciens prudens rem vſucapi permittit.Et ideo alienare videtur.*l. alienare.D.de ver.ſign.* quæ fictio facilius in rebus mobilibus eſt aſſumenda, quarum poſſeſſio vilis eſt, & abiecta. Vnde non ita grauem iacturam,faciliorémque neglectum,lex interpretatur *leg.peregrè,in princ.& l.ſi rem. mobilem. D.de adq.poſſ.* Verum hæc ratio parui eſt apud me momenti:cùm tantum concludat,non æquè trien nio res immobiles,atque mobiles, quæri: at quin diuturniore tempore immobilium dominium acquiri poſſit, hæc ratio non demonſtrat. Quare placet mihi eorum ſententia, qui aduerſus receptam interpretum ſententiam contendunt, longi temporis præſcriptione, immobilium rerum directum etia o acquiri dominium. Hoc enim apertè, nulláque circuitione vſi Caius,& Iabol.reſponderunt,*leg. acquiritur.§.non ſolum.D.de acq.rer.dom.l.eum qui ædes.D.de vſucap.* Garr.t enim vtrobiq. Accurſ.quique eum ſequuntur eum dominium,id eſt, effectus dominij vtile népe ſignificantes exponunt. Nulla quippe iuris authoritate probatur hæc interpretatio. Quin magis exploden da eſt,ex eo quod dici vulgò ſolet,& paſſim ab Accurſ. cæteriſque in hac quæſtione inculcatum eſt, dominij verbo, non vtile,ſed directum venire.*l.1.§.qui in perpetuum.D.ſi ag.vectl.* qua ratione etiam contenderim, Vlp. reſponſo hanc noſtram opinionem confirmari, dicentis,rurſum ſecundo decretò, in poſſeſſionem,damni infecti nomine,per longum tempus dominium capere.*l.ſi finita.§.Iul.D.de damn.inf.&t.* Ergo directũ *d.§.qui in perpetuum* Adde ſi placet Imperatoris verba. [Traditionibus,& vſucapionibus,inquit, non nudis pactis dominia rerum transferuntur, Sed & apertiora ſunt quæ Iuſtin. ſub tractatu vſucapionum inſeruit: ſuam enim conſtitutionem memorans,qua cauit,mobiles res triennio: immobiles verò longi temporis poſſeſſione,id eſt,inter preſentes Decennio, inter abſentes.xx,annis vſucapi.*l.1.C.de vſuca. transfor.* adnectit hæc verba.[Ex his modis,non ſolum in Italia,ſed etiam in omni terra,quæ imperio noſtro gubern itur,dominia rerum iuſta cauſa poſſeſſionis præcedente,acquiruntur.] *§. 2. de vſuc. in Inſt.* Quib.verò.cùm Iuſtin.ad mobilium vſucapionem, & præſcriptionem immobilium ſe pariter referat, ex vtroque modo,æqualiter quoque dominium acquiri docet: protrita etiam regula nos adiuuante, Determinabilia, è determinabili,ex æquo determinari.*l.iam hoc iure. D.de vulg.leg. in teſtamento.C.de teſtam.mili.l.quamuis,vbi poſui. Cod. impub.* Huc pertinet *l.ſi.ad ſi. C.de ædil.&t.di. Adr.tol.& l.omnes.in fin. Cod.de præſcrip.30.anno.* quæ dicunt ei, qui bona fide longo tempore poſſedit,pleniſſimam ſecuritatem, etiam ſuper dominio præſtari:non præſtetur autem pleniſſima ſecuritas, ſi non directo,& pleno iure poſſeſſor dominium quæreret,*leg.fœmina.§. illud.* vbi Bartol.*Cod. de ſecundis nupt.* Fulcit quoque noſtram ſententiam nouella Iuſtiniani, qua expreſſim traditum eſt, poſſeſſorem longa detentione dominum effici. *§.ſi verò ex pectet.de nup.col.4. Authent.niſi tricennale.Cod.de bon mater.* et go directum,*d.§.qui in perpetuum.* Denique legimus in iure Pontificum rerum etiam immobilium vſucapione proprietatem acquiri.*cap.clerici.in ſi.arg.à contrario.16.q.3.* Ergo directũ dominium,cum proprietatis verbum ad vtile non referatur. *l.ſi tibi proprietas.D.de vſufr.accr.l.ſi aly.D.de vſuf.leg.* quando adeo directum ſit,quemadmodum Bald.dicebat, vt nunquam obliquetur.*Bal.l.cum res,in ſi.C.de prob.* Et alibi item Bal.non reperitur,inquit,proprietas,niſi directa in *l.2.D. de cond. inſt. d.l.ſi tibi.* Quæ verò huic ſententiæ opponuntur,nos alibi plena manu ſuſtulimus,in *l.ſeruitutes.4.col.9.cum ſeq.D.de ſeruit.* Plura vide apud Corraſium.

Ad titulum de caducis tollendis.

Notandus Accurſij error, qui exiſtimat caduca bona in bellis ciuilibus idcirco attributa fiſco, quia homines occidebantur,quod falſum eſt: nam ex Dione conſtat illam legem latam propter impendia bellorum. Nam cum Dion receníeret capita legis Papiæ ponit.primum fuiſſe caput, ſi quis extraneus heres inſtitutus fuiſſet, is priuſquam hereditatem adiret viceſimam partem fiſco impendere teneretur. Aliud caput erat, vt ſi heres inſtitutus viuente teſtatore, vel ante aditam hereditatem deceſſiſſet, fiſco bona addicerentur, & hoc à Iuſtiniano ſublatum,titulo de caducis tollendis, nemo ignorat: hinc conſtat error Accurſij.

NOTARVM AD GLOSSAS ACCVRSII ET CÆTERORVM Doctorum interpretationes,in Cod. liber ſeptimus,libro ſeptimo Cod.reſpondens.

Ad l.præſes C quomodo & quando iudex.

MAle Doctores ex hac lege annotãt & colligunt iudicem ordinariũ nõ impediri, quin ſi ſentẽtia nulla ſit,iterum iudicet. Rurſus annotant adiutorem dici actorẽ, qui tutori vel curatori ſit adiũctus. *l.ſoler.de tutel ij.* hæc omnia ex ea lege probari nõ poſſũt,ac primũ videdũ qui adiutores fuerint,quod vt intelligatur,quodnam eorum munus fuerit videndum eſt. Ad horum adiutorum munus pertinebat omnibus commonitionibus,euectionibus ſubſcribere, Præerant & ſcrinio:vnde ſcrinarij.*l.vnic.C.de muneribus,lib.12.*

Ad l. vlt. Cod.de bonis authoritate iudicis poſſidendis.

Reiicienda gloſſa Accurſij ad *l.vlt.C.de bon.auth. iud. poſſid.* vt dubitationis plena nulliúſque momenti. Dubitat enim ibi Accurſius, quid eſſet iſtud tempus à Iuſtiniano definitum,qua de re diuerſa ſtatuit,nec ſibi ipſi conſtat: nunc enim id tempus opinatur,quod in iure Dominij impetrando ſtatuitur,nũc id quod ad præſcriptionem neceſſarium eſt, quorum vtrumq. non conuenit quandoque iure dominij in pignoribus conuentionalibus,non autẽ prætoriis impetratur. Itémq; tempus præſcriptionis expectare nimis longum eſſet, cum ſecundum decretum ſoleat ſequenti anno interponi, ſed ne dubitationi amplius locus ſit notandum in antiquis Codic.illa verba(à nobis) non eſſe,ſed ſolum legi in alias perſonas poſt definitum tempus tranſtulerint. Itaque ibi ſtatutum temporis ſignificatur,non quidem à lege, ſed ab ius iudice, puta quia creditor ex primo decreto,ita miſſus eſt ab ipſo dicente in poſſeſſionẽ vt ſi debitor intra annum, vel viginti menſes non comparuerit,habet ius vendendi ea bona in quorum poſſeſſionem deſtinatus eſt:eſſe autem tempus id arbitrio prætoris ſtatuendum communi calculo cenſeri Ioannes ab Imola,& Alexander abunde teſtantur.

Ad titulum C.vti poſſidetis.

Non ad rem pertinet,quod citat Accurſius ex l. 5. vt legatorum nomine caueatur, quod de transferenda poſſeſſione apud Papinianum legitur. Qui de poſſeſſione cauſa cuſtodiæ loquitur,quæ ab hoc interdicto aliena eſt. Nec vſquam ſcriptum extat eum, qui vicit in hoc interdicto ſatiſdare debere, & eo non cauente poſſeſſionem in aduerſarium transferri.

Ad titulum Cod. quorum appellationes non recipiantur.

Ad l.ab execeutione.

Ad illa verba illius legis,ſciant procuratores, ſi vel ab executione appellantes,vel ab articulo quinquaginta librarũ exigenti animaduerſione mulctandos: malè interpretatur Acc. quid ſignificet Articulus,& dubitat illic:nam nunc ſententiam definitiuam interpretatur,nũc certũ aliquod capitulum quod fuerit ante ſententiam definitiuam pronunciatum, qua in re plurimum miror adeo defeciſſe tanti viri acumen: res enim mihi videtur clarior,quam vt in ea ſit vllus controuerſiæ locus,quoties enim iudex modum in exequendo excedit permittitur appellatio, quod ſi prouocator dicat exceſſiſſe modum,aduerſarius idipſum neget,tunc ſuper articulo lis eſt vt iudex appellationis prius cognoſcat,an de ea cauſa,appellari poſſit necne. Sicut ergo in principali quæſtione prouocatio nõ permittitur,ita nec in articulo,& hic eſt verus ſenſus quem ob vnius voculæ interpretationem malam contorſit Accur-

A

Ad l.15.C.de liberali cauſa.

Hoc reſcriptum Diocletiani quod ſic ſe habet [Nec omiſſa profeſſio probationem generis excludit , nec falſa ſimulatio veritatem minuit]perperam videtur Accurſius ad eam profeſſionem traducere,quam de liberis ſuis parentes faciebant , in cuiuſque ortu & obitu. nam ſi ſeruus liber fit,quem permiſit Dominus cenſeri : multò magis liberari debet is quem pro filio ſuo fuerit profeſſus,quia & inter acta ſi liberum ſuum appellaſſet,Latina libertate donabatur. Reiecta igitur hac Accurſij interpretatione , probabilius eſt Diocletianum loquutũ fuiſſe de ea profeſſione quam de ſe & rebus ſi is cenſendis faciebat quiſque.cenſebantur enim ſoli ciues Romani:ſed ſi quis genus ſuum ementitus irrepſerat in cenſum , non ſatis ea res valebat ad fidem ciuitatis,aut libertatis faciendam. & quoniã cenſus non ius ciuitatis confirmat , ideo nec omiſſa profeſſio probat eum,qui incenſus eſt, ſeruum : nec eum qui cum ſeruus eſſet,ſimulata libertate,liberum : quia his modis libertas nec acquiritur,nec amittitur.

Ad l.vlt.C.de pignoribus.

Hanc Conſtitutionem non bene interpretatur Accurſius, vt quamuis res cuiuſpiam nummis empta non ſit , ipſi obligata, niſi hoc conuentum ſit,aliud ſtatutum ſit in militiis , quæ iure pignoris tenentur ab iis quorum ſunt pec niæ comparatę.hoc enim falſum eſt omnino quod Accurſius hic ait.non enim hoc voluit Iuſtinianus,ſed hoc voluit,negotiatores qui omnia bona ſua pignori oppoſuerunt , ſi militias aliqui ex filijs aut cognatis emerunt,videri ſua pecunia emiſſe , & idcircò militias eſſe obligatas,vt eſſent res alię quęlibet,quas ſibi ipſis mercarentur.addit etiam in ambiguo videri illorum pecunia factã emptionem, quam ſuſpicionem duæ res, vt opinor, faciunt,& quod ipſi emerunt,& quod filiis & cognatis emerant: atque iſtud in rebus aliis,quas iſti negotiatores filiis aut cognatis cõpararunt,multò magis locum habere debet,quia faciliùs obligantur pignore quàm militiæ

NOTARVM AD GLOSSAS ACCVRSII, ET INTERPRETAtiones Doctorum in Codicem,liber octauus,libro octauo Cod. reſpondens.

Ad l.1.C.de contrahenda & committenda ſtipulatione.

EST quædam Accurſij interpretatio in hac lege quæ licet in ſpeciem probabilis videatur. vera tamen non eſt , & proponendus textus legis,vt res tota intelligatur.Licet epiſtolæ additum non ſit , ſtipulatum eſſe cum cui cauebatur , tamen ſi res inter præſentes geſta eſt,credendum eſſe præcedentem ſtipulationem vocem ſpondentis ſubſequutam eſſe. Quæ verba enarrans Accurſius,Res, inquit, id eſt,ſtipulatio,non epiſtolę miſſio.quis enim cùm coram eſt, epiſtolam mittit.quæ interpretatio videtur confirmari authoritate Ciceronis in quadam ad Curionem epiſtola. Verum non ideò aſſentimur Accurſio , cùm epiſtola præter vulgarem illam ſignificationem interdũ pro cautione ſiue chirographo accipiatur.Cuius appellationis hanc exiſtimat Duarenus rationem eſſe , quia moris fuit veteribus ſalutationes huiuſmodi cautionibus præponere,& ad exemplum literarum quæ abſentibus mittuntur,eas concipere.*l.Publia.§.vlt.D.depoſi.*

Ad l.incerti.C.de interdictis.

Duo Pontificum reſponſa alio intellectu conciliata, quàm hactenus factum ſit ab interpretibus.

Vetus eſt quæſtio à Doctoribus non ſemel tractata.*l.naturaliter.§.nihil commune.ff.de acq. poſſ. & l.incerti.C.de interdict.* an abſolutoria in petitorio,pariat exceptionem rei iudicatæ in poſſeſſorio ad quam & illam immiſcent:vtrum notoriis tituli defectus obſtet agenti recuperandæ. Hanc potiſſimũm dubiam faciunt duo decreta Pontificum , alterum quo Alex. iij. Pont.Max. reſpondit,comitem Pontinij , qui B. vxorem ſine iudicio eccleſiæ dimiſerat,quod eam cognatam fuiſſe primæ vxoris intellexiſſet , ab ea ſeparari non potuiſſe , proinde eam vxorem reſtituendam,etiam ſi parentela publica ſit , & notoria.*c.porrò.de diuort.*Alterum,quo idem Pontifex prodit, vxorem ſine iudicio eccleſiæ dimiſſam , quod notorium eſſet eam adulterium commiſiſſe , perperam poſtulare , vt viro reſtituatur.*c.ſignificaſti.de diuort.*Has conſtitutiones variis modis conciliare Doctores adorti ſunt, ſed nihil , quod vtrique textui conueniat,adferunt. Quamobrem ipſe pro regula quandoque docui in *d.§.nihil commune.* defectum tituli notorium, agentem recuperandæ nequaquam repellere , quandoquidem ſpoliatus ante omnia ſit reſtituendus. *l. ſi quis ad ſe fundum.C.ad leg.Iul.de vi pub.*quæ reſtitutio non in titulo,aut iure petentis, ſed in odiò ſpoliantis fundatur.*c.fin.de ordin.cognition.* vnde etiam prædo,& iniuſtus poſſeſſor nullum habens in re titulum, ſpoliatus reſtitui debet.*l.1.§.qui à me:ff.de vi & vi arm. c. in literis.de reſt.ſpol.*prætexquàm duobus caſibus. Primus,cùm reſtitutionem petens poſſeſſionis,manifeſtè & euidenter eſt incapax : veluti ſi prælatus laicum , qui ſpiritualia poſſidere, aut quoquo modo adminiſtrare nequit. *cap. decernimus. de iud.* ſpoliaſſet eccleſia.*Inn.in c.conſtitutus.de fil.presbyt.* Qua ratione noluit Bonif.8.canonicos ſancti Nicolai, ſpoliatos à B.clerico perceptione decimarum reſtituere.*ca. ad decimas. de reſt. ſpol.in 6.*cum ad poſſeſſionem decimarum in aliena parochia, reſtitui poſtularent , quam nullo iure eos habere poſſe certius eſt,quàm vt longiori egeat probatione. Alter caſus,cùm ſpoliatio fit legis authoritate,vt cùm vxor adultera,à qua maritus liberè diuertit,Matt.19.*c.quemadmodum. de iureі. c. Agathoſa. 27.quæſt.cap.dixit.32.quæſt.*1. reſtitutionem petit. Si etenim eam notoriè adulteratam conſtet,non audietur. *d.cap.ſignificaſti.* Neque enim in culpa videtur maritus,qui vxorem adulteram,quam omni lege & diuina & humana retinere prohibetur,dimiſit.*l.miles §.fin.D.ad leg.Iul.de adult.* Nec abſimile eſt quod dici ſolet,innouari poſſe legis authoritate cum pendet appellatio.*l.per hanc.C.de temp.appell.* vbi alioqui certiſſimum eſt appellatione interpoſita,medio tempore nihil nouari oportere. Et ita conſtat ca.porrò,non obſtare,quo ſpoliata erat vxor contra legis præceptum,ſiquidem non liceat etiam conſanguinitatis prætextu vxorem dimittere ſine iudicio eccleſiæ.c.multorum, xxxv. quęſt. vj. niſi fortè eſſent coniuges in grad.l.diuina prohibito. c.liter.de reſt.ſpo.

NOTARVM AD GLOSSAS ACCVRSII, ET CÆTERORVM Doctorum interpretationes in Cod. liber nonus,libro nono Codicis reſpondens.

Ad tit.C.qui accuſare non poſſunt.

IN huius reſcripti interpretatione Accurſius & Accurſiani omnes , aiunt latrones, vel homicidas,ideò paſtores dici à Diocletiano,quia hoc crimen à paſtoribus initiũ cepit,nempe Cain & Abel. quæ interpretatio admodum abſurda eſt. Ego exiſtimo reſcriptum accipiẽdum eſſe de paſtoribus, qui latrociniis dediti eſſe conſueuerunt. vt de Achæis & Heniochiis ſcribit Strabo,quos ait viuere λῃστρικῶς καὶ νομαδικῶς.Hanc ſententiam confirmat Conſtitutio Theodoſiana *lib.9.T it.31.*

Ad l.1.C.de priuatis carceribus.

Quomodo Prouincia, Diœceſis, & Præfectura inter ſe differant: ſimul declarata.l.1.C.de priuat.carcer.aliter quàm à recentioribus accepta eſt.

Quæſitum eſt, quomodo Diœceſis à prouincia differat? Et Andreas Alciatus *in l.pupillus.§.territorium.ff.de verb.ſign.* nihil differre arbitratur, cum in *l. 1. C.de priuat.carcer.* Ægyptiaca Diœceſis, pro Ægyptiaca prouincia aſſumatur. Sed mihi videtur inter Diœceſin & prouinciam plurimum intereſſe. Etenim ſub diœceſi plures prouinciæ continebantur, ſicut ſub præfectura plures diœceſes. Erant autem ante Iuſtiniani Imperatoris ætatem duæ duntaxat præfecturæ: Orientis vna, altera Illyrici, vt ex *Rub.C.de offic.præf.Orient.& Illyr.* apparet. Et ſub præfectura quidem Orientis, infraſcriptæ diœceſes erant: Oriens, Ægyptus, Aſiana, Pontica, Thracia. Hæ autem diœceſes plures prouincias continebant. Et Orientalis quidem diœceſis, 15. prouinciæ erant, Palæſtina, Phœnice, Syria, Cilicia prima, Cyprus, Arabia, Iſauria, Palæſtina ſalutaris, Palæſtina ſecunda, Phœnice Libani, Euphratenſis, Syria ſalutaris, Oſdræna, Meſopotamia, Cilicia ſecunda. Ægypti autem prouinciæ ſex erant, Lybia ſuperior, Lybia inferior, Thebais, Ægyptus, Arabia, Auguſtanica. Aſianæ prouinciæ 10. Pamphylia, Helleſpontus, Lybia, Piſidia, Lycaonia, Phrygia, Pacatiana, Phrygia ſalutaris, Lycia, Caria. Inſulæ Ponticæ prouinciæ 10. Galatia, Bithynia, Honorias, Cappadocia prima, Cappadocia ſecunda, Pontus, Polemoniacus, Helleſpontus, Armenia prima, Armenia ſecunda, Galatia ſalutaris. Thraciæ prouinciæ 6. Europa, Thracia, Æmi montis, Rhodope, Myſia ſecunda, Scythia. Porrò ſub præfectura Illyrici, diœceſes duæ erant, Macedonia & Dacia. Prouinciæ autem Macedoniæ 6. Achaia, Macedonia, Creta, Theſſaliæ, Epirus vetus, Epirus noua. Prouinciæ Daciæ 5. Dacia mediterranea, Dacia Ripenſis, Myſia prima, Dardania, Præualitana. Eſt & Macedonia ſalutaris, quæ partim Macedoniæ, partim Daciæ adſcribitur. Et hæc quidem in libello vetuſto, vt veſter, qui de Magiſtratibus ciuilibus, & militaribus officiis, incerto auctore circumfertur, extant. Cæterùm poſtquam Iuſtinianus Imperator Aphricam Roman. Imperio adiecisſet, præter ſuprà ſcriptas præfecturas, Aphricæ quoque præfecturam conſtituit. A qua rurſus ſeptem prouincias diſpoſuit. Id quod in *l.1.C.de offic.præf.præt.Aphricæ.* & de omni eiuſdem diœceſeos ſtatu, his verbis extat: Deo itaque auxiliante, pro fœlicitate Reipub. noſtræ per hanc diuinam legem ſancimus, vt omnis Aphrica, quam nobis Deus præſtitit, per ipſius miſericordiam, optimum ſuſcipiat ordinem, & propriam habeat præfecturam: vt ſicut Oriens atque Illyricum, ita & Aphrica prætoriana, maxima poteſtate ſpecialiter noſtra clementia decoretur. Cuius ſedem iubemus eſſe Carthaginem, & in præfatione publicarum chartarum præfecturis aliis eius nomen adiungi, quàm nunc tuam excellentiam gubernare decernimus. Et ab ea auxiliante Deo, ſeptem prouinciæ cum ſuis iudicibus diſponantur, quarum Tingi, & quæ proconſularis antea vocabatur Carthago, & Bizantium ac Tripolis, Rectores habeant conſulares: reliquæ verò, id eſt, Numidia, & Mauritania, & Sardinia à Præſidibus cum Dei auxilio gubernentur, &c. Ex his manifeſtè apparet, diœceſim longiùs patere, quàm prouinciam, ita, vt ſub diœceſibus prouinciæ ſubſint. Nec nos moueat, quod in *d.l. 1. C. de priuat.carc.* Ægyptiaca diœceſis nominatur. Etenim Ægyptum diœceſim olim fuiſſe ſuprà oſtenſum eſt. Vnde & in *l.quicunque.C.de hæret.& Manich.* Ægyptiaca diœceſis nominatur. Sub qua ſex prouinciæ continebantur Lybia ſuperior, Lybia inferior, Thebais, Ægyptus, Arabia, & Auguſtanica. Sic quoque in *l. 1.C.de annon.* & *in l.per annos.C.de metallar.lib.*10. Pontica & Aſiana diœceſes accipiendæ ſunt. Nam Ponticam & Aſianam inter diœceſes referri, ſuprà dictum eſt. Verba autem dictæ l.1. hæc ſunt. Necnon comiti commerciorum Magiſtro æris priuatæ rei rationali per Ponticam atque Aſianam diœceſim, &c. & in *d.l.per annos.* hæc verba extant: Non ſolùm in Pontica diœceſi, verùm etiam in Aſiana. Sanè & Orientalis diœceſis mentio fit in *l.1.C.de ratio.oper.publ.* Orientem autem diœceſim fuiſſe, ex ſupraſcripto auctore conſtat. Cæterùm in iure Pontificio, diœceſis, alia ſignificatione accipitur, nempe pro diſtrictu Epiſcopatus. Et tunc quidem inter diœceſim & prouinciam aliquid intereſt, quod Iaſ. in *l.de quibus.ff.de legib.* tradit. Plura vide apud Vualtherum.

Ad l.2.C.de abolitionibus.

An actor abolitionem petens ad expenſas teneatur: aduerſus Bartolum, & alios diſputatum.

Si actor in cauſa criminali abolitionem à iudice petat, iuxta *l.2.C.de abolit.* ſiue iudex abolitionem concedat, ſiue non concedat: vtroque caſu arbitratur Bartol. in *l.1.in princ.num. 12. D. ad S.C.Turpil.* *Abb.in cap.finem litibus.de dol.& contum.* *Iaſ.in l.properandum.§.ſin autem alteruter, in 6.concluſ.C. de iudic.* Actorem ad expenſas non teneri. Sed ego contrarium defendi poſſe arbitror. Nam abolitio illi quoque conceditur, qui temerè litigauit, textus eſt in *l.2.C.de abolitio.* Atqui temerè litigans, in expenſis condemnandus eſt, *l. eum quem temerè. D.de iudic.* Præterea abolitio ſpeciem habet renuntiationis. Sed renuntians liti, in expenſas condemnatur, etiam ſi iuſtam litigandi cauſam habuerit, vt tradit Bald. *in l.poſtquam liti.C.de tranſact.* Vbi tamen hoc limitat, niſi cauſa, ob quam renuntiat, de nouo ſuperueniat, aut retrò. habuit iuſtam cauſam litigandi. Quam diſtinctionem etiam in abolitione locum habere putarim.

Ad l finalem.C.ad l.Iuliam maieſtatis.

In hæreſis negotio quoſcunque teſtes infames, & inquinatæ vitæ non admittendos, aduerſus imperitorum hominum errorem. Expoſitum nouè.c.in fidei fauorem.

Obſtruit quoque luminibus imperitorum iudicum, eorundémque malitiam maximè promouet, quod à rabulis forenſibus occini quotidie ſolet, in cauſa hæreſis, teſtes infames, perditæ, & reprehenſibilis vitæ admitti. *c.in fidei fauorem, de hæret. in 6.* veluti fures, & adulteros. *c.per tuas.de ſimon.* nam nec infames, accuſare hæreticos prohibentur, capit. nos ſequentes. *6.q.1.* Huc pertinet, quod Iudæi, qui alioqui à dicendo teſtimonio contra fideles repelluntur, capitu. Iudæi, & capit. licet vniuerſos, de teſtibus: in negotio tamen hæreſis, admittuntur. capit. contra Chriſtianos, de hæret. in 6. periuri item, teſtes eſſe poſſunt, contra hæreticos: *c.accuſatus.§.licet, eod.tit.* Et ſerui contra dominos, ſicut in crimine læſæ maieſtatis. *l.fi.C.ad l.Iul. maieſt.* cùm grauiùs ſit multò, diuinam quam humanam offendere maieſtatem. c.vergentes. de hæreti. can. quæſtionem. 12. q. 2. Denique ſpeciale eſſe volunt, in crimine hæreſis, vt aduerſus fratrem, cogatur frater dicere teſtimonium. Pan. *in c.literas.de præſumpt.* Quæ omnia analphabetis hominibus videntur apertè confirmare vulgare illud pronuntiatum, quo dicitur, quoſcunque, quamlibet ſceleratos homines, in hæreſis negotio, fidei religioniſque noſtræ confirmandæ gratia, ad dicendum teſtimonium admitti. Suffragante potiſſimùm Alexand. 4. *conſtitutione.d.c.in fidei.* Sed quam ſit inepta, quámque abſurda, piiſque hominibus pernicioſa hæc ſententia, perſpicuum ipſe faciam, vt me audito minimè quiſquam dubitaturus ſit, quin hoc ab indoctis hominibus perperam traditum fuerit, iniuriámque maximam eos Chriſtianæ religioni facere, qui tam iniquæ ſententiæ ſunt authores, aut defenſores. hoc enim eſt calumniandi materiam hominibus præſtare. Nã quis per Deum immortalem tam pius, & fidelis eſt, qui ſi perditorum & diſſolutorum quorumcunque teſtimonio impeti poſſit, non tandem confundatur? Sanè quemadmodùm crimen hæreſeos, & violatæ religionis, diligenter coërcendum eſt, ne indulgentiæ facilitate latiùs graſſetur, ita prudenter animaduertendum, vt non in occaſione, ſed in veritate habeantur, *l.ſi non* teſtes, ac iudices, qui & rem tantam intelligunt, & eo non [illegible] quo animo deſcendant, ne alioqui hoc ſpecioſo prætextu contingat optimos quoſque viros, ſordidorum nefariorúmque hominum coniuratione opprimi, & (quod nonnunquam fieri vidimus) crudeliter diuexari. Sed & illud ſapientes iudices curare debent, vt purum Dei cultum, & ſinceram religionem tueantur, eóſque profligent, qui impias inuehunt ſuperſtitiones & blaſphemias, Marci Imperatoris exemplo, qui in inſulã relegari iuſſit eos, qui aliquid feciſſent, quo leues hominum animi, ſuperſtitione numinis terrerentur. *l.ſi quis aliquid, D.de pœn.* Sed è diuerticulo in viam redeundum. Quod igitur ad Alexandri Pontificis legem attinet, *d. c.in fidei fauorem.*

rem, non dicit ea conſtitutio, ad quod vulgo citari ſolet, quoſcunque inhabiles, ad dicendum teſtimonium, in crimine hæreſis admitti: ſed excommunicatos, & participes criminis. Quod genus perſonarum, alioqui ad teſtimonium incapax, cùm Pontificia lex ſingulari iure, in negotio inquiſitionis hæreticæ prauitatis admiſerit: cæteras inhabiles perſonas, iuris communis diſpoſitioni reliquiſſe videtur. *l. quod Labeo. ff. de compenſatio. l. maritus. C. de procu.* Illud quoque conſiderandum non abſolutè, & ſimpliciter, ſummum Pontificem, ſocios criminis, & excommunicatos, ad teſtimonium admiſiſſe: ſed cum temperamento. [Si] videlicet, [ex veriſimilibus coniecturis, & ex numero teſtium, tam deponentium, quàm eorum contra quos deponitur, qualitate, ac aliis circunſtantiis, ſic teſtificantes, falſa dicere, non præſumantur.] Quid enim ſi nonnihil Euangelio, aut ſacroſanctis eccleſiæ inſtitutis repugnans, in publica concione, vbi erat frequens hominum multitudo, dixiſſe quiſpiam accuſetur? an non nefarium eſſet, malæ, & reprehenſibilis vitæ hominis, ignaros & indoctos audire? auditóſque, in teſtimonio anteponere inculpatæ vitæ viris, & peritis hominibus, qui aliter concionatorem dixiſſe teſtarentur? nónne hoc eſſet viam iniuriis, & calumniis præſtruere? eorum probare teſtimonium, quorum fidem leges ſuſpectiſſimam habent? *l. 4. in princ. D. de teſtib.* quorumque teſtimonia ius ipſum paſſim reiicit, *c. licet. de ſer. com. c. teſtimonium, & c. ſuper eo. de teſtibus.* & illorum teſtimonia prorſus abiicere, quorum integritas, omnem aufert ſuſpicionem, *l. non omnes. §. à barbaris. ff. de re milit. l. ſi à bona fides. D. de rei vend.* non eſſet profectò hoc fidei fauere, ſed contumelia Chriſtum afficere: & quod in religionis noſtræ gratiam introductum eſt, in graue Chriſtianorum detrimentum detorquere. *clem. 1. in princ. de hæret.* in fide noſtra maius verſatur periculum, proindéque cautiùs tractandum negotium, *c. vbi periculum. de cler.* Excommunicati autem licèt à teſtimonio iudiciali regulariter arceantur. *c. veniens. 2. in fin. de teſtib. c. decernimus. de ſentent. excom. in 6.* non tamen ideò, quòd eorum fidem maiores noſtri ſuſpectam habuerint: cùm in inſtrumentis, contractibus, & aliis negotiis, præterquam in iudicialibus, teſtes eſſe non prohibeantur, *d. c. decernimus, à contrario. Inno. c. pia. de except. in 6. Bal. l. 1. col. 4. C. de hered. inſt.* ſed quoniam in iudicio, nullo modo conſiſtere poſſunt, *c. intelleximus. de iud. & d. c. decernimus.* Quare ob id, quòd lex excommunicatorum teſtimonia, in hæreſis negotio, fauore fidei receperit: non eſt temere putandum, turpe eſſe, notatæ vitæ homines, quorum fides ſuſpicione non caret, ad dicendum teſtimonium in ea cauſa admitti: cùm in illis non ſit eadem quæ in excommunicatis ratio. Quod præterea addit ſummus Pontifex de ſociis & participibus criminum, *d. c. in fidei fauorem*, aliam rationem habet, vt, ſcilicet veritas criminis illuceſcat: quàm plerunque contingit per eiuſmodi perſonas duntaxat haberi poſſe. Quare ne tam grauis culpa occultari poſſit, conſtitutum eſt, participes criminis admitti, *d. c. in fidei.* at non ideo ſequitur, quoſcunque infames, & notatos homines, ad idẽ teſtimonium recipi, *l. quod verò contra. ff. de legib.* nam & aliis caſibus ſocij criminum audiuntur, vt contra latrones inſignes, *l. prouinciarum. C. de fer.* falſos monetarios. *l. 1. C. de falſ. monet.* maleficos. *l. fin. C. de malef. & mathema.* reos criminis ſimoniæ. *c. ſi quis Papa. 79. diſt.* & læſæ maieſtatis, *c. ſi. 15. q. 3.* Quibus tamen conſtat non admitti teſtes, quorum fides explorata nõ ſit, & indubitata, *l. fin. C. de probat. l. 3. §. 1. ff. de teſtib.* Sed nec tunc ſociis criminum omnino ſtatur: faciunt enim tantùm eorum teſtimonia præſumptionem, ſi non alia præcedant iudicia. *Acc. l. ſi. ff. ad exhib. gl. d. c. ſi. 15. q. 3.* diffuſe Panor. & cæteri in *c. 1. de confeſſ.* prædictis non obſtat, quod Inn. 3. ſcripſit, in crimine ſimoniæ, exceptiones furti, & adulterij, contra teſtes non admitti. *c. per tuas. de ſim.* hoc enim ibidem ſupremus Pontifex verũ eſſe ita interpretatur, ſi ſubſint alia adminicula, quæ dictis teſtium ſuffragentur, tum & illud adiiciens, exceptiones eiuſmodi, legitime probatas, fidem teſtium debilitare. licèt eam ex toto non euacuent, vbi præſertim teſtes exactæ malæ vitæ pœnituiſſet. Nam præterea verum eſt, quod adiiciebatur, periuros in cauſa hæreſis dictionem teſtimonij habere: niſi vno caſu, cùm obtectam & celatam à ſe veritatem reuelare volunt, túmque, ſi euidentiſſimis argumentis apparuerit, eos non malo animo, ſed zelo fidei orthodoxæ, teſtimonium dicere. *c. accuſatus. §. licet. de hær. in 6.* Denique falluntur, qui omni caſu putant, Iudæorum teſtimonia in hæreſis negotio recipi: cùm id tantùm Bonifacius permittat aduerſus Chriſtianos, qui ad Iudaiſmum tranſierant. *cap. contra Chriſtianos. de hæretic. in 6.* His autem locis à pleriſque perperam acceptis, quia cernebam, imperitorum & impiorum hominum ſcelere, innocentum vitam plerunque cruentari: placuit ad communem omnium vtilitatẽ, prædicta familiariter explicare, paulóque verboſiùs diſſerere. ne quis interim liuore, maleuolentiáque ſuffuſus, ad maledicendum, atque obtrectandum, temere rapiatur. Plura vide apud Ioannem Corraſium in Miſcellaneis, ex quo hæc deſumpſi. vbi hæc diffuſiùs tractat, & primus hunc errorem animaduertit, cui hoc vt & cætera plurima debemus.

Ad l. ſi non conuitij. C. de iniuriis.

Iniurioſum aliquid in teſtes proferens, quando iniuriarum conueniri poſſit, nouè declaratum.

Noua declaratio, contra Accurſium, & veteres.

Docent paſſim ſcriptores, quòd ſi teſtibus contra me productis, ad eorum excluſionem, aliquid iniurioſum opponam, quia puta, dicam eos latrones, falſarios, homicidas, aut ſacrilegos, non tamen ideo actione iniuriarum teneor: quod ignoſcendum mihi ſit, ſi me volui vlciſci, prouocatus, *l. qui cùm maior. §. ſi liber. D. de bo. li.* Qui non animo iniuriandi, ſed potiùs ad meam defenſionem ea verba protuliſſe videar. *l. libertus. 1. ff. de in ius voca. l. nulla. C. de delato. lib. 10. C.* vt meritò ob iniuriã admiſſum conueniri non poſſim. *l. ſi non conuitij. C. de iniu.* Alb. Bald. & cæteri in *l. fin. D. Quod quiſque iur.* Qui tamen adiiciũt, tutius eſſe, proteſtari reum ſe non iniuriandi cauſa dicere. Cæterùm conſilium eiuſmodi rident Alex. & Iaſ. *in d. l. fin.* Siquidem illa proteſtatio, velut contraria facto, releuare non poſſit. *c. ſollicitudinem. de appell.* vt & in ſimili Bart. ſcripſit in *l. ſi quis extraneus. ff. de acq. hered.* ſi dicam [Tu mentiris, ſaluo honore tuo:] cùm iniuriam intulerim, & quidem grauem. Bart. in *l. item apud Labeonem. §. ait prætor. ff. de iniur.* adiunctam proteſtationem non proficere: proteſtatio quippe naturæ actus contraria, inutiliter adiicitur. *c. cùm M. de conſt. c. diaconi. 38. diſ.* vt & alia quæcunque diſpoſitio. *l. 1. §. 1. D. ſi vſusfr. petat.* Ego verò hac in re aliter me explicare ſoleo, vt ſi accuſatus ipſe criminis capitalis, quod ſanguinis pœnam præſertim ingerat, in teſtes contra me productos iſtiuſmodi graues iniurias proferam: non ideo actione de iniuriis, conueniri poſſim: quòd mihi ignoſcendum ſit, qui ſanguinem meum, qualitercunque redemptum voluerim. *l. 1. D. de bon. eorum qui mort. ſibi conſc.* Idemque putarem, ſi de exiſtimatione, ſeu fama mea tractaretur: quando cauſam famæ, vitæque leges comparauerint: *l. iſti quidem. §. fin. ff. quod met. cauſ. l. iuſta. de ma. vindic.* Alioqui, æquiùs eſſe video, me teneri iniuriarum, ſi cauſam duntaxat ciuilem defenſam, aut leue aliquod crimẽ, ne hoc prætextu in cuiuſvis poteſtate videatur, alterius exiſtimationem temerè ſuggillare. niſi tamen verum eſſet, quod teſtibus opponerem. *Bart. in l. quæ omnia. D. de procur.* Veritas namque conuicij cum cauſa prolata, proferentem, iniuriarum actione eximit. *l. 3. C. de off. recto. prouinc. l. quiſquis. C. de poſtula.* pulchrè Roman. conſ. 97. nam & nocentium peccata non eſſe oportet, expeditque. *l. eum qui nocentem. in princ. D. de iniur.* Plura vide apud Corraſium in Miſcellaneis.

NOTARVM AD GLOSSAS ACCVRSII, ET QVORVNDAM Doctorum interpretationes in Cod. liber decimus, libro decimo Codicis reſpondens.

Ad tit. C. de iure fiſci.

MAlè Accurſius Optiones appellari hîc putat, qui publica exigebant. ego puto, Optiones eos eſſe, qui annonam militibus diuidunt. *l. 9. C. de exactionibus tributorum. l. 3. C. de apoc. pub. Nouel. Iuſtin.* 129. Nominis ratio hæc affertur à Doctiſſimo Cuiacio, quòd duces eos ſibi optent diuidendæ annonæ cauſa, quaſi adiutores, quo faciliùs cætera munia militaria obeant. qua ratione auxilia fœderatorum, Optiones etiam dicuntur. *l. vlt. §. de loca. Nouell.* 116. & 117. Vnde Opinatores ſunt milites, qui in prouincias mittuntur petendæ militaris annonæ cauſa. *l. 11. & 14. C. de erogatione militaris annona.* quos ideò ſic appellatos putat doctiſſimus vir, quòd exigunt opinionem, id eſt, cenſum agri.

Ad tit. C. de frumento Alexandrino, lib. 11. ad l. Periſſe corregiæ.

Accurſ. dum verbum hoc conatur explicare ſeſe meris nugis inuoluit. tu ſecundùm Alciati opinionē lege Periſſechoregiæ. Erat autem nomen magiſtratus, curator fortaſſe annonæ, [illegible], quod eſt, abundantiam fertilitatémque ſuppeditare.

Ad tit. de ſpectaculis. ad l. 2. ad ea verba, Eos qui agitandi.

Agitare quid hoc loco ſignificet, parum Accurſio compertum eſt. Hîc dicamus agitatores aurigas eſſe, qui in ludis Circenſibus curuli certamine ſeſe exercebant, quorum ſpecies quatuor, Ruſſati, Albati, Praſini, Veneti præmium mappa erat. De his plura vide apud Plinium lib. 8. Epiſt. apud Suetonium in Domitiano & Caligula. Iuuenalem Satyr. 11. & in Epigrammatis Græcis, lib. 5.

Ad tit. Vt nemini liceat in emptione ſpecierum. ad Rubric. de munere Sitocomiæ.

Errauit grauiter Accurſius qui mentionem omnino nullam de Sitocomis huius in legis contextu haberi tradit: & idcircò ſuſpicatur aliquam legem Græcam ſub hoc tit. ab Imperatore fuiſſe appoſitam, quæ ampliùs non extet: quod falſum eſſe inde colligimus, quòd in primis verbis ſcriptum ſit, quoties vrgente neceſſitate, comparationes frumenti & hordei, &c. quid enim aliud his deſignatur quàm Sitocomia? Eſt autem Sitocomia magiſtratus nomen, qui frumenta & annonam curabet, Arcadius in *l. munerum. ff. de muneribus & honoribus.* perſonale, inquit, munus eſt cura emendi frumenti & olei. nam harum ſpecierum curatores, quos [illegible] Græci vocant, creari moris eſt. quo etiam loco Accurſius hallucinatur. Nomen ipſum deducitur [illegible], id eſt à frumento, [illegible], id eſt, curare. Nec aliquem moueat quod Arcadius eo nomine appellari tradit eos, qui etiam oleum emi curant. nam ex quibus veſcimur, omnia poſſunt [illegible], hoc eſt, cibaria dici.

Ad librum 10. C. de collatione donatorum.

Horum librorum obſcuritati caliginem multam offudit Accurſianorum ſtupor. quod quidem ad verborum ſignificationem attinet. multa enim vocabula corruperunt, multa perperam interpretati legum ſenſus interuerterunt. exempli gratia in *l. vnica. hoc tit.* Accurſius adorationem ait eſſe æris præſtationem. in *l. annonas. de erogatione militaris annona.* ipſe adærare annonas, ad ærarium pertinere interpretatur, vel de ærario ſoluere. qui meliùs interpretantur, putant Adærare eſſe ære æſtimare.

In *l. vlt. de prædiis Decurionum*, vbi dicitur, Nec ex tabella decretum recitari, Accurſius per tabellam intellexit delegati iudicis functionem, neſcio quomodo hariolatus vt ſolet. hic autem eſſe debet ſenſus, in faciendo decreto alienationis, non tabellis curialibus datis, diſquiſitionem oportere fieri, ſed vocali ſuffragio ſingulos curiales in ſententiam ire.

Ad l. Quidam ignauiæ. C. de Decurionibus.

Malè Bartolus qui inter Iuriſconſultorum antiquorum interpretes longè primus eſt, eúmque ſequuti cæteri exiſtimant hac lege prohibuiſſe Valentem conuenticula impiorum, & eorum præſertim qui ad ſubterfugienda munera ciuitates deſerebant. hi enim nō norunt quibus furiis ſit in monachos hic inuectus Imperator: nec ex hiſtoriarum ignorātia decepti hoc tantùm in loco ſunt recentiores, ſed & in plerîſque aliis. Notemus igitur ad intelligentiam huius legis Eutropium atque Oroſium tradere tanto odio Valentem (qui eiuſce legis autor fuit) perſecutum monachos, vt abſtracta ex eremis, multa eorum millia, Barbaris trucidanda obiecerit, eo in prælio, quo aduerſus Gothos conflixit. Plura vide apud Alciatum in Cōmentariis ſuis ad hunc Titulum.

Ad tit. C. de Decurionibus lib. 10.

Malè Accurſius exiſtimat Circenſes populi nomen eſſe. Id enim nuſquam legitur: niſi fortaſſe Cirenenſium loco id nominis ſubditum fuiſſe librariorum culpa aliquis opinetur. Sed lectionem variare non placet: ego puto cum Alciato eos intelligi, qui Circenſibus ludis præerant. Qui autem ſint ludi Circenſes, ex Tranquillo Seruio & cæteris ſatis manifeſtum eſſe puto.

Ad l. Si quis ſpontaneos. eod. tit.

Accurſius ignorat quid ſignificet hæc vox Hypomnomatomachi. quamobrem quædam de Empomenonatibus nihil ad rem facientia inculcat. Sciendum igitur eos hic appellari, qui Commentaria ſcribunt. [illegible] enim commentarij ſunt. Cicero filius libro 16. Epiſtolarum ſic ſcribit: Multum, inquit, mihi operæ eripitur in ſcribendis Hypomnematis. Sanè poſtquàm Auguſtus Cæſar Ægyptum in prouinciæ formam erexit, inter cæteros magiſtratus etiam Hypomnomatographos conſtituit, vt ſcribit Strabo. De his hac Conſtitutione agi exiſtimat doctiſſimus Alciatus.

Ad lib. 10. C. de excuſatione munerum. ad l. Maximarum conficiendi pillum. ad ea verba, Rheticus limes.

Quid hic ſibi velit Imperator, Accurſius non percepit. quare ſciendum eſt Rhetos populos prope Germaniam eſſe, per quos opus erat tranſire Barbaros, atque Romani Imperij hoſtes. Iubet igitur hac Conſtitutione Auguſtus eos, quibus Rheticus limes curæ eſt, ne à Barbaris capiantur, à muneribus non eſſe excuſatos, vt ſi vſus venerit, ipſe ad eos poſſit ire, habituros qui munera ſubeant.

Ad tit. C. de ſusceptoribus. ad l. ſi aliquid.

In hac l. legitur verbum Decoxit, ab Accurſio malè interpretatum. quare ſciendum eſt, Decoquere, apud antiquos idem eſſe quod bonis decedere, & delinquendo creditoribus imponere. Sed nec lex ab Accurſio adducta cum defendit, cùm ex antiquis Codicib. legenda ſit hoc modo: Quilibet principa-

lium

lium, vel decurionum, ſi ducitur pecunia publicæ, vel fraudulentus in adſcriptionibus, &c. Sciens id prætermiſeram: ſed quoniam vidi hinc falſæ Latinitatis Accurſium anſam capere, volui hoc ſaltem in loco Lectorem admonitum. Hæc obſeruauit Alciatus in annotationibus ſuis ad hunc Titulum.

Ad l. vnicam. D. de argenti pretio. lib. 10.

Inciderunt in grauiſſimum errorem interpretes in hac Cõſtitutione, quod vt intelligatur, videndum quid in hac Conſtitutione ſcriptum ſit. Scriptum eſt Conſtantini Conſtitutione de argenti pretio, ſ iubemus vt pro argenti ſumma, quam quis Theſauris fuerat illaturus inferendi auri accipiat facultatem, ita vt pro ſingulis libris argenti quinos ſolidos inferat. Quinos ſolidos Accurſius, Albericus, Iaſon, & quod magis miratus ſum, Pyrrhus Anglebermeus decem interpretantur. Idem aliis locis fecerunt Accurſiani temporum barbarorum peccato. illud etiam in Accurſio deſideratur, quòd ſiliquas ſolidos interpretatur conſtitutione ſingulari de imponenda lucratiua deſcriptione. Hoc ſiliquæ nomen ponderis eſt, & nummi genus. erat etiam aureus nummus, qui termiſſis dicebatur ſiliquarum octo pondere, vt tres ſolidum ponderent.

NOTARVM AD GLOSSAS ACCVRSII ET QVORVNDAM

Doctorum interpretationes, liber vndecimus libro vndecimo Cod. reſpondens.

Ad l. 4. C. de ſpectaculis.

ACcurſius in interpretatione Pantomimi & Proſcenij partim mutilus & mancus eſt: partim falſa multa profert. videamus quid hoc loco ſint Pantomimi. Pantomimi dicebantur omnium imitatores. de his mentionem facit Iulianus in *l. ſi libertus artem. D. de operis libertorum.* ſolebant eorum opera veteres vti, præſertim in recitandis tragœdiis, Accurſius noſter etiam ignorauit quid ſit Proſcenium. nos dicamus proſcenium eſſe locum ante ſcenam porrectum, in quo pulpitum erat ludicris exercendis accommodatum, de quo mẽtionem facit Virgilius his verbis,

—veteres ineunt proſcenia ludi.

Suetonius Tranquillus in Nerone ſic ait: Hos ludos ſpectauit ex proſcenij faſtigio. Plura vide apud Dominum Alciatum in annotationibus ſuis ad hunc Titulum.

Ad tit. C. de omni agro deſerto.

Malè Accurſius ad Conſtitutionem Arcadij Imperatoris, quæ ſic ſe habet in *l. quicunque. C. de omni agro deſerto.* Nemo excuſetur quominus ad *ἐπιδοχίας* vicem deferatur, poſſeſſiones ſuſcipiat, tributa & canonem ſoluturus. Accurſius malè *ἐπιδοχίαν* hoſpitale interpretatur. nam *ἐπιδοχία* muneris nomen eſt, quo cogebantur vicini agros reipublicæ deſertos ſuſcipere colendos, ſub certæ penſionis canone. Faceſſat igitur hæc interpretatio Accurſij, cùm nec ſenſus legis conueniat, nec ex ſe vera ſit. Nam hoſpitale in *Rubrica C. de epiſcopis & clericis,* Prochotrophium, xenotrophiumve dicitur. quæ verba nihil commune habent cum dictione, de qua hic agimus, Alciatus ſuſpicatur legendum Dineathorotiæ, & putat id nomen eius muneris eſſe, cùm Imperator priuatis fundos concedit, vt purgentur, non multùm diſſimile Emphyteutico contractui. Plura vide apud eundem hoc loco.

Ad tit. C. de fundis limitrophis.

Malè quidam in Rubrica huius tit. Liminarcham præfectum limitum qui limina Imperij cuſtodiunt, interpretantur: fundos autem vnde his alimenta præſtantur, Limitrophos dici: à limine videlicet & *τρέφω*, quod nutrire ſignificat. Idcircò autem hæc ſententia eſt reiicienda: quoniam Limenarchæ non à limitibus Imperij dicti ſunt, ſed *ἀπὸ τοῦ λιμένος*, id eſt, à portu. Sunt autem cuſtodes portuum, quos Ariſtoteles in Politicis appellat *λιμενοφύλακας*, fundi autem limitrophi non à Liminarchis, vt perperàm illi exiſtimarunt, dicti ſunt, ſed à limitaneis militibus: quòd tenerentur eorum poſſeſſores annonam inde prouenientem ad caſtra limitum ducere: qui in Imperij limitibus excubabant apud Barbaros. Plura vide apud Dominum Alciatum in Annotationibus ſuis ad hunc Titulum.

Ad tit. C. de prædiis Tamiacis.

Qui ſint Tamiaci fundi, venire poteſt quantumuis perito in dubium. Accurſius plures affert opiniones, quas potiùs ſomnia dixerim. Alciatus Tamiacos fundos eos eſſe arbitratur, qui diſpenſatori publico præſtabant annuos fructus vectigales: quibus ille poſtea in domo Imperatoria diſpenſabat alimenta. Tamiacum quoque in alio ſignificatu accepit Suidas. Doctiſſimus præceptor meus putat prædia Tamiaca, & colonos ac ſeruos Tamiacos in Cappadociæ prouinciis fuiſſe, *Nouella* 20. *&* 30. & ideo eorum curam pertinuiſſe ad comitem domorum & præpoſitum ſacri cubiculi. Vide Cuiacium in Commentariis ad Tit. Codicis de præpoſitis ſacri cubiculi.

Ad l. ſi quis per. C. de aquæductibus. lib. 11.

Eo loco huius legis, vbi præfectus curare iubetur, ac diligẽter prouidere quantum aquæ thermis, quantum Nymphæis pro abundantia ciuium deputari conueniat: malè Alciatus exiſtimat fuiſſe locum in quo mulieres lauarentur tantum: ei enim non aſſentior, non quòd negem mulieribus in Nymphæo lauari vetitum, ſed quòd putem viris etiam permiſſum extitiſſe ſeparatim habere ſua Nymphæa. Eſt itaque Nymphæum lauacrum, ſiue balneum aquam tepidam habens, non valetudinis, ſed voluptatis cauſa paratum. Ideò priùs conſulitur thermis mox Nymphæis. poſtremò aliis vſib. *in d. l. ſi quis per.* Strabo lib. 7. tradit, in Apolloniatum finibus locum extare, quem Nymphæum vocant, vbi ſaxum eſt, ignem vomens, cui fontes ſubſunt, aquis tepidis, & bitumine ſcatentes. nec nouum eſt à Nymphis deduci Nymphæum, cùm veteres conſueuerint balnea nuncupare, ex alicuius herois nomine, & præſertim eorũ heroum nomen indebant, qui lauacris delectarentur.

Ad l. vnicam. C. de Athletis.

Quod Imperator Alexander in hac lege dicit Athletis, ita demum, ſi per omnem ætatem certaſſe coronis quoque non minùs tribus certaminis ſacri (in quibus vel ſemel Romæ ſeu antiquæ Græciæ) meritò coronati non æmulis corruptis ac redẽptis probentur, ciuilium munerum tribui ſolet vacatio. Accurſius non ſat rectè ita intelligi hoc voluit, vt vnam de tribus coronis Romæ, vel in antiqua Græcia quæſitam eſſe oporteat. nam quid ſi dicamus tres coronas ſimul diuerſis, tamen luctis ſacris acceptas, requiri ad ius vacationis munerum, niſi ſi coronetur aliquis victor ſemel Romæ, vel in antiqua Græcia quę propter celebritatem loci, & concurſum certantium plus iuris habent, & plus ideò transferunt, ratio ponitur in *l. ſed &. §. Roma. D. de excuſationibus tutor, §. hac autem. in proœmio Digeſtorum. argumento l. ſi is qui tres. §. cum qui. D. de excuſationibus tutorum.*

Ad tit. C. de cupreſſis. lib. 11. ad l. omnes Iudices, ſed nec à luco.

Malè quidam qui neſcio quas annotatiunculas in ius ciuile edidere, legunt hoc loco à lucuco, vel à lucuca: interpretanturque virum ſeu fœminam quæ lucum cuſtodiat. quam expoſitionem vt pluribus reprobare non curem, ſatis ſit illud quòd ſine authore loquuntur, quo nihil eſſe poteſt impudentius. Malè itidem alij à luco, vel à littore legunt, cùm nullum ſit in

Digitized

Daphne littus. Alciatus putat à Liturgo vel à Liturga legẽdũ. Meliùs doctiſſimus præceptor meus lib. 2. Obſeruat. cap. 13. Alytarchiæ legit. Fuit autem olim Alytarchiæ permiſſum ex luco Daphnenſi, qui eſt in ſuburbiis Antiochenæ vrbis cupreſſus denſiſſimus, vnam cupreſſum excindere, plures plantare. *l. & more. C. Theodoſiano, de iure fiſci.* & hoc nominatim abrogatur in hac *l. 1.* vbi ſic legendum vir doctiſſimus putat. Sed nec Alytarcha vnam cupreſſum aliis plantatis excindere ſibi licere contendat.

NOTARVM AD GLOSSAS ACCVRSII, ET QVORVNDAM Doctorum interpretationes in Cod. liber duodecimus, libro duodecimo Codicis reſpondens.

Ad tit. C. de primicerio.

PErperàm Accurſius in Rubrica huius tit. putat primicerium dictum, quod primus ferat cereum, quæ etymologia planè ridicula eſt. nam primicerius notarius principis dicitur, & honore inter notarios primus: ſicut ſequens dicitur ſecundi tertius. κηρὸς enim ceram ſignificat, κήρωμα tabulam ceratam ſignificat, in qua antiqui ſcribebant, ab huiuſmodi igitur tabulis dicti ſunt primicerij. Dicitur autem primicerius, non ſolùm notariorum, ſed etiam primus aliarum dignitatum. Hieronymus in Chronico Euſebij, Iouinianus ex primicerio Domeſticorum Imperator eſt factus, Ammianus Marcellinus libro 18. inter quos etiam Valentinus ex primicerio protectorum, tribunus.

Ad tit. C. de præpoſitis laborum.

Dubitabundus eſt Accurſius ſuo more in expoſitione huius tituli, nulla prorſus de cauſa, antiqua enim lectio ſatis probabilis eſt, quod his præpoſitis ſubeſſent mediaſtini omnes, aliique Imperatoriæ domus opifices. Illud fortaſſe feſellit Accurſium, quod alibi legerat Ergolabos eſſe operarios, ſed hæc lectio veterum Codicum authoritate refellitur. Cæterùm quoniam hic de labore quædam Accurſius dicit, ſciendum vexillum eſſe, aliquod vexilli genus, aliis nobilius, quod ante Imperatores ferri, & à militibus adorari moris eſſet, erat autem auro & pretioſis lapidibus opertum.

Ad tit. C. de proximis ſacrorum ſcriniorum. ad ea verba l. Corniculario.

In huius dictionis ſignificatione Accurſius fallitur. dicit enim Cornicularium eſſe adiutorem Principis cuſtodiæ, vel officialem. Aſconius, Accenſi, inquit, dicebantur attributi Decurionibus, hoc eſt, miniſtri eorum, quaſi ad cenſum additi, quos nunc Commentarienſes & Cornicularios. hæc ſunt verba Aſconij. Dicitur autem Cornicularius in bello Accenſus decurionis. qua ſignificatione accipitur apud Frontinum libr. Tribuni Cornicularius vigiles quoſdam excitauit.

Ad tit. C. de curioſis & ſtationariis.

Malè Accurſius curioſos eos appellari putat, qui vbi delicta fierent, denuntiabant. Ego puto cum Alciato curioſos eos appellari, qui commiſſa in curia Principis, vel in comitatu præſidum, per omnes prouincias referrent ad præfectos: vnde & nomen ſumpſère. Stationarij autem hoc loco pro his accipiẽdi ſunt, qui fugitiuos & ad hoſtes tranſeuntes deferunt.

Ad tit. C. de ſtratoribus.

Quæ Accurſius & cæteri antiqui interpretes hic ſcribunt, nec ex autoribus vllo modo probabilia ſunt, nec verbis legis ſat videntur congruere. De ſtratoribus plura vide apud Cuiacium, & Alciatum hic, qui Stratores hic eos accipi putat, quos Princeps varia neceſſitate mittit ad prouincias, vt nuntient aliquid: quibus tenentur prouinciales ſubinde mutare equos, vulgus vernacula lingua equitantes Principis famulos vocat.

Ad l. ius caſtrenſis. C. de caſtrenſi peculio. ad ea verba, Legione prima adiutrice.

Accurſius in interpretatione huius verbi Adiutrice, plurimùm ſe inuoluit, atque vix ſe hinc expedire poteſt. Obſeruandum igitur eſt adiutricem hic pro legionis cognomine poni. Hoc nomen Othomanæ legioni erat, quæ cum Rapace Vitellij conſeruit manus. mutabantur tamen plerunque hæc cognomina. Nam Spartianus in Hadriano ſcribit primam legionem appellatam Mineruiam: & ſecundam quoque adiutricem dictam, & hoc oſtendunt antiquæ inſcriptiones.

Ad l finalem. C. de caſtrenſi peculio. quædam obſeruata, quæ Gloſſatores omnes ignorarunt, multum tamen ad intelligentiam illius legis faciunt.

De nominibus legionum, & explicata l. fin. C. de caſt. pec. lib. 12. l. 1. C. de profeſſ. lib. 11. contra alios interpretes.

Conſtat Romanorum legiones ſpecialia nomina habuiſſe, Et prima quidem legio Adiutrix appellata eſt, quod in *l. final. C. de caſtren. pecul. lib. 12.* his verbis comprobatur: Ac ſi in legione prima Adiutrice noſtræ Reip. militent, &c. Idem & ex Cornelio Tacit. conſtat. Is enim lib. 18. Annalium: Fortè (inquit) inter Padum, Viamque, patenti campo, duæ legiones cõgreſſæ ſunt, pro Vitellio vna & viceſima, cui cognomen Rapaci, vetere gloria inſignis, è patre Othonis prima Adiutrix non antè in aciem deducta, ſed ferox, & noui decoris auida. Sed obiiciet aliquis quod in *l. 1. C. de profeſſor. lib. 11* non prima, ſed ſecunda legio nomine Adiutricis appellatur. Verba autem legis hæc ſunt: Cùm te medicum legionis ſecundæ Adiutricis eſſe dicas, munera ciuilia, quàm diu Reip. cauſa abfueris, &c. Sanè & in antiquis monumentis ſecundæ legionis Adiutricis mentio fit. Nam Romæ in vetuſto marmore ſic legitur P. Æl. Mutiano Spec. *leg. 2. adiut.* Vitalianus & Vitalis auunculi. De hac difficultate nuper mihi cum viro docto, & antiquitatum inueſtigatore experientiſſimo ſermo fuit. Is tum ex bonis auctoribus, tum etiam ex vetuſtis monumentis oſtendebat vtráque legionem, & primam & ſecundam. Adiutricis nomine appellatam fuiſſe. Vnde & Bateç in marmore ſic leg. aiebat: Schola ſpeculatorum legionum I. & II. Adiutricium piarum, &c. Sanè & in Antonini Itinerario, primæ & ſecundæ legionis adiutricium mentio fit. Quamuis apud Ptolomæum lib. 2. cap. 15. non Adiutrix, ſed auxiliaria prima legio in vulgata tranſlatione nominetur. Eam Corn. Tac. lib. 19. Italicam quoq; appellat. Inde, inquit, Cremonam pergunt, vt legioni primæ Italicæ, & vni & viceſimæ Rapaci iungeretur. Sed & Mineruia hæc eadẽ legio nominabatur, vt Spar. author eſt. Tertię legionis nomen erat Cyrenaicæ. Sic enim Romæ in antiquo marmore legitur, M. Põpeij, M. F. Am. Aſpro. leg. xv. Apolinar. cohor. III. Primop. leg. III. Cyren. Quarta legio dicta eſt Macedonica, Tac. lib. 19. Quanquam alij tradiderint: quartam Macedonicã dextro ſuorum cornu. &c. Septimam appellat Tacit. libr. 19. Claudianam, his verbis: interim Aponius Saturninus cum legione VII. Claudiana aduenit. Eadem & Galbiana ab eodem Tacito lib. 18. nuncupatur: At in Pãnonia XIII. legio, & VII. Galbiana dolorem irámq; Bebriacenſis pugnæ retinens &c. Octaua bis auguſtalis dicta eſt, idque in ſaxo antiquo Viterbij oſtenditur. Tre. Mil. leg. VIII. bis Auguſt. Q. Vrbano proq. prouinc. Cretæ & Cyrenarũ ædili. Pl. pr. legato eius Veſpaſiani leg. XIII. geminę Proc. pu. Macedoniæ. P. Tull. Varro optimo patri. Duo-
decima

decima Fulminatrix dicta eſt, vt in antiquo ſaxo Romæ extat Veterano leg. XII. Fulminat. Geminia autem appellata eſt XIII. vt ex inſcriptione, cuius paulò ante mentionem feci, apparet, Cæterum legio XV. Apolinaris nomen habuit. Sic in antiqua inſcriptione Romæ legitur: cuius verba ſupra retuli. Legio autem XX. Victrix dicitur in ſaxo vetuſto Præt. Caſt. leg. XX. vict. Vigeſima autem prima legio Rapacis nomen habet, Tacit. lib. XVIII. Poſtremo agmine vna & viceſima Rapax. &c. Idem quoque huius legionis lib. XIX. meminit, quem locum ſuprà retuli. Extat & Bononiæ monumentum cum hac inſcriptione. Qu. Manilio C. F. Cordo tr. leg. XXI. Rapac. Præfe. equit. exac. tribut. ciuit. Gall. fac. cur. cenſus lib. in agr. P. XLIV. in fr. P. XLIV. Meminit huius inſcriptionis Andr. Alc. in Annotationibus ad Corn. Tacit. lib. 17. ſed corrupte. Porro ſecunda & vigeſima legio Primiginia nuncupata reperitur in marmore quodam Romæ P. Cælio, P. F. Ser. Balbino Vibulo pio X. viro ſtlitib. iudic. VI. viro equit. Rom. turm. quint. tr. mil. le. XXII. Primig. &c. Hæc de legionum nominibus obiter annotanda duxi. Potuiſſem autem plures inſcriptiones adferre, quæ ab aliis deſcriptæ circumferuntur, ſed nolui quicquam admiſcere, quod ipſe oculis præſens non viderim. Extant & apud Alciat. lib. 6. Parerg. cap. 18. nonnulla de legionum nominibus. Eum videto. Plura vide apud Bernardinum Vualtherum in Miſcellaneis, vbi copioſius hac de re differit.

Ad l. 1. C. de cohortalibus

Malè Accurſius ad *l. 1. C. de cohortalib. lib. 12.* interpretatur ſtationarios procuratores Cæſaris, vel limina imperij cuſtodientes, vel publicarum ſtationum conductores tametſi etiam ſint milites ſtationarij ad quos pertinet inquiſitio ſeruorum fugitiuorum *l. pen. de ſeruis fugitiuis.* ſane hoc nomen non vna ſignificatione in iure noſtro accipitur. nam in primis erant electi ex agentibus in rebus qui curſui publico præeſſent. *C. de curſoribus & ſtationariis.* vt ſuis ſtationibus iumenta iis præſto eſſent, ſolebat & ad horum curam pertinere, vt quæ delicta quocunque loco fierent eis denuntiarentur, ipſique ad præſides reos captos ducerent vel mitterent. *l. ea quidem. C. de accuſationibus.* cum elogio quod Latinè Notorium dicitur, quo continebatur quid egiſſent, & quòd à ſe interrogati reſpondiſſent, & quid de ſociis & receptatoribus compeiſſent.

L. 1. C. de ſtudiis liberalibus vrbis Romæ non bellè ab Accurſio eſt explicata, vt omnibus eſt in aperto.

In *l. 1. C. de dignitatibus, lib. 12.* Ignorat Accurſius qui ſint Prætorij aut Cõſulares, cùm Conſulares aut Prætorij appellentur, qui Conſulis aut Prætoris officio functi ſunt.

Ad l. ordinarium. C. de cohortalibus.

Ad hæc verba priuſquam primipili pactum:

Accurſius in hac dictione vacillat, & modo veterem dictionem agnoſcit modo legit factum: Alciato prior lectio placet, ut dixerit Imperator, pactum propter annonam quæ dabatur primipilo, diuerſam à cæteris quod verum eſſe lex ſequens manifeſtè comprobat, etſi Accurſius ridiculam afferat interpretationem.

Ad l. C. de primipilo. lib. 12.

Quis ſit in iure noſtro primipilus, & cur eius vxor, & liberi, quamuis non heredes, Reipublicæ obnoxij ſint; quæ Accurſius ignorauit.

Primipilaris quis, & quid primipilus.

Notæ ad Accurſ.

Mirum cuiquam videri non debet, ſi explicatu difficile ſit quis in noſtra iuriſprudentia Primipilus dicatur, declarare: cùm pleroſque bonarum etiam rerum peritiſſimos ſciam ingenue faſſos, ſe, quis ille eſſet, nunquam intellexiſſe. Andr. Alciat. vir Græce Latineque impensè doctus, ex Vegetij, & Liuij authoritate, centurionem decimæ legionis, quæ cæteris præſtantior ſemper fuit, Primipilum appellatum interpretatur. Sed cur tot priuilegiis Primipilaris cauſa donata ſit, non explicat, in qua illud ſingulare præ cæteris leges obſeruari volunt: vt eius vxoris, liberorumque patrimonium, licet patris hæredes non exiſtant, fiſco ſint obnoxia. *l. ſatis notum. C. in quib. cau. pig. taci. cont. l. fi. de primipil. lib. 12. C.* ego quantũ coniecturâ conſequi poſſum, Primipilarẽ (ſic enim malo dicere, quam primipilum, quo verbo ordo potius militum ſignificatur) fuiſſe autumo principem totius legionis, nam & eum inter milites maiorem dignitatem habuiſſe, Suidas teſtatur, & tanquam caput totius legionis merita conſequuturum, & commoda, Vegetius ſcribit. Ex cuius etiam ſententia conſtat, eum Aquilæ (ſignum erat Romanorum in caſtris, quo etiamnum Cæſares vtuntur) præfuiſſe: & quatuor centurias, hoc eſt, quadringentos milites gubernaſſe. Aut, vt Halicarnaſſ. *lib. 9.* putat, centum ac ſexaginta. Quo fit apertum, in prima cuiuſque legionis cohorte, in qua Aquilam & principum imagines fuiſſe, ex eodem Vegetio liquet, fuiſſe quoque Primipilarem. Conſentiunt autem omnes, licet in militum legionum, & cohortium numero, variatum ſit: diuiſam fuiſſe apud antiquos, in decem cohortes legionem, quarum prima & militum numero, & dignitate, reliquis præcedebat. A veteribus illud quoque conſtitutum legimus, vt ex donatiuo, quod milites conſequebantur, dimidia pars apud ſigna ſequeſtraretur, ipſiſque ſeruaretur militibus, quo interim annona publica ſuſtentati eorum fieret locupletius caſtrenſe peculium, ſcienteſque fortunarum ſuarum partem apud ſigna depoſitam, de deſerendo nõ facilè cogitarent. Huius æris militaris cura, ad primipilarem pertinebat: ſimulatque pecuniæ publicæ, & ſtipendiorum militum. vt ea pro cuiuſque meritis, Primipilaris, (quem, cum Veteranus miles ad id munus ſemper eligeretur, veriſimile fuit, ſingulorum militum virtutem perſpicuè nouiſſe) diſtribueret. Horum omnium rationem reddere eum Cæſari oportebat: ex qua ſi debitor reip. ſupererat, voluit lex publicis fauens neceſſitatibus. *l. 1. C. de condict. ex l.* ob recepta militum ſtipendia, & æs militare, (quod omne apud ſe primipilarem habuiſſe, ambigendum non eſt) obnoxia eſſe, tã dotalia vxoris bona, quàm filiorum facultates, tametſi, patris heredes non extitiſſent. Cum tamen alioqui nec filius pro patre, nec vxor pro marito conuenіatur. At hoc caſu ideo, quoniam fraudatio hæc Primipilaris, ad totius reipublicæ euerſionem quodammodo ſpectare videbatur, priuatis ſuis ſtipendiis, militibus, quorum opera reſpublica defenditur, permanet & conſeruatur. Huic quoque Primipilari, Alc. exiſtimat, annonam commiſſam, vt eam inter milites per capita diuideret. Quod mihi perſuadere non poſſum alioqui abſurdè nimis dicendum, eundem fuiſſe Primipilarem, cum Præfecto legionis, ad quem armorum, equorum, veſtium, annonæque militaris curam olim pertinuiſſe, Vegetius, & alij, qui de re militari ſcripſerunt, teſtantur de eius officio, & dignitate, alia multa non inconcinnè differentes. Hæc accurate obſeruanda ſunt: cum non vno in loco, in iure noſtro, Primipili, primipilariúmque mentio fiat. *l. fi. §. ab huiuſmodi. D. de mun. & honor.* neutriúſque veram interpretationem ſint aſſecuti Accurſiani, qui pleraque deliramenta comminiſcuntur, digna certè, quæ in familia Plutonis perpetuò ſepulta iaceant. Plura vide apud Doctiſſimum virum, ex cuius obſeruationibus hæc quæ ad inſtitutum meum facerent, collegi.

NOT

NOTÆ ET ANIMADVERSIONES AD GLOSSAS ACCVRSII, ET quorandam Doctorum interpretationes, ad NOVELLAS CONSTITVTIONES.

PErperam gloſſatores noſtri Nouellæ titulum, vt ſpurium reiecerunt maluit que Accurſius barbaram & Bulgari tempore factam tranſlationem interpretari, quòd vberior ei videtur, ideoque Authenticam appellauit, quoniam ex ipſo Græco originali ad literam traducta eſſet, hæc eſt opinio Domini Alciati, apud quem de his plura videre poteris libro 2. Parergon cap. 46. Nouellas appellari hoc opus ſatius erit, quas ideo ſic dictus putat Doctiſſimus Cuiacius, quòd nouiſſimè promulgatæ ſint poſt Codicẽ repetitæ prælectionis. Cæterum illud obſeruandum eſt omnes fere, perperam & temerè veterem interpretem Nouellarum reiicere & aſpernari. eius enim interpretatio omnino reiicienda non eſt, cum propter antiquitatem, tum propter eruditionem hominis, credit Doctiſſimus Cuiacius eum Græcum fuiſſe, qui non multo poſt editionem Nouellarum rogatus Occidenti Latinam interpretationem donauerit. De cuius eruditione ſi plura ſcire vis, plura vide apud Doctiſſimumvirum libro 8. Obſeruationum cap. 40. vbi plurima notat quæ vetus ille interpres multo melius intellexit quàm Haloander, aut Scrimgerus.

Ad Nouellam 1. ad eum locum.

Malè quidam ad hunc locum huius Nouellæ, (vel ſi non id lex aliqua etiam herede ceſſante nominatim repræſentet) adiiciunt, prohibeat, aut impediat, hæc enim vel Accurſius indicat non adiecisse veterem interpretem, qui author non eſt contemnendæ authoritatis, licet multi eius interpretationes aſpernentur & reiiciant.

Ad eum locum [illegible]

Hic locus huius Nouellæ ſatis obſcurus eſt, in quo interpretando hallucinatus eſt Iulianus Patritius, qui Epitomen Nouel lorum compoſuit, niſi corruptus eſt, qui annum numerat à condemnatione iudicis. hanc enim interpretationem neque locus ille admittit, neque [illegible], nomen, quo conuentio ſignificatur. Poſt conuentionem heredi datur annus, poſt condemnationem darentur tantùm menſes quatuor, ſententia autem huius loci eſt pœnæ huius conſtitutionis hanc conditionem apponi, ſi heres poſt aditam hereditatem in annum integrum ceſſauerit in exequenda voluntate defuncti, qui tamen annus non ab aditione numerabitur, ſed ab admonitione & conuentione iudicis. Nam & ab eo tempore de legato, aut fideicommiſſo, aut libertate, aut liberto aſſignato lis peragenda eſt intra annum.

Ad Nouellam 2. de electione ſecundo nubentium.

Falſum omnino eſt, quod nonnulli interpretes exiſtimant hac Nouella 2. abrogari. *l. in quibus. C. de ſecundis nuptiis.* & hæc eſt ratio quoniam ea lex non dat electionem matri, quæ lucrata eſt donationem propter nuptias, vt cedat cam cui volet ex liberis, quam electionem hac Nouella adimit matri: ſed illa lex dat electionem filio prioris matrimonij, vt partẽ quam habet in donatione propter nuptias transferat in quem volet liberorum ſuorum, nepotum matris: quam electionem hæc Nouella non adimit filio, qui abſque dubio eandem transferat etiam in quem volet fratrum, & ſi volet præferet fratris filiis. Hæc doctiſſimè animaduertit aduerſus quorundam opinionem Doctiſſimus Cuiacius in Commentariis ſuis ad hanc Nouellam 2. apud quem plura videre poteris.

Ad eum locum huius Nouellæ, quo Iuſtinianus profitetur ſe id iam antea conſtituiſſe, peſſime notat Accurſius Iuſtinianum intelligere *l. corruptum. C. de vſu f. ult.* Intelligit enim hoc loco, & Nouella 22. Iuſtinianus conſtitutionem Græcam quæ deſideratur in titulo *de ſecundis nuptiis*. Græci adnotant eſſe eius tituli *l. 14.* referente Doctiſſimo viro.

Ad Nouellam 3.

Cum Iuſtinianus in hac Nouella diceret ſe [illegible]uliſſe eodem die legem generalem de epiſcopis & clericis, & d[illegible]conissis male Accurſius arbitratur eſſe *l. non placet. C. de ſacroſanctis eccleſiis.* quia illa lex non eſt Iuſtiniani, & hic ait Iuſtinianus ſe eam tuliſſe. Deinde quod magis [illegible] confirmat eam legem non eſſe, illa lex non eſt de Clericis, ſed de Decanis, de quibus Decanis Nouella 45. agitur. Videamus igitur quænam ſit illa lex generalis. Recte Doctiſſimus Cuiacius putat eſſe Nouellam 6. quæ quidem videtur eſſe ſpecialis, vt hæc non generalis, ſi in eius *§. penult.* legas τοῦτο τῷ ἰδικῷ νόμῳ. Sed vetus interpres legit melius, ταῦτα νῦν ἰδικῶ. Loquitur enim de clericis Conſtantinopolitanis, quorum ſe numerum ait ſpeciali lege definiſſe hac ſcilicet Nouella 3. Quum vero vtraque Nouella eundem diem ſubſcriptum habeat tam generalis illa quam ſpecialis hæc, huius initium tale eſſe debet. Iam quidem communi & generali lege non iampridem vel dudum, & hoc magis confirmat Nouellam 6. eſſe, de qua meminit Iuſtinianus in Nouella 3. id eſt, vel maximè quod ea Nouella 6. de ea re agat, quæ ſcilicet vbique gentium clericos ad veterem numerum ab eccleſiarum ædificatoribus inſtitutum & bene commenſum cum facultatibus, quas eiſdem eccleſiis donabant redigi iubet, nemine allecto in locum defunctorum, quoad is vero ſuo numero reſtitutus fuerit.

Ad Nouellam 4. de fide iuſſoribus

Pauci admodum interpretes intellexerunt quis ſit ſenſus eiuſdam §. huius Nouellæ, quem vetus interpres fit ad verbũ rectè interpretatus eſt. Idem eſt dicere etſi quoſdam habuerunt omnes ij ſibimet obligatos; & qui hypothecariis actionibus teneri poſſunt, Doctiſſimus Cuiacius nihil mutandum cenſet, & rectè putat perperam apud Harmenopolum *lib. 3. tit. 6.* aliter legi, ſed de ſententia quæritur. Dixerat ante Iuſtinianus creditorem agere hypothecaria aduerſus poſſeſſores rerum fideiuſſores, mandatores pecuniæ conſtitutæ rei ſubiicit hac clauſula, poſſe et aut eum agere aduerſus debitores harum omnium acceſſionum, & aduerſus eos qui eiſdem hypothecariis actionibus teneri poſſunt, hæc eſt ſententia loci huius difficillimi, de cuius interpretatione ſi plura ſcire vis, vide cap. 19 lib. 8. Obſeruationum Domini Cuiacij, vbi hunc locum fuſius explicat, & facilem reddit.

Ad Nouellam 5. de monachis.

Videamus hic an verum ſit quod Accurſius notat monachiſmum eſſe capitis minutionem. Ego cum Doctiſſimo Cuiacio puto monachiſmum non eſſe capitis minutionem, quia monachiſmus nec ciuitatem, nec libertatem, nec familiam adimit Non omnis ſtatus mutatio, capitis minutio eſt. Manumiſſio non eſt capitis minutio: ſenatu motio non eſt capitis minutio, ergo nec monachiſmus eſt capitis minutio: nam & ius legitimarum hereditatum monachi habent. *l. vlt. §. hoc etiam. C. de epiſcopis & clericis.* & ante hanc Nouellam habuerunt bona propria & teſtamenti factionem *l. generali. C. de ſacroſanctis eccleſiis.* quaſi ciues & irritum teſtamentum non fit monachiſmo, quod tamen conſtat irritum fieri capitis minutione, etiam minima. Idque hac Nouella probat & 76. Sed ſi ante monachiſmum teſtamentum non fecerit ex hac nouella non poteſt monachus poſtea facere teſtamentum. Omnia enim quæ eius fuerunt propria tacito iure ad monaſterium tranſeunt, excepta Falcidia debitæ ſucceſſionis quæ liberis ſeruatur.

Ad

Digitized by

Ad Nouellam 12.

Malè Accurſius ad nuptias legibus interdictas hanc Nouellã trahit, nec valet ratio qua mouetur. nam & verbo *ἀθέμιτος*, quo mouetur, illæ tantùm nuptiæ ſignificantur, quæ ſunt naturæ contrariæ. Idem quoque Accurſius & Harmenopulus malè differentiam faciunt inter nefarias & inceſtas nuptias. nam hæc Nouella & *§. ergo inſtitut. de nuptiis.* nuptias naturæ contrarias promiſcuè appellat inceſtas nefarias damnatas vno facinore notato variis appellationibus.

In Nouella 15. malè Accurſius opinatur emancipationes vel manumiſſiones fieri apud defenſores poſſe, quum *l. penult. & vl. C. de emancipatione liberorum*, iudices exigant, apud quos ſit legis actio. hæc enim pendent ex præſidũ imperio & forenſi magnitudine digna ſunt, vt quum emancipandus vel manumittendus quis eſt. Vide Cuiacium.

Ad Authenticam de nuptiis. §. mitiores.

Mirandum non eſt verba huius §. ab Accurſianis intellecta nõ eſſe. ſeparãda enim aliter ſunt, quàm ab eis factum eſt. & ita ſcribendum eſt, mitiores itaque nuptiarum ſolutiones quæ generali ſermone bona gratia ſolutæ dicuntur eiuſmodi propemodum eſſe ſciendum eſt: & non multò poſt. *§. ſic itaque in fine.* ſubſtantiam illam meritò ſecundùm noſtras leges æſtimantes eſſe, quæ pura debitis videatur, ratio quoque ex ipſis cauſis pro cautione procedat, poſt verbum videatur ſcribendum, quæ de his cauſis dicta ſunt, è contrario quoque procedant.

Ad Authenticam de æqualitate dotis.

Malè Accurſius in hac Nouella Ænigma ſpeculum interpretatur. ſicut enim, inquit ille, in illo videtur eſſe quod non eſt: ita in ſupraſcripto pacto videbatur ſubeſſe æqualitas, cùm verè nulla eſſet. ſanè hæc interpretatio abſurda omnino eſt: nam Ænigma hoc ſenſu accipi nuſquam legitur: quid verò ſit Ænigma, neminem puto eſſe qui ignoret.

Ad Nouellam 18.

Malè Accurſius ad hanc Nouellam, Falcidiam non ex exiſtimatione deduci, ſed ex fructu hoc loco putat. repugnat enim *l. computationi. ad l. Falcidiam.* repugnat. *§. ſi vſusfructus. l. 1. D. ad legem Falcidiam.*

Cùm aduerſus eum qui teſtamentum facere prohibuit ſit actio in ſimplum, male Accurſius notat eſſe in duplum ex Nouella 134. quum in ea non aduerſus eum qui prohibuit teſtamentum fieri, proponatur actio, ſed aduerſus præſidem qui pecuniam extorquet ab his qui taſtamentum faciunt, vt eis ſcilicet quum extorſerit, in duplum reddat? Datur ergo ea dupli actio teſtatori, ſuperior non datur teſtatori. Malè etiam Accurſius putat eum cui defunctus teſtamento legatum aut fideicommiſſum relicturus erat, habere petitionem legati aut fideicommiſſi aduerſus fiſcum, quia legati aut fideicommiſſi petitio non eſt ex imperfecta voluntate, *l. ex ea. D. qui teſtamenta facere poſſunt.* aut ſi legati petitio eſt, cur non erit etiam hereditatis? Ille tamen rectè ait, eis quibus legatum relictum eſt teſtamento quod teſtator mutare prohibitus eſt fiſcum teneri, *l. 2. §. vlt. ſi quis aliquem teſtari prohibuerit. l. 3. §. vlt. ad Trebellianum.*

Ad id quod dicitur hac Nouella 18. filio arenario querelam inofficioſi denegari, denegari & bonorum poſſeſſionem, vnde liberi, quæ ordinat litem de inofficioſo. malè Accurſius bonorum poſſeſſionem contra tabulas dari putat. nam hæc exheredato non datur

Quod ad hanc eandem Nouellam pertinet, Accurſius in *l. 2. §. 1.* ad Tertullianum, illuſtrem matrem ſpurio non ſuccedere putat forſitan male. nam *l. penult.* de hereditate matris loquitur non de hereditate ſpurij filij, de Senatuſconſulto Orphitiano, non de Senatuſconſulto Tertulliano.

In Nouella 20. vbi dicitur, [illegible] non intelligit Iuſtinianus *l. vltim. C. de temporalibus appellationibus*, vt male Accurſius opinatur, ſed intelligit Nouellam 23. quæ ſcripta eſt Triboniano illuſtri magiſtro officiorum, & quæſtori ſacri palatij, ſic eſt reſtituenda inſcriptio Nouellæ 23. Eadem ſcripta fuit etiam ad Iohannem præfectum prætorio Orientis, ad quem hæc mittitur, ſicut & retrò & hanc miſſam opinatur Cuiacius ad Tribonianum quæſtorem.

Ad nouellam 33.

Ad eam partem huius Nouellæ, quæ agit de recuſationibus, male Bulgarus putat magiſtratum non poſſe recuſari. id enim falſum eſt, ſi iudicet extra ordinem Nouella 96. frequentiùs tamen eſt ei collegam adiungi Nouella 13. & 86. Martinus quoque in hac quæſtione recuſationum, recuſandum eſſe iudicem ante litem conteſtatam malè colligit ex *l. nemo. C. de iuriſdictione omnium iudicum* quum non de recuſatione ſuſpecti ea lex loquatur ſed de præſcriptione fori, quæ opponenda etiam eſt ante litem conteſtatam, *l. vlt. C. de exceptionibus. l. ſed & ſi ſuſcepit. in principio, de iudiciis.* & ſimili errore Bulgarus ſuæ ſententiæ perperàm addit exceptiones, quas Accurſius notauit in *l. apertiſſimi. C. de iudiciis.* ex legibus, que ſunt de incompetenti iudice, non de ſuſpecto, inter quos eſt magna differentia. Nam incompetentis Iudicis forum declinatur poſita præſcriptione fori Suſpecti iudicium recuſatur per libellum, vel apud acta, *l. vlt. C. de iudiciis.*

Ad nouellam 22.

Malè Accurſius in *§. ſin autem. Nouellæ* 22. putat anterius matrimonium dici comparatione ſecundi quod ſequutum non eſt. Dicamus anterius hìc dici, vt prius legis initio.

Ad Nouellam 51.

Accurſius vera quidem dicit, ſed ea non poſſunt colligi ex hac Nouella, ſed ex alia, vt quod ſcribit ex hac Nouella, ſcenicam quæ reſipuit, cuilibet etiam illuſtri clariſſimo nubere poſſe ſine reſcripto principis cõtra *l. imperialis Cod. de Nuptiis.* Verum quidem illud eſt, eam mulierem hodie nubere cuilibet poſſe ſine reſcripto ſpeciali: ſed hoc eſt ex Nouella 89. & 117. non ex hac Nouella quæ iuriſiurandi in honeſti tantùm gratiam facit ſine reſcripto ſpeciali.

Ad Nouellam 52. citat Accurſius *legem vltimam. Cod. vnde vi. & legem vltimam. Cod. locati.* quæ leges profectò nihil ad eam rem faciunt, citare potius debuit *l. 4. Cod. de executionibus & exactionibus.*

Ad Nouellam 53.

Ad eum locum huius Nouellæ, in quo de pœna periurij agitur, vulgò interpretes in multis errant. Statuunt enim certum tempus alij triginta annorum, alij vnius anni poſt miſſionem in poſſeſſionem, intra quod copiam ſui facere reus poſſit, & bona ſua recipere: id eſt, intra quod vendi bona non poſſint. Item in eo etiam errant, cùm dicit Iuſtinianus actorem mitti in poſſeſſionem bonorum pro modo debiti. exiſtimant eum mitti in rem, aut in partem aliquam bonorum pro quantitate debiti, atque ita corrigi edictum Prætoris, quo non tantùm fit miſſio in vniuerſa bona mobilia & immobilia: ſed etiam venditio vniuerſorũ fit. nec quid ſupereſt, id redditur debitori: hoc enim vt reliquum debitori reſtituatur certis tantùm perſonis datum eſt, *l. Fulcinius. §. adeò. Quibus ex cauſis in poſſeſſionem eatur.* Id verò corrigi hac Nouella certe falſum eſt, cùm generaliter dicat actorem mitti in poſſeſſionem bonorum, & bona habere, & reuerſum Dominum bona recipere. Intelligit igitur omnia bona non res certas, nec mouemur his verbis pro modo debiti nec enim ſunt pugnantia mitti in vniuerſa bona, & mitti pro modo debiti, quia venditione facta portionem ſinguli creditores ferent pro rata debiti,

Malè interpres ad eandem Nouellam ſcribunt, Iudicem delegatum pronuntiare de actore mittendo in poſſeſſionem bonorum, cùm hoc ſit Imperij ſine Iuriſdictione, & ob id pignus prætorium dicitur. Delegatus autem neque Imperium habet, neque Iuriſdictionem. In hoc igitur falluntur valdè interpretes: iidem malè delegatum confundunt cum eo cui mandata eſt Iuriſdictio. Malè iidem ſtatuunt actorem priùs mittendum eſſe in bona mobilia, deinde immobilia tum nomina. Hic enim ordo quem hic præſcribunt ſeruatur tantum in pignore capto extra ordinem ex cauſa iudicati, non in pignore prætorio quod in vniuerſa bona & iura conſtituitur, *l.1. C.de prætorio pignore.*

Ad Nouellam 60.

Nota Iulianum Anteceſſorem, Iohannem & Accurſium rectè ſentire, huic Nouellæ locum eſſe tam in ciuilibus quàm in criminalibus, vt & Tituli latior inſcriptio id probat. Quanquam non ſit ſemper ex Titulis Nouellarũ neceſſaria argumẽtatio, propterea quod arbitrio ſunt ſtudioſorum, non authoritate Iuſtiniani conficti illi Tituli & idcirco tã varij alij Iuliano Patritio, alij veteri Interpreti, alij Haloãdro, alij Scrimgero, alij Baſilicis, atque Indici noſtro. Male cõtrà Martinus in cauſis tãtùm criminalibus huic Nouellæ locum eſſe putat, cùm & in ciuilibus etiam locum ei eſſe probari poſſet multis exemplis, ſi opus eſſet.

Ad nouellam 119

Quod in Nouella accipiendum eſt de eo qui incapax eſt tantùm pro parte. malè Accurſius in eo qui nihil omnino capere poteſt, ſtatui poſſe putat. Cuius rationes nullomodo valẽt, mouetur primùm *l.1.§.ſed ſi legatum.C.ſi quis aliquẽ teſtari prohibuerit. l.legatarius. D.de excuſationibus*. quæ leges nullo modo pro illo faciunt, quia de indigno loquuntur, non de incapaci. Indignus legatum capit propter fideicommiſſarium.

Ad tertium caput huius Nouellæ mirum eſt Accurſium omiſiſſe legem vltimam. *D.de probationibus*. quæ multùm faciebat ad confirmationem eorum quæ hoc capite proponebantur, & alias citat Accurſius leges, quæ ſunt de exemplo alterius ſcripturæ, de qua nihil planè hoc capite agitur.

Ad Authenticam vt præponatur nomine Imperatoris §.ſi qua verò.

Diuini numinis inuocationem, in Inſtrumentis neceſſariam eſſe: licèt communis Doctorum opinio aliud doceat.

Quærunt Doctores *in Rub. D. de oper. noui nunc.* an de inſtrumenti ſubſtantia ſit diuini numinis inuocatio. Et communior opinio eſt: de ſubſtantia non eſſe. Quam opinionem Andreas Alciatus, cùm dictam Rùbr. me auditore, in Ticineſi Gymnaſio publicè interpretaretur, his fere argumentis quæ ſequuntur confirmabat. Primò, quia gloſſ. *in l. iuriſgentium. §. quod ferè. D. de pact. & in l. generali. C. de tabulariis. lib.*10. inter ea quæ ad inſtrumenti ſubſtantiam pertinent, diuini numinis inuocationem non numerant. Secundò, in iure cautum non reperitur, in inſtrumento inuocationem diuini numinis neceſſariam eſſe: ergo qui id dicit, probare debet, *l. ab ea parte. D. de probat.* Tertio non ſunt inducendæ nouæ formulæ, quæ inſtrumenta infirment. *l. quoties D. de verborum obligat.* cum probationes potiùs ſint ampliandæ quam reſtringendæ, *l. curet. D. de teſtib.* Quartò cùm inſtrumenta probationis cauſa fiant, *l.1. D. de fide inſtru.* ſicut in teſtimoniis cæteriſque probationibus, inuocatio neceſſaria non eſt: ita & in inſtrumentis cenſeri debere. Verum pro diuerſa opinione: Maximilianus, primus eius nominis Imperator in Comitiis Colonienſibus, anno poſt Chriſtum Ieſum natum 1512. edicto cauit in inſtrumentis publicis, diuini numinis inuocationem fieri debere. Quod edictum ratione non caret. Nam ſi nomen Imperatoris præponendum eſt in inſtrumentis, vt in *Auth. vt præpo. nom. Imp.* multò magis diuinum nomen præponendum erit. Et quamuis Alciatus in d. Rubr. huic argumento reſpondere conatus ſit: tamen eadem opinio aliis quoque argumentis, & legibus probari poteſt. Nã in *§. ſi qua verò in Auth. vt præpo. nom. Imper.* dicitur documentum mox Deo authore inchoandum eſſe. Nec deeſt exemplũ inſtrumenti in cap. in nomine, 23. diſtinct. in quo diuini numinis inuocatio fit, his verbis: In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti & Saluatoris ab incarnatione eius, anno milleſimo ſexageſimo nono, menſe Aprili, Indictione duodecima. Vbi gl. dicit, hæc ſunt verba Notarij. Nec argumenta ab Alciato adducta communem opinionem ſatis tuentur. Nam quod primo loco ex gloſſ. *in d. §. quod ferè & in d. l. generaliter.* adducebat: reſpondeo, gloſſæ auctoritatem probabilem quidem eſſe, ſed non neceſſariam. vt gloſſa ipſamet fatetur in *l. ſed licet. D. de offic. præſid.* Quod verbò ſecundo loco Alciatus aſſerebat, nullo iure probari, inuocationem in inſtrumentis neceſſariam eſſe: id aliter ſe habet: Nam ſuprà oſtendi in *d. §. ſi qua verò*, inuocationem requiri. Idémque exemplo à me comprobatum eſt, *d.c. in nomine.* Quod tertio Alciatus adducebat, probationes nouis formulis reſtringendas non eſſe: reſpondeo, hanc nouã formulam dici non poſſe, quæ ante tot ſecula introducta & in vſu fuit, vt ſuprà ex *d. §. ſi qua verò. & d. cap. in nomine.* oſtendi. Ad quartum Alciati argumentum, facilis eſt reſponſio. Nam quod argumentatur, in teſtificationibus, & aliis probationibus, inuocationem diuini numinis nõ requiri, ergo nec in inſtrumentis: reſpondeo, hanc non eſſe conſequentiam neceſſariam. Etenim in aliis probationibus præpoſitio Imperatorij nominis neceſſaria non eſt: & tamen in inſtrumentis requiritur, in *auth. vt præpon. nom. Imper.* Hæc enim diuerſa ſunt. A diuerſis autem illationem non fieri notum eſt. *l. Papinianus exuſt. D. de minoribus.* Plura vide apud Bernardinum Vvaltherum in Miſcellaneis.

Ad Authenticam, quia verò, vt ſine prohibitione matris. 94.

Conſtitutionem §. quia verò. in Auth. vt ſine prohib. mat. hactenus perperàm acceptam eſſe.

In *§. quia verò. in Authent. vt ſine prohibitione matr.* traditur, matrem non aliter ad filij tutelam admitti, quàm ſi ſecundis nuptiis S.C. Velleiano, & alij omni legum auxilio renuntiauerit. Sed huic conſtitutioni obſtat quod traditum eſt, generalem renuntiationem exceptionum non valere, *l. ſed etſi. §. quæſitum. D. ſi quis caut.* Vt meritò nec mater omni legum auxilio in genere renuntiare poſſit, Doctores noſtri varias eius rei cauſas adferunt. Aliud enim Bartolo, aliud aliis viſum eſt, Et quot ſunt capita, tot ferè rationes ab illis traduntur. Quæ tamen rationes omnes a Iaſone cæteriſque recentioribus in *d. l. ſed etſi. §. quæſitum*, confutantur. Ego arbitror, Doctores fruſtrà in hac re rationem quærere. Et enim in *d. §. quia verò* nuſquam reperio renuntiationem à matre in genere fieri poſſe. Quamuis enim illic dicatur, matrem omni legum auxilio renuntiare debere non tamen his verbis exprimitur, an auxiliis legum in genere, an verò cuilibet auxilio in ſpecie renuntiare debeat. Nam & in ſpecie omnibus legum auxiliis renuntiari poteſt, ſi quodlibet auxilium in ſpecie exprimatur. Standum igitur erit communi regulæ *d. d. l. ſed etſi. §. quæſitum.* vt neceſſe ſit, matrem omnibus legum auxiliis, ſpecialiter & ſigillatim renuntiare. Receptiſſimum enim eſt, vt lex noua ex lege antiqua interpretationem recipiat, *l. ſed & poſteriores. D. de legibus*, Bartolus in *Auth. ſed cum teſtator. C. ad leg. Falcid. cum concord.* Plura vide apud Bernardinum Vvaltherum.

Ad Authenticam 115. vt cùm de appellatione cognoſcatur. §. aliud quoque capitulum & §. hæc autem diſpoſuimus.

An neceſſe ſit filiis legitimam iure. inſtitutionis relinquere, & de intellectu §. aliud quoque capitulum. & §. hac autẽ diſpoſuimus, in Auth. vt cùm de appel. cognoſc. & §.1. in Auth. de triente, & ſemiſſe, contra cæterorum interpretum opinionem.

In *§. aliud quoque capitulum. in Auth. vt cùm de appell. cognoſcend.* hæc conſtitutio extat. Sancimus igitur nõ licere penitus patri vel matri, auo vel auiæ, proauo, vel proauiæ, ſuum filium vel filiam, vel cæteros liberos præterire, aut exhæredes in ſuo facere teſtamento, nec ſi per quamlibet donationem, vel legatum vel fideicõmiſſum vel alium quemcumq; modũ eis dederit legibus definitã portionẽ, niſi forſitan probabuntur ingrati, &c. Cæterùm quod in hac Conſtit. datur legitimã liberis ſolo inſtitutionis titulo, relinqui debere: id in *d. §. hac autẽ diſpoſuimus. eod. tit.* his verbis, quæ ſequuntur, declaratur. Hæc autem

diſpo-

diſpoſuimus, vt parentes & filios à teſtamentorum iniuria, liberos reddamus. Cæterùm ſi qui heredes fuerint nominati, etiam ſi certis rebus iuſſi fuerint eſſe contenti, hoc caſu teſtamentum quidem nullatenus ſolui præcipimus: quicquid autem minùs eis legitima portione relictum eſt, hoc ſecundùm noſtras alias leges, ab heredibus impleri. Sola enim eſt noſtræ Serenitatis intentio à parentibus, & liberis iniuriam præteritionis, & exheredationis auferri. Ex his verbis apparet, parentes neceſſe habere filiis legitimam iure inſtitutionis relinquere, Ita tamen vt non teneantur, in quota hæreditatis, ipſas inſtituere, ſed ſatis eſſe, ſi pro quantitate legitimæ in re certa, ipſos heredes inſtituant. Sed contrarium videtur conſtitutum in *§.1. in Authent. de triente & ſemiſſe*. nẽpe legitimã nõ ſolùm iure inſtitutionis, ſed etiam iure legati, & fideicommiſſi filiis relinqui poſſe. Verba autem d. §.1. hæc ſunt: Hæc nos mouerũt corrigere legem, & non eam deſpicere: ſemper erubeſcentes, talique modo determinare cauſam, vt ſi quidem vnius eſt filij pater, aut mater, aut duorum, vel trium, vel quatuor non trientem eis relinqui ſolum, ſed tertiam propriæ ſubſtantiæ partẽ, hoc eſt, vncias quatuor: & hanc eſſe definitam menſuram vſque ad prædictum numerum. Si verò vltra quatuor habuerit filios, mediam eis totius ſubſtantiæ relinqui partem, vt ſexuncium, vel ſexuncium diuidendo, & hoc non ſub iniuſta circũſtantia rerum (forſitan enim ob hoc non ſub iniuſtitiam patiuntur: aliis quidem meliora, aliis verò deteriora) ſed quòd contigerit vnum quemque per omnia æquum eſſe in qualitate & quantitate, ſiue quis, illud inſtitutionis modo, ſiue per legati, idem eſt dicere, & ſi per fideicommiſſi relinquat occaſionem: licebit enim ei reliquum octuncium forte, aut ſexunciũ habere, & largiri, ſicut voluerit filiis ipſis, aut quilibet extraneorum. Harum conſtitutionum antinomiam gloſſ. in Auth. nouiſſima (quæ Authent. tranſumpta eſt ex *d. §.1.*) *C. de inoffic. teſt.* ſic diluit, vt lex in d. §. aliud quoque capitulum, locum habeat in teſtamento ſolenni: textus autem in d. §.1. in teſtamento minùs ſolenni: ita quidem, vt in teſtamento ſolenni neceſſe ſit liberis legitima iure inſtitutionis relinqui: in teſtamento autem minùs ſolenni ſatis ſit, ſi per legatum, vel per fideicommiſſum, vel alio quocunque modo legitima relinquatur. Et hanc opinionem ſequitur Iaſon in *d. Auth. nouiſſima*. vbi illam quatuor argumentis defendit, Sed alij Doct. communiori calculo dicunt, *dictum §.1. per d. §. aliud quoque capitulum*, hodie correctum eſſe: adeo vt non obſtante d. §.1. hodie legitima filiis iure inſtitutionis relinqui debeat. Sed neutra iſtarum opinionum mihi probatur. Nam quod gloſſ. & Iaſ. in *d. Auten. nouiſſima*, dicunt, in teſtamento minùs ſolenni, liberis citra titulum inſtitutionis legitimam relinqui poſſe, obſtat text. in *§. nos igitur in Auth. de teſtam. imperfect.* vbi requiritur, vt parentes etiam in imperfectis teſtamentis (ſic enim appellantur teſtamenta minùs ſolennia inter liberos condita, *l. hac conſultiſſima. §. ex imperfecto. C. de inoffic. teſtam.* Vbi gloſſ. & Bart) liberos heredes inſtituant. Verba autem *d. §. nos igitur*, hæc ſunt: Si quis literas ſciens, inter ſuos filios voluerit facere diſpoſitionem, primùm quidem eius ſubſcriptione tempus declaret, deinde quoque filiorum nomina propria manu ad hoc vncias, in quibus ſcripſit eos heredes, non ſignis numerorum ſignificanda, ſed per totas literas declarandas: vt vndiq. clare & indubitanter conſiſtant. Si verò etiam rerum voluerit facere diuiſionem, aut in quibuſdam rebus certis, aut omnes, aut quaſdam inſtitutiones ſtatuere, & harum inſcribat ſignificationes vt eius literis omnia declarata nullam vlteriùs contentionem filiis relinquat, &c. Ex hac quidem conſtitutione, bis apparet, inſtitutionem in teſtamento minùs ſolenni, hoc eſt imperfecto, inter liberos condito inſtitutionem requiri. Primo his verbis, Quibus ſcripſit eos heredes. Deinde ſequentibus verbis: inſtitutiones ſtatuere. Merito igitur gloſſæ & Iaſ. opinio recipi non poteſt, vt in teſtamento minùs ſolenni, filiis citra inſtitutionem legitima relinqui poſſit, ſed nec cæterorum doctorum opinio recipi poteſt, vt *dictus §.1. per d. §. aliud quoque capitulum*, correctus ſit. Nam in *d. §. aliud quoque capitulum*, nulla correctionis mentio fit, ſed additionis duntaxat. Dicit enim textus, *aliud quoque capitulum*, præſenti legi addendum eſſe: non autem dicit corrigendum. Nec veriſimile eſt, Iuſtinianum Imper. in eodem Authenticorum libro, conſtitutiones, ſe ipſas corrigentes inſerere voluiſſe: cùm nemo præſumatur ſeſe incontinenti corrigere. Imò lex in d. §.1. expreſſim dicit legitimã filiis ſub triente, vel ſemiſſe relinquendam: vt appareat iure inſtitutionis id fieri debere. Nam quota hæreditatis inſtitutionem denotat. *§. hæreditas. Inſtit. de hered. inſtit.* Ego igitur putarim totam hanc controuerſiam ſic definiendam eſſe, vt conſtituamus regulam: Non ſatis eſſe, ſi teſtator liberis legitimam, iure legati, vel fideicommiſſi, vel alio ſimili modo relinquat: Sed opus eſſe, vt liberos in legitima inſtituat. Illud probatur in *d. §. aliud quoque capitulum. & in d. §. nos igitur. in Auth. de teſtam. imperfect. & in d. §.1. de triente & ſemiſſe*, vt ſupra induxi. Hæc regula limitatur, vt parentes non teneantur liberos in tota quota hæreditatis inſtituere, ſed ſatis eſſe, ſi pro quantitate legitimæ, in re certa ipſos heredes inſtituant. Et hoc modo procedit text. in *d. §. hæc autem diſpoſuimus.* Porrò, eadem regula limitatur etiam, vt quamuis parentes teneantur liberis legitimam iure inſtitutionis relinquere, *d. §. aliud quoque capitulum, & d. §. nos igitur. & d. §.1.* Attamen permittitur parentibus, vt legitimã liberis non totam in quota relinquant, ſed partem illius, iure legati, & fideicommiſſi illis relinquere poſſint. Et hoc forte eſt, quod in *d. §.1. in Auth. de triente & ſemiſſe*, dicitur, trientem, & ſemiſſem, hoc eſt, legitimam iure legati, & fideicommiſſi liberis relinqui poſſe. Vt intelligamus in d. §.1. parem liberos non in tota quota hereditatis, ſed in parte duntaxat legitimæ inſtituiſſe. (Quod quidem facere poteſt, iuxta *dictum §. hæc autem diſpoſuimus*) eundemque patrem certas res liberis iure legati, vel fideicommiſſi reliquiſſe. Hoc caſu res legatæ, & fideicommiſſæ, liberis non minùs in legitimã imputabuntur, quàm pars legitimæ, iure inſtitutionis illis relicta. Idque ratione non caret, cùm etiam antiquo iure legata, & fideicommiſſa in ſupplementum legitimæ liberis imputari ſolita ſint, *l. omnimodo. in princ. l. ſcimus. in princ. C. de inoffic. teſt.* Hæc in medium adferenda eſſe duxi: in quibus tamen pro certo nihil affirmo. Vix enim negari poteſt quin textus dicti *§. aliud quoque capituli. & d. §.1. aperte inter ſe pugnent.* Id ſi concedatur, neceſſe erit alterum textum ab altero corrigi. Faciliùs autem concederem *dictum §. aliud quoque capitulum per d. §.1. quàm dictum §.1. per d. §. aliud quoque capitulum*, corrigi. Nam text. in d. §.1. expreſſim correctionis mentionem facit, ibi hæc nos mouerunt corrigere legem: Quod non eſt in *d. §. aliud quoque capitulum.* Illic enim nulla correctionis fit mentio, ſed additionis duntaxat. ibi, aliud quoque capitulum præſenti legi addendum eſſe perſpeximus. Háncque ſententiam ſi ſequamur, conueniet iuri ciuili cum iure canonico. Nam ſecundùm canones legitima quocunque titulo relinqui poteſt, vt communi opinione receptum eſſe Alex. in *l. inter cætera. D. de liber. & poſthum.* refert. Plura vide apud Bernardinum Vvaltherum in Miſcellaneis obſeruationibus.

NOTAE AD GLOSSAS ET INTERPRETATIONES DOCTORVM in quatuor libros Feudorum, in quibus, quemadmodum in ſuperioribus, interpretationes minùs idoneæ reiiciunt, & meliores in medium proferuntur.

PRAEFATIO

Ad notas in gloſſas ad libros Feudorum.

CVM libris Feudorum operam darem mirabar, & verò mirari ſatis non poteram, eiuſmodi materiam tam lucroſam, nobilem, vtilem, vtiliſſimam: quinimò neceſſariam tot opinionum myriadibus ac errorum tenebris innolui, inſpectis etiam quotquot inuenirre potui Feudorum Commentatoribus (qui ſunt tres & quadraginta numero) & quorundam locorum conſuetudinibus ipſius Oberti & Gerardi, necnon interpretum compilationē, quicquid illud eſt attribuendum vidi. quis enim methodum, quis eloquentiam? quis aliquando certi quid in iis libris ſibi polliceri poteſt? Interpretes enim omnia confudere, præter hoc, quod ipſi methodici magis amethodi ſint, & riuulos potius ſectentur, quam quid à fontibus hauriant: ideoque falſas & textui contrarias opiniones aliquando nobis obtrudant, vt ſit nulla Iuris pars inferiore loco, quam Feudalis, nulla peiore conditione, quàm illa, quæ de Feudis eſt, & iure militum, militari nec tamen illepido ſermone conſcripta. Nam vt doctiſſimus præceptor meus Dominus Cuiacius obſeruauit, quæ cæteras ſe tenere profitētur, hāc reiiciunt quaſi barbaram: vel qui in hanc potiſſimùm operam ponunt ſuam, facilè damnum patiuntur cæterarum: hos abhortet: illos adpetit ipſa quidem vehementer. verùm hi contra depereunt illam ſoli, illi deſpiciunt ſolam, ac proinde ab vtriſque miſera, errat ſæpenumerò ad villicos rerum ſine doctrina Iuris prudentiores, nonnunquam æſtimatores, quam ſint illi quos dixi Iuris vtriuſque conſiliatores ſemidocti. Hæc eſt opinio doctiſſimi Cuiacij de his Feudorum libris, quæ ſane veriſſima eſt nulla enim ineptiore methodo, quàm Feudalis, nulla viliore phraſi, nulla denique minùs eſt explicata materia quàm Feudalis, quæ tamen inter reliquas tantum caput extulit materias.

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Scilicet in vſu frequens eſt & neceſſaria materia Feudalis, de rebus arduis agit, hominum præcipue nobilium negotia tractat, de feudo comitatus, Marchiæ, Ducatus & Imperio loquitur, Imperium conſeruat, auget, protegit, honorat, hoſtem terret, ac exarmat, ciuitates milite ſeruat: patricios, honore prærogatiua, titulis ſibi deuincit, populum obſequio fouet, omnium præſidiorum tutiſſimum ſibi refugium parat, extruit ac in omne æuum duraturum regnum pollicetur. Deniq. nulla eſt in toto iure materia, quæ pleniore interpretatione indigeat, quàm iſta. qua in re cùm interpretes pluribus in locis grauiter errauerint, conſtitui in his notis eorum errores detegere, vt & in ſuperioribus notis noſtris ad Gloſſas in Digeſta, Codicem & Inſtitutiones fecimus. Faxit Deus, vt ad finem cum laude & gloria eius perueniamus.

Quæ ſit etymologia vocabuli Vaſallus.

Quæſitum eſt, quæ Vaſalli Etymologia ſit. Aluarot. *in prælud. feudor. quæſt.* 7. Vaſallum quaſi Vadem, hoc eſt, obſidem dictum eſſe ſcribit. Verùm hac de re vir quidam multæ eruditionis ſententiam ſuam ad me perſcripſit: Videri ſibi nomen Vaſalli ex Græco ſermone deriuatum eſſe: nempe à verbo Baſilicus, hoc eſt, Regius: vt Vaſallus dicatur quaſi Regius. Quod ſi ita eſt, conſequens erit, eos ſolùm Vaſallos ab initio dictos ſi eſſe, qui feuda Regia, ſeu Regalia (vt noſtrates appellant) poſſidebant. Sunt enim feuda alia Regalia, alia non Regalia. vt tradit Iaſon in *prælud. Feud. quæſt.* 8. Sed pleriſq. fortè veriſimilius videbitur, vocem hanc, nec à Græca, nec à latina lingua deriuatam, ſed barbaram potius eſſe: vt & pleraque alia in feudorum vſibus barbariam ſapiunt. Vide Vvaltherum.

De etymologia vocabuli Feloniæ in vſibus Feudorum.

Quæſitum eſt, quæ ſit Etymologia vocabuli Feloniæ, in vſibus feudorum. Et non deerunt fortaſſis, qui putabunt Germanicum vocabulum eſſe. Nam apud Germanos Fellig ait Caducitatem ſignificat. Eſt autem Felonia nihil aliud quam caducitas. Et hæc quidem Etymologia eò veriſimilior eſt, quòd Iacobus Aluar. in *cap. 1. §. domino colum. 1. ſi de feudo fuer. contro.* Feloniam Longobardicam vocem eſſe ſcribit. Conſtat autem veteres Longobardos, à Germanis originem traxiſſe.

Probatum aduerſus vulgarem opinionem interpretum Feudum non eſſe contractum.

Ne dixeris feudum eſſe contractum, licet inueterata ſit opinio Feudum eſſe contractum innominatum & ſtricti iuris: Nam huic ſententiæ vulgari plurima aduerſantur, primùm quòd ſi feuda regalia ſunt quæ à principibus conferuntur non contractus, ſed pactiones publicæ appellari debent. argumento *l. 5. D. de pactis*, ſi vero feuda regalia non ſint, ſed inferiora, multo minus contractus dicentur: & ratio hæc eſt, quia contractus de re priuata & familiari, & quæ in commercio eſt, fiunt, *l. 7. §. ſi paciſcar. D. de pactis. l. Inter ſtipulantem. 83. §. ſacram. D. de verbor. obligationibus*, feudum autem eſt clientela potiſſimum ad caput & ſalutem ſenioris, vel vtriuſque potius ſenioris ſcilicet & vaſalli inſtituta, quæ Conuentio in eorum negotiorum numerum quæ contractus appellātur nō cadit. & hæc prima ratio eſt, qua nixus eorum opinionem improbem qui feudum Contractum eſſe putant. Secunda ratio hæc eſt, Contractus lucri & negotiationis cauſa fiunt, *l. alienum. 25. §. 1. D. de obligationibus & actionibus*, ſed à lucro Feudi natura & ratio abhorret, quia Feudum proprium non eſt, niſi beneficium ſit, & à liberalitate proficiſcatur, *lib. 1. Feudorum, tit. 27.* quod enim pecunia emitur, improprium eſt, *lib. 2. tit. 24.* Tertia ratio eſt, Contractus ab initio voluntate poſteà verò neceſſarij ſunt: neque ſine vtriuſque voluntarij diſſolui poſſunt, *l. ſicut. S. C. de obligationibus & actionibus*. At Feudum refutari à Vaſallo, id eſt remitti & reſtitui Seniori, quoties ei cō modum eſt, etiam inuito poteſt *lib. 2. tit. 38.* Ex his manifeſtum eſt Feudum non eſſe contractum. Videamus igitur quid ſit. ego puto ius eſſe potius, quod per contractum conſtituitur, vt doctiſſimus Cuiacius exiſtimat, dum ſcilicet dominus id per inueſtituram cedit, quæ ceſſio datio eſt, ea lege vt qui accipit, fidem & ſeruitium danti ſemper exhibeat. Et contractum eiuſmodi ſequitur traditio, vt j. *lib. 2. tit. 7. §. vlt. & lib. 4. tit. 15.* & eſt ex eo contractu actio de euictione in dominū, vt *lib. 2. tit.* 8. & aduerſus Vaſallum condictio cauſa dati, ſi fidem fallat. vt j. tit. 20. vel etiam præſcriptis verbis, ſi nolit Dominus Feudū reuocare. Conſtituitur autem hoc ius in rebus ſoli, non in mobilibus, omnium quidē rerū vſusfructus conſtitui poteſt ex Senatuſconſulto, nō tamē iure Feudi. Dicamus igitur hanc eſſe definitionem Feudi, Feudum eſſe ius prædio alieno in perpetuum vtendi fruendi, quod pro beneficio dominus dat, ea lege vt qui accipit, ſibi fidem & militiæ munus, aliúdve ſeruitium exhibeat. Ius eſt igitur non prædium ipſum, & ius vſusfructus adieci in definitione Feudum pro beneficio dari, hæc res efficit, vt Feudum beneficium appelletur ſæpe & Vaſallus beneficiarius, beneficiatus, χαριστικάριος nam origné ex officio & amicitia trahit, vt infrà titulo 30. & ſimili ſenſu in Cōſtitutionibus beneficiarij dicuntur, quibus beneficij loco cura committitur, manſionū curſus publici, vel quod aliud officiū muniúſve

Digiti by Google

nîſve publicum. Poſtremò quòd in eadem definitione adiectum eſt de fide, pernеceſſarium eſt, nec conuentione mutari poteſt. Nam etſi valeat conuentio, ne iuſiurandum fidelitatis præſtetur, ne ſeruitium præſtetur: nulla tamen vis eſt huius cõuentionis ne fides præſtetur. Eſt enim contra naturam, ſubſtãtiámve feudi, & adeo non eſt rata habenda. *l. cum precario. ff. de precario.* Idem eſt natura & ſubſtantia, & falſa vulgaris interpretum differentia. *§. de illa. inſt. de societate. l. pacta. ff. de contra. emp.* coniuncta. *l. iurisgentium. ff. de pact.* Ex his omnibus liquet planè abſurdam & ſuperfluam eſſe quæſtionem illam, quã mouent Doctores, vtrum feudum bonæ fidei, an ſtricti iuris contractus ſit, quoniam illa diſputatio in iis demum iudiciis locũ habet, quæ ordinaria fuerunt, & formulam habuerunt à prætore iudici pedaneo præſcriptam. *l. actio. 47. ff. de negotiis geſtis.*

Qua de cauſa perſecutio fideicommiſſi quæ formulam non habuit, ab Vlpiano extraordinaria nominatur titulo 19. fragmentorum. Hæc ex doctiſſimi viri Franciſci Hotomani obſeruationibus collegi, eandem opinionem tenet doctiſſimus Cuiacius in Commentariis ſuis ad libros Feudorum. Plura apud illos videre poteris, ex quorum commentariis intelliges nullam eſſe iuris Romani partem cognitione ſummarum principum tantopere dignam, quàm hanc ipſam quæ feudorum vſus complectitur, nec magis etiam neceſſariam. Quippe cùm ex illius iuris conſeruatione, & iuſta moderatione Principum ſummum Imperium & poteſtas magis, quàm ex aliis iuris partibus pendeat, imò etiam totius Romani Imperij maieſtas, tanquam fulcro & ſuſtentaculo nitatur. Quanta enim non inter priuatos ſolum diſſenſio, ſed in ſummis imperij ordinibus diſſipatio hoc iure ſublato ſuboriretur? Cùm nec vaſalli quid iure ſubiectionis ſuperioribus Dominis præſtare tenerentur, nec è contrariò Domini, quod ſuis clientibus deberent cognoſcere poſſent.

Ad titulum 1. libri 1. Feudorum.

Malè Alciatus Marchionem interpretatur, præfectum equitum quaſi verò ex obſoleta priſcorum Gallorum lingua probandum ſit eam vocem pro equo vſurpatum: Cum ex Germanorum ſcriptis, ex quibus nomina hæc omnia ſumpta ſunt. ſatis conſtet *March* lingua Germanica, pro equo dici ſolitum, vt in Baiorum legibus. Si caudam amputauerit vel aurem, ſi equus eſt, quod *March* dicimus, cum ſolido componat, Pauſanias ſcribit, ita Gallos equeſtrem pugnam inſtituiſſe, vt ſingulos equites ſelectos, qui ſequerentur alij duo, qui Domini equo occiſo ſuum ſubmitterent, quique Domino & ſibi inuicem auxilij vel ſupplemento eſſent, & hanc quodam equeſtris pugnæ inſtitutionem eos vernacula lingua vocaſſe Trimarchiſium, quod ſinguli equites conſtarent ex tribus. Nicephorus lib. 7. ſignificat Marchionem imperatori vexillum prætuliſſe, his verbis: [illegible]

Ad lib. 1. Feudorum. titulum 1.

Malè omnium Doctorum virorum iudicio Iacobus de Beluiſo, conſuetudine, feudi dandi facultatem Eccleſiæ acquiri poſſe aſſerit, non obſtante Vrbani Pontificis prohibitione. Nam hæc opinio expreſſa eſt, contra textum noſtrum in *cap. 1. §. epiſcop. vel Abb.* vbi palàm decernitur iure non valere, ſi quid in feudum detur ab Eccleſiaſticis, qui antiquitus ſoliti non ſunt in feudum dare: & hæc eſt ratio, quod res Eccleſiarum diuino cultui dedicatæ non debeant prophanis vſibus applicari. Qua de cauſa nec conſuetudine effici poſſe videtur, vt huiuſmodi Eccleſiarum bona diuino cultui dedicata, per feudales conceſſiones Pontificis decreto prohibente, prophanis vſibus applicentur. Mala enim conſuetudo ſemper eſt reiicienda. *cap. mala. 8. diſtinct. & cap. 1. de his qua fi. à mai. par. cap.*

Malè Aluarotus in hoc eodem titulo 1. diſtinguit inter inſeudandi conſuetudinem Eccleſiæ, manifeſtè, vtilem vel perniciosam. Nam ſi manifeſtè ſit Eccleſiæ damnoſa omnino erit contra rationem. Igitur quantocunque temporis lapſu non fuerit fulcienda. *cap. 2. de conſuetudine. lib. 6.*

Ad titulum 4. libri 1. Si de inueſtitura Feudi controuerſia ſit.

Ad §. ſi quis de manſo vno.

Malè Aluarotus in hoc §. cum de alluuione agitur, diſtinguit inter incrementum latens & apparens. *arg. l. item ſi fundi. §. 1. ver. hinc vicinus. D. de vſuf.* vbi alluuionis incrementum latens ſpectat ad vſufructuarium. Incrementum autem apparens accedit proprietario. Apparens autem appellatur, quod apparet ſeparatum eſſe, veluti ſi inſula iuxta fundum in flumine nata ſit. Ego, aduerſus Aluarotum exiſtimo in hoc §. nullomodo, eius diſtinctionis habendam eſſe rationem, cùm textus nullo modo diſtinguat inter latens & apparens incrementum: illud in memoriam ſemper mihi reuocans, quòd vulgo dicitur à noſtris, vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debere, textus diſtinctionem ſolam facit, vtrum Dominus aliquid ſibi in feudo reſeruarit, vel non reſeruauit. Denique author horum librorum apertè ſtatuit, omne incrementum ſpectare ad vaſallũ ſi Dominus in ipſa curte nihil ſibi retinuerit. Nec ſolus ſum in hac opinione contra Aluarotum. hoc enim Andreas de Iſer. & Baldus iam pridem animaduerterunt.

Ad titulum 5. libri 1. §. item ſi fide.

Ad eam quæſtionem quam mouent Doctores in §. item ſi fidelis tituli, quibus modis feudum amittatur, vtrùm ſi domino mortuo, cum vidua domini quondam vxore concumbat Vaſallus, feudo priuandus ſit, rectè reſpondet Baldus, licèt cõtrarium ſentiat Aluarotus non videri, ob id eum feudo priuãdum. *arg. c. vlt. de feudo ſi cal. non amitt.* vbi dicitur, vel ſi concubuerit cum vxore domini ſui, domino viuente, ex his enim verbis (Domino viuente) confirmat ſuam opinionem. Non enim videntur eſſe ea verba otioſa: ſed tacitè innuere diuerſum fore, ſi id fiat Domino mortuo. Nec pro Aluaroti opinione confirmanda, faciunt leges quas in medium profert Aluarotus, nempe *l. fœmina. D. de ſenatorib. & l. filij. §. videre. D. ad municipales*, hæ enim leges volunt clariſſimorum virorum vxores viduas tandiu dignitate virorum ſuorum gaudere, quandiu inferioribus non nupſerint. Quare ſi per nuptias deſinant eſſe in ea dignitate, in qua fuerint longè, magis eſſe deſinent, per illicitos congreſſus.

Ad titulum 14. libri 2. de refutatione Feudi.

Perperàm vulgò interpretes, qui ſe in hac ſola parte iuris exercuerunt, omnium imperitiſſimi, exiſtimant huic renunciationi, de qua in hoc c. mentio fit agnatos debere conſentire, ad quos ſucceſſionis iure feudum peruenire poteſt, alioquin feudum eos à Domino reuocare, qua in re falluntur grauiter in aliis enim ideo conſentire debent, quia habent ius [illegible], *vt hoc lib. 2. titul. 2. §. praeterea dicitur, & libro 4. tit. 45.* quemadmodum in hac ſpecie: Si vaſallus feudum retineat, & velit eius cauſam deteriorem facere, agnati debent conſentire, vt *lib. 2. titul. 9. §. è contrario dicitur.* At in hac ſpecie non opus eſt vt cõſentiant, quia facta refutatione in manus Domini, non habent ius [illegible]. Nam vt priuilegiarius aduerſus priuilegiarium priuilegio non vtitur. Ita [illegible] aduerſus [illegible] non vtitur iure [illegible]. Eſt enim [illegible] priuilegium, nec obſtat titulus 18. lib. 4. primùm, quia non loquitur de refutatione facta in manus Domini, ſed de refutatione facta feudatorio ab agnato, qui feudi ſucceſſionem ſperabat, deinde eam efficaciſſimam eſſe docet, ſi omnino, id eſt, in rem, & generaliter feudum refutauerit.

Ad §. illum tamen ſciendum. tituli. 15 libri 2. Feudorum.

Malè Gloſſa dicit hunc §. abrogari *cap. vnicum. §. An apud Iud. vel Dom. quaeſtio feud. debeat terminari.* vbi inter eos, qui vaſalli titulum falſo præ ſe ferunt de feudo litigantes, pares curiæ ſoli cognoſcunt, non Dominus vna cum curia. Caſus enim diuerſi omnino ſunt, vt rectè ſenſit Aluaro. Nam in c. illo vnico, lis & contentio erat de feudo, quod alter nouum, alter antiquum eſſe aſſerebat: vnde conſequens eſt Dominum merito ab illius cauſæ cognitione arceri, ob euictionis præiudicium de qua obligatur, cauſam ſuam amittenti, ei qui nouum

ſeudum eſſe contendit. In hoc autem §. quæſtio eſt de feudo, quod pars vtraque paternum eſſe profitebatur, qua diſtinctione adhibita, facilè contrarium illud ſoluetur, quod Gloſſæ in medium proferunt, hoc etiam ſenſit Iacobus de Belviſo in ſua diſtinctione.

Ad titulum 10. libri 2. ſi inter dominum & fidelem de Feudo fuerit quæſtio.

Gloſſæ hoc capitulum non intellexerunt, quod etiam inter antiquos interpretes feudorum animaduertit Aluar. Nihil ferè vetuſtiores interpretes in medium proferunt, quod ad genuinam huius loci expoſitionem faciat. Quidam inter eos varias & prorſus contrarias expoſitiones in vnum congeſſit: nec ſignificauit, quam probaret. ego cum Doctiſſimo Cuiacio ſic ſpeciem ponendam cenſeo (vt tota res perſpicua ſit) Dominus Titium inueſtiuit, de re aliqua vel de annua præſtatione, ex ærario ſuo, ea lege vt ea frueretur Titius quandiu viueret, nec finiretur morte Domini. Is mortuo Domino cum ſucceſſore agit petens inueſtituram de veteri beneficio, ſucceſſor negat eum eſſe vaſallum. Duæ his quæſtiones interueniunt, vna eſt de poſſeſſione, altera de iure feudi & conditione actoris: prior momentaria eſt, poſterior principalis actio. Vaſallus contendit ſe de ſuo recto feudo inueſtiri debere, priuſquam ſecunda actio, id eſt, principalis inſtituatur: cuius litis etiam negat pares curiæ Domini eſſe iudices competentes: quod, inquit, negando me eſſe vaſallum, & illos inficiatur mihi eſſe pares. Hęc eſt ſpecies initij huius tituli, quam antiqui gloſſatores non intellexerunt.

Ad lib. 2. Feudorum. cap. 50.

Omnibus manifeſtum eſt, quàm abſurdè & imperitè feudiſtæ hoc loco de patruo vel propatruo & patruelibus loquantur, quia qui ſuccedit, non tamquam patruus aut patruelis fratris filio, vel patrueli ſuccedit, ſed tanquam filius patri & nepos auo: aut pronepos abnepóſve, proauo vel abauo: quotocunque gradu & quacunque in ſtirpe ſit. *l. qui per ſucceſſionem. 194. D. de regulis iuris*. Eo autem loco *lib. 2. tit. 50.* Species hæc optimè ponitur à Doctiſſimo Hotomano, Sempronius de feudo nouo inueſtitus eſt, is 4. ſuſcipit filios 1. 2. 3. & 4. Horum ſinguli filios & nepotes procreant, cùm priùs ex hereditatis diuiſione feudum ad primum perueniſſet. ſucceſſor feudi eiuſmodi erit, vt à perſona primi in ipſius filium ac nepotem, ac deinceps deuoluatur, vbi verò ea ſtirps virilis deficiet, tum ad cæteros tres filios, corúmve nepotes aut pronepotes, ex æquis partibus in ſtirpes non in capita diuiſis transferetur, ac demũ omnibus virilis ſexus deficientibus, ad patronum eiúſve liberos reuertitur, qua ſpecie ſic poſita omnibus manifeſtum erit, quàm turpiter errauerint feudiſtici interpretes.

Maximo errore feudiſtarum ratio ducitur, cùm vſitatam graduum cognationis figuram à iuriſconſultis inſtitutam in ſuas de ſucceſſionibus diſputationes inducunt, non enim agnationis, ſed genealogiæ figura feudalitiæ diſputationis propria eſt, vt doctiſſimus Hotomanus amicus noſter ſingularis obſeruauit, in ſuis de feudis diſputationibus. In hac autem figura genealogiæ non tres limites deſcribendi ſunt, inferior, ſuperior, & obliquus: ſed (vt apud Canoniſtas, qui feudiſtarum conſanguinei fuerunt inferior duntaxat: modo ſit multiplex, ab illa verò pędens, qui primus feudi, de cuius hereditate quęritur, poſſeſſor fuit, ciúſque rei manifeſtum argumentum eſt, in lib. 2. feudorum tit. 31. vbi feudiſta quartum gradum ſic interpretatur, vt à generis authore ratio incatur. Ad eius, inquit, petitionem admittuntur, qui quarto gradu ſunt remoti ab eo, qui id adquiſiuit. De hac materia plura vide apud Doctiſſimũ virum Franciſcum Hotomanum, in ſuis de feudis diſputationibus cap. 19. vbi de ſucceſſione feudali tranſuerſaria plura diſputat, ſufficit locum indicaſſe.

Ad titulum Feudorum. de cap. quæ curiam vendidit.

Si qui feuda ab Imperatore ſine mentione imperij acceperint: ego nec in ipſos transferri imperium exiſtimauerim, quãuis Oldradus, Baldúſque & plerique alij contrarium affirmauerint rationibus quidem, vt mihi videtur, non ſatis validis in vſibus feudorum *tit. de cap. quæ cur. vend.* Nec me monet, quod indifferenter Duces, Comites, & Marchiones noſtri temporis id faciant, ſcilicet, quod vrbes aut prouincias, quas in feudum, vel quo alio titulo à Romanis Imperatoribus acceperunt etiã eo addito, vt in his locis merum Imperium habeant atque exerceant, aliis delegant. Ego enim conſtanter affirmauerim, id eis non licere, niſi ſpecialiter hoc ipſum quoque iis conceſſum ſit, vt & merum ipſum Imperium aliis delegare poſſint, quod omnibus ferè eodem diplomate indultum inuenias, dum capitalium quæſtionum æque & ciuilium per alios expediendarum Princeps poteſtatem facit.

An appellatione heredum omnium, in inueſtitura Feudi, fœminæ comprehendantur, contra quoſdam diſputatum.

Si vaſallus de feudo pro ſe, & omnibus ſuis heredibus inueſtitus ſit, quæſitum eſt, an filiæ ipſius, deficientibus maſculis ſuccedere poſſint. Et ſane iuriſconſultus quidam, nuper reſpõdit, poſſe. Idque propter generalitatem verbi OMNIBVS, quod neminem excludit. *l. Iulianus. in prin. D. de leg. 3.* vt conſequens ſit, nec filiam excludi. Nam & expreſſum dicitur, quod ſub generalitate verborum continetur. *l. Prætor ait. vbi Bart. & Alexander. D. de oper. noui nunciation.* Ergo filia ex generali clauſula, OMNIVM HEREDVM tanquam expreſſa, ad ſucceſſionem admittenda erit. Sed alius iuriſconſultus, de eadem quæſtione interrogatus, contrarium reſpondit. nam in feudis appellatione heredum, regulariter filia non comprehenditur, *cap. 1. de alienat. feud. vbi Bald. 8. no.* Nec referre dicebat, ſi inueſtitura heredibus omnibus facta ſit: non enim ſub hac generali clauſula HEREDVM OMNIVM fœmina comprehenditur, ſed neceſſe eſt, vt in ſpecie exprimatur: vt eſt lex in cap. 1. §. hoc autem. de his qui feudum dare poſſ. vbi dicitur, filios à ſucceſſione feudi remoueri, ſimiliter & earum filios, niſi ſpecialiter dictum fuerit, vt ad eas pertineat: non ergo generali appellatione heredum omnium fœminæ in inueſtitura comprehendentur. Et ſi verò in vtramque partem, plura adduci & allegari poſſent. Verùm cùm in *d. cap. 1. §. hoc autem*, expreſſus ſit textus, qui hanc quæſtionem decidit: non puto nodum in ſcirpo quærendum eſſe. Vide Bernardinum Vualtherum.

Ad librum 3. Feudorum. titulo ſi de Feudo defuncti controuerſia. ad hæc verba.

Beneficium à vaſallo in feudum, ſi nihil in fraudem legis fiat, rectè dari poteſt: dum tamen militi detur.

Toto cœlo errauit hic gloſſa, quæ innuit pretium neſcio quod dimidiatum, totius feudi, nihilque amplius ſubinfeudantem recipere poſſe. Nam ex verbis contextus manifeſtè patet, ſine vllo precio liberè gratiſq; feudi inueſtituram (quam ſubinfeudationem vulgò vocant) concedi debere, quorum omniũ hæc optima eſt ratio. Ne obſequiorum feudalium, & ſeruitiorum onera per ſe ſatis grauia, pecuniæ erogatione, pretiique ſumptibus reddantur grauiora, ſuáque Dominorum & Imperij vtilitas minuatur. De prohibita feudi alienatione per Lotharium.

Ad §. Domino. eiuſdem tituli.

Perperam Aluarotus hunc §. ad feudum nouum reſtringere vult, abſurdum eſſe putans, tantam inæqualitatem inter Dominum & vaſallum eſſe, ſed hoc ſanè non eſt textum explicare, nam generaliter & perſpicuè contrarium textus definit, nec ad rem pertinet, huius inæqualitatis conſtitutæ rationem anxiè perſcrutari. Cùm in re feudali ſatis ſit conſuetudine receptum eſſe, eam tamen rationis expertem omnino non eſſe, vtpote quæ feudorum Dominis temeritatis ac audaciæ modum

ſum imponat, ne videlicet potentia ſua in minores ſupra ius iiſque abutuntur.

Ad titulum 54. libri 4. Feudorum.

An Agnatus vel filius repudiata hereditate poſſit feudum retinere.

Gloſſatores & interpretes feudiſtici rationem differentiæ, inter filium & agnatum, quod ad hanc partem attinet, vulgò non explicant: propter cuius differentiæ ignorationem ſenſum huius tit. aſſequuti non ſunt, Doctiſſimo Cuiacio hæc ratio eſ-ſe videtur, Agnatus in feudo tantum Genearchico ſucced. & nō in feudo nouo: & ideo non tam videtur id à defuncto accipe-re, quàm à communi parente, puta, auo vel proauo, qui id pri-mus acquiſiuit, filius autem ſuccedit patri, non tantùm in Ge-nearchico feudo, ſed etiam in nouo, & Genearchicum, puta quod deſcendit ab auo, etiam capere videtur à patre ſuo, non ab auo, cùm in eius ſucceſſione patruo ſuo præferatur, qui ta-men erat proximior auo, qua de cauſa non aliter admittitur in feudum auitum, quàm quaſi heres patris, & ideo ſeparare bona non poteſt: hereditas enim ſcindi non poteſt. Repudiata igitur hereditate, non poterit feudum retinere, niſi conſentientibus agnatis. Hac differentia inter filium & agnatum conſtituta fa-cile erit cuiuis textum intelligere, quem Gloſſatores non in-tellexerunt.

Ad §. ſi duo homines. de pace tenenda.

Hic §. admodum obſcurus eſt, quem adhuc interpretes ob-ſcuriorem reddiderunt. Commentatorum enim opinionibus, coniecturis & vacillationibus planè in cimmerias abiit tene-bras. Hoc autem modo facillima erit eius expoſitio, ſi ſpeciem ita ponamus. Si inter duos oborta de feudo controuerſia, alter feudi petitor, alter verò poſſeſſor ſit. Idémque iure ſuo fretus probationis onus in ſe transferri cupiat, primus ad iuris ſui probationem admitti poterit, & ſi probet ſe rei inueſtituræ pro-bationem ſine vlla violenta inuaſione conſecutum eſſe, omnis erit ſublata controuerſia, ſed ſi conuincatur rei inueſtituræ poſ-ſeſſionem per vim obtinuiſſe, nihil ei inueſtitura proficiet, & hoc modo hic §. clarus & perſpicuus ſit, qui antea difficillimus videbatur.

NOTARVM AD GLOSSAS ET INTERPRETATIONES quorundam Doctorum, IN INSTITVTIONES DOMINI IVSTINIANI LIbri quatuor. Totidem libris Inſtitutionum Iuſtiniani reſpondentes,

Ad librum primum.

Præfatio ad notas in Gloſſas Inſtitutionum.

NOn ita accuratè notas conſcripſimus in gloſſas Inſtitutionum, quemadmodum fecimus in D. aut C. quoniam ex libris iuris ciuilis quibus ſolis nos vti Iuſtinianus voluit in reſpondendo, litigando, iudicando, (vt ipſe teſtatur in cōſtitutione ſua) libello Inſtitutionum neq; comptior neque facilior vllus eſt, qui ive interpretē deſideret minus, vt iudicio Doctiſſimi Cuiacij planè illorum videatur eſſe otium ignobile, qui eum libellum lōgiſſimis onerant commentariis, quod poſitum eſt in vna cognitione in infinita diſpartientes, quo ſcilicet plura ſcire videantur, vt illis quidem videtur nobis non item. Nam quæ ſcientia, hæc eſt, quæ modum non habet vllum: quæ fines ſuos egreditur? quæ tota deerrat à præceptis ſuis, & ſummo illo præſertim nec à Iuſtiniano prætermiſſo, vt incipientibus iura tradantur leui ac ſimplici via, ne difficultate Inſtitutionis tam numeroſę atque perplexę ab hoc ſtudio deterreātur, & vt Theophilus monuit ne fiant δυσχερεῖς εἰς τὰ μαθήματα, locos quoſdā ſingulares harum Inſtitutionum, vide apud Doctiſſimum virū libro 11. obſeruationum cap. 38.

Ad §. 1. Inſtitutionum, de iure naturali.

Audent etiam Grammatici temerare ſacra iuris noſtri & Iuriſconſultos noſtros reprehendere: hi enim quotieſcunque aliquam offendiculam in libris noſtris inueniunt, adeo ſibi placent, vt finem iniuriis imponere non queāt: quia fortè deſint, qui adnotationum volumina contra eos ſcribunt, quod quidē turpius eſt: cùm de verborum ſignificatione ſuarum potius partium ſit, quàm Doctorum noſtri temporis. inter hos Grāmatiſtas, non infinitum locum tenet Valla, qui libro 4. cap. 48. negat proprium appetitum coeundi eſſe ius naturale: ſicuti nocendi imbecilliori animali, & ridiculum arbitratur dicere ius naturale eſſe, quod omnia animalia docuit, & hoc eſt contra Iuſtinianum §. 1. hoc titulo. Dicamus Iuriſconſultos ius accipere pro quodam impulſu & immutabili prouocatione naturæ. Nec alienum eſt puritate linguæ Latinæ, vt perperam exiſtimat Grammatiſta ille, eadem enim ſignificatione vſus eſt C. Cotta, in quadam oratione apud Salluſtium his verbis: Nam vita & mors iure naturæ ſunt, vt ſine dedecore cum ciuibus fama & fortunis integer viuas, id dono datur & accipitur. Hinc videre potes quomodo Cottæ vita & mors à iure naturali ſunt; non quia æqua aut iniqua, ſed quia omnibus præfinita naturaliter, & qui ſibi mortem vult conſciſcere ius naturę violat.

Ad §. 1. de iure naturali.

Vnicum eſſe ius naturale, vnicumque ius gentium, in cæteros e[illegible] ſtenſum.
Opinio communis reiecta.
Expoſitio §. ſingulorum.

Naturale ius Doctores ita partiuntur, vt aliud ſit primarium, quod omnibus animantibus commune eſt. *l. 1. §. ius naturale. D. de iuſtit. & iur.* veluti affectio, ſe, vitam, corpúſq; tuendi, ad victum neceſſaria parandi, ſuis generis conſeruandi per procreationem, editæque prolis educationem, Cicero 1. offic. [Principio generi animantum, omni, inquit, natura, tributum eſt, vt ſe, vitam, corpúſque tueatur, declinétque ea, quæ ei nocitura videntur, quæque ad viuendum ſunt neceſſaria, inquirat, & paret, vt paſtum, latibula, & alia eiuſdem generis.] Et in 4. de finibus. [Omnis natura vult eſſe conſeruatrix ſui, vt ſalua ſit, & in ſuo genere conſeruetur.] Cui conſentiens Bald. in *l. omnes populi. D. de iuſt. & iur.* naturale eſſe dicit, vnumquodque ſtudere conſeruationi ſuipſius. Hoc ius non inconcinnè, [Primæuum,] vocare videntur, quod prima illa generis humani ætate, quàm Auream dicunt, vigere cœperit. ſic enim Helenor Mœonij regis, & Licinæ ſeruæ filius, à Vergil. 9. Æneid. Primæuus appellatus eſt, quòd adhuc in primo æuo, ſeu ætate prima floreret,

Semineces ad terram immani mole ſecuta,
Confixique ſuis telis, & pectora duro
Transfoſſi ligno, veniunt: vix vnus Helenor,
Et Lycus elapſi, quorum primæuus Helenor,
Mæonio regi, quem ſerua Licinia furtim
Suſtulerat, vetitiſque ad Troiam miſerat armis.

Aliud eſt ius naturale, quod ſecundarium dicitur, ſolis hominibus conueniēns. *§. 1. de iur. natur.* Quod ius quoque gentium primæuum, ſeu, vt Vlpianum loqui putant, [Antiquum] dici ſolet. *l. 1. §. f. D. de adq. rer. dom. §. ſingulorum. de re. diuiſ.* quod ab initio creationis, hominum animis, diuina quadam vi inſitum, inſculptúmque fuerit. Cic. 2. de inuent. quoq; omnes humanæ tantùm gentes vtantur *l. 1. §. fi. de iuſt. & iur.* vt pacta religioſe ſeruare nec fidem quoquomodo fallere. *l. 1. ff. de pact. l. 1. in prin. ff. de conſt. pec.* gratiámq; accepti referre beneficij. *l. ſed*

& fi.§. conſuluit.D.de pet.bere. Differt itaque hoc ius gentium primarium, ſeu naturale ſecundarium, à naturali primæuo, quòd illud omnibus animantibus, etiam brutis commune ſit, *dicto § ius naturale.* hoc verò hominibus tantùm. *dicta leg.1.§. final.* cùm enim hoc totum ex æquitate naturalique ratione fluat. *d.l.1. D.de pact.* & ſenſu bruta carent. *l.1.D.ſi quadrup.* dici non poteſt, hoc iure naturali ſecundario, quod ius quoque gentium primarium appellari vulgò diximus, bruta frui. Nec nos tantillum mouerit, quòd retuliſſe gratiam feras beſtias nonnunquam legamus, vt quod ex Appione Gel.v.noct.Attica.c.xiiij. refert, de ferociſſimo illo leone, qui Androdo Daco, viri conſularis ſeruo, & ad beſtias damnato, in ſpectaculis Romæ, mirificam acceptæ quondam medicinæ gratiam retulit: hoc enim rarum eſt quoddam ſtupendum miraculum, quod nec legem conſtituere debet, nec ad humanarum actionum exemplum trahi. lege. *nam ad ea. D.de legibus.cap.ſi.4.q.3.* Fuit & aliud ius gentium, quod ſecundarium dixerunt, malitia hominum ingruente, contra naturam plerumque inductum, & in iuris conſtitutiones redactum: ita enim humanis neceſſitatibus, vſu exigente, ſeruiendum fuit. *§. ius gentium. de iur.natur.* inde coorta bella, captiuitates ſequutæ, ſeruitutes introductæ, res maximè iuri naturali contrariæ: cùm natura liberos homines omnes creauerit. *l.manumiſſiones. D.de inſt.& iur.§.1.de libert.* ex hócque iure gentium, omnes fermè contractus inuenti ſunt, *l.ex hoc iure. D.de iuſtit.& iur.l.iuriſgentium.in prin.D.de pact.* Et hæc ſunt, quæ circa iuris naturalis, & gentium diſtinctionem ſcriptores commenti fuere. Quorum traditionibus, vbi populariter, craſsè, magiſtràlitérque, vt dicunt, agendum eſt, vti valde reformido. At vbi ciuilium verum explicatio limatè politéque ab ipſa veritate eſt repetenda, eas omnes naturalis, gentiúmque iuris diuiſiones damno, Plutoniſque familia dignas iudico. Verius nimirum iudicans, vnicum eſſe ius naturale, vnicúmque ius gentium. Alioqui mancus Vlpianus eſſet, vtrúmque finiens, in *l.1. § ius naturale. & §.fin.D.de iuſt. & iur.* Ceruicoſum illud obiecturum auguror, ſi ius naturale, finitore Vlpiano eſt, quod natura omnia animalia docuit. *§.1. de iur.natur.d.§. ius naturale.* & aliquod ſit naturale ius, quo duntaxat homines vtantur, vt rerum acquiſitio, & diſtinctio dominiorum. *§.ſingulorum.de rer.diuiſio.* nonniſi cum cauillo ius naturale duplex negabimus. Præterea ſi ius gentium à naturalis vi & natura omnino recedit, quemadmodum Vlpianus teſtatur. *d.l.1.§.fin.* & aliquod ſit ius gentium, tantam habens cum naturali affinitatem, vt idipſum ius naturale dicatur: quis negauerit, ius gentium duplex eſſe? Cui reſponſum velim, ius gentium vnicum eſſe, illúdque propriè, quo ſolæ gentes, non etiam reliqua animantia vtuntur. Nam cum rationis iudicio nitatur, brutis (quę ſenſu carent. *l.1.ff.ſi quadr.* & à quibus ratione diſtamus potiſſimum. Cicero.1.offic.) nullo modo conuenire poteſt. Quoniam autem ſola naturali lege, rationéque animis hominum inſculpta, inter homines conſtitutum eſt. *l.omnes populi.§.fin.D.de iuſtit.& iur.§.quod verò naturalis.de iur.natural.* iuris legiſq; naturalis nomen, in ciuili noſtra diſciplina, plerũque meruit. *l.1. §.fi.de fur.§.de ob.qua ex delic.& d.§.ſingulorum.* Non ea ratione, quod ius naturale, gentiúmq; duplex, cõſtituere Iuriſcon. velint. Nec offendat quęquam vox illa [Antiquum, [quæ in Vlpiani conſtitutione vulgò legitur. *d.l.1.§.fi. ff.de acq.re.do.* ſubdititia enim eſt, atque ideo climináda, vt veteres, caſtigatiq; Codices demonſtrant. Quamuis in vulgarem iurantes literam ex prædictis planum habeant reſponſum. Plura vide apud Ioannem Corraſium.

Ad §.Senatuſconſultum.eod.tit.

Qui Senatum conſulendi poteſtatem habuerint, & qui primi ſententiam rogati ſint. Qui fuerint Principes Senatus, Et locus Ouidij obiter explicatus.

In *§.ſenatuſconſultum.Inſt.de iur. natur. gent. & ciuili.* traditum eſt, cùm ſenatuſconſultum fieret, ſenatum cõſuli ſolitum. Quæſitum autem eſt, cui nam ius ſenatus conſulendi fuerit? Et Accurſius conſulibus ius fuiſſe ait. Verum ex Aulo Gellio cõſtat, non ſolùm conſules, ſed etiam alios Magiſtratus ſenatus conſulendi auctoritatem habuiſſe. Verba autem Gellij *lib.14. cap.7.* hæc ſunt. Primum ibi ponit, qui fuerint, per quos more maiorum ſenatus haberi ſoleret, eóſque nominat dictatores, conſules, prætores, tribunis plebis interregem, præfect. vrbis: neque aliis præter hos ius fuiſſe dicit facere ſenatuſconſulta. quotieſque vſu veniſſet, vt omnes iſti Magiſtratus eodem tempore Romæ eſſent, tum quo ſupra ordine ſcripti eſſent, qui eorum prior aliis eſſet, ei potiſſimùm ſenatuſconſulendi ius fuiſſe: Addit deinde, extraordinario iure tribunos quoque militares, qui pro conſulibus fuiſſent: item decemuiros, quibus imperium conſulare tum eſſet: Item Triumuiros Reipublicæ conſtituendæ cauſa creatos, ius conſulendi ſenatum habuiſſe. Hæc ille. Quoniam autem de his dictum eſt, qui ſenatus conſulendi ius habuerunt, reſtat, vt de iis quoque videamus, quorum ſententiæ in ſenatu primo rogatæ ſunt. Et Gellius libro 14.cap.7. cum primo conſuli ſolitum ait, qui princeps ſenatus eſſet, verba Gellij hæc ſunt: Ex quo gradu ſemper quidem anteà primùm interrogari ſolitum, qui Princeps in ſenatum lectus eſſet. Principem autem ſenatus Gellius intelligit: qui ob egregia in Remp. merita à cenſoribus hoc honore donabatur. Quod Bud. in *l.fin. D.de ſenatorib.* ex Plutarcho docet. Hoc honoris: Æmilio Scauro & Tacito quandoque conceſſum fuiſſe, apud Valerium & Vopiſcum obſeruaui. Valer. lib.8.cap.5. M. etiam, inquit, Æmilius Scaurus princeps ſenatus. C. Menenium repetundarum reum diſtricto teſtimonio inſecutus eſt. Vopiſcus in Tacito, Princeps ſenatus, inquit, rectè Auguſtus creatur, primæ ſententiæ vir rectè Imperator creatur. Atque hoc ſenſu ſenum Principem, apud Ouidium accipi debere arbitror, his in verſibus:

Tale rudimentum, tanto ſub nomine debes
Nunc iuuenum princeps, deinde future ſenum.

Quid autem princeps iuuentutis in hoc carmine ſignificet, notius eſt, quàm vt explicari neceſſe ſit. Lampridius in Commodo: Cooptatus, inquit, inter tres ſolos principes iuuentutis, cùm togam ſumpſit, adhuc in prætexta puerili congiarium dedit. Sed ad rem vt redeam: non ſemper principes ſenatus, primi interrogabantur. ſed nonnunquam aliis quoque hoc honoris tribui ſolitum eſt: Vt Gellius lib.4.cap.10. ſcriptum reliquit: Aliàs, inquit, primus interrogabatur, qui à Cenſoribus princeps in ſenatum lectus fuerat: aliàs qu. deſignati conſules erant. Quidam è conſulibus ſtudio aut neceſſitudine aliqua adducti, quem iis viſum erat, honoris gratia extra ordinem ſententiam primam rogabant. Obſeruatum tamen eſt, cùm extra ordinem fieret, ne quis quẽquàm, quàm ex conſulari loco ſententiam primam rogaret. Plura vide apud Bernardinum Vualtherum.

Ad §.ſed quod principi.eod.tit.

Qualis fuerit lex Regia, cuius mentio fit in §.ſed & quod Princips.Inſt.de iur.nat.gent.& ciuil.optimo Corraſio relata.

In *§.ſed & quod Principi.Inſtit.de iure natur.gent.& ciuili,* dicitur. Populum Romanum poteſtatem ſuam lege Regia in Imperatorem tranſtuliſſe. Quando autem, & qua ſerie verborum lex Regia lata fuerit, apud nullum auctorem reperi. Verùm cùm olim Romæ acceſſiſſem, vidi tabulam quandam æneam, apud Sanctum Ioannem in Laterano: In qua lex Regia contineri, dicebatur: Illic autem, inter alia, hæc verba extant: vtique quæ ante hanc legem rogatam, acta, geſta, decreta, imperata, ab Imperatore Cæſare Veſpaſiano Aug. iuſſu mandatóve eius, à quoque ſunt: ea perinde iuſta, ratáque ſint, ac ſi populi Plebiſve iuſſu acta eſſent. Ego neque affirmare, neque negare auſim, an hæc lex Regia ſit, nécne. De tabula autem ænea, cuius iam mentionem feci, ſic ſcribit Io. Bartol. Marlianus, in Antiquæ Romæ Topographia lib.2.cap.9. Polibius (inquit Marlianus) tertio, ſcribit, fœdera quæ inter Romanos, & Carthaginenſes icta fuerant, perſcripta in tabulis æneis, in templo Iouis Capitolini diligentiſſimè ab ædilibus conſeruata: Veſpaſianúmque ærearum tabularum tria millia, quæ cum Capitolio conflagrauerant, inueſtigatis exemplaribus, reſtituendi curam ſuſcepiſſe. In quibus tabulis publica monimenta continerentur: quarum vna cernitur adhuc in Lateranenſi Eccleſia. Hæc Marlianus. Cæterùm legis Regiæ mentio quoque fit in *l.1.§.& ideo.C.de vet.iure enuclean.* his verbis: Cùm enim antiqua lege (quæ Regia nuncupabatur) omne ius, omniſque poteſtas Populi Romani in Imperatorem tranſlata ſit. Plura vide apud Bernardinum Vualtherum in Miſcellaneis obſeruationibus.

Ad §. filiusfamilias. Inſtitutionibus quibus modis ius patriæ poteſtatis ſoluatur.

Malè ſentit Accurſ. in hoc §. cùm dignitatem patritiorum, de qua in noſtris legibus mentio fit cum vetere confundit. Scire enim debemus aliter apud veteres dictos patritios, aliter in his legibus accipi. Nam apud Romanos Senatorij ordinis viri quique ab his progeniti erant, patritij dicebantur, vt ſcribit Liuius libro 1. ab vrbe condita, & ſentit Tranquillus in Auguſto. Apud Græcos verò omnino maior erat dignitas, non ex ſucceſſione debita, ſed quæ ſolebat à principe concedi. Suidas patritios eſſe tradit communis Reipublicę patres, qui in ſuprema dignitate Senatorij Conſilij eſſe cenſentur. Caſſiodorus libro 7. Epiſtolarum, noſtro munere ſubleuatus patritiatus culmen aſcende: quod quidam iuridicorum à patribus dictum eſſe voluerunt.

Ad titulum quibus modis tutela finitur.

Pubertas in fœminis quomodo probetur, ex Iuſtiniano declaratum, & Seruij in ea re lapſus.

Apud P. Vergilium lib. 7. Æneidos hi verſus extant:

Sola domum, & tantas ſeruabat filia ſedes,
Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.

Quem locum Seruius exponens. Non eſt, inquit, iteratio, ſed ſecundùm ius locutus eſt, in quo & ex annorum ratione, & ex habitu corporis ætas probatur. Primum ergo ad habitum, Secundum ad annos refertur. Etſi vero Seruij magna eſt apud omnes auctoritas, in hoc tamen loco non parùm lapſus eſſe videtur. Nam quod in iure ciuili traditur, ex habitu corporis pubertatem probari, in ſolis maſculis locum habet, non autem in fœminis. Id quod Iuſtinianus Imperator *Inſtit. quib. mod. tut. finit. in prin.* his verbis teſtatur: Pubertatem autem veteres quidem non ſolùm ex annis, ſed etiam ex habitu corporis, in maſculis exiſtimari volebant. Noſtra autem maieſtas, dignum eſſe caſtitate temporum bene putauit, quod in fœminis etiam antiquis impudicum eſſe viſum eſt, id eſt, inſpectionem habitudinis corporis, hoc etiam in maſculos extendere. Cùm ergo Vergilius de filiæ pubertate, in ſuprascriptis verſibus agat, minime cenſendum eſt, eum de inſpectione habitudinis corporis locutum. Quamobrem Seruij interpretatio recipi non poteſt. Sed arbitror iteratione potius Vergilium in ſuprascripto verſu vſum eſſe. Quod & alibi ſæpe facit. Hæc doctiſſime obſeruauit Bernardinus Vualtherus in ſuis Miſcellaneis obſeruationibus.

NOTARVM AD GLOSSAS ET INTERPRETATIONES

Doctorum in Inſtitutiones, liber ſecundus libro ſecundo Inſtitutionum Domini Iuſtiniani reſpondens.

Ad §. ſi quis à non Domino. Inſtitutionibus de rerum diuiſione.

Naturales, induſtriales, & ciuiles fructus, cùm non ſat rectè à noſtratibus acciperentur, alio modo declarati.
Animaduerſa omnium declaratio.
L. Fructus. explicata.

Sciendum igitur, pleraſque diuiſiones de fructibus ab interpretibus referri. earum præcipua eſt, quam Accurſ. Bar & cæteri tradiderunt in *l. ex diuerſo. ff. de rei vend.* Glo. Panor. & Canoniſtæ, in *cap. grauis. de reſtit. ſpol.* Fructuum alij ſunt naturales, ad quorum productionem natura, aut ea magis quàm factum hominis operatur, vt maia, pertica, nux, ceraſum, & alia id genus. *l. fructus percipiendo. D. de vſu.* Induſtriales alij, qui magis opera & induſtria hominis, quam naturæ facto proueniunt, vt frumentum, vinum, *d. l. fructus. & oleum.* nam obtinuit tandem ſententia, vt oleum fructibus induſtrialibus annumeretur. *l. ſi eius. D. de rei vend.* Bar. in *l. ſi. ff. ad l. Fal.* Deniq; de lana, pilo, & lacte. *l. ſi quis. §. lana. de vſucap.* Acc. in *§. ſi quis a non domino. de rer. diuiſ. in inſtit.* Bar. in *d. l. ex diuerſo.* Quod tametſi a pleriſque cõtrouerſum ſit, nullam tamen dubitationẽ habere videtur: cum bonæ fidei poſſeſſoris lucro cedant. *d. §. lana. & l. bona fides. §. ſi. D. de acq. re. do. l. in pecudum. D. de vſur.* qui tamen non lucrifacit naturales. *d. l. fructus. ff. de vſu.* Quoniam autem in his magis induſtria hominis, in illis magis natura operatur, hi induſtriales, illi naturales dicti ſunt: quod in rebus denominandis ſpectemus quod principaliter inſtituit, & operatur. *l. quæritur. ff. de ſtat. ho. §. eſt & aliud. de dona. in inſti. c. ſi teſtes. §. hermaphroditus. 4. q. 3.* Sunt & ciuiles fructus, qui non natura, ſed hominis prouiſione, iure ciuili introducta quæruntur, & proueniunt: vt vſuræ, penſiones prædiorum, vecturæ nauium, & his ſimil. *l. ſi nauis. D. de rei ven. l. ancillarum. in ſi. D. de pe. her.* Et hæc quidẽ Doctores ſcribenda putauerunt in horum fructuum expoſitione, inconſulto certe, & contra naturalem Iuſtitiam ciuilémque rationem, cum in omnium fructuum productione conſtet naturam æqualiter operari: nec minus ſubminiſtrare neceſſaria ad procreationem, nutrimentum & conſeruationem, frumenti, vini, olei, aliorúmq; fructuũ (quos induſtriales vocãt) quàm ad productionem pomi, nucis, ficus, glandis, & cæterorum, quos naturales dicunt. Et licet hi, ſine facto hominis naſci poſſint, illi vero hominis factum requirant. *l. qui ſcit. §. in alieno. ff. de vſur.* ideóque opera & diligentia hominis prouenire dicantur. *l. bona fides. ff. de acq. re. do. & d. l. fructus.* non tamen ideo minus illi naturales dici debent, exemplo mulieris, non naturâ, ſed per accidens ſterilis, quæ concipere nequit, donec accidentalis illa infœcunditas, medici conſilio, aut induſtria abacta fuerit: ſublato autem hoc impedimento, ſi filium naſci contingat, non filius induſtrialis medici, qui tamen Pharmaco ſuo mulierem genuinæ fœcunditati reſtituit, cauſam ſterilitatis auferens: ſed filius naturalis eius mulieris, quæ concepit, conceptúmque nouem menſibus geſtauit, geſtatum legitimo tempore edidit, editum educauit, nutriuit, aluit, non minore cura, quam ſi ſine vllo medici artificio productus in natura fuiſſet. Hucque commodiſſimè pertinet, quod Pau. Apoſt. 1. ad Corin. 3. ſcriptum reliquit. [Ego plantaui, inquit, Apollo rigauit, ſed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.] *c. cum ſit. de dec.* Confirmat denique hanc noſtram ſententiam, quod Caius ſcribit, rerum naturam, omnes fructus (quo ſigno vniuerſali induſtriales quoque demonſtrari dubium non eſt) hominum gratia comparaſſe, *l. in pecudum. § ſi. D. de vſufr. §. in pecudum. de rer. diuiſ. in inſt.* Quod & authoritas ſacrorum librorum oſtendit. priuſquam enim crearet Deus Opt. Max. hominem, creare voluit terram, germinantem, & quodcunque fructuum genus: vt productus poſtea homo, quæ ad vſum ſuum animaduerteret neceſſaria, continuò reperiret. Geneſ. 1. Natura igitur, quæ fructus omnes in vniuerſum, ad vſum hominum duxit, omnium ideo fructuum mater, iure meritóque dici debet. Atqui mater in filiorum procreatione ſimili naturæ officio fungitur, hoc eſt, æqualiter circa omnes operatur, non plus minúſve vni quàm alteri tribuens. *l. 3. C. de lib. præter. §. ſed hæc quidem. de exheredat. lib. in inſtit.* Fructus itaque omnes quos terra profert, naturales appellandi ſunt. nec negamus, hominis induſtriam nonnunquam deſiderari, vt in colendis agris, ſerendis frumentis & arboribus, plantandis vineis, & ſic de ſimilibus. Cæterum hæc induſtria non eſt prima, & proxima cauſa procreationis fructuum, ſed natura: cùm itaque ſpectandum ſit, quod principaliter agit, & operatur. *l. ſi quis nec cauſam. D. de reb. cred. nauis aduerſa. D. ad l. Rhod. de iact. l. 1. §. idem Pomp. D. depoſ. c. & ſi quæſtiones, de re. perm.* in denominandiſq; rebus id tantùm attendatur. *l. quæritur. D. de ſtat. ho. §. eſt & aliud. de donat. inſt.* non induſtriales, ſed naturales fructus, hi etiam qui hominis induſtriam requirunt, nuncupandi ſunt. Quo modo præcipua Doctorum ratio, in eos retorquetur. Sed nec quicquam nos mouerit *l. fructus. D. de vſur.* quæ non dicit fructus (quos induſtriales appellant) hominis facto naſci, ſed opera hominis acquiri. niſi ſumere velis arg. à contrario, ex verbis finalibus dum ait Pomp. [quia non ex facto eius is fructus naſcitur.] Cuiuſmodi argumentatio in iure fortiſſima eſt. *l. 1. §. heres rei. D. de offic. eius. l. qui teſtamento. §. mulier. ff. de teſtament.* Verum nec ea obſtat, ſiquidem agatur in *d. l. fructus,* de facto hominis miniſterialiter, vt dicunt, cooperantẽ.

Nec illatio bona eſt, id facto, & induſtria hominis naſcitur, ergo induſtriale dici debet. Sicuti ſi ædificium meum altius ſublatum, quod locum tuum obſcurum, opacum, & vmbroſum reddebat, depoſuerim, indéque locus tuus plenus eſſe cœperit: rectè diceretur, facto meo in loco tuo, ſolis lumen exortum. at non ideo lux illa ſolis, induſtrialis appellaretur. Præterea quod ad argumentum à contrariis attinet, nemo neſcit eam ratiocinationem infringi ſæpe, & corruere: vt cum abſonus intellectus ſequi poteſt. *l. 2. C. de con. infert.* quia repugnaret alius iuris locus, aut vrgens ratio, vel ciuilis, vel naturalis. *l. conuenticulam* vbi hæc Bald. & cæteri. *C. de epiſco. & cleric.* Quod item ſpectat ad fructus quos Ciuiles nuncupant, non videtur congruam eſſe hanc denominationem: cùm hæc appellatio ſpecialis ſit, non generalis, ſecundum quam quæcunque ciuili lege introducta ſunt, Ciuilia proprio nomine dicerentur. Et quoniam vſuræ, vecturæ, penſiones, & alia id genus, quæ fructus ciuiles ab interpretibus dicuntur, non à iure ciuili, ſed à iure gentium originem habent: itaque fructus huiuſmodi qui non operante natura, ſed ſola hominis prouiſione, & induſtria percipiuntur. *l. vſura pecuniæ. ff. de verb. ſign.* rectius, vt mea fert opinio, induſtriales vocarentur: à qua ſententia, non multum abhorret Bald. in *l. ſi traditio. in fin. C. de act. empt.* nec obſtant verba Papiniani; [Nam & ſi maximè vectura, ſicut vſura, non natura prouenit, ſed iure percipitur. *l. ſi nauis. ff. de rei vendic.* quandoquidem ius, illic ciuilem legem non notet, ſed pactionem contrahentium legitimam, vt & illic Accurſius, cæteriq; exponunt. Nec eſt nouum, dictionem illam, [Iure,] congruam expreſſionem verborum, & partium contractum ſignificare. *l. ſi pater. 2. D. de adopt.* Dicendum igitur, neglecta hoc loco circa fructus, Doctorum diuiſione expoſitioneque, Fructus alios naturales, quales ſunt hi, quos terra profert, ob curam nonnunquam, & operam hominis, vt frumentum, vinum, & cætera huiuſmodi: quandoque nulla hominis adhibita cura, vt poma, ceraſa, & alia id genus. Alios induſtriales, vt vecturæ nauium, & iumentorum, penſiones prædiorum, vſuræ, & reliqua eiuſmodi, quæ ab ſcriptoribus, Ciuiles inepto nomine dicuntur. Plura vide apud Iohannem Corraſium.

Ad titulum Inſtitutionum de Teſtamentis ordinandis.

Ratio ex Cicerone, adaucta cur teſtamenta ex procinctu iam olim ſublata ſint, quam gloſſatores ignorauerunt.

Iuſtinianus Imper. *Inſtit. de teſtam. ordin. in princip.* cùm de duobus generibus teſtamentorum ſcriberet, quorum alterum calatis comitiis, alterum procinctum olim dicebatur, ſubiicit: Tertium quoq; teſtamentorum genus introductum eſſe, quod per ęs & libram dicitur. Et priora quidem duo teſtamentorum genera, ex veteribus temporibus in deſuetudinē abiiſſe. Quod vero per æs, & libram fiebat, licet diu permanſerit, attamen partim & hoc in caſu eſſe deſiiſſe. Cauſam autem, ob quam teſtamentum per æs, & libram ſublatum ſit, Vigilius illic ex Theophilo refert. Cur autem reliqua duo teſtamentorum genera ſublata ſint, non facile apud iuris interpretes inuenitur: nec forte apud alios auctores: niſi quod Cicero de teſtamento ex procinctu ſcribens, cauſam refert, quare id ſublatum ſit. Verba autem Ciceronis libro 2. de natura Deorum, hæc ſunt: Itaque maximè Reipub. partes in his bella, quibus Reipub. ſalus continetur, nullis auſpiciis adminiſtrantur, nulla perennia ſeruantur, nulla ex acuminibus, nulli iuri vocantur, ex quo in procinctu teſtamenta perierunt. Tum enim bella gerere, noſtri duces incipiunt, cùm auſpicia poſuerunt. Hæc Cicero. Plura vide apud Bernardinum Vualtherum.

Ad §. 1. Inſtitut. de teſtament.

Quo teſtandi modo veteres vſi ſint, & explicatur accuratè Iuſtiniani ſenſus, in §. 1. de teſtament contra Accurſium & cæteros interpretes.

Duplex apud vetuſtiſſimos fuit olim teſtandi genus, vt Iuſtinianus ait. *§. 1. de teſtam.* Altero in pace, & otio vtebantur. quod quia in comitiis, conuocato ad ea bis in anno, per cornicinem populo, fiebat, teſtamentum Calatis Comitiis, appellari cœpit: illic autem teſtator, populo præſente, ac veluti teſte, voluntatem ſuam exponebat, Quiritéſque obteſtabatur, vt eam ratam eſſe ſinerent, curarentque ſeruari. Ad cuius veteris moris exemplum, Imp. fortaſſe ſanxit, coram ſe factum teſtamentum, velut omnibus munitum ſolennibus, & ſpectante populo conditum valere. *l. omnium. C. de teſtam.* quod in eum omne ſuum imperium, & poteſtatem populus. *l. regia contulerit. l. 1. D. de con. prin.* Altero teſtamentorum genere, veteres in prælium exituri, ob dubiam belli aleam, vſi ſunt: quod procinctum dixere, non quod ſuccincte fieret, vt Acc. inſulsè commentus eſt; ſed quod in ipſo militum ad expeditionem apparatu conderetur, a militibus ipſis procinctis, hoc eſt, iam toga militari præcinctis, paratiſque ad confligendum cum hoſte. *l. vnica. in prin. D. de bo. poſ. ex teſt. milit.* nec tamen exiſtimādum eſt, hoc teſtamenti genus, cuius forma (vt Plut. in Corio indicat) vetuſtiſſima fuit, idem eſſe cum illo, quod militare dicimus, quodque ex Cæſarum tempore duntaxat initium habuit. *l. 1. in prin. D. de teſt. militar.* cum autem olim hæ duæ teſtamentorum ſpecies, in vſu tantùm eſſent, frequenter eueniebat, vt homines repentino morbo correpti, inteſtati mortem obirent: neque enim Comitiis teſtabantur, quod nondum Comitiorum tempus inſtaret, neque item in procinctu, quia bellum non eſſet. Ideóque iam longo tempore in deſuetudinem abiecerunt, tertiáque ſpecies inuenta eſt, quæ dicebatur, [Per æs & libram.] Cùm enim interueniret olim in venditionibus libripens, hoc eſt librarum auri, argenti, ærisque ponderator: neque enim numerare, ſed appendere pretium veteres ſolebant, imaginaria quadam venditione, quam emancipationem ab antiquis appellatam. *Iuſtin. refert in d. §. 1.* teſtamenta condebantur. Quinque enim aderant teſtes & libripens, omnes puberes, ciuéſque Romani, quibus præſentibus, qui ſucceſſor futurus erat, æs tenens, ſeu numum vnum, pretij loco morituri patrimonium in hæc, aut non diſſimilia verba emebat: [Hanc ego familiam, ex iure quiritium, meam eſſe aio: eáque mihi empta eſt hoc ære, æneáque libra.] Deinde ære percutiebat libram. Idque æs dabat teſtatori domino rerum imaginarij pretij loco (neque enim vnum tantum æs, ſiue numus, verùm hæreditatis pretium conſtituit. *l. ſi quis ante. §. fin. D. de acq. poſſeſſ.*) dicebatúrque hæres, qui emebat, [Familiæ emptor.] *§. 1. & §. licet autem de teſt.* Tunc autem teſtator ordinabat, quid poſt mortem ſuam fieri vellet. Sed hoc teſtandi genus diu licet permanſerit, deſiit tamen in vſu eſſe. *d. §. 1.* quaſi votum captandæ mortis inducens. Etenim, qui ſe futuros heredes intelligebant, de viuentis hæreditate improbe ſolliciti, rerum dominis (vt ſemper fuit maligna hominum natura) plerunque ſtruebant inſidias. Quare cum ab aula memoratæ omnes teſtamentorum ſpecies receſſiſſent: duplicem teſtandi normam poſteriores leges inuenere: Per nuncupationem, videlicet, & in ſcriptis *l. heredes palam. D. de teſtam. l. hac conſultiſſima. in princ. & §. per nuncupationem. C. illo tit. & §. ſed cum paulatim. eod. tit. in inſtit.* & ibidem per ſcriptores pleniſſime. Plura vide apud Corraſ.

Ad §. finalem. Inſtitutionibus de heredum qualitate.

Quomodo in §. fin. Inſtit. de hered. qual. & differ. intelligendum ſit, heredes à veteribus pro Dominis appellatos eſſe.

Quod Iuſtin Imper. in *§. fin. Inſtit. de hered. qual. & differentia*, ſcriptum reliquit, his verbis: Pro herede enim gerere eſt, pro domino gerere: veteres enim heredes pro dominis appellabant: Id Vigl. in *d. §. 1. n. 4.* ſic interpretatur. Dicimus, inquit, & herum adhuc dominum: ſed tamen vix videtur, hoc ab eodem fonte deriuari: cùm illic prima corripiatur, hic diphthongus ſit, vt ab herendo potius videatur heres dictus, quia proximus teſtator vel defuncto in bonorum dominio hereat, ſuccedátque: vel ab ære: nam & lex XII. Tabul. hereditatem nonnunquam pecuniam vocat. Hæc Viglius: Qui heredem diphthongo ſcribi aſſerit; quod quidem noſtro ſeculo paſſim, & ab omnibus fere obſeruatur. Verùm ego, in antiquis inſcriptionibus, nuſquàm heredem cum diphthongo ſcriptum obſeruaui, ſed potius ſimplici litera, E. Et Romæ quidem ſic ſcriptum extat: Alexander Cæſar, Ser. Atticianus Sextiliæ Priſcæ contuber-

turbernali, cuius [heres] eſt Merenti & libertis libertabus eius fecit. Item in alia in ſcriptione, N. Aurelius, Feſtiuo vt I X. con. III. prima Augg. nn. militiæ petitori qui vixit annis XLII. Menſ. VII. Coſmia Calliope coniux & Neronius Honoratus emeritis Aug. N.N. cognato Kariſſimo benemerenti, & Sempro—nius—cles, & an—tonicus Aur Cryſion. Aur Filumen Aur—ſtus liberti [heredes.] benemerenti fecer. Quod autem noſtro ſeculo paſſim hæres cum diphthongo ſcribitur, id inde originem traxiſſe videtur, quod noſtrates verbum exheredare, cum diphthongo ſcriptum, obſeruarunt: vnde forte, & heredis nomen, cum diphthongo ſcribendum cenſuerunt. Verùm verbum exheredare forte non à nomine heredis, vel hereditatis, ſed à Græca voce deriuatur. Appellant enim Græci exhereſimum, exemptum: vnde veriſimile eſt, exheredare pro eximere, vel excludere dictum. Quod autem verbo exhereſimo dictum eſt, id reperitur apud Ciceronem in Verrem, vbi ſic ſcribit: Eſt conſuetudo Siculorum cæterorúmque Græcorum, quòd ſuos dies menſéſque congruere volunt cum Solis Lunæque ratione. Nonnunquam ſi quid diſcrepet, eximant vnum aliquem diem, aut ſummum biduum ex Menſe, quos illi exhereſimos dies nominant. Item nonnunquam vno die longiorem menſem faciunt, aut biduo. Cæterùm hic error de quo dixi, eò facilius noſtro ſeculo introduci potuit, quod ſuperiori ſeculo nullus ferè diphthongorum in ſcribendo vſus fuit. Id quod Codices tunc temporis ſcriptis ſatis teſtantur. Cum vero ſeculo noſtro Latina lingua, eiuſque in ſcribendo orthographia, floreſcere ceperit: facilè in reſtituendis diphthongis, à typographis, & aliis, error in nomine heredis committi potuit. Quod ſi ita eſt, non inepte dicetur heredem in dicto §. fin. à domino, hoc eſt, hero deriuari. Sed hac in re ego quidem, pro conſtanti nihil affirmo, ſed literatis, & præſertim Grammaticis, rem diſcutiendam relinquo plura vide apud Vualterum.

Ad §. legatum. Inſtitutionibus de legatis.

De legati definitione: ſimúlque explicatur §. legatum. Inſtitut. de leg. aduerſus cæterorum opinionem.

Legatum ita definitur in *§. legatum. inſtit. de legat.* vt ſit donatio quædam à defuncto relicta ab herede præſtanda. Verùm huic definitioni illud potiſſimum obſtat, quod videmus legata nõ ſemper ab herede præſtari ſolere. Et enim teſtator legatum hoc modo relinquere poteſt, vt legatarius id propria auctoritate capiat. *l. Titia cum teſtamento. §. 1. vbi gloſſ. D. de legat. 2. Bartol. in l. 3. in 2. quæſt. prin. Cod. de pignor.* Iaſon. in *l. non eſt dubium, Cod. de legat.* Sed & teſtator ipſe antequam è viuis excedat, legata præſtare legatariis poteſt. *l. Lucius. D. de legat. 2.* vt ſatis appareat legata ab heredibus non ſemper præſtari. Quod in legato liberationis maximè euenit. Id enim ab herede minimè proficiſcitur. *l. 1. D. de lib. le. Meritò igitur in l. legatum. D. de leg. 2.* hæc verba: Ab herede præſtanda. Iuriſconſultus omiſit, ac ſatis habuit legatum ſic definire: Legatum eſt donatio in teſtamento relicta. Quod autem in *dicto. §. legatum.* hæ dictiones definitioni adiectæ ſunt, librariorum incuria factum eſſe arbitror. Nam vetuſtiora exemplaria illas non habent. Et fortaſſis aliquid ſtudioſus ex commentariis Azonis in ſumma. *Cod. de legat*, ea verba interpretationis cauſa in margine adſcripſit, quæ imperitus aliquis Amanuenſis in cõtextum *d. § legatum.* inſeruit. *Idem & in l. Gallus. §. ille caſus. D. de liber. & poſthum. & in l. Si quis grani. D. ad Silla.* vſu veniſſe Alciat. lib. 4. *de verbor. ſignif.* cenſuit. Plura vide apud Bernardinum Vualterum in miſcellaneis obſeruationibus, apud Viglium in commentariis ſuis eruditiſſimis ad 10. titul. Inſtitutionum.

NOTARVM AD GLOSSAS INSTITVTIONVM LIBER TERtius, libro tertio Inſtitutionum reſpondens.

Notæ ad Accurſ.

Ad §. vltimum. Inſtitutionibus de hereditatibus quæ ab inteſt.

Perperam interpretes ſucceſſionẽ in ſtirpes in recta linea ad pronepotes, dũtaxat producere volũt, inter quos Bartolus *l. 1. D. de ſuis. Angelus §. cum filius. hoc tit.* & eorũ error ex hoc §. deprehendi poteſt, in quo Iuſtinianus quandam cõſtitutionem ad legẽ xij. Tabularum producit: vt inter has perſonas quoque in ſtirpes, non in capita diſtributio fiat, ſiue in pari gradu ſint, ſiue non. Id quod Nouella ſua lege confirmauit. *Nouella de hereditatibus ab inteſtato.* In qua Nouella vt hic generaliter omnes deſcendentes complexus eſt.

Ad §. illud. Inſtitutionibus de gradibus cognationum.

Falſum omnino eſt quod quidam interpretes hic ſtatuunt, ius ſcilicet mutuæ ſucceſſionis, quod habent libertorum liberi, ex *l. 4. C. de bonis libertorum.* excluſo patrono etiam eos habuiſſe iure veteri, ex quo idem illud Iuſtinianus repetierit. Nam tantum ab eſt vt in hoc §. id ſe dicat ex veteri iure repetere, nec aliter ſuum ſe id facere, quàm alia multa, quæ ipſe cum & antea prodita fuiſſent in meliorem ordinem reduxit. & hoc ita eſſe ex Græcis probari poteſt libro 49. [illegible] titulo 1. cùm ſic ſcribunt, [illegible] Plura vide apud Doctiſſimum Cuiacium lib. 16. obſeruationum cap. 13. qui primus hæc animaduertit.

Ad §. poſtea. Inſtitutionibus de ſucceſſione libertorum.

Falſum eſt quod quidam in hoc §. dicunt, fratrem colllibertum aut ingenuum, fratri ab inteſtato heredem eſſe in ſemiſſem tantum, patronum patris ſuum ve in alterum ſemiſſem, cum *leg. quarta. Cod. de bonis libertorum.* Græci adiiciant penitus ceſſare ius patronatus, his verbis: [illegible] Ex quibus apparet vera eſſe quæ Ioannes in hoc §. efficit, licet nonnulli contra cenſuerint, ſcilicet ex lege Papia referri liberto moriente vno filio relicto, perinde partem dimidiam patrono deberi ac ſi is ſine vllo filio filiáve inteſtatus deceſſiſſet. hæc Doctiſſimus Cuiacius obſeruauit libro 17. obſeruationum capite 13. circa finem, qui idem hunc locum purgauit, & ſuæ integritati reſtituit lib. 1. obſeruationum cap. 12. ſufficit locum indicaſſe.

Ad §. fin. Inſtitutionibus de ſucceſſione, quæ, fiebat per bonorum venditionem ſublata.

Explicatur §. final. Inſt. de ſucceſſ. quæ fieb. per bon. vend. Et de S.C. Claudiano, quædam, quæ gloſſa non intellexit.

Cornelius Tacitus lib. 12. annalium autor eſt, Fauſto Sylla & Siluio Coſſ. Senatuſconſultum factum eſſe de mulieribus, quæ ſeruis coniungerentur. Id ſenatuſconſultum in iure noſtro Claudianum appellatur à Claudio, vt arbitror, Imperatore, qui tum temporis imperium tenebat. Continebantur autem eo S. C. duo potiſſimum capita: Primum vt mulier, quæ ſe alieno ſeruo coniunxiſſet, libertatem amitteret, & cum libertate ſubſtantiam. Idque Iuſtinianus Imperator in *§. fi. Inſtit. de ſucceſſ. quæ fieb. per bon. vend.* tradit. Quod tamen ex Cornelio Tacito reſtringendum eſt, vt tum demum locum habeat, ſi ignorante domino ſeſe ſeruo coniunxerit: Cæterùm ſi ſciente domino coniungatur, ceſſat Senatuſconſulti pœna. Alterum caput erat, vt liberti ex tali matrimonio ſeu contubernio nati, neque liberi neque ſerui, ſed liberti eſſent. Quod etſi in iure noſtro non extet, Cornelius tamen Tacitus rei vberrimus teſtis eſt, his verbis: Inter, quæ refertur ad

patres de pœna fœminarum, quæ ſeruis coniungerentur, ſtatuitúrque vt ignaro domino ad id prolapſa in ſeruitutem ſui conſentiſſet, & qui nati eſſent, pro libertis haberentur. Hæc ille. Sane hoc S.C. hodie in vſu amplius non eſt. vt in *l. 1. Cod. de S.C. Claud. & in dicto §. fin.* cerni poteſt. Ad explicationem huius §. plura vide apud Fernadum Adduenſem lib. 2. explicationum, vbi multa profert, quæ ad hanc materiam pertinent ab antiquis interpretibus ignorata.

Ad §. 1. Inſtitutionum de inutilibus ſtipulationibus.

Relatum nonnihil de Hippocentauro, aduerſus Iuſtiniani aſſertionem.

Iuſtinianus ſub tractatu inutilium ſtipulationum docet, nos inutiliter ſtipulari rem quæ non eſt, aut eſſe non poteſt: veluti, hominem mortuum, aut hippocentaurum, qui inquit, eſſe non poſſit. *§. 1. de inutil. ſtip.* idque Alciatus libro 9. Parergon. cap. 13. Claud. Galen. autoritate confirmat: qui libro de vſu part. 3. in Pindarum inuehitur, ex hominibus, & Magneſiis equis naſci potuiſſe Hippocentauros effingentem, qui inferna parte matri, ſuperna patri, ſimiles: atque ideo ferociſſimi eſſent. Etenim id impoſſibile eſt. vnde Cicero in 2. de natura Deorum. Quis, inquit, Hippocentaurum fuiſſe, aut chimeram putat? Hoc quoque conatur pluribus oſtendere Lucretius Poëta ac Philoſoph. vetuſtiſſimus in v. de natura rerum. Verum enimuerò, ſi aliis eruditionis non contemnendæ viris & autoribus grauiſſimis credendum eſt, loquuntur Lucretius, Cicer. Galen. & Iuſtin. aduerſus hiſtoriæ fidem. Etenim ſcribit Claud. Cæſar, Hippocentaurum, hoc eſt, ſemiequum, & ſemihominem, in Theſſalia natum fuiſſe: licet eodem die eum interiiſſe referat. Et plinius, Veronen. naturalis hiſtoriæ ſcriptor, in 7. de prodigioſis partub. agens, eius Claud. Cæſaris principatu, allatum Hippocentaurum ex Ægypto, in melle ſuis oculis ſe vidiſſe confirmat. Diuus quoque Hieronymus alicubi refert, monſtrum eiuſmodi, à Diuo Antonio viſum ſed cur Hippocentauros ex equo & homine commixtos fuiſſe negabimus? cum Satyros, quales pictores, ac Poëtæ fingunt, ex capra videlicet, & homine permixtos fuiſſe. Plinius in 7. & Plutarchus in Scylla ſcribant? Conſtantiniq́ue tempore in vrbem Alexandriam perductum Satyrum, eiuſque cadauer, deinde ſale conditum, & in Antiochiam illatum, vt ab Imperatore videretur, memoriæ proditum ſit? Canem porrò Xenophontis Hippocentauri nomen habuiſſe, Hiſtorici non vno in loco ſcribunt. Propriè Hippocentaurus, apud Plutarchum & alios graues autores, dicitur, præclarus equorum ſtimulator, & equitator præſtantiſſimus: nam & à ſtimulandis calcaribus equis, Centauros appellatos ſcimus, qui populi ſunt Theſſaliæ, iuxta Pelium montem habitantes, rudis ſane dura, & agreſtis natio. Hi primi, pugnare ex equis cœperunt cùm ante Bellerophon, equis vehi, Peletronius verò frenis & ephippiis vti inueniſſent. Hinc factus fabulæ locus, & à ſtimulando calcaribus equo, Centaurus dictus, & Hippocentaurus, equorum ſtimulator eximius. Plura vide apud Corraſium in miſcellaneis obſeruationibus.

Ad §. pupillus. Inſtitutionibus de inutilibus ſtipulationibus.

Qui proximi pubertati dicantur, præter receptam opinionem expoſitum.

Video & illud circa perſonam, pupillorum, in quæſtione apud doctiores, quando pupillus delinquendo obligetur, proximuſque pubertati dicatur. Et de delictis puerorum conſtat, ſi quidem nondum ad pubertatem accedant, eos delinquere non poſſe. *§. in ſumma. de obligat. quæ ex delict.* quia nô magis quàm furioſi, voluntatem habeant. *l. pupillus. ff. de acquir. hered. l. pupillus nec ff. de reg. iur.* & affectu, voluntateque maleficia diſtinguantur. *l. verum ff. de furtis.* vnde ſi eorum pupillorum facto paſſus ſit alius iniuriam, meretur ætas excuſationem. *l. 1. §. impubes. ff. ad Sillanianum.* Si verò pubertati proximi ſunt, quia iam aliquem intellectum habent. *§. pupillus. de inuti. ſtipul.* ob idque facti iam doli, iniuriæ ve capaces, intelligunt ſe delinquere. *d. §. in ſumma*, ætatis ſuffragio non excuſantur. *l. 1. C. ſi ad uer. delict.* cum in ea ætate ſint, in qua crimen, quod intenditur, cadere poteſt. *l. impunitas. C. de pœnis*, niſi quatenus ætatis teneræ miſeratio, ad mitiorem pœnam iudicantem flectere poteſt. *l. auxilium. §. in delictis ff. de mi... r b. cap. primo & ſecundo. de delic. puero.* Legimus olim Patroclum puerum. cum in aleæ ludo ſodalem puerum forte occidiſſet, exilio punitum *l. aut facta. §. primo. ff. de pœnis.* Et Tribium Germanum, iuſſiſſe ſumi ſupplicium de impubere, qui cũ is non multum à pubertate abeſſet ad pedes domini cubuerat, cum occideretur, nec poſteà cædem eius prodiderat. *l. excipiuntur. ff. ad Sillanian.* Sed qui prope pubertatem eſſe dicantur, variis opinionibus certatum eſt tandem tamen obtinuit Accurſij ſententia, *in l. 1. ff. de nonatio. in d. §. in ſumma. de obligat. quæ ex delict. & in d. §. pupillus.* vt masculum pubertati tam proximum dicamus, cum dimidiatum annum ſupra decimum exceſſit. fœminam verò, quæ nouem annos cum dimidio egreſſa eſt. Argumen. *§. fin. Quib. ex cau. manu. non lic.* nam poſt infantiam, vſque ad pubertatem, ſicut in maſculo ſeptem anni, & in fœmina quinque: quare ex quo exceſſit quis dimidiam huius temporis partem, magis pubertati, quam infantiæ proximus dici debet. Panor. *c. continebatur. de deſp. impub.* quod in ea præſertim ætate ſoleat plerunque malitia tempus ſupplere *c. 1. de delic. puero.* Nam & prodit hiſtoria, Solomonem nondum decem annos natum, ſuo complexu nutricem filio Roboam grauidam fecisse. Gregor. iiij. Dialog. c. xix Gloſſ. in ſumma. *xx. q. 1.* idémque teſtatur Hieronymus in ij. parte, epiſtola ad Vitalẽ presbyterum, de Achaz, qui in vndecimo anno Ezechiam filium ſuum genuit. Nec tamen deſunt, qui eos pubertati proximos dicant, qui à pubertate diſtant, ſex plus minus menſibus. Gloſſ. & Innocent. *in dicto cap. continebatur.* argumento leg. *non tantum, in princ. ff. de excuſatione tut. capit. continebatur.* ibi, [Si autem fuerit ætati proxima, vt in vndecimo, & circa duodecimum annum] *& cap. atteſtationes.* ibi, [vel circa finitionem quartidecimi anni.] *de deſpon. impub.* Et quoniam dictio, [prope, proximè, circa, circiter,] & iis ſimiles, ad modicum tempus referuntur. *l. 1. §. ex aliis. 1. ff. de orig. iur. l. 2. §. fin. ff. de lib. exhib. §. ſi verò intra. vbi Bart. not. de mona. colla. 1.* Quin & à Iuniano, dictio, [prope] ad ſemeſtre tempus limitari videtur, *l. properandum. §. & ſi quidem. C. de iud.* Vnde putant illi, eum prope pubertatem eſſe, qui non plus ſex menſibus diſtat à pubertate. Gloſſa & Innocentius *dicto cap. continebatur.* Ego verò neutram ſequor ſententiam, ſed illis aſſentior, qui huius controuerſiæ deciſionem ad generalem conſequentiam aut regulam, trahi poſſe negant. Salicetus *l. impunitas. Cod. de pœnis.* pater Decius. *in l. pupillum. ff. de regulis iuris.* Anto. Butr. *in d. ca. atteſtationes.* cum & delictorum nullæ ſint formæ & ingeniorum Quo circa rem totam, expreſſa lege non diffinitam, iudicis arbitrio meritò reliquunt. *l. 1. ff. de iure delib.* Habet autem iudicans expendere, non tam annorum numerum, quàm criminis qualitatem, & ætatis doli capacis malitiam. *l. ſed & ſi quemcumque. §. 1. ff. ad leg. Aquiliam. l. impuberem. ff. de furt. d. l. impunitas. & d. §. in ſumma de obligatio quæ ex delict.* Plerique enim vt Iohannes Faber. ait, maioris induſtriæ, malitiæque in decimo anno viſuntur, in cæteris in quarto decimo. Nec obſtat denumeratio illa temporis, quæ per panor. *in d. cap. continebatur*, & cæteros in locis communibus fieri ſolet. cuiuſque ſupra meminimus. illa etenim non concludit niſi reſpectu infantiæ, à qua plus diſtat decem annos cum dimidio habens, quàm à pubertate. Salycetus *in dict. l. impunitas.* Plura vide apud Corraſium.

NOT.

NOTARVM AD GLOSSAS ET INTERPRETATIONES DOctorum in Inſtitutiones liber quartus, libro quarto Inſtitutionum Domini Iuſtiniani reſpondens.

Ad principium tituli de actionibus.

Officium iudicis ab actione differre, pro communi opinione, aduerſus recentiores diſputatum, & nonnulla leges declarata.

QVamuis communi Doct. calculo receptũ ſit officiũ iudicis & actionem inter ſe differre, doct. in *l.1.ff. de iuriſdict. om. iud. & inſt. de action. in princip.* Andreas tamen Alciat. lib. 2. parad. cap. 10. nihil prorſus differre autumat. Primò, quia definitio actionis conuenit officio iudicis. Nã ſicut actio ius eſt perſequendi, quod nobis debetur. *Inſt. tit. de act. in princ.* Ita & officiũ iudicis. Cùm ergò officio iudicis, & actionis eadẽ ſit definitio: conſequẽs eſſe ait, hæc eadẽ prorſus eſſe, *argu. leg. 1. §. dolum. D. de dolo.* Nec illum mouet, ſi quis obiiciat, verbum deberi in definitione actionis poſitum, officio iudicis non conuenire, poſteaquam is qui officio iudicis tenetur, obligatus non eſt, *l. qui per colluſionem. D. de action. empt.* Reſpondet, ſecundum iuris quidem regulas hunc, qui officio iudicis tenetur, obligatum non eſſe, ex æquitate tamen obligari: vt conſequens etiam ſit, eum ex æquitate debitorem eſſe. Quod & aliis argumentis probat. Quibus ego addiderim tex. *l. creditores. cum gloſſ. D. de verbor. ſignificat.* vbi traditur, debitorem eſſe, qui officio iudicis tenetur. Sed hoc argumentum fragile eſt. Nam vt concedam, debitum eſſe, quod officio iudicis perſequimur non tamen ex proprietate verborum, ſed catachriſticè debitum dicitur, vt gloſſ. & Iaſon in *l. ſi ſeruum. §. fin. D. de verb. obligat.* tradunt. Iam verba in definitionibus qroprie ſunt accipienda, Iaſon in *l. 1. colum. 8. D. de acquir. poſſeſſ.* Crot. in *rub. D. de verbor. obligat. in 2. lectu. num. 2.* Non igitur verbum [debetur] in actionis definitione pro debito, quod officio iudicis conſequimur, accipi poteſt. Secundo adducit Andreas Alciatus eiuſmodi argumentum. Perſecutionis verbum commune eſt, tam actioni quàm officio iudicis. Actio enim definitur, vt ſit ius perſequendi, *Inſt. de act. in prin.* Similiter & extraordinariæ perſecutiones verbo perſecutionis continentur, *l. pecunia. §. perſecutionis. D. de verb. ſignif.* intelligit autem Andreas Alciat. extraordinarias perſecutiones pro officio iudicis, in *d. §. perſecutionis.* ſumi. Ex his colligit actionem & officium iudicis idem eſſe. Sed facilè hoc diſſoluitur. Nam vt concedam officium iudicis & actionem, ſub verbo perſecutionis, tanquàm ſub genere, contineri: Non tamen inde ſequitur, actionem & officium iudicis idem eſſe. Nam homo & leo ſub eodem vocabulo animalis, tanquàm genere, continentur: nemo tamen inde argumentabitur, hominem & leonem idem eſſe: Quæ enim ſub eodem genere continentur, non eadem ſunt ſed ſpecie differre dicuntur. Quod Bartolomæus Socy. in *l. princ. colum. final. D. de adquir. poſſeſſ.* tradit, & apud Dialecticos notiſſimum eſt. Tametſi ſupra ſcriptum argumentum, aliter quoque dilui poſſit. Nam quod in *d. l. pecunia. §. perſecutionis.* dicitur, perſecutionis verbo extraordinarias perſecutiones contineri: de officio iudicis intelligendum non eſt, ſed de actionibus quæ ſine præſcriptis verborum formulis tum dabantur. Conſtat enim, olim à Pontificibus actionum certas formulas præſcribi ſolitas, quibus litigatores vterentur. *l. 2. §. deinde ex his. § ſequent. ff. de orig. iur.* In quibus ſi vel vno verbo actor erraſſet, à cauſa cadebat. Quod Cicero pro Cæcinna. Fab. lib. 7. & plerique auctores tradunt. & in *l. 1. Cod. de form. & Imper. act. ſub.* teſtatum manet. Similiter & Prætores, actiones ex præſcripto dare ſoliti ſunt, vt Andreas Alciatus libro 4. diſqunc. cap. vltim. docet. Hæ igitur actiones quæ certis formulis præſcribebantur, ordinariæ dictæ ſunt: Quæ vero ſine certis formulis litigatori dabantur, extraordinariarũ actionum nomen habent. Idque in *l. actio. D. de neg. geſt.* his verbis oſtenditur. Nec refert, directa quis, an vtili actione agat, vel conueniatur: quia in extraordinariis iudiciis, vbi conceptio formularum non obſeruatur, hæc ſubtilitas ſuperuacua eſt, &c. Cæterùm formulæ actionum, earúmque impetrationes, conſtitutionibus Conſtantini, Theodoſij & Valentiniani ſublatæ ſunt, *d. l. 1. d. l. 2. Cod. de formul. & imp. act. ſubl.* Et hoc eſt, quod in *§. final. Inſtit. de interdictis.* dicitur: Hodie omnes actiones extraordinarias eſſe. Id enim inde eſt, quia extraordinario iure, id eſt, ſine actionum formulis, hodie agitur. Quod Zaſius in ſingul. intel. dicit, qui etiam allegat *l. ordo. D. de publ. iud.* Hincque apparet *d. l. pecuniæ. §. perſecutionis.* nihil pro Andrea Alciat facere, cùm extraordinariæ perſecutiones, in *d. §. perſecutionis.*, non pro officio iudicis (quod ille arbitratus eſt) ſed pro actionibus, quæ ſine verborum formulis dantur accipiendæ ſint. Tertio ſic argumentatur Andreas Alciatus aduerſus libertum ingratum, extraordinario iure, hoc eſt, vt ipſe interpretatur, officio iudicis agitur, *l. 1. C. de libert.* Quod officium iudicis in *l. fin. Cod. eodem titul.* ingrati actio nuncupatur, vt apparet, officium iudicis actionem eſſe. Sed ego ſuprà oſtendi, aliud eſſe officium iudicis, aliud extraordinariam actionem. Itaque hoc argumentum nihil me mouet. Poſtremo loco Andreas Alciatus hoc argumento vtitur: Minores officio iudicis in integrum reſtituuntur, *l. quod ſi minor. §. fin. D. de minoribus.* Reſtitutio autem in integrum nihil aliud eſt, quam actio, id quod ex *l. in cauſa. 2. D. minorib.* colligitur. Illic enim ſic ſcriptum extat, Num forte alia actio poſſit competere citra in integrum reſtitutionem, &c. Quaſi voluerit iuriſconſultus dicere etiam in integrum reſtitutionem actionis genus eſſe. Idque dictio [alia,] indicat: quæ implicatiua eſt gloſſ. in *l. ſi fugitiui. Cod. de ſeru. fugitiu.* Sed ego in quibuſdam codicibus non [alia,] ſed [aliqua] legi video, Qua lectione admiſſa, Andreas Alciatus opinio non ſolùm non probatur ex *dicta l. in cauſa. in princ.* Sed diuerſa potius opinio inde adiuuatur. Solutis ergo Alciatus argumentis, ſequenda eſt communis doctorum opinio, vt officium iudicis ab actione differat. Plura vide apud Bernardinum Vualterum in Miſcellaneis obſeruationibus, qui hæc doctiſſimè animaduertit.

Ad §. 1. tituli. de actionibus.

Quid Iuſtinianus Imperator in §. 1. Inſtitut. de actionibus. ſub his verbis: Et aliis quibuſdam modis, ſignificare voluerit, licet alij aliter ſenſerint.

Quod Iuſtinianus Imperator in §. 1. *Inſtitut. de actionibus*, tradit, actiones aliâs ex contractu, aliâs ex maleficio, aliâs quibuſdam aliis modis oriri: id Doctores ſic interpretantur, vt illæ actiones aliis quibuſdam modis oriri dicantur, quæ quaſi ex contractu, vel quaſi ex maleficio oriuntur. Sed huic interpretationi illud obeſt. quod videatur appellatione maleficiorum, quaſi maleficia continere: non minus quam appellatione contractuum, quaſi contractus. Sæpe enim Iuriſconſulti pro quaſi contractu, contractum dicunt, vt aliquot textibus Doctores in *dicto. §. primo*, comprobant. Nec verò hæc difficultas tollitur, ſi dicatur, ſub contractu, & maleficio, non niſi impropriè quaſi contractum, & quaſi maleficium contineri. Satis enim eſt, Iuriſconſultos alterum ſub altero comprehendere ſolitos (vt dictum eſt) ſiue id propriè, ſiue impropriè factum ſit. Præterea ſunt aliquæ actiones, quæ nec ex contractu, vel quaſi, nec ex maleficio, vel quaſi, ſed proprio quodam iure oriuntur, vti paulò pòſt dicemus. Quæ actiones, ſi ſub clauſula iſta, [& aliis quibuſdã modis.] non cõprehenderentur

vitioſa,& imperfecta eſſet Iuſtiniani Imperatoris diuiſio. Et vt concedamus his verbis:[Ex aliis quibuſdam modis] actiones cõtineri,quæ ex quaſi contractu,& quaſi maleficio oriuntur:non tamẽ negandũ erit,quin,& illæ actiones quæ proprio quodam iure ex variis cauſarum figuris oriri ſolent ſub iiſdem verbis comprehendantur: Sicut enim obligationes non ſolum ex contractu,& maleficio,verum etiam proprio quodam iure ex variis cauſarum figuris naſcuntur,*l.1. in princip. D. de actionibus & obligationibus.* Ita, & actiones dari cenſendum eſt. Vt autem hoc rectius intelligatur , exempla aliquot in medium adferam. Pater obligatus eſt filiam dotare, *l. qui liberis. D. de ritu nupt. l. fin. Cod. de dotis promiſſio.* Quæ obligatio neque ex contractu,vel quaſi,neque ex maleficio , vel quaſi, ſed proprio quodam iure oritur,id eſt,ex præcepto legis. Vnde legis obligatio appellatur,*dicta l. obligamur. verſ. lege. D. de actione & obligatione. Iaſon in l. huiuſmodi. §. cum pater. colum. 2. D. de legatis primo.* Idêmque eſt in obligatione neceſſarij heredis:quæ obligatio ex neceſſitate oritur , & ideo obligatio neceſſitatis appellatur,*dicta l. obligamur. in fi.* Sed & ſi à duobus mutuum quis roget,& alter ex his debitorem ſuum , nomine ſuo mutuo dare iubeat:deinde is , qui mutuo accepit, ſtipuletur,cùm crederet hunc debitorem alterius. Hoc caſu neque ex contractu,neque ex maleficio obligatus eſt , ſed ex ſola æquitate,vt eſt textus in *l. ſi & me. D. ſi certum petatur.* Vbi hoc notat Bartolus. Quoties ergo ex his,& aliis ſimilibus modis actiones competunt:apparet eas non ex cõtractu, vel quaſi, neque ex maleficio,vel quaſi competere. Ideò veriſimile eſt Iuſtinianum Imp. in dicto §. primo ſub his verbis:[& aliis quibuſdam modis] eas comprehendere voluiſſe.

Ad eundem §.1.

Cur actiones in rem ſcripta, ſic dicta, noua ratio aſſignata : & quamplurimæ leges aliter, quàm à cæteris, declaratæ.

Vana doctorum fatigatio.

Noua conſideratio, contra Accurſium & cæteros Doctores.

Præter reales & perſonales actiones , quæ ſummam faciunt actionum diuiſionem. *§. omnium de actio. in Inſtit.* reperiuntur actiones in rem ſcriptæ , quas ideo ſic appellatas doctores in *rub. D. de reb. cred. & in §. 1. de actionib.* putauerunt,quòd cùm perſonales ſint,vt pote ex contractu , vel quaſi maleficio vel quaſi enatæ,ad inſtar realium poſſeſſorem comitantur : vt actio quod metus cauſa *l. metum. §. cùm autem. D. quod met. cau.* Ad exhibendum *l. 3. §. eſt autem perſonalis. D. ad exhib.* Cæterũ hæc ſcriptorum traditio , & ratio minimè conuenit iuriſconſult. legibus. Quin,omnium Doctorum virorum iudicio rectius putauerim,nullas eſſe in rem ſcriptas vt eæ ſpeciem conſtituant:ſiquidem legiſlatores , actionum in ſumma duo dixerint eſſe genera. Et quæ ab interpretibus in rem ſcriptæ dicuntur perſonales ſunt: Actio in primis ad exhibendum. *dicto §. eſt autem de noxali act.* cur dubitetur non video , cum ea ex ſeruorum delicto exoriatur. *l. 1. D. de noxa. §. 1. eod. titul. in Inſtit.* Idemque in actione quod metus cauſa dicendum. Sed & interdicta omnia perſonalia eſſe ſcripſit iuriſconſultus *l. 1. §. pen. D. de interdict.* Appellatæ ſunt autem in rem ſcriptæ actiones eiuſmodi,non vt doctores putant , quòd ad inſtar realium poſſeſſorem ſequantur,& comitentur : cùm per contrarium verius ſit ideo eas perſequi rem , quod in rem ſcriptæ ſint. Sed in rem ſcriptæ ideo dicuntur , quoniam verba earum actionum,in rem non dirigantur,ſed in perſonam ſint concepta. Veluti in actione quod metus cauſa,cuius verba adeò in rem concipiuntur,vt perſonam nullo modo tangant: Ait namque Prætor: [Quod metus cauſa geſtum erit ,ratum non habebo. *l. 1. D. quod met. cau.* Vox ſanè diuinæ,quam Deus Opt. Max. poſuit in ore Prætoris, Baldus in rub. de controuer. inueſtit. Et hanc noſtram rationem colligimus ex Vlpiani reſponſo in *dicto. §. cum autem.* [Cùm autem(inquit)hæc actio ſit in rem ſcripta , nec perſonam vim facientis coerceat:ſed aduerſus omnes reſtitui velit,&c.]Sic omnia interdicta, præter vnde vi,in rem ſcripta dicimus,cùm dixerit Vlpianus *l. 1. §. final. D. de interdictis.* [Interdicta omnia licet in rem concepta videantur, vi tamen perſonalia ſunt.] Excepit autem iuriſconſultus. Vnde vi interdictum , quod eius verba ſcripta aut concepta in rem non ſint:ſed ad perſonam ſpectent , & referantur. Nam dixit Prætor, *l. 1. D. de vi & vi armat.* Vnde vi tu eum deieciſti,aut familia tua deiecit,de eo quod tunc ille ibi habuit,tantummodo intra annum , poſt annum verò de eo quod ad illum,qui vi deiecerit,peruenerit,iudicium dabo. Neque abſimile eſt quod Vlpianus dixit. *l. iuriſgentium. §. pactorum. D. de pactis.* Pactorum quædam in rem,quædam in perſonam eſſe. In rem ſunt quoties generaliter paciſcor, ne rem petam:in perſonã,quoties ne à perſona, veluti ne à Lucio Titio petam. Sed deſit autoritas,deſint ciuiles rationes : ſatis ipſe hoc veriſſimum eſſe vel ex verbis ipſis euincam. Quid enim aliud eſt dicere in rem ſcriptum , quam ita ſcripto conceptum eſſe,vt ſolius rei ſcripturæ ipſa rationem habeat? Meras itaque nugas & affanias,vt cum Apul. dicam , Accurſius & reliquos ad rem noſtràm prodidiſſe , ſit manifeſtum. Nec enim ideo ſcriptæ in rem dicuntur,quòd comitentur poſſeſſorem , ſed per contrarium eum qui poſſidet proſequuntur, quòd in rem ita ſint conceptæ,& ſcriptæ , vt earum verba rem ipſam non item perſonam tangant , & reſpiciant. *leg. huic ſtipulationi. §. 1. D. de vſu & hab.* Propterea addubitauit Bartolus, *leg. heredibus. §. final. D. de dolo.* Cur actio de dolo,vti quod metus cauſa,in rem ſcripta non ſit ? cùm quemadmodum verba actionis quod metus cauſa in rem ſcripta ſunt & concepta. *l. 1. D. quod metus cauſa.* ita verba edicti de dolo. ſi quidem dicat Prætor. *l. 1. §. verba D. de dolo.* [Quæ dolo malo facta eſſe dicentur, ſi de his rebus alia actio non erit,& iuſta cauſa eſſe videbitur, iudicium dabo.]Et poſtpoſitis duabus à ſe relatis rationibus, ingenuè tandem iuris ille Coryphæus fatetur , ſe neſcire quid dicat. Ego rem ipſam preſſius expendendam autumo. Nam quod Accurſius,Bartolus , & alij docent , actionem de dolo in rem ſcriptam non eſſe:à iuriſconſultorum verbis abhorret,vt quod maximè à varietate eſt alienum. Cùm enim ius actionis verba in rem concepta ſint. *d. l. 1. D. de dolo.* nec dolum committentis perſonam coerceant : cùm item ex defuncti tutoris,& procuratoris dolo heredes,procuratores & domini facti locupletiores conueniantur. *l. heredibus. l. ſed ſi ex dolo. cum ſuis. §. l. in heredem. D. de dolo.* atque ita is , ad quem commodum peruenit,teneatur : cur non dicetur actio huiuſmodi in rem ſcripta vel ex vulgata doctorum ratione ,qua traditum eſt,in rem ſcriptas actiones ideo appellari quod rei poſſeſſorem ſequantur. Hoc ſane fateor intereſſe , quod grauiter doctores fefellit : inter actionem quod metus cauſa & de dolo, quòd in hac actione deſignari , hoc eſt demonſtrari oportet, cuius dolo factum ſit,quamuis in metu non ſit neceſſe. *l. ſed & ſi ex dolo. §. final. D. de dolo.* id eſt, metum illatum probare ſatis eſt,& ſi non oſtendatur qui fecerit : at in dolo cum cuius opera adhibitus ſit,is demonſtrandus eſt. Nec eſt ſuperioribus diſſimile,quod Fulg. in *l. 1. D. de ſeruitutib.* aduerſus Accurſium ſcripſit non ideo rerum ſeruitutes reales dici, quòd tranſeant in ſucceſſorem,ſed contrà , quia rerum ſunt corporibus inſeparabiliter inherentes,ad ſucceſſorem tranſire. Porrò cum de ſuperiore loco titulo de rebus creditis , interpretaremur,docuiſſemúſque actiones in rem ſcriptas ideo dici, quòd earum verba in perſonam concepta ſint : Auditores quidem perſpicaciſſimi ſanè ingenij prima facie mecum ſentire nolebant. Nam actionis depoſiti verba in rem ſcripta, dicebant. *l. 1. §. 1. D. depoſiti.* & tamen ea non in rem concepta, ſed merè perſonalis eſt. Sunt item aliæ plures actiones eiuſmodi,quas omnes referre ſuperuacaneum duximus. E diuerſò,interdictum Vti poſſidetis,in perſonam dirigitur. *l. 1. in principio. D. vti poſſidetis.* interdictum ne vis fiat ei,& alia multa interdicta , cum tamen omnia in rem ſcripta dicat iuriſconſultus, *l. 1. §. final. D. de interdictis.* Hæc vrgent & ingenioſa ſunt,cæterum non adeò premunt , vt me à ſententia mea abducant,nam quod legis edicta & verba in rem concepta ſint, vt effectum habeant in quemcunque poſſeſſorem , Iuriſconſulti duntaxat conſiderarunt , cùm agebant de coercendo delicto,aut facto illicito , vt vi,metu , dolo , & ſimilibus tùncque ſi in rem lex ſcripta erat , aduerſus omnes rei poſſeſſores eam legem effectum habere voluerunt. Non etiam ſi facientis perſonam duntaxat coercerent. Cum verò ex contractu actiones dederunt , ſolius contrahentis, aut eius qui contrahentis perſonam refert , nempe here-

des

dis rationem habuere : neque alias ea ratione voluerunt obligari, iniquum exiſtimantes ex alterius contractu, alterum teneri. Proinde nec ex contractu, & depoſiti, nec ex quaſi contractu enata actio in rem ſcripta dici poteſt, quod ad eum effectum attinet, vt poſſeſſorem perſequatur. Succlamaturos hic pleroſque in me certo ſcio, qui veteres & multis ſeculis probatas ſententias temerè innouem, Sed humanius modeſtiúſque eos mecum acturos ſpero, cum certiſſimas quibus adducor, rationes intellexerint. Ad hæc negamus (nec quenquam offendat) actionem ad exhibendū in rem ſcriptam, cùm eius actionis verba in rem concepta non legamus : quin eam mere perſonalem aduerſus ſcriptores omnes ex Vlpian dicimus. *l. 3. §. eſt autem perſonalis. D. ad exhib.* non quod ex quaſi contractu, vt Accurſ. & reliqui crediderunt, enaſcatur. neque enim aliquis quaſi contractus ad eam actionem conſiderari poteſt, ſed potius quia ex quaſi delicto. Cum enim ad exhibendum actio non detur niſi ei cuius intereſt exhiberi *l. 3. §. ſciendum. l. ſi liber homo. D. ad exhi.* doloſè feciſſe videtur, qui admonitus rem noluit ei cuius intererat, exhibere, de quo dolo coercendo cùm agatur ea actione meritò quicunque ad quem commodum peruenerit, conuenitur. *l. §. fi. D. ad exhib.* Quod verò ad interdicta pertinet, ea omnia non in rem ſcripta eſſe, ſed in rem concepta videri, dixit Vlpian. *l. 1. §. fi. D. de interdict.* ſignificans pleraque eſſe, quæ in rem ſcripta non ſunt, cùm vſus ſit verbo videtur, quod fictionem notat. *l. 1. §. deieciſſe. ff. de vi. & vi arma. Bartol. in l. ſi is, qui pro empt. D. de vſucap.* quanquam & illud veritatem exprimere quandoque non eo inficias: ſed hoc totum ad ſubiacentem (vt Bald. in rub. de præſcript. inquit) materiam, eſt referendum, Plura vide apud Corraſium in Miſcellaneis obſeruationibus.

Ad §. omnium. Inſtitutionibus de actionibus.

Quæ ſint actiones in rem & in perſonam, probatúmque aduerſus Accurſ. actionis finitionem reali conuenire.

Quoniam verò de actionibus in rem & in perſonam quædam gloſſatores non intellexerunt: non alienum ab inſtituto facturum me putaui, ſi nonnulla de vtriuſque propria ſignificatione adiicerem. Actionum ſumma hæc præfertur diuiſio: quia aut in rem ſunt, quæ vendicationes appellantur. Aut in perſonam quæ dicuntur Condictiones. *l. actionum genera. D. de actionib. & obligationib. §. omnium, de actio. in inſt.* In rem actio ſicuti legiſlator vtrobiq. explicat, eſt, per quam rem noſtram petimus, quæ ab alio poſſidetur : debet quippe dominus eſſe, qui hac actione experitur. *l. in rem. D. de rei vend.* ſaltem vtilis, veluti, Emphiteuta, vaſallus, aut ſuperficiarius. *l. 1. ff. ſi ag. vectig.* cum autem adfinia ſint dominij, quaſi dominium (quod bonæfidei poſſeſſor habet: quodque Bartolo placuit, inter ſpecies dominij collocare. *in l. minor. §. final. ff. de euictio.* Et ius in re ſpecificum, (quod creditor habet, cui res pignoris nomine, obligata eſt, aut is cuius prædio debetur ſeruitus) bonæfidei quoque poſſeſſori & creditori, ius in re habenti, datur in rem actio. *l. 1. ff. de publicia. §. æquè. §. namque ſi cui, & §. item Seruiana, de actionib.* Debet item eſſe poſſeſſor, is contra quem agitur d. *l. actionum. l. 1. Cod. de alie. iud. mut. cauſ. fac. cap. examinata, de iud.* Aut dolo deſiiſſe poſſidere, *l. ſin autem. §. ſed & ſi quis, & l. is qui dolo. ff. de rei vend.* Habetur nanque dolus, pro poſſeſſione. *l. qui dolo. ff. de regulis iuris.* Quod probatur, quem videlicet dolo deſiiſſe poſſidere, eo ipſo, quod poſt oblatum libellum non poſſidet. Aut poſt denunciationem litis factæ alienauit. *Bartolus in l. qui petitorio. ff. de rei vend.* Poſſeſſoriſque verbum non coarctamus, ſed extentè accipimus, vt non tantum naturalem aut ciuilem poſſeſſorem, verumetiam eum qui detinet colonum, puta commodatarium, conductorem, & ſi qui ſimiles ſunt, comprehendat. *l. officium. ff. de rei vend.* Et hæc ſunt duo actionis in rem extrema, dominium videlicet, ex parte agentis, & poſſeſſio ex perſona rei conuenti. Habet quoque, vt dici ſolet, hæc actio duas cauſas, propinquam, vt dominium, vel quaſi, aut ius in re : Et remotam, hoc eſt, titulum dominij : veluti ſi dicat actor, ſum dominus, quia emi, quia res mihi donata, teſtamento relicta, aut in dotem data eſt. Actio vero in perſonam, eſt, qua cum eo agimus, qui obligatus eſt nobis, ad faciendum aliquid vel dandum, obligati perſonam non egrediens, *dicta leg. actionum. & dicto §. omnium.* Deſcenditque ex contractu, vel quaſi, maleficio, vel quaſi, *l. 1. D. de actionib. & obligat.* Nam ex contractu fuit obligatio. *l. ex placito. Cod. de rer. permut.* ex qua immediatè naſcitur actio, *l. licet. §. ea obligatio. D. de procurat.* Dicitur autem in perſonam, quia obligati perſonam perpetuo ſequitur. *l. final. §. final. ff. de contrahenda empt. l. 1. §. ſi heres. ff. ad Trebel.* à cuius oſſibus auelli nunquam, aut ſeparari poteſt. *l. quis ergo caſus, vbi Accurſius. ff. de pecul.* Hincque patet, actionem in perſonam duas quoque cauſas habere, propinquam, & remotam. Propinqua eſt obligatio, quæ mox vt diximus, actionem parit. *dicto. §. ea obligatio.* Remota eſt contractus ſiue maleficium, ex quibus licet actio deſcendat *l. 1. D. de actionibus & obligationibus.* non tamen, vt vocant, immediatè ſed alio mediante, nempè obligatione. *dicta l. ex placito.* Accurſ. in *l. 2. in princ. ff. mandat.* Has autem cauſas, propinquas & remotiores. Accurſius & cæteri belliſſimè tractant, in *l. 1. ff. de edend. & in l. & an eandem. ff. de except. rei iud.* Verumenimuero Accurſius & ſeniores docent ſolam actionem in perſonam, actionis nomen propriè retinere : in rem quippe petitio dicitur. *leg. actio in perſonam. D. de actionib. & obligat.* Nec propria actio dici poteſt, perſpecta, inquiunt actionis finitione, quæ vt nemo neſcit, eſt [Ius perſequendi in iudicio, quod ſibi debetur.] *l. nihil. ff. de act. & oblig. §. 1. eod. tit. in inſtit.* per actionem autem realem non proſequimur nobis debitum, ſed quod noſtrum eſt, petimus. *l. in rem. ff. de rei vend. §. omnium. de action.* Ego vero actionem in rem, propriè actionem dici, verius ſemper putaui: pluribúſque vix dum plenam pubertatem egreſſus, putaui defendi, cùm de centum Iuris axiomatibus diſputarem: Id enim actionis finitio probat, vt ſententiæ noſtræ officiat, tantum abeſt, dum dicit, [Perſequendi.] Cuius appellatione haud dubiè & condictio, & petitio continetur. *dicta l. actio in perſonam. D. de actionib. & oblig. l. pecunia verbum. §. venal. ff. de verborum ſignificatione.* Et quoniam alioqui, abſurda nimis eſſet finitio, quæ omnem omnino actionem, ſingulaſque eius ſpecies comprehendere debuit, cum actionem in genere finiret. Actionem autem in rem, actionem eſſe, neminem fugit. *d. l. actionum. & d. §. omnium.* Nec nos tantillum mouerit, verbum [debetur.] quod in definitione poſitum, largè, generaliter, & extentè, accipi debet, pro eo, quod aliquo iuris vinculo, nobis debere poteſt, vt ita actionem, etiam in rem comprehendat. *dicta l. pecunia verbum. §. final.* Eum autem, qui rem noſtram poſſidet, ne cum alterius iactura locupletior fiat, non inconcinnè dici poteſt; debere, & obligatum eſſe, rem domino reſtituere *l. 2. §. item Varus. D. de aqua pluuia arcend.* Nam & illud Commune vinculum eſt, quo homines omnes obligantur, vt honeſtè viuant, neminem ledant, & ius ſuum vnicuique tribuant. *l. iuſtitia. §. 1. ff. de iuſt. & iur.* Nec item obſtat, quòd actio in rem, ſpeciale petitionis nomen aſſumat. Nam & actio in perſonam peculiare quoque conditionis nomen habet, *dicta l. actionum genera. & §. appellamus. de actionibus in inſtitut.* Denique non nos mouerit, quod lex dicit eum qui in rem noſtram poſſidet, nullo iure nobis obligatum, *dicto. §. omnium.* quià non inde ſequitur, ratione rei à ſe poſſeſſæ, cum debitorem noſtrum non eſſe. *leg. creditores. vbi Alciatus. ff. de verborum ſignificat.* Plura vide apud Corraſium.

Ad §. æquè. eiuſdem tit. de actionibus.

Ius altius tollendi, vel non tollendi, apud Iuſtinianum Imperator in §. æque. Inſtit. de action. declaratum, ac Doctores interpretationes confutatæ.

In Iuſtinianeis Inſtitutionibus ſic extat. Æquè ſi agat quis, ius ſibi eſſe fundo, vel ædibus vtendi, fruendi, vel per fundum vicini eundi, agendi, vel ex fundo vicini aquam ducendi: in rem actio eſt. Eiuſdem generis eſt actio de iure prædiorum vrbanorum. Veluti ſi quis agat, ius ſibi eſſe altius ædes ſuas tollendi, proſpiciendíve, vel proiiciendi aliquid, vel immittendi tignum in vicini ædes. Contra quoque de vſufructu, & de ſeruitutibus prædiorum ruſticorum, item prędiorum vrbanorum, inuicem proditæ ſunt actiones, Vt ſi quis intendat ius nõ

eſſe aduerſario vtendi, fruendi, eundi, agendi, aquámve ducendi, item altius tollendi, proſpiciendive, immittendive: iſtæ quoque actiones in rem ſunt, ſed negatiuæ. *§. æquè. Inſt. de act.* Quibus verbis Iuſtinianus Imper. innuere videtur, actionem qua quis intendit ius ſibi eſſe altius ædes ſuas tollendi: confeſſoriæ actionis ſpeciem eſſe: Econtra negatoriæ actionis ſpeciem haberi eam, qua quis intendit ius non eſſe aduerſario ædes ſuas tollendi. Atqui contrarium potius dicendum videretur. Nam qui intendit ius ſibi eſſe altius ædes ſuas tollendi, pro libertate agere videtur, cuilibet enim liberum eſt, ad cælum vſque ædes ſuas eleuare. *l. altius. C. de ſeruit.* Pro libertate autem vendicanda negatoria competit. *l. 2. D. ſi ſeruit. vend.* E diuerſo, qui intendit ius non eſſe aduerſario ædes ſuas tollendi, ſeruitutem vendicare intelligendus eſt, vt eſt textus in *l. & ſi forte, in princ. D. ſi ſeruit. vend.* Ad ſeruitutem autem vendicandam confeſſoria datur, *d. l. 2.* Huic antinomiæ variis modis reſpondent Doct. Inter quos Ioannes Faber non negat actionem altius non tollendi confeſſoriam, econtra actionem altius tollendi negatoriam eſſe: Sed tamen caſus reperiri ait, in quibus actio altius non tollendi negatoria, actio verò altius tollendi confeſſoria ſit: vt in hoc caſu. In pleriſque ciuitatib. Italiæ ſtatuta extant, quibus cauetur, ne vltra certum modum ædes tollantur vt teſtatur gloſſ. in *l. qui luminibus. D. de ſeruit. vrb. præd. & in l. 1. C. de ædif. priua.* Idemque & antiquitus apud Romanos ex Imp. Traiani conſtitutione obſeruatum auctor eſt Sex. Aurelius Victor in vita Traiani. Nam cum plurimi terræ motus altiora ædificia proſternerent, edixit Traianus, ne vlla domus vltra ſexaginta pedes tolleretur. Si iam in ciuitate aliqua, vbi eiuſmodi ſtatuta vigent, pactus ſim à vicino, vt mihi hanc ſeruitutem altius non tollendi, à ſtatuto impoſitam, remittat, meque altius tollere ſinat: Hoc caſu ædes vicini incipiunt ædibus meis ſeruire. Cogitur enim vicinus hanc ſeruitutem pati, vt ego altius tollam. Si ergo vicinus tollere me impediat, potero agere confeſſoria, per quam actionem aio mihi ius eſſe altius tollendi. Pro vendicanda enim ſeruitute confeſſoria competit, *d. l. 2* Idemque econtrà in actione negatoria. Et ſi verò hic Iohannis Fabri intellectus plurimum coloris habeat: Iaſoni tamen non probatur. Præſupponit enim Faber eum, qui ſtipulatus ſit, vt aduerſus ſtatutum altius ſibi tollere liceat ſeruitutem à vicino acquirere: Quod nequaquã concedendum eſſe Iaſon autumat quoniam libertas potius ex tali ſtipulatione ſibi acquiritur. Nam cùm liberum cuilibet ſit cœlum ad vſque ædificare, *d. l. altius.* dubiũ non eſt, quin ex ſupradicto ſtatuto ſeruitus ædibus impoſita ſit. Quod ſi iam vicinus hanc ſeruitutem per ſtatutum ædibus meis impoſitam remittat, incipiunt ædes meæ priſtinam libertatem recuperare: eam ſi impediat vicinus, negatoria actione conueniendus eſt: ſicut in caſu contrario confeſſoria locum habet. Sed huic obiectioni Iaſonis reſpõdet Zaſ. in ſingularibus intellectibus negandum quidem non eſſe, quin ex remiſſione talis ſeruitutis ædes meæ liberæ fiant: ſed tamen hanc libertatem non naturalem, ſed impoſititiam potius appellandam, quæ ex correlatione ſeruitus dominans dicenda eſſet. Itaque concludit, Ioannem Fabrum rectè docuiſſe, pro tali ſeruitute dominante confeſſoriam dari: ſicut & pro aliis omnibus ſeruitutibus confeſſoria cõpetit. *d. l. 2.* Præter Zaſium, Ludouicus quoque Gomeſius in d. §. æquè. ſupraſcriptam Iaſonis obiectionem alio fundamento diluit. Etſi enim non neget, quin pactum altius tollendi hoc in caſu naturalem libertatem ædibus meis tribuat: tamen pro libertate vendicanda confeſſoriam actionem quandoque dare ait. Id quod in iure patronatus cernere eſt. nam id confeſſoria actione vendicamus, vt Iaſ. in *l. prim. D. de oper. no. nun.* tradit cum tamẽ ius patronatus nihil aliud ſit, quam præſentandi libertas. Et his quidem Vdalrici Zaſij, & Ludouici Gome. reſponſionibus, Faber ab impetitionibus Iaſon. defendi poſſet. Sed neutra reſponſio mihi placet. Nam quid Zaſius ait, ex ſeruitute altius non tollendi pacto remiſſa, libertatem nullam oriri. manifeſtè pugnat contra text. in *l. ſi ædes. in princ. D. ſi ſeruit. vend.* cuius verba hæc ſunt: Si ædes meæ ſeruiant ædibus Lucij Titij, & ædibus Publij Mæuij, ne altius mihi ædificare liceat, & à Titio precario petierim, vt altius tollerem, atque ita per conſtitutum tempus ædificatas habuero, libertatem aduerſus P. Mæuium vſucapiam. Non enim vna ſeruitus Titio & Mæuio debetur, ſed duæ: Argumentum rei præbet, quòd ſi alter ex his ſeruitutem mihi remiſiſſet, ab eo ſolo liberarer, &c. Nec me mouet, quòd Zaſius de ſeruitute dominante adfert: id enim nullo iure probatur. Pariter Gomeſij ſolutio nihil propugnat Ioannis Fabri ſententiam. Neque enim vllo iure probari poteſt, pro ſeruitute vendicanda negatoriam: aut pro libertate vendicanda confeſſoriam dari: Sed omnia iura contrarium docent, *d. l. 2.* Et quamuis pro iure patronatus confeſſoria competat: non tamen inde ſequitur confeſſoriam actionem in vendicatione libertatis locum habere. Nam ius patronatus non libertatis ſpecies eſt (vt Gomeſius arbitratur) ſed ſeruitutis potius. Quod Abb. *in c. quoniam. num. 9. per gloſ. in cap. pia mentis. 16. q. 7.* tradit. Ex his igitur apparet intellectum Ioannis Fabri text. *d. §. æquè,* nequaquam conuenire. Qui & aliis argumentis confutari poteſt. Nam in eo ſtatuta Italiæ præſupponuntur: de quibus Iuſtinianus Imp. *in d. §. æquè,* ſentire non potuit: Quippe qui multis ſæculis ante ſtatuta Italiæ promulgata vita defunctus eſt. Nec etiam in dubio præſumendum eſt, eum ſecundum ſtatuta locutum: cùm in obſcuris iure potius communi quàm iure ſpeciali, quilibet vti præſumatur. *l. eius militis. §. militia miſſus. D. de teſtam. milit.* Nam & legiſlatores ad conſuetudines reſpicere non ſolent, vt eſt text. in *c. 1. de conſtitut. in 6.* Nec putandum eſt, Iuſtinianum ad Traiani Imperatoris conſtitutionem reſpexiſſe. Ea enim conſtitutio, ætate Iuſtiniani amplius vſu non fuit, vt ex *l. altius. C. de ſeruit.* ſatis apparet. Vbi permittitur cuilibet ad cœlum vſque ædificare. Alium quidem intellectum Iaſon in *d. §. æquè.* poſt Dynum adfert, vt ædes ſuas, pro ædibus vicini in *d. §. æquè* accipiamus. Et ne cui hæc interpretatio noua aut aliena videatur, multa iura adducit, in quibus ſuum dicitur, quod ſeruitutem alicui debet. Sed hunc quoque intellectum Gomeſius confutat. Et præter ea quæ ipſi adducit, eſt text. expreſſus in *l. hæc autem iura. D. de ſeruit. vrb. præd.* in quo textus ius altius ædes ſuas tollendi, non ad vicini ædes, ſed ad proprias actoris ædes refertur. Similis quoque text. eſt in *§. prædiorum. Inſt. de ſeru.* Quamobrem Ludouicus Gomeſius in *dicto. §. æquè,* alium adducit intellectum. & quidem non negat, quin actio altius non tollendi confeſſoria actio vero altius tollendi negatoria ſit. Quod autem Iuſtinianus Imperator in *dicto §. æquè,* inter exẽpla actionis confeſſoriæ, actionem altius tollendi, inter negatoriæ autem actionis exempla, altius non tollendi recenſet: id illum nihil mouet, cum in iure non infrequens ſit: vt exempla in alieno loco ponantur. Sed hunc intellectum ego non ſequor. Non enim Iuſtinianus Imp. exempla duntaxat recenſet, verum etiã expreſſim ſubiungit actionem altius non tollendi negatiuam eſſe. Ait enim, iſtæ quoque actiones in rem ſunt, ſed negatiuæ. Confutatis ergo omnibus intelllectibus, quid ipſe ſentiam, in medium adferam. Et quidem memini quendam ex præceptoribus meis nouo ſenſu Iuſtiniani locum declaraſſe. Non negabat ille, quin actio altius tollendi negatoria, actio vero altius non tollendi confeſſoria ſit. Quod autem Doctores obiiciunt, Iuſtinianum Imp. actionem altius tollendi inter confeſſorias, actionem verò altius non tollendi inter negatorias actiones enumerare, id non ita eſſe aiebat. Nam ſi quis verba Iuſtiniani Imp. rectè conſideret, apparet eum non hoc agere, vt actiones confeſſorias à negatoriis diſtinguat. Sed ſine vllo diſcrimine confeſſoriæ, negatoriæque actionis, primum affirmatiua, deinde negatiua vtriuſque actionis exempla recenſere. Ait enim, iſtæ quoque actiones in rem ſunt, ſed negatiuæ. Quod ſi negatoria actionis exempla à confeſſoriis diſtinguere voluiſſet, ea non negatiua, ſed negatoria (id enim proprium huius actionis nomen eſt. *l. 2. D. ſi ſeruit. vend.*) appellaſſet. Hæc eſt opinio Bernardini Vaitheri in Miſcellaneis.

Ad eundem §. æquè.

Ius aquæ ducendæ quomodo perſonale ſit, duo contrarij textus conciliati. Fabij Gomeſijque intellectus reiecti.

Quæſitum eſt, an ius aquæ ducendæ perſonale ſit, an verò reale? In qua re iura mirum in modum inter ſe pugnant. Nam in *§. æquè. Inſtit. de action.* traditur hanc ſeruitutem realem eſſe. *At in l. Lucius. D. de ſeruit.* inter perſonales ſeruitutes refertur. Hanc contrarietatem Ioannes Faber *in dicto §. æquè. & in §. ex conditionali. Inſtit. de verbor. obligat.* ad hunc modum ſoluit. Regulariter quidem ius aquæ ducendæ reale eſſe. *d. §.*

æquè

aquè.Sed in *d.l.Lucius*. ideò perſonale dici,quia in caſu illius legis aqua non ædibus,ſed perſonæ promiſſa erat:neque enim ædes irrigatione indigere ſolent.Sed hæc ſolutio Iaſoni in *d.§.aquè*.non placet,quoniam vt plurimùm ædes ad extergendas cloacas aquæ ductibus opus habent. Ipſe igitur alio intellectu *d.l.Lucius*.declarat.Sed eum quoque intellectum Gom. in *d.§.aquè*.multis argumentis confutat:adeò vt ſuperuacuum ſit eum in præſentia pluribus confutare.Itaque Gomeſius aliũ intellectum in medium adfert: aitque ius aquæ ducendæ partim reale,partim perſonale eſſe:vt meritò in *d.§.aquè*. inter reales,in *d.autem.l.Lucius*.inter perſonales ſeruitutes referatur,Sed ego in hac re Gomeſio minimè aſſentio. Si enim ius aquæ ducendæ partim reale,partim perſonale eſſet:vtique Iuſtinianus Imp.non inter perſonales,ſed inter mixtas actiones, (de quibus in *§.quadam.eod.tit.Inſtit.de actio.* agitur) de eo iure tractaturus fuiſſet. Ego igitur hanc difficultatem aliter diſſoluendam eſſe arbitror , & dicamus ius aquæ ducendæ regulariter reale eſſe,*d.§.aquè*. Quod autem in *d.l.Lucius*. pro perſonali habetur:inde eſt,quia in caſu illius legis non ius ſeruitutis,ſed vſus aquæ ducendæ conceſſus erat.Idque Iuriſconſultus ſatis oſtendit his verbis: Vſum aquæ,&c.& rurſus : Ad heredes Seij quaſi vſuarij, &c. Notum autem eſt,vſum perſonalem eſſe,ac cum perſona extingui. *§.1.Inſtit.de vſufruct.& habita*. Non me præterit,Alciatum lib.2.diſpunct. cap. 7. aliter quoque declaraſſe text.in *d.l.Lucius*.

Ad eundem.§.æquè.Inſtit.de actionib.

De intellectu §.æquè,aduerſus cæteros omnes.
Noua declarationes ad §.æquè.

In corporalibus is ſolus in rem agere poteſt, qui non poſſidet.Nam ei qui poſſidet,nulla in rem prodita eſt actio. [Vno tamen caſu(inquit Imperator in *§.æquè. de actionib. in Inſtit.*) [is qui poſſidet,in rem agere poteſt : qui ſimul & poſſideat,& actoris vices ſuſtineat , ſicut in latioribus Digeſtorum libris opportunius apparebit.] Quis ſit iſte caſus,quem Imperator intelligit,omnes ad vnum interpretes, multùm ſe diſtorquẽt: quorum tamen nullus expoſitionem adfert,quæ ſubiectæ materiæ conueniat.Accurſ.inprimis , Imperatorem locutum interpretatur,de duplicibus iudiciis familiæ erciſcundæ , communi diuidundo,& finium regundorum,ſic dictis quòd in eis vterque litigans actor ſit & reus.*l.in tribus.ff.de iud.§.quadam.de act.in Inſtit*.In his quippe habet actionem,qui poſſidet, per quam neget rem actoris eſſe,in *l.1.ff.famil.erciſc* Cui exemplo adſtipulatur Iaſ.dicens,ſibi perſuaderi non poſſe , Imperatorem de alio caſu intellexiſſe.Alij tamen hoc exemplum & meritò improbant cùm non ad Imperat.verba conueniat, qui vnum tantùm caſum eſſe dixit. in illis autem iudiciis tres ſunt, qui,tametſi Iaſ. contra putet,non vnum efficiunt.Hac ratione minus conuenit alterum Accurſij exemplum , de qualibet exceptione proponenda:licet prima fronte ad eum locum ex eo quadrare videatur , quòd in exceptionibus , actoris partibus reus fungatur.*l.1.ff.de excep.l.in exceptionibus.ff.de prob*.& dicat Imper.vno illo caſu eum qui poſſidet , non verè actorem eſſe,ſed actoris partes obtinere. Verùm,vt ante monui,Imp. verba non ita accipi poſſunt.quandoquidem ſic non vnus,ſed ſuprà ſexcentos caſus eſſent.

Maluerunt igitur Pet.Fab.Aret. Zaſ. & cæteri communiter, vt eum caſum Iuſtinianus intellexerit,quo poſſeſſor in rem actione conuentus,ſua ſponte onus in ſe probandi ſuſcipit, nõ ad actorem,quod petitum eſt,ſed ad ſe pertinere.ea ſiquidem ſpecie,actoris partes reus proculdubiò ſuſtinet. Reum autem probationis onus (quod regulariter ei qui dicit,incumbit) ad ſe transferre poſſe,notiſſimum eſt,Accurſ.in *l.circa.ff.de prob*. Sed diuinatorium nimis eſt hoc exemplum , nullóque modo ad Imper.verba referri poteſt,qui de caſu à ſe intellecto, factũ in Pandectis proprium,& latiorem tractatum dicit , cùm nullibi id à Iuriſconſultis tractatum offendatur.

Cogitabam ego ſi altero de duobus modis,pręter alios verba Iuſtiniani tutò interpretari poſſint. Primùm, vt præiudiciales actiones intelligat,quæ in rem ſunt. *§.præiudiciales.de act.in Inſt*.& extra ordinem aliarum actionum negatiue intẽduntur:cùm aliis actionibus principaliter intentatis obiiciantur.*l.fundum.ff.de except.*

Poteſt & ſecundo dici,quod veriſimilius videtur, Imperatorem de interdicto vti poſſidetis ſenſiſſe (in quo ſuſtinet vices actoris qui poſſidet:)non autem ad actionem aliquam referendum eſſe.[Nunquam enim(inquit Vlpianus) datur vltrò actio poſſeſſori,quippe cùm ſufficiat ei,quod poſſideat. *l.1.§.interdictum autem.ff.vti poſſidet*. Quo tex.hic intellectus optimè defenditur. Plura vide apud Corraſium in Miſcellaneis obſeruationibus.

Ad eundem §.æquè.Inſtitutionibus de actionibus.

De ſeruitutibus altiùs tollend.,& officiendi luminibus,Iuriſconſultorum reſponſa ſecus declarata,quàm ab aliis traditum ſit.
Delira Doctorum ſententia.
Noua declaratio.

Sed enim,quia *§.aquè*.ingreſſi ſumus, non grauabimur ampliùs de eiuſdem intellectu ratiocinari. Animaduertimus autem aliquando factam mentionem illic ab Imperatore , nonnullarum ſeruitutum,quarum expoſitionem interpretes nunquam ſunt aſſequuti.inter eas præcipua eſt, [Altiùs tollendi,] in qua illud doctores cruciat,& mirificè angit, quod cum naturalis libertatis iure cuique liceat ædificare,tolleréque altiùs ædificatum,*l.fin.in princ.ff.de ſerui.l.fin.§.penult.ff. quod vi aut clam*:nec ad ſeruitutem ea facultas quoquo pacto pertineat. *l.cuius.ff.de ſeru. vrb.præd.l.altius.C.de ſer.& aqua*: videtur dari non poſſe altiùs tollendi ſeruitutem. Quod inſcitè quidam admittunt,dicentes facultatem altiùs tollendi ius non ſeruitutem eſſe.*l.1.ff.de ſeru.vrb.præd*. Sed hic error inexcuſabilis eſt, quo nihil ſtultius,aut ineptius dici poteſt , & tamen mirum quàm ſibi hac in re auctores placeant. At verò Faber,cui reliqui creberrimè ſubſcribunt,ad ius municipale rem totam referri vult:violans ita,& miſerè conſtringens legiſlatorũ verba,quos de ſtatutis particularibus locorum cogitaſſe veriſimile non eſt.*c.1.de conſtit.in 6.* Alij aliter interpretantur , in eodem tamen luto omnes mihi hærere videntur. Quoniam igitur hæ,& id genus aliæ interpretationes, hoc ipſum non explicant,vt genuinam ſententiam habeas , conſiderandum eſt. eum cuius eſt ſolum aut ædificium, liberum cælum habere. *l.ſi.in prin.tit.alleg.* vnde licet ei ſupra ſuum in infinitum imponere,*l.cuius.ff.de ſer.vrb.præd.* & altiùs tollere,obſcurando etiam lumina vicini.*l.cum eo.ff.de ſer.vrb.præ.*præterquam quatuor potiſſimùm caſibus.Primus,vbi vellet quis ędificare iuxta aream vicini,in qua frumenta conteruntur , & ab ea parte, ex qua tantummodò area ventum habere poteſt. *l.ſi.§.ſi.C.de ſer.& aqu.*idque frugum fauore,& publica vtilitate ſuadente, *l.1.ff.de nundin.* Alter, caſus, Vbi qui tolleret altiùs,obſcurando lumina vicini nullum ſentiret commodum.nec enim probat lex eius factum,qui non , vt ſuum agrum meliorem faceret,ſed animo nocendi,vicini ius minuit. *l.1.§.denique.ff.de aqua plu.arc.*inuidiam prohibet. *l.opus nouum.ff.de oper.pub.* Aggregant plura Moder.in *l.ex hoc iure.ff.de iuſtit.& iure*.malitiis etenim hominum non eſt indulgendum,inquit Celſus,*l.in fundo.ff.de rei ven.* Tertius caſus in hærede,qui omnino vult obſeruare ædes legatas.lumen penitus recludendo. *l.binas.ff.de ſer.vrb.*Addo ipſe quartum caſum cęteris magis neceſſariũ, ſi excedatur forma,ac ſtatus antiquorum ædificiorum,hoc eſt, modus vſitatæ altitudinis. *l.qui luminibus.ff.de ſeru.vrb.& l.1.C.de ædifi.priu.*Et hoc eſt,vt opinor,quod Iuriſconſ.ait in *d.l.cuius*,dum inquit:[Licere in infinitum imponere ædificium, dummodo inferiora ædificia non grauiore ſeruitute oneret, quàm pati deberet:nec enim pati coguntur vltra veterem ædificiorum modum,eleuari à vicinis ędificia.]Hinc patet ſingularis declaratio ad leges omnes,quæ dicunt,liberum eſſe vnicuique etiam vſque ad cælum ſupra ſuum ædificare : hoc enim ſic accipiendum eſt, ſi vicino non noceat,alioqui nõ poteſt quis ædificando,altitudinis vſitatæ modum excedere.

Non igitur de legibus municipij,cum Doctoribus quicquã ſomniabimus:ſed dicemus legem ipſam inſcriptam coarctaſſe libertatem illam naturalem ędificandi,vt ſcilicet velit,quemadmodum diximus,vnicuique liberum eſſe ædificare , ſi tamẽ formam antiquorum ædificiorum eius loci cuſtodiat. *d.l.qui luminibus*.Nam ædificare volẽs,vſitatæ altitudinis modũ excedere prohibetur.*d.l.1.C.de ædif.priu.* Niſi illam facultatem

quæſierit à vicino, túncque ius habebit altiùs tollendi, quòd non libertas, ſed vera & propria erit ſeruitus.

Hinc quoque vera declaratio colligitur ad ſeruitutem officiendi luminibus vicini, in qua Doctores laborant, non facilè valentes huius ſeruitutis exemplum reperire, nec quo pacto poſſit quis habere ſeruitutem, vt luminibus ſuis officiatur, planè vident. Torquet eos prætereà, quòd ea ſeruitus conſtitui non poteſt, quæ dominanti prædio vtilitatem non afferat, aut cuius vicini non interſit. *l. quoties. ff. de ſeruit.* Atqui domino prædij tantùm abeſt vtile eſſe, conſtitui ſeruitutem, vt luminibus ſuis officiatur, vt maximè ſibi noceat. Hoc contrariũ veriti doctores, ad mercatorum calliditatem, vafriciem, & imposturam procurrunt. Poteſt (inquiunt) intereſſe domini, quia domus mercatoris fortaſſe erat, quæ ne vitia pannorum viderentur, obſcuritate & tenebris, magis quàm lumine egebat. Notantes ita mercatorum calliditatem, fraudem & malitiam, qui vt ſubtiliùs fraudent emptores, deducunt eos in officinas tam opacas, vmbroſás, & obſcuras, vt vix venditor inibi emptorem videat, vt non iniuria Bald. *in c. cùm cauſam. de teſt.* exclamans dicat. [O quò vadit anima mercatoris?] Qui tamen hoc prætextu ſe excuſant, quòd ſolis fulgorem prædicent nocere coloribus. Intereſt igitur hoc caſu maximè mercatoris, ędes ſuas à prææalto vicini ędificio obſcurari, luminibúſque ſuis offici, vt mercium corruptionem tenebris tegens, emptorem ſubtiliùs circumueniat.

Cogitant & aliud exemplum non minùs ridiculum, de eo qui ædes habet juxta montem aliquem, aut terram prominentem, in qua eſt via publica: per eam etenim tranſeuntes ædium dominum vident, eáque ſumpta occaſione ad eum multi veniunt, quo nomine plura impendere cogitur, quàm facultas rei familiaris fortaſſe patiatur, à forenſibus quotidie vexatus.

Verùm hæ doctorum interpretationes, mera ſunt phantaſmata, ad quæ nemo vnquam, qui alicuius ſit iudicij, iuriſconſultos attendiſſe dixerit. Abſurdum præterea eſt. *l. 1. ff. de ſeru. vrb. præ.* ita exponere, quæ cùm huius ſeruitutis meminit, non eam ad propria retulit lumina, ſed ad lumina vicini, vt illis ſcilicet officeretur: qua in re doctores fœdiſſimè lapſi ſunt. Itaque conſiderandum eſt, eum qui vult ædificare, debere, quẽadmodum diximus, veterem formam ac ſtatum antiquum ædificiorum obſeruare. *d. l. qui luminibus. ff. de ſeru. vrb. præd. d. l. 1. C. de ædific. pri.* Quare ſi quis velit parietem ſuum vel in altum, vel in latum contra ſolitam ædificiorum formam ita extendere, vt obſcuret ædes vicini, non poteſt, niſi hæc ſeruitus impoſita ſit, hoc eſt, conſtituta vel pactionibus, vel teſtamento. Quibus modis ſi mihi ędificare volenti vicinus ſeruitutem impoſuerit, (non, vt altiùs tollerem, quàm ſtatus antiquus ædificiorum patiatur, quippe tunc altiùs tollendi ſeruitus diceretur) ſed vt fortaſſe latiùs protenderem parietem meum, luminibus eius etiam officiendo dicor tunc habere ſeruitutem luminibus officiendi: Quam ita reiectis doctorum nugis, declarare oportet. Quæ tamen omnia intelligi volo, niſi ſtatus ille antiquus ædificiorum, principis lege, aut municipij, vtilitatis publicæ gratia præſcriptus eſſet. Tunc enim, quia pactionibus priuatorum, publicum ius lædi non poteſt. *l. ius publicum. ff. de pact. l. fin. ff. de ſuis, & legi.* nequiret vicinus facultatem altiùs poſſendi, vel latiùs extendendi ædificium, vicino concedere. Veluti cùm Auguſtus Cæſar, ne vrbs Roma, magna mole ędificiorum ruinis laboraret, cõſtituit, ne ſupra ſeptuaginta pedes, ſublimiùs quis ædificaret. Quod & Nero Cæſar poſt incenſam vrbem dimenſis vicorum ordinibus, & viarum ſpatiis, ſtatuit, ne vltra præſcriptum ædificia tollerentur. Plura vide apud Corraſium.

Ad §. De conſtituta. Inſtitutionibus, de actionibus.

Stipulationem iuris gentium eſſe: & quomodo in §. de conſtituta. Inſtit. de action. intelligendum ſit, Stipulationem iure ciuili obligare, contra doctores.

Communis eſt Doctorum opinio in *§. de conſtituta. Inſtit. de actio. in §. omnis. de verb. oblig. in l. ex hoc iure. ff. de iuſt. & iure, & in Rub. ff. de verbor. obligat.* ſtipulationem origine iuris ciuilis eſſe. Nam cùm in *d. §. de conſtituta.* dicatur, eum qui ſtipulatur iure ciuili obligari: conſequens eſſe aiunt, vt ſtipulatio iuris ciuilis ſit. Sunt tamen aliqui ex Veteribus, qui ſtipulationem non iuris ciuilis, ſed iuris gentium eſſe arbitrantur. Quorum ſententia etſi communi calculo Doctorum reiecta eſt: mihi tamen non parum probatur. Conſtat enim acceptilationem iuris gentium eſſe. *l. an inutilis. § fin. ff. de acceptilat.* Quæ cùm ſtipulationem tollat, *l. 1. ff. de acceptilat.* conſequens eſt, vt ſtipulatio eiuſdem quoque iuris ſit, arg. *l. nihil tam naturale. ff. de reg. iur.* Huc etiam accedit, quòd ſtipulatio facti eſt vt Alciatus lib. 1. Paradox. cap. vlt. tradit. Quę autem facti ſunt, iuris naturalis vel gentium habentur. *l. nec ſeruus.* Vbi gloſſ. *ff. de pecul.* Alciat. *in l. quinque pedum. C. fin. regun.* Supraſcriptis argumentis & illud accedit, quod ex ſtipulatione naturalis obligatio oritur. gloſſ. & doct. in *d. l. 1. § penu.* Quòd fieri non poſſet, niſi ſtipulatio iuris naturalis, ſeu gentium eſſet. Nec me mouet, quod in *d. § de conſtituta.* dicitur, ciuilem obligationẽ ex ſtipulatione oriri. Nam omnes iuriſgentium contractus ciuiliter obligant, quod Bartolus in *l. Si vnus. § pactus. num. 10. ff. de pact.* tradit. Idq́; & Cicero libro 3. Officiorum, ſubindicare videtur. Quod enim, inquit, ciuile, non idem continuò gentium. quod autem gentium, idem ciuile eſſe debet. Quamuis ergo ſtipulatio iure ciuili obliget: nihil tamen impedit, quo minùs iuriſgentium ſit.

Ad §. appellamus. Inſtit. de actionibus.

Condictionis nomen cur actio perſonalis meruerit, nullámque olim denuntiationem neceſſariam, cum tamen hodie eam fieri oporteat, nouè contra omnes interpretes explicatum. & præfatio contra Accurſium.

Expoſitus nouè. § appellamus.

Omnes in rem actiones, generali verbo vendicationes appellantur, In perſonam vero actiones dicuntur condictiones, *§. appellamus. de actio. l. rerum amotarum actio. ff. rer. amot.* Hæ autem ſic nuncupatæ ſunt à verbo Condicere, quod priſca, & antiqua lingua, ſignificat nominare, *d. § appellamus.* etenim priuſquam olim adſtrictus actione perſonali, reus poſſet in ius vocari, denuntiandum erat ei, inquiunt interpretes, vt ſolueret. Quod genus denuntiationis, in actionibus in rem, minimè fuit neceſſarium. Ieſon *l. certi condictio, in princ. ff. de re. cre.* Sed nec hodie, in actione in perſonam, faciundam eſſe huiuſmodi denuntiationem putant Accurſ. & cæteri. in *l. debitores. C. de pignor.* Bart. & poſteriores in *l. quidam Hyberus. ff. de ſeru. vrb. prædio.* niſi cùm ſuperior in ius vocandus eſt. *l. 2.* vbi Accurſ. Bal. & reliqui. *C. de obſequ.* Honeſtum tamen eſt, & vrbanum (aiunt) admonitione hac charitatiua debitorem primum interpellare. Ioan. And. Panor. & alij, in *c. licet Hely. de Simon.* Ego verò animaduerti, denuntiationem huiuſmodi, nullatenus fuiſſe olim neceſſariam, idcircò verum non eſſe, quòd cẽſent ab ea denuntiatione, actiones perſonales, conditionum nomen ſumpſiſſe. Nec me mouet *§. appellamus.* qui alio ſenſu à Condicere verbo, quod denunciare ſignificat, actiones in perſonam, condictiones appellatas, tradit. nam, vt Theophilus eleganter, & accuratè explicat, qui olim cum aliquo litem habebat, denunciabat ei, vt hoc, aut illo die, ad litigandum adeſſet, ſiue in rem, ſiue in perſonam, actionem intenderet. Hodie verò, quoniam nulla fit à petitore, aduerſario denunciatio, per abuſionem, actio in perſonam, quam actor intentans dicit, [*Si apparet, hunc dare oportere:*] Condictio dicitur. Quæ interpretatio, *ad §. appellamus.* vt congruentiſſima, ita veriſſima, patefecit inprimis, denunciationem aliam olim deſideratam, quã quæ à doctoribus intelligatur. Deinde erraſſe in alio eoſdem exiſtimantes priſcis temporibus condictionis nomen, actioni tantùm in perſonam conueniſſe. Non item illis conſentio, cùm putant charitatiuam illam admonitionem hodie non eſſe neceſſariam: quandoquidem priuſquam adeatur iudex, poſtulari leges velint aduerſarium, cum quo pacto conferantur, & ea tractentur, quæ litis futuræ tranſgrediendæ cauſa eſſe poſſint. *l. cùm poſtulaſſem. ff. de dam. infect. l. fin. C. de fer.* Vnde dicebat Proculus, [Volo, vt eum Hybero loquaris, nec rem illicitam facit.] *l. quidam Hyberus. ff. de ſeruit. vrb. præd.* Quę verba accutè appenſa, ſatis indicant, hoc non voluntatis & conſilij, ſed neceſſitatis eſſe. Verbum namque Volo, prolatum ab eo, qui poteſtatem habet diſponendi, & imperandi, imponit neceſſitatem. *l. 1. in fin. ff. mand. l. 1. C. de ſumma Trin.* vbi Doct. ſcriptores in *l. ſeruus electione. in princip. ff. de leg. 1.* Huc pertinet, quòd factum deprehendens Imperator alicuius, qui

nulla

nulla præcedente admonitione alium in ius traxerat, ſubiratus ei dixit, [non protinus ad litigandum currere debueras. *l. ſi manumiſſor. C. de obſeq.* Et alibi, debitores priùs denuntiationibus conueniendos cenſuit, *l. debitores. C. de pig.* Ex Chriſti Optim. Maxim. lege hæc planè vera eſſe nemo negauerit: cùm Matth. 18. ſcriptum ſit, ſi peccauerit in te frater tuus, corripe eum, inter te, & ipſum ſolum: ſi te non audierit, aduoca tecum vnum aut duos; quod ſi necdum audiat, dic Eccleſiæ. Rectè itaque ſcriptores ſentiunt, qui non negant fraternam hanc admonitionem neceſſariam: cùm ad forum Eccleſiæ recurritur. quam ſi poſtpoſuerit agens, tanquam ordine non ſeruato, repelli poteſt, *c. indignè. 12. q. 2. Spec. in tit. de denunc. §. 1.* Sic, qui de Epiſcopo, aut alio iudice, à quo ſe offenſum putat, queri vult, non priùs ſuperiorem debet adire, quàm eum, à quo ſe læſum credit, non ſemel, ſed ſæpiſſimè: hoc eſt, ter ſaltem familiariter conueniat, ab eo ſuam iuſtitiam accepturus. Ego ante cum Hybero loquendum, aut ſi mauis, cum fauſto: *cap. 1. de Syndico.* Plura vide apud Corraſium.

Ad §. Actionum autem, quando bonæ fidei.

Actiones bonæ fidei & ſtricti iuris, cur ita dictæ ſint, plurimorum ſententiis confutatis dilucidè explicatum.

Operæpretium duximus, quamobrem iuris auctores actionum aliquas bonæ fidei, aliquas verò ſtricti iuris eſſe voluerunt: quæ res interpretibus non ſemel negotium fecit. Sed & hos illud anxiè contorſit, quod Imper. *in §. actionum. de act. in Inſtit.* actiones aliquando ita deduxerit: Actionum quædam bonæ fidei, quędam ſtricti iuris ſunt. Cùm etenim diuiſionem omnem per membra oppoſita fieri oporteat, perperam Iuſt. eloquutum ingenuè fatendum, quem ita per ſpecies contrarias diuidere neceſſum erat: Actionum quædam bonæ fidei ſunt, quædam malæ fidei: vt & alibi Iul. Paul. de poſſeſſione dixit, genus poſſeſſionis in duas ſpecies diuidi poſſe, vt poſſideantur vel bona fide, vel non bona fide. *l. 3. §. genera. D. de acq. poſ.* aut cùm nulla actio malæ fidei ſit: exigitur namq; in omnibus bona fides. *l. bonam fidem. C. de obli.* Actionum quædam largi ſiue ampli, quędam ſtricti iuris ſunt. Fab. Plat. & Iaſ. in *d. §. actionum.* fatentur verborum proprietate ſpectata Imper. nō ſat benè loquutum: at cùm in Tyronum & puerorum gratiam Inſtitutionum librum ediderit, *§. ſed nec in primis. de leg.* craſſè, ruditer non verborum ſuperficie attenta, ſed effectu tantum conſiderato, ita diuiſit: Actionum quædam bonæ fidei, quædam ſtricti iuris: quaſi dicat, Actionum quædam magis in bona fide exuberant quàm aliæ, & ſic reſpectu bonæ fidei, ſunt vberioris, & largioris iuris. Quædam minùs exuberantis, & ſtricti iuris. Quæ diſſolutio à vero longè latéque abeſt. vt enim reliqua prætereamus, illud apertiſſimum eſt, quòd licet in bonæ fidei iudiciis exuberantior ſit bona fides, & in ſtricti iuris minùs exuberans, non tamen ideo ſpecie differre dici poſſunt quando conſtet, ea quæ ſecundum plus & minus differunt, non propterea ſpecie differre. *l. ſi. D. de fun. inſtr.* Aliter itaque celeberrimus legum interpres, Franc. Curt. *in l. in actionibus. D. de in lit. iur.* hunc obicem diluit. Putat igitur, actiones bonæ fidei ideo ſic dictas, quòd in contractibus ex quibus profluunt, bona fides neceſſaria ſit, & ad ſubſtantiam contractus pertineat. Id autem vel ex eo conſtat, quòd, ſi initio bona fides non interuenerit, dolo dante contractui cauſam, ipſo iure nullus ſit contractus, *l. & eleganter. D. de dolo. l. in cauſæ. D. de min.* in ſtricti iuris iudiciis non item. tametſi etenim dolus ab omni contractu abeſſe, ac bona fides vbique adeſſe debeat: non tamen de ſubſtantia in contractibus ſtricti iuris exigitur, ſed conſiderato tantùm effectu: quibus propterea ſi dolus det cauſam, mero iure valent. quanquam actione de dolo reſcindantur. *l. dolo. C. de inuti.* Sed neque hæc conſideratio, tametſi ingenioſa & arguta, tollit difficultatem. alioqui dicendum eſſet, Imper. in *d. §. actionum*, perperam collocaſſe iudicia diuerſoria familiæ erciſc. & communi diuidundo, inter iudicia bonæ fidei: cùm iudiciis eiuſmodi dolus dans cauſam, nullam diuiſionem non faciat, quanquam detecto dolo reformetur. *l. tres fratres. D. de pactis. l. maioribus. C. com. vtr. iud.* Et quod nō minùs me mouet, adhuc ſub iudice lis eſt, vtrum dolus dans cauſam contractui bonæ fidei, nullum contractum faciat ipſo iure, an verò contractu mero iure effectum habente actione de dolo reſcindendus ſit: in qua ſententia procliuiores fuerunt Pet. Cyn. Fab. Ign. & alij permulti non parui nominis doctores, quorum opinionem ego vti probabiliorem non ſemel defendi, vt quæ apertioribus iuuetur textibus. *l. ſi dolo. C. de reſcin. vend. l. dolo. C. de inut. ſtipulat. l. Iulianus. §. per contrarium D. de act. emp. & d. l. maioribus.* Prætermiſſis itaque his quę interpretum vulgus parum vtiliter in hanc rem ſcripta reliquit: placuit ſemper mihi quod Accurſius in *d. §. actionum.* Philip. Dec. *in d. l. in actionibus.* & omnium elegantiſſimè Gulielmus Budæus in *l. 1. D. de iuſt. & iure* docuerunt, quibuſdam hodie hoc parum verecundè ſibi adſcribentibus: Bona fides verbum in iure noſtro plerunque ſimplicem illum purum, & rectum animum ab omni fraude ſeiunctum ſignificare, vt cùm Procul. dixit, [Exiſtimo te in exigendo non ſolùm bonam fidem, ſed etiam diligentiam præſtare debere.] Id eſt, vt non ſolùm à te dolus malus abſit, ſed etiam vt culpa. *l. ſi cum fundum. ff. de contrahen. empt.* Et cùm dixit legiſlator, [æquum eſſe bonam fidem in omnibus contractibus conſiderari. *l. ſi mandato. §. 1. ff. mandat. l. bonam fidem. C. de obl.* ad quem ſenſum etiam dicimus, bonæ fidei emptores, bonæ fideique poſſeſſores, eos qui dolo carentes & fraude, titulum habent, vel ab eo qui dominus eſt, vel ab eo quem tutorem aut procuratorem domini eſſe exiſtimant. *l. quæcunque. §. fin. D. de public. l. bonæ fidei. D. de verbor. ſignif.* adeò vt propter eam bonam fidem, & fructus lucretur. *l. bonæ fidei. D. de acquir. rer. dom.* & longo tempore vſucap. *l. ſi fur. §. 1. D. de vſucap.* quanquam huic credulitati, in iuſta aliqua aut fatua cauſa, anſam dederit: nam fructus nihilominus lucrabitur, quoniam vt eos ſuos faciat, ſatis eſt, cum ſine calliditate fuiſſe, & ſi iniuſtis rationibus ductus eſt: quòd & Vlpianus ſcripſit. *l. igitur. §. 1. D. de lib. cau.* Ex cuius reſponſo illud vulgare aduocatorum (inquit Bart. in *l. iuſtè. D. de acquir. poſſeſ.*) defenditur. Excuſari eum à pœna, qui poſſeſſionem intrat decreto iudicis præcedente etiam inualido. nam à dolo quælibet cauſa etiam iniuſta excuſat. *l. 1. in fin. D. de abigeis & d. l. igitur.* Porrò latiùs interdum verbum Bona fides patet, nō tam ſynceram illam voluntatem dolo contrariam, quàm ęquitatem, & iuſtitiam ipſam ſignificans. *l. at ſi quis. §. hæc actio. D. de religio. & ſumpt. fun.* vt cùm Trypho. dixit, [Bona fides quæ in contractibus exigitur, ſummam æquitatem deſiderat. [*l. bona fides. D. depoſit.* Et Vlp. probans mandati obligationem cōſiſtere etiam in rem eius qui mandatum ſuſcepit, [Si, inquit, pluribus heredibus vendentibus vni mandauero, vt rem hereditariam mihi emerit etiam pro ea parte, pro qua hæres ſit, obligatur mandati actione, & me obligat. Et ſanè ſi ille propter hoc rem extraneo non addixerit, quod mandatum ſuſceperat: ex bona fide eſſe pręſtari ei pretium quanti vendere poterat. *l. ſi mandauero. §. Iulianus. D. mand.* Eodem ſenſu dixit Iulianus Iuriſconſ. [actionem præſcriptis verbis ex bona fide oriri.] *l. 2. §. fin. D. de precar.* Inde dicimus bona fide præſtare, bona fide agere, bona fide condemnari, quod perinde eſt atq; ſi diceretur, ex bono & æquo ſtatuere, arbitrari, cenſere, æſtimare, & conſtituere. Et Græci, inquit Bud. in *l. 1. ff. de iuſtit. & iur.* vno verbo dicunt Epiicicare, quod præter *l. quæro. ff. loc.* ex Iuliani & Caij reſponſis dilucidè probatur. *l. conſenſu. in fi. & l. ex maleficiis. §. 1. ff. de oblig.* Inde quiſq; videt claram rationem, quare actiones quædam dicantur bonæ fidei, quoniam in iis alter alteri obligatur, aut officio iudicis tenetur, de eo quod alterū alteri ex bona fide, hoc eſt, ex bono & æquo præſtare oportet: vt cùm vendito equo, agi nihilominus poſſe per emptorem, ad ſellam, frænum, & alia ornamenta, quibus præſertim ornatus erat equus tempore venditionis celebratæ, dicimus. *l. ædiles. 2. in princ. ff. de ædil. edict. l. enim qui. §. non ſolum. ff. de furt.* Et tametſi lex aliquando ad ea quæ venire æquum eſt, partem non obliget. ſubminiſtrat tamen iudicem, qui officiū ſuum à parte imploratum, impertiendo, ad ea omnia aduerſarium condemnabit. Nam & in iis contractibus iudex liberam habet poteſtatem iudicandi, quod ſibi bonum æquumque viſum fuerit: quanquam de eo nihil à contrahentibus dictum eſt: veluti in vſuris, quas cùm æquum ſit ex mora venire *l. Curabit. C. de act. emp. l. Iulianus. §. ex vendito. ff. illo tit.* in iis iudiciis bonæ fidei, ex ſola mora debentur, *l. mora. §. in bonæ fidei. ff. de vſuris.* non quòd in obligatione ſint, ſed officio iudicis præſtantur, *l. quæro. ff. locat. l. qui per colluſionem. ff. de act. empt.* Strictum autem ius (inquit Bud. in *l. 1. ff. de iuſt. & iur.*) peculiare eſt vocabulum Iuriſconſult. ſignificans ius prædurum, exactū, rigoris plenum, & propemodum iniquum. Oppoſuerūt quippe iuris auctores ſtrictū ius æquitati. *l. 2. §. item V* [illegible]

*D.de aqua plu.ar.l.placuit.C.de iud.*ex bono & æquo.*l.in iis.ff. de con.& dem.*Illud quandoq; Iuriſconſulti dixerunt, ius ſubtile.*l.ſi ita ſcriptum.D.de lib.& poſthu.l.generaliter.§.ſi quis ſeruo.D.de lib.& poſthu.* Reliqui verò boni authores ſummum ius appellant.Ex quo inquit Cicero 1. offic. illud iam factum eſt tritum ſermone prouerbium [ſummũ ius,ſumma iniuria.] & Colum.lib. 1. rei ruſt. [Summum ius,inquit,Antiqui ſummam putabant crucem.] Summum autem ius appellant,cum de verbis tantùm contenditur,neque ſpectatur quid ſenſerit, qui ſcripſit,aut qui loquutus eſt,in quo genere plerunque ſub autoritate iuris ſcientiæ,perniciosè erratur: vt Celſus adoleſcens eleganter apud Iul.Paul.dicebat,*l.ſi ſeruum.§.ſequitur.ff. de verb.oblig.*Hinc patet cur actiones ſtricti iuris ſic appellatæ ſint:quia in iis nihil venit:nec quicquã iudex poteſt, niſi quatenus nominatim à partibus conuentum eſt,tametſi iudex fortè id æquum eſſe ſtatuit.Quodcunque enim palàm verbis expreſſum non eſt,omiſſum intelligi debet. *l.quicquid adſtringẽdæ.l.ſi ita ſtipulatus.§.Chryſogonus.D.de verb.oblig.* Hoc enim ius perquàm durum,exactum,ac ſtrictum eſt, vt vocibus tantum ac literis ſuperſtitiosè ſpectatis,maximè ab æquitate diſcedatur.Hæc ex Corraſio collegi.

Ad §.hæc autem.Inſtit.de pœna temerè litigantium.

Victum in ſolas expenſas,non autem in damna, hoc eſt, detrimenta condemnandum : idémque & in contumace locum habere.Tametſi Doctores paßim aliud doceant : & de legum quarundam intellectu.

Iuſtinianus Imper.in *§.hæc autem.Inſtit.de pœn.tem.litig.*Sed pro his,inquit,introductum eſt,& præfatum iuſiurandum, & vt improbus litigator,& damnum & expenſas litis,inferre aduerſario ſuo cogatur.Ex quibus verbis Angelus in *d.§.hæc autem.num.*6.colligit victum victori non ſolùm in expenſas, ſed etiam in damna condemnari debere.Quod & Bart.in *l.1.D.de alien.iud.mut.cauſ.fact.*& plerique alij tradunt. Sed hæc ſententia mihi non probatur. Nam in *l. cùm quem temerè. D. de iudic.*traditur,eum,qui temerè litigauit, litis duntaxat expenſas,& ſumptus itineris aduerſario ſoluere debere. Vt appareat ad ſolutionem damnorum non teneri. Cui accedit *l.non ignorat.C.de fruct.& lit.expenſ.*in qua lege dicitur, cum qui in lite ſuccubuit,poſt ſumptus, condemnationem pro æſtimatione iudicis ſuſtinere debere.Quia in lege nulla ſit damnorum mẽtio.Nec nos moueat,quòd in *d.§.hæc autem.*damnorum mentio ſit.Reſpondeo, damnum illic non pro detrimento,ſed pro condemnatione accipi poſſe.Sic & in *l.aut damnum.ff. de pœn.* Aut damnum,inquit Iuriſc.cum infamia,&c. & in *l.non poteſt. D.de furt.*Non poteſt præſes prouinciæ efficere, vt furti damnum non ſequatur infamia. Eodem quoque ſenſu Demipho Terentianus damnum pro condemnatione nominare videtur. Quod ergo Iuſtinianus Imper.*in d.§. hæc autem.* victum litis damnum aduerſario inferre debere conſtituit : non de detrimentis aduerſarij intelligendum eſt, ſed de condemnatione litis.Quaſi dicat Iuſtinianus Imper.victum aduerſario inferre debere & damnum litis,hoc eſt,quanti in cauſa condemnatus eſt,& ipſas quoque expenſas.Tametſi & illud dici poſſit,damnum in *d.§.hæc autem.* nihil aliud ſignificare, quàm expenſas, Nam etſi in vulgari ſermone, aliud ſint expenſæ quàm damna.*c.in noſtra.ex.de iniur.* Tamen in Conſtitutionibus Imperatoriis damna pro expenſis quandoque accipi ſolent. Sic in *l.ſancimus.C.de iudic.*Imperator damna appellat ea,quę circa ingreſſus litis,ſiue circa honoraria aduocatorum, vel alias cauſas verſantur.Quæ quid aliud ſunt quàm expenſæ? Quin & Iuſtinianus Imp.in *d.l.ſancimus,*id quòd primò damna appellat,paulò pòſt expenſas nominat. Vt appareat in *d. §. hæc autem damna,*pro expenſis accipi poſſe.Quod magis placet. Nec mouet,ſi quis dicat damna & expenſas illic coniunctim poni. Reſpondeo nouum non eſſe,vt duobus verbis idem dicamus. Grammatici enim id ſermonis genus iterationem appellant. Et hæc quidem in expenſis,quæ victoriæ cauſa ſoluuntur,procedunt.Sed quid in expenſis contumaciæ dicemus?Et Iaſon in *d.l.ſancimus.col.*4 poſt alios Doct.cenſet,præter expenſas,damna quoque contumacem ſoluere cogendum. Idque ex verbis eius legis colligi ait. Sed ego paulò antè oſtendi,damnum in *d.l.ſancimus,*pro expenſis accipi, non autem pro detrimentis. Ex quo apparet, non rectè ſentire Doctores,qui damna quoq; à contumace refici debere contendunt.Nam & in *l.properandum.§.1.C.de iud.& in d.l.non ignorat.*in expenſas duntaxat contumacem condemnari debere traditur. Nec vlla damnorum illic ſit mentio.Sic in *l.contumacia.ff.de re iud.* dicitur, contumaciam litis damno coërceri. Quod ego intelligo,litis damno,id eſt,expenſis litis. Quæ interpretatio,ex iis quæ ſupra dicta ſunt,neceſſariò accipienda eſt:tametſi Accurſius,cæteriq; Doctores *dictam.l.contumacia.*alıter interpretati ſint.

Ad tit.Inſtit.lib.4.de publicis iudiciis.

Falluntur valdè quidam interpretes qui *lib.4.Inſtit.* putant Iuſtiniano publica iudicia definiri,quorum executio cuiuis è populo datur.*§.1.Inſt.de publicis iudiciis.* cum etymologiam tradat Iuſtinianus,non definitionem. Nam publica iudicia ſunt quæ certis quibuſdam legibus Populi Romani conſtituta ſunt.*l.3.de prævaricatoribus.*Eáque variis ex cauſis ſic appellata videntur.Prima,quia leges huiuſmodi publicæ dicuntur, *l.vl.de collegiis.l.1.ad l.Corneliam de ſiccariis.*Secunda,quia populi ipſius cognitio & animaduerſio erat priſcis temporibus vt docet Pomponius. *l.2.de origine iuris.* Tertia,quia maximè ad Rempublicam pertinet, eorum facinorum vindicatio. Quarta,quia legibus illis executio & accuſatio publicè effecta eſt,*§.1.Inſtit.de publicis iudiciis.*

ADDITIO AD SVPERIORES NOTAS IN GLOSSAS DIGESTORVM & Codicis,in quibus quædam prętermiſſa quæ in ſuperioribus erant,ſuis locis reddenda ſunt.

Quid ſit poſitio in l.1.D.de inſtit.& iur.& in §.huius ſtudij. Inſtit.eod.tit.aliter declaratum,quàm ab Accurſio.& Bud.

VLPIANVS *in l.1.D.de inſtit.& iur.* Huius, inquit,ſtudij duæ ſunt poſitiones, Publicū & priuatum. Idem dicitur in *§.huius ſtudij. Inſt.eod.tit.* Quibus in locis Accurſius expoſitionem pro genere interpretatur. Budæus verò in *d.l.1.protheſi.*Nam theſis poſitionem ſignificat.Sed ego poſitionem in *d.l.1.& d.§.huius ſtudij.* alio ſenſu accipio. Nam cùm dicitur, huius ſtudij duas eſſe poſitiones, Publicum & Priuatum : ſic interpretor,hoc ius,in duobus ponitur,ſiue poſitum eſt,videlicet in publico,& priuato.Non diſſimili modo loquendi,Iuriſconſultus in *l.2.§.1.D.ſi cert. pet.* vtitur, cùm ait:rerum dationem creditum iri,quibus verbis nihil aliud ſignificat, quā quod tunc in creditum eatur,ſi res dentur,vel datæ ſint.

Apud Pomponium Iuriſconſult.in l.2.§.conſtituti.D.de orig.iur. duas videri mendas eſſe.

Pompon.in *l.2.§.conſtituti ſunt.D.de orig.iur.* de Triumuiris monetalibus ſic ſcribit:Conſtituti ſunt,& quatuor viri,qui curam viarum agerent,& triumuiri monetales, æris, argenti, auri flatores,&c.Sciendum autem triumuiros monetales olim his literarum notis ſcribi ſolitos.A.A.A.F.F.Quas literas Valerius Probus in libro de notis antiquarum literarum ; hoc modo(ſi rectè memini)interpretatur: Aëris,Argẽti, Auri Flãdi Feriendi.Sic quoq; hæ literę in antiqua quadam Vrbis Romanæ inſcriptione legendę videntur,C.Cęrellio Fufidio Annio Rauo C.Fillone Pollitiano Aureliano Cõmodiano. Heliciano Seueriano III.Viro monet. A.A.A.F.F.trib. L.Au. Claudiano leg.III.Cyr.VI.equit.Rom.turmę primæ quęſtor. Candidato.Imp.Cæſaris M.Aureli Antonini Pij felicis aug.

tro

trib.plc.candit.pr.haſtar.C.V.Eufidij Amicus,& Chriſtiana nutritores. In hac ergo inſcriptione,triumuir monetalis, æris argenti,auri,flandi feriendi legendus erit, non autem flator. Quod autem in *d.l.2.§.conſtitui*,flatores legitur: id fortè ſcriptoris error factum eſt. Nam cùm Iuſti.Imp. in *l.1.§.fin. C.de vet.iur.enuc*:conſtituiſſet, vt pandectar. codex non ſignis, ſed ſola literarum conſequentia ſcriberentur,fieri potuit,vt is,qui apud Pomponium. A.A.A.FF.ſcriptum reperit:pro Flandi Feriendi,flatore ſubſtituerit. Sic & in eodem §.conſtituti. in vocabulo Quartumuiri factum videtur: quod fortè apud Pomponium his notis IIII.viri ſcriptum erat:pro quo ſcriptor.Quatuor viri,ſubſtituit:ſi modo me non fallit opinio.

Pomponius Iureconſult.excuſatus,quem Zaſ.ex Feneſtella,tacito auctore,quædam ſumpſiſſe ſcribit

Apud Pomponium in *l.2.§.& quia.ff.de orig.iur.* ſic extat. Et quia, vt diximus de capite Ciuis Romani,in iuſſu Populi Romani,non erat permiſſum lege,Cõſulibus ius dicere,propterea quæſtores conſtituebantur,à Populo,qui capitalibus rebus præeſſent:hi appellabantur quæſtores parricidij:quorũ etiam meminit lex xij. Tab. Quem locum Zaſius in cõmentariis ſuis exponens:cæterùm,inquit,hic totus locus à Feneſtella (diſſimulato tamen auctore)ſumptus eſt:id quod, & alibi Iureconſultus ſæpè vſurpat. Proinde argumentum eſt, non ſemper auctorem allegari oportere. Hæc Zaſius: Verùm ſciendum eſt librum,qui Feneſtellæ nomine circumfertur, non à Feneſtella, ſed ab aliis,ſub nomine Feneſtellæ,noſtro hoc ſeculo, compoſitum eſſe. Quod Andreas Alciatus lib.4.de verborum ſignificatione,à Parrhaſio,non ſemel,ſe accepiſſe,teſtatur. Veriſimile ergo eſt,Pomponij verba ex *d.l.2.*tranſcripta, & in eum, de quo dixi libellum,cõgeſta eſſe:Eritque hoc modo Pomponius excuſatus. Plura vide apud Vualterum in Miſcellaneis.

Explicata l.2. §. deinde Sextus Aelius.ff.de orig. iur. Contra cæterorum opinionem.

In *l.2.§.deinde Sextus Aelius.ff.de orig.iur.* ſic legitur: Deinde Sex.Aelius,& frater eius P.Aelius,& Publius Attilius, maximam ſcientiam in profitendo habuerunt,& duo Aelij etiam conſules fuêre. Attilius autem primus à populo ſapiens nominatus eſt,&c. Quo in loco ſcribit Vdalricus Zaſiſe de P. Attilio nihil comperiſſe: quamuis aliàs Attiliorum familia clara fuerit. Ego apud Ciceronem in libello de Amicitia. L. Aciliũ pro P. Attilio nominari reperio. Verba Ciceronis hæc ſunt,vnum te ſapientem appellant & exiſtimant: tribuebatur hoc modo M.Catoni. Scimus L.Acilium apud patres noſtros appellatum eſſe ſapientem. Sed vterque alio quodammodo: Acilius,quia prudens eſſe in iure ciuili putabatur: Cato,quia multarum rerum vſum haberet, multaque eius & in Senatu, & in foro,vel prouiſa prudenter, vel acta conſtanter,vel reſponſa acutè ferebantur:propterea quaſi cognomen iam habebat in ſenectute ſapientis,

Ad Titulum de officio Proconſulis.

Quam ob cauſam Vlpianus in l.obſeruare.§. proficiſci. ff. de offic. Proconſul.cenſuerit,melius eſſe Proconſulem ſine vxore proficiſci,quam cauſam Accurſius non potuit explicare.

Apud Vlpianum in *l.obſeruare.§.proficiſci.ff.de offic. Proconſul.*hæc verba extant:Proficiſci autem Proconſulem melius quidem eſt ſine vxore. Sed & cum vxore poteſt: dũmodo ſciat Senatum,Cotta & Meſſala Conſulibus,cenſuiſſe: futurum:vt, ſi quid vxores eorum,qui ad officia proficiſcuntur, deliquerint,ab ipſis ratio & vindicta exigatur. Dubitatum, eſt, quam ob cauſam Iureconſultus cenſuerit,melius eſſe Proconſulem ſine vxore proficiſci: Et Doctores quidem noſtri, nullam cauſam quod ego ſciam,adferunt. Verum ea res ex Cornelio Tacit.libr.3.Annaliũ explicarũ poteſt. quod Iureconſultus quidam ad me perſcripſit. Verba autem Cornelij hæc ſunt, quæ ſequuntur. Inter quæ Seuerus Cæcinna cenſuit,ne quem Magiſtratum,cui prouincia obueniſſet, vxor comitaretur: multũ antè repetito,concordem ſibi coniugem,& ſex partus enixam ſeque quæ in publicum ſtatueret,domi ſeruaſſe, cohibita intra Italiam,quanquam ipſe plures per prouincias quadraginta ſtipendia expleuiſſet. Haud enim fruſtra placitum olim, ne fœminæ in ſocios,aut gentes externas traherentur, ineſſe mulierum comitatui,quæ pacem luxu,bellum formidine morentur & Romanum agmen ad ſimilitudinem barbari inceſſus conuertant:non imbecillem tantum,& imparem laboribus ſexum,ſed ſi licentia ad ſit ſæuum,ambitioſum, poteſtatis auidũ,incendere inter milites.habere ad manu centuriones: præſediſſe nuper fœminam exercitio cohortium, decurſu legionum,cogitarent ipſi, quoties repetundarum aliqui arguerentur.plura vxoribus obiectari:his ſtatim adhæ eſcere deterrimum quemque prouincialium:ab his negotia ſuſcipi, tranſigi,duorum egreſſus coli, duo eſſe prætoria pervicacibus magis & potentibus mulierum iuſſis,quæ Oppiis quõdam, aliſque legibus cõſtrictæ,nunc vinculis exolutis,domos,foro,iam & exercitus ingerent. Paucorum hæc adſenſu audita plures obturbabant,neque relatum de negotio,neque Cæcinnam dignum tantæ rei Cenſorem. Mox Valerius Meſſalinus, cui parens Meſſala,ineratque imago paternæ facundiæ, reſpondit: Multa duritate veterum melius & lætius mutata, neque enim vt olim,obſideri vrbem bellis,aut prouincias hoſtiles eſſe, & pauca fœminarum neceſſitatibus concedi, quæ ne coniugum quidem penates,adeò ſocios non onerent: cætera promiſcuà cum marito,nec vllum in eo pacis impedimentum:bella planè accinctis obeunda,ſed reuertentibus poſt laborem quod honeſtius,quam vxorium leuamentum? At quaſdam in ambitionem aut auaritiam prolapſus. Quid ipſorum Magiſtratuum nónne pleroſque variis libidinibus obnoxios? non tamen ideò neminem in prouinciam mitti corruptos ſæpè prauitatibus vxorũ maritos: num ergo omnes cœlibes integros? placuiſſe quondã Oppias leges,ſic temporibus Reipublicæ poſtulantibus: remiſſum aliquid poſtea & mitigatum, quia expedierit, fruſtra noſtram ignauiam alia ad vocabula transferri:nam viri in eo culpam,ſi fœmina modum excedat. Porrò ob vnius,aut alterius imbecillem animum,male eripi maritis conſortia rerum ſecũdarum aduerſarũmque ſimul ſexum natura inualidum deſeri, & exponi ſuo luxu,cupidinibus alienis vix præſenti cuſtodia manere illæſa coniugia: quid fore,ſi per plures annos in modũ diſſidij obliterentur? Sic obuiam irent iis,quæ alibi peccarentur:vt flagitiorum vrbis meminiſſent. Addidit pauca Druſus de matrimonio ſuo,nam principibus adeunda ſæpius longinqua imperij. Quoties diuum Auguſtum in Occidentem, atque Orientem meauiſſe comite Liuia? ſe quoque in Illyricum profectum,& ſi ita conducat,alias ad gentes iturum, haud ſemper æquo animo,ſi ab vxore chariſſima,& tot communium liberorum parente diuelleretur. Sic Cæcinnæ ſententia eluſa. Hactenus Cornelius Tacitus. Plura vide apud Vualterum.

Ad tit. dè reſtitutionibus in integrum.

Reſtitutionem in integrum aduerſus ius commune introductam eſſe: contra recentiorum opinionem.

Receptiſſima eſt ſententia,remedium reſtitutionis in integrum,aduerſus ius cõmune à Prætore introductum eſſe. gloſſ. in *l.1.§.per hanc.ff.de rei vendicat.* Abb. in *cap.ex parte.2.de reſcript.* Iaſon in *l.in prouinciali.§.1.col.fin.D. de oper. noui nunc.* Verùm hæc ſententia Vdalrico Zaſio in ſingularibus intellectibus non probatur. Cùm enim ex æquitate reſtitutio detur, *l.1.D.de minor.l.diuus.D.de in integrum reſtitut.* negat Zaſius ſeſe videre,quomodo ea aduerſus ius commune reperta ſit: quippe cùm ius,ars boni & æqui dicatur.*l.1.in prin.D.de iuſtit.& iure.* Ad hæc in *l.1.D.ex quibus cauſis maior.* traditur reſtitutionem in integrum iuſtiſſimam eſſe. Sed ego à communi ſententia non facilè diſcedendum eſſe arbitror. Neque enim reſtitutio in integrum ſecundùm ius competere poteſt, cùm cõſtet eam locũ non habere,quoties iuris communis remediũ aliquod ſupereſt,*l.in cauſæ.2.D.de minor.l.in prouinciali. D. de operis noui nunc.* Nec me mouet, quòd reſtitutio æquitati nititur,*d.l.1.d.l.diuus.* Nam fieri poteſt,vt remedium aliquod æquum ſit.& tamen iuri communi repugnet,*l.placet.C.de iudic. l.non dubium.C.de legibus.* Sic videmus exceptiones ex æquitate competere,*l.quæ æquitate.D.de doli except.Inſtit.de except. in princ.* Bartol.*in l.1.D.de vacat.& excuſ.mun.*quæ tamen iuri communi aduerſantur,vt Iuſtinianus Imper. *Inſtit. de except. in princ.*tradit. Sæpe enim,inquit, accidit, vt licet ipſa perſe-

ceptio, quæ auctor experitur, iuſta ſit: tamen iniqua ſit aduerſus eum, cum quo agitur. Verbi gratia, Si metu coactus, aut dolo inductus, aut errore lapſus, Titio promiſiſti, quod non debueras promittere, palàm eſt iure ciuili te obligatum eſſe, & actio qua intenditur dare te oportere, efficax eſt, ſed iniquum eſt te condemnari: ideóque datur tibi exceptio, Quod metus cauſa, aut doli mali, aut in factum, compoſita ad impugnandã actionem. Hactenus Iuſtinianus. Nec magis mouet, quòd reſtitutio in integrum iuſtiſſima eſſe dicitur. d. l. 1. Hoc enim reſpectu iuris prætorij intelligendum eſt. Nam prætoria quoq; remedia iuſta ſunt. *l. iuſtè poſſidet. D. de acquir. poſſeſſ.* Sed non inde ſequitur reſtitutionem iure communi iuſtam eſſe. Plura vide apud Bernardinum Vvaltherum in Miſcellaneis, ex quibus hæc collegi.

Ad §. Volenti. l. 9. Quod metus cauſa.

Duplex hic error eſt Interpretum, primùm quòd priſtinam in rem actionem reſtitui concedunt, in perſonam non item, quod liberatione fuerit extincta, ſe verò ſuo, vt dicitur, gladio conficiunt, vt animaduertit Doctiſſimus Cuiacius in Commentariis ſuis ad hunc Titulum. Nam ſi ideò non reſtituitur in perſonam actio, quòd liberatione fuerit extincta, nec reſtituitur in rem actio: quippe cùm & ea alienatione fuerit extincta. Deinde quòd in hoc §. in perſonam actionem accipiunt pro actione metus cauſa in hoc etiam falluntur grauiter. Illud enim verbum Volenti hoc tantùm innuit, vt miſſam faciat actionem, Quod metus cauſa, qui aliter agere vult, permittit euidenter: etſi vna ſpecie poſita, liberati ſcilicet debitoris, quod interpretes faciunt, in perſonam pro hoc edicto accipias, neceſſe erit te in rem pro antiqua in perſonam actione vſurpare. quo abſurdiùs nihil dici poteſt. idémque refellitur per *§. licet tamen.* ſ. hac eadem lege.

Ad §. ex hoc edicto. eiuſdem l. 9.

Ad eam quæſtionem, Si pecunia debita per metum accepti lata ſit, vel ſoluere pecuniam debitor, vel reſciſſa acceptilatione, vtrùm in perſonam actionem pati debeat, & ſi non faciat, vtrùm in quadruplum condemnetur: non ſat rectè iudicio Doctiſſimi præceptoris mei Domini Cuiacij, Accurſius vel pecuniam ſolui, vel condictionem liberationis dari autumat. Et hæc eſt ratio Doctiſſimi viri, quare id improbet, ſcilicet quòd illius condictionis nullum exemplum ſe legiſſe meminerit. In ſpecie enim *l. 4. de condictione cauſa data, cauſa non ſecuta*, condici pecunia dicitur, non liberatio, *vt & in l. ſi mulier eod. tit.* In hoc eodem §. improbata eſt illa Accurſij differentia inter obligationem puram, & obligationem in diem, vel ſub conditione. Nam ſi fuerit obligatio in diem, vel ſub conditione, acceptilatio interim nullum effectum habet. itaque fruſtrà interim condicitur.

Ad l. ob carmen. de Teſtibus.

Malè interpretes Synopſis *βασιλικῶν* hæc verba Græca, quæ extant lib. 11 *βασιλικῶν*, tit. 1. cap. 21. *ἀπόβλητος εἰς μαρτυρίαν γίνεται ὁ καταδικασθεὶς ἐπὶ τῷ ποιῆσαι ταραχώδη φλυαρίαν.* quibus verbis, qui non animaduertunt ea eſſe ex hac *l. ob carmen*, malè alij hoc ſignificari ſcribunt, reiici à teſtimonio eum qui tumultuoſam petulantiam deſignaſſe iudicatus erit, alij eum qui condemnatus ſit, quòd turbulentas & ſeditioſas aliquas ineptias fecerit, qua verſione nihil ineptius videri poteſt. ac rurſus peccant in eo, vt in notis noſtris ad Codicem declarauimus, quòd exiſtimant hæc eſſe verba. *l. 1. C. de Teſtibus.* quæ longè alia ſunt in eodem libro, ca. 26. nempe hæc, *κατὰ ἐγγράφου μαρτυρίας ἄγραφος μαρτυρία οὐ προσίεται.* Vide Harmenopulum *l. 1. Epitomarum.* Hæc doctiſſimè obſeruauit præceptor meus vir nunquam ſatis laudatus in lib. 16. Obſeruationum, cap. 25. ſufficit locum indicaſſe.

Ad l. vltimam. de ædilitio edicto.

Malè Budæus in hac *l. vlt.* quaſdam antinomias ponit, quas putat nullomodo diſſolui poſſe, has omnes optimè diluit unus Iuriſconſultorum Dominus Cuiacius libr. 7. Obſeruationum cap. 9. ac primùm Accurſij diſtinctionem veriſſimam eſſe contendit, qua diſſoluere conatur *ἐναντιοφανὲς*, quod videtur eſſe inter *l. repetitio. ff. de condictione indebiti, & l. ſi pœnæ. §. 1. eodem.* quæ diſtinctio eſt eiuſmodi, Aut quod alius debet, ſoluis tuo nomine, aut debitoris. Si tuo nomine tibi condictio competit, & debitor non liberatur. *l. 2. C. de iis qui in fraudem creditorum.* Si debitoris, nulli condictio competit, & debitor liberatur. *d. l. repetitio. l. quod nomine. l. ſeruum cuiuſdam. in fine. D. eodem.* Cætera vide apud Dominum Cuiacium, qui nullas putat explicatu faciliores eſſe, quàm eas quas Budæus antinomias vocat. Et hoc ſanè veriſſimum eſt, & in hoc magis viro Iuriſconſultiſſimo, quàm Grammatico credendum eſſe exiſtimo. has enim Antinomias Budæus à Laurentio Valla Grammatico accepit: qui quantum poteſt ſemper in noſtros Iuriſconſultos inuehitur, nulla prorſus ratione adductus. ita audent Grãmatici illi temerare ſacra Iuris noſtri.

Ad tit. de ſponſalibus. ad l. Quæſitum.

Malè Accurſius collatas nuptias pro reuera celebratis intelligi voluit. Collatæ enim nuptiæ in duodecimum annum ſignificantur, id eſt dilatæ reiectæque. Dicimus enim Conferre rem in arbitrium alicuius, &, Conferre in aliquod tempus.

Ad l. 26. D. de pactis dotalibus.

In *l. 26. de pactis dotalibus*, vbi fit mentio Centurionis Accurſius Centurionem maritum eſſe non putat, ſed non minus fallitur, quàm cùm verbum petat, non ad prouinciam, ſed ad principem refert, cuius hic mentio nulla.

L. 4. ſ. de bonorum poſſeſſionibus contra Tabulas, Accurſius peruertere conatus eſt, Bartolus aliquatenus reſtituit.

Ad tit. de acquirenda poſſeſſione. ad l. 1.

Confundunt interpretes noſtri, & pro eodem omnes ferè ponunt etymologiam, & Alluſionem: cùm tamen inter ſe longè latéque diſtent. Nam Etymologiam Latinè Cicero veriloquium interpretatur. quam in quæſtionibus Academicis populariùs exponens, [verborum etiam, inquit, explicator probabatur, id eſt, quæ de cauſa quæque eſſent ita nominata, quam Etymologiam dicunt. A quo Bald. in *c. 1. §. ſi quis de manſo. col. fin. de controuerſ. inueſtit. in Feud.* non diſſentiẽs, Etymologiam tradit eſſe vocis reſolutionem, in proprium ſignificatum rei, quæ demonſtratur. Alluſio verò, ad ſubſtantiam rei nullomodo reſpicit, ſed ad vocis tantùm ſimilitudinem refertur. Quanquam ſi preſſiùs linguæ Latinæ proprietatem inſpectare velimus, neutrùm ſignificet alluſio. Nam propriè & ſignificanter, alludere dicimur, cùm vnum proloqui finar, aliò latenter ſententiam referentes: vt cùm Æneæ ludos narrans Virgilius, luſit ad Auguſti victoriam, qua contra Antonium potitus erat, inquiens:

Actiáque Iliacis celebramus littora ludis.

Quando autem ab alluſione argumentum dicere liceat, inextricabiliter ab interpretibus noſtris, in *l. 1. D. de acqu. poſſeſſ.* & alibi ſæpe diſputatum eſt, tandémq; concluſum, argumentationem bonam eſſe, cùm & ea frequenter vtantur Iuriſc. vt cùm dixerunt, Mutuum appellari quaſi de meo tuum. *l. 2. §. appellata. D. de rebus cred.* Tabernam, quòd tabulis claudatur, & conficiatur. *l. taberna. D. de verb. ſign.* Tugurium à tegendo. *l. tugurium, illo tit.* Poſſeſſionem à pedum, aut, vt alij malunt, à ſedum poſitione. *l. 1. D. de acq. poſſeſſ.* Bona à beando, *l. bonorum. D. de verb. ſign.* &c. id genus. Planè, vt & Zaſius ipſe admonet, alluſio ea tantùm probabilis exiſtimanda eſt, quæ à Latinis, doctiſque hominibus manat, nec varia eſt, vt alluſio furti. *l. 1. D. de furt.* Nam apud barbaros & ignaros, nullus eſt finis alludendi, dum quiſque pro ſuo captu, nouas alluſiones comminiſcitur, quæ effugiendæ ſunt, vt periculoſiſſimi maris ſcopuli, veluti, cùm Doctores noſtri Syndicum ideò dictum putant, quòd ſingula dicat. huius ſiquidem vocis alluſio inepta eſt, & ridicula: cùm & [Syndicus] dictio Græca ſit, aduocatum, vt patronum in communem cauſam defendendam miſſum ſignificans. Quatuor caſus ſcriptores proferunt, quibus ab alluſione ſum

ſumptum argumentum conſiſtere negant. Primus, ſi alluſioni repugnat diffinitio. Bartol. in *l.2.§.appellata.D.de reb.cred.* vt in teſtamento, quod dictum eſt, quaſi teſtatio mentis. *§.1. de teſtam. in Inſtit.* & tamen non omnis mentis teſtatio, teſtamentum eſt, cui videlicet non conuenit diffinitio ſcripta in *l. 1. ff. de teſta.* Similiter tutor dicitur à tuendo, & tamen non omnis qui tuetur, niſi eidem tutoris diffinitio competat, tutor dici debet. Hinc Bart. in *l.omnes populi.col.19.ff.de iuſt.& iu.* docet, proprietatem vocabuli ex altero trium deſumendam, diffinitione, authoritate, vel alluſione, ſi tamen diffinitio non contradicat. Alioqui diffinitioni ſtandum, & ab alluſione recedẽdum. Alter caſus, ſi argumentum ſumatur affirmatiuè, differẽtiæ ratio, em aci tam adferen Fulg. & Saly. hic Cuma. in *l.1.ff. de acq.poſſ.* quia ſi argueretur affirmatiuè, eſſet arguere de ſpecie ad genus, quæ argumentatio bona non eſt. Quod ſi negatiuè arguamus, neceſſariò concludit, quia remoto genere, remouetur quælibet eius ſpecies. Soli & Pan. *in c.1.col.14.de iud.* mouet difficultatem. nam & augendo Imper. Auguſtus dicitur: & tamen ſi non auget, ſed diminuit imperium, nihilominus Auguſtus vocatur. Accurſ. in *proœmio ff.& Inſtit.* Sic Pontifex dicitur, quòd pontem faciat, hoc eſt, viam aliis oſtendat, exemplo vitæ & doctrinæ. *c.inter.de offi.ord.* & tamen nefarius flagitioſus, omniúmque vitiorum aceruo cumulatiſſimus, nihilominus Pontifex erit: ſique ſummus eſt, vt Papa, ei per omnia obediendum. Anch. in *cap.1.de conſt.in 6.* Cæterùm idẽ doctor reſpondet, argumentum tunc ſemi ex etymologia ſeu alluſione vocabuli, quando nomen imponitur, ſeu ſumitur ex eſſentiali natura ſua. Quòd ſi ex eo tantùm quòd deſideratur, ſeu rationabiliter debet eſſe in nominato, non procedit argumentum: vt dicitur Auguſtus, quia Imperator debet eſſe eius propoſiti, vt imperium augeat: & Pontifex, quòd aliis pontem vitæ & doctrinæ facere debeat: quod ſi non faciant, peccant: ex hoc tamen neque Papa ipſe, Pontifex, neq; Imperator, Auguſtus, vocari deſinit. Verùm hac in re lectorem aduertentẽ cupio: delirus namq; mihi videtur eorum error, & ridiculus, qui Auguſtum ab augendo dictum credunt, quoniam non ab augendo ſic vocatur, ſed quia ſacer & maieſtatis plenus. Tranquillus in Auguſto: [Poſtea C. Cæſaris, inquit, & deinde Auguſti nomen aſſumpſit: alterum teſtamento maiori auunculi, alterum Munacij Planci ſententia, cum quibuſdam cenſentib. Romulum appellari oportere, quaſi & ipſum conditorem vrbis: præualuiſſet, vt Auguſtus potiùs vocaretur; non tantùm nouo, ſed etiam ampliore cognomine, quod loca quæq; religioſa, & in quibus auguratò quid conſecratur, Auguſta dicantur. Vnde & Cicero de natura Deor. ſimulachra Deorum maieſtatis plena, & ſimilitudinem diuinitatis habentia, Auguſta vocat. [Cùm Deorum, inquit, Auguſta & ſancta ſimulachra veneremur.] Sunt & qui ab auguriis Auguſti nomen Octauio prius impoſitum dicant: cùm Auguſtum, quod augurio conſecratum eſt, dicatur. Vnde templa Auguſta, hoc eſt, augurio condita, dixit Ouidius in 1. Faſtorum.

Sancta vocant Auguſta patres: Auguſta vocantur,
Templa ſacerdotum, ritè dicata manu.

Et Auguſta mœnia dixit Virgil. 7. Æneid. pro augurio conſecratis.

Centum oratores Auguſta ad mœnia regis
Ire iubet.

Et quoniam non niſi in Auguſto loco Senatus haberi poterat, templum Veſtæ non fuit augurio conſecratum, ne illuc conueniret Senatus, vbi erant virgines. Priori tamen alluſioni adſtipulari videtur Egeſippus. 5. belli Iudaici, Auguſti apud Romanos nomen Imperij eſſe ſcribens, quòd augeat ſuos, non quòd alienos opprimat. Porrò non minus ridiculum eſt, quod de Pontifice noſtrates afferunt, vt ideò ſic dicatur, quòd pontem, hoc eſt, viam aliis facere debeat vitæ & doctrinæ, quandoquidem Pontifex olim ſacer magiſtratus erat. Cuius proprium munus fuit religiones & ceremonias publicas, priuatáſque, ſacra, & res diuinas, ſanctiſſimè tueri. Qui (vt Varro ait) à ponte dictus eſt, non quòd pontem vitæ & doctrinæ facere deberet: ſed quia Sublicius pons, à Pontifice, nempe ab Anco Martio primum fieri ceptus eſt, eiuſdemq́ curam Pontificem habere oportebat. nam ſi collaberetur pons ille ſublicius, hoc eſt, ligneus, & nullo ære, aut ferro compactus: cæſa victima, & perfecto ſacrificio, (neq; enim licebat aliter, adeò ſacrum illum pontem Romani æſtimarunt) Pontificem reficere oportebat. Fuerunt autem Pontifices maximi, minores, & minimi, quorum munus ſingulatim non inelegãter tractat Alexand. ab Alexan. in dieb. Genial. Inter hos is apud quem ſumma erat ſacrorum poteſtas, ſummus Pontifex, maximúſq; dictus eſt: quod à veteribus Romanis ſumptum, noſtræ quoq; ſectæ homines hodie ſeruant. Tertius caſus eſt in nominibus propriis, in quibus argumentum ab alluſione non procedit. Alexan. in *d.§.appellata.* cùm ſcripſerit Iuriſc. ſolam nominis ſimilitudinem, ad confirmandam cuiuſque originem non ſufficere. *l.fin.§.non ſolum.ff.ad municip.* Vnde licet quis vocetur Toloſanus, aut Bononienſis, non ideò ſequitur, eum eſſe Toloſatem, aut Bononienſem. Quare perperam & nimium fortaſſe arroganter Accurſ. in ſui nominis alluſione ratiocinatur, dum in *l.facta.§.ſi in danda.ff.ad Treb.* ſe appellatum Accurſ. iactitat, & ſine pudore gloriatur, quòd accurrat, & ſuccurrat, contra tenebras iuris ciuilis. Qua in re tamen conſidera, quia hoc ex vi propriorum nominum non videtur contingere, ſed quia ſic argueremus ab alluſione vocabuli affirmatiue, quod fieri non poſſe iam docuimus. Præterea, ita non ratiocinamur ab alluſione nominis, ſed ab ipſo nomine. Quartus caſus: Cũ alluſioni vſus communis loquendi repugnat. *l.librorum.l.aniculis.D.de verbor.ſignif.l.Labeo.ff.de ſupp.legat.* Ad quæ illud notandum eſt, communem vſum loquendi in omnibus iuris partibus proprio ſignificati verborum anteponi, ſiue proprium illud ſignificatum ex diffinitione, ſiue ex authoritate, ſiue ex alluſione colligatur. *d.l.Labeo.& l.librorum.§.quod tamen Caſſius.ff.de legat.3.l.cum de lanionis.§.aſinam molendinariam.ff.de fund.inſtruc.c.ex literis. de ſponſ.* Plura vide apud Corraſium in Miſcellaneis.

Ad titulum de iure fiſci.

Ad l.ſed ſi accepto vſu togæ romanæ.

Accurſius hic ingenuè fatetur ſe ignoraſſe quid ſit toga. De eo igitur aliquid nobis dicendum eſt. Toga geſtamen erat proprium, inſignéque Romanorum ciuium, vt pallium erat Græcorum. Quibus hominibus vti toga Romana, licebat ij vt ciues habebantur, & è contra qui Ciuitatem Romanam amittebant, vſum quoque togæ amittebant.

Ad l.hereditate de caſtrenſi peculio.

Peſſimè Accurſius interpretatus eſt principium. *l.de hereditate. 19. de caſtrenſi pecul.* in ea enim lege malè Accurſius commilitium pro commilitone accipit cum commilitium ſit ſocietas militaris & contubernalis amicitia. hoc autem Triphonini Iuriſconſulti reſponſum, quoniam inſigni corruptela notatũ eſt, nec Accurſius illud intellexit, nec eo modo ſcriptũ quiſquam alius niſi per coniecturas intelliget, operæpretiũ duximus breuiter, quemadmodum caſtigate legendum ſit perccnſere. Sic ergo hoc reſponſum ex mente Alciati libr. 17. Diſpunctionum lib. 4. legendum eſt. Hereditate ab agnato commilitone data, Scæuola noſter dubitabat, quia potuit & ante notus, & amicus dare: potuit & non dare, niſi commilitiũ charitatem auxiſſet: nobis ita videtur ſi ante commilitium factum ſit teſtamentum, non eſſe peculij caſtrenſis eam hereditatem: ſi poſteà contrà. Emendandæ igitur ſunt in vulgatioribus libris tres dictiones commilitonum, commilitũ. Dicitur autem Latinè commilitiũ, militũ commerciũ, & facultas ipſa ſeu ius quo vna militant, & ne hæc dictio inuſitata videatur obſeruaui, eam repeti, etiam apud Tacitum & in epiſtolis Sidonij Appollinaris.

Ad titulum de pollicitationibus l.ſi quis ro.

Malè Accurſius Bartolúſque hic decimam intellexerunt qualis hodie vſitata eſt, quæ ſcilicet clericis debetur, quã Vlpianus religionis Chriſtianæ expers nunquam nouit.

Ad l.Charidemus

In hoc loco huius *l.Charidemus*, reſpondit ex epiſtola quam muneris edendi gratia abſens quis enuiſit, compelli eum ad editionem non poſſe. Accurſius & Bartolus huius dicti abſo-

num ſenſum commenti ſunt Latinæ dictionis ignorantia. Vt igitur hoc intelligamus, ſtatuendum eſt à nobis munus præter notas ſignificationes ſpectaculum ſignificare. cuiuſmodi olim à magiſtratibus Romanis populi edebantur, quaſi remunerationes publicæ offerentib. honorum ſibi collatorũ à populo. Inde Munerarius dictus muneris gladiatorij exhibitor.

Ad l. ſi quis ob honorem.

Ridiculũ eſt omnino quod Accurſ. ignorauit, Gentiles quos vocant ἐθνικοὺς etiam ſua habuiſſe ſacerdotia & pontificatus.

Ad titul. de nundinis.

Non tam fuerunt acuti antiqui illi interpretes, vt animaduerterint textum legis vigeſimæ, huius tit. in quo affertur Platonis locus, ita mendoſum eſſe, vt ex eo nullus verus ſenſus elicit poſſit, niſi corrigatur. Vide igitur quomodo ſit reſtituendus hic locus apud Alciatum, lib. 4. Diſpunct. cap. 8.

Ad titulum de proxeneticis.

Neſcio vnde Accurſius illam interpretationem ſumpſerit, vt philantropiam ſalarium interpretaretur, ego potiùs exiſtimo cum aliis philantropiæ legendum. φιλανθρωπία autem humanitatem & liberalitatem ſignificat, vnde hoc loco philantropiæ nominè aliquid accipere, puto eſſe munuſculum accipere, quod benignitatis eſt, non obligationis. ſalarium autem quod Accurſius interpretatur, eſt potiùs obligationis quàm benignitatis.

Ad l. Statuę. de verborum ſignificatione.

Accurſius huius legis ſententiam non eſt aſſequutus, quia ignorauit quid eſſent baſes ſtructiles: nos dicimus Baſes ſtructiles eſſe, veluti ſedimenta columnarum, non ſolido lapide cæſa, ſed opere cæmentitio lateritióve coagmentata, quibus columnæ nituntur, ipſæ quidem ſolido lapide conſtantes.

Ad l. 1. C. de pactis.

Nugantur Doctores in *l. 1. C. de pactis*. cùm fingunt in *l. 1. ff. de curatoribus bonorum*, repudiatum fuiſſe in iudicio. nihil minus: ſed qui repudiat nunc, quantumuis in poſterum cõditio obtigerit, iam bis repudiat, & futurum velut præſens contemnit.

Ad l. Qui fiſcales. C. de Nauiculariis.

Malè Accurſius hanc legem ad auerſionem pertinere putat, vt doctè animaduertit Antonius Auguſtinus lib. 3. Emendationum, cap. 6.

Ad tit. de Tabulariis. lib. 10. Cod.

Ex hoc loco manifeſtus error Accurſij deprehendi poteſt. quod vt intelligamus, verba legis ſunt proponenda, quæ ſunt eiuſmodi: Generali lege ſancimus, vt ſiue ſingulis prouinciis, ſiue ſingulis ciuitatibus neceſſarij fuerint tabularij, liberi homines ordinentur, neq; vlli deinceps ad hoc officium pateſcat aditus, qui ſit obnoxius ſeruituti, cùm id deinceps vetet fieri ſatis perſpicuum ſit, hoc anteà licuiſſe. quod errorem Accurſij ſatis conuincit, qui in ſuperioribus locis. *l. 18. de adoptionibus*, ſeruum publicum appellatum putat, quendam Tabulario ſimilem, qui tamen tabularius non ſit, cùm hoc Conſtitutione Arcadij eſſet interdictum ſeruis. At quanto tempore Iuriſconſultus Vlpianus, & item Marcellus Arcadium anteceſſerint, nemo neſcit. eſt enim hæc non admodum vetus memoria.

BENEDICTORVM ACCVRSII LIBER SINGVLARIS,

in quo ab aliis nonnunquam malè reprehenſus Accurſius defenditur, & eius interpretatio aduerſus aliorum opinionem optimis rationibus comprobatur.

PRÆFATIO AVTHORIS.

CVm multa præclarè ab Accurſio viro ſanè magni ingenij & ſingularis induſtriæ, dicta fuerint, & perperam aliquando à quibuſdam imperitis, qui audent etiam temerare ſacra iuris noſtri reprehenſa fuerit, conſtitui hoc ſingulari libello, quaſdam eius interpretationes optimis rationibus comprobare, eúmque ab aliorum calumniis vindicare. Illos enim non multum moror, qui nihil (vt inquit Comicus) niſi quod ipſi faciunt rectum putant, inter quos quidam ita delicatas aures habent, vt ſi ſemel Accurſium aut Bart. aut quemuis alium ex antiquis interpretibus laudaueris, conteſtim irritentur, haud meo iudicio intelligentes, quantum ad veram iuriſprudentiam authores illi quantumuis Barbari, conferant. Demus enim eos linguarum & bonarum literarum rudes atque imperitos fuiſſe (quamquam id ſeculi magis ipſius, quàm eorum vitio accidit) in rebus tamen ciuilibus, iudicialibúſque controuerſiis mirè exercitati, experti, atq; docti fuerunt. At illi delicati aucupes verborum quid quæſo adferunt quo nos in iure ciuili inſtruant? Conſule eos de vrbana ſeruitute vel ruſtica, de teſtamenti iure de familia erciſcunda? referent fortaſſe nobis quid ſit Stillicidium, aut vnde dicatur, vel quid erciſcundi vocabulum apud veteres ſignificarit, ſed his dicet Vlpianus οὐδὲν τοῦτο πρὸς ἔπος. Hi ſanè mihi ſimiles videntur Cœlio Antipatro, qui plus eloquentiæ quàm iuris ſcientiæ operam dederat. nec minus mihi reprehendendi videntur cùm iuriſprudentiæ magiſtri & Doctores videri volunt, quàm à Cicerone oratores quidam ridentur, qui nulla iuris peritia inſtructi patronos ſeſe profitebantur, ciuiúmque cauſas, quæ in iuris diſputatione plerunque conſiſtunt: inani verborum ſonitu nulla iuris arte adhibita defendendas ſuſcipiebant. Quidquid illi inepti homines dicant plurimum ſanè debemus Accurſio. Primus enim in vniuerſum corpus legum, ipſaſque leges ſingulas gloſſas conſcripſit in quibus in id maximè incumbit vt leges contrarias, ſimiléſve inuicem conferat: verborum etiam breuem interpretationem adiungat. Antiquiſſimi verò interpretes Iohannes Martinus, Placentinus, Azo, & cæteri, id ſolummodo quibuſdam in locis præſtiterunt, leuiter enim tantum ius percurrebant. Ex his omnibus cùm Accurſius perpetua ſerie atque contextu ſuas gloſſas compoſuiſſet, quod eſſent abſolutiores & ordinatiores, tum etiam quia reliquas in ſe continere viderentur, ſolæ deinceps ad hæc noſtra vſque tempora iuris ſtudioſorum manibus verſantur, & cum hoc Accurſio noſtro finem ipſi gloſſatores habuere, cùm poſt illum nemo fuerit qui gloſſas amplius ſcripſerit, vel quod omnem gloſſandi materiam iam eſſe conſumptã arbitrarentur, vel quod ipſam commentandi rationem maioris laudis & gloriæ ducerent: cùm igitur tam multa iuris noſtri loca ab eo rectè explicata fuerint, conſtituimus hoc libello Benedicta eius referre, veteres Iuriſc. imitati, inter quos Caſcelius Benedictorum librum compoſuit, vt refertur *l. 2. ff. de orig. Iur.* Huius autem inſtituti noſtri ſpecimen tantùm edimus, cùm nobis non licuerit cætera perficere. Interim his beneuole lector vtere, & fruere, nec ob id exiſtimes opus eſſe imperfectum. Omniũ enim artium principia, vt inquit Ariſtoteles. libr. 2. τῶν ἐλέγχων tenuia fuerunt. nec ſtatim ad conſummationem perductæ ſunt omnes artes, ſed aliis atque aliis ſubinde addentibus, diligentérque perſcrutantibus, tum demum id factum, οἷον ἐκ διαδοχῆς τῶν κατὰ μέρος προηγαγόντων.

DE NOMINE ACCVRSII EPIGRAMMA.

Occurris legum tenebris Accurſius aeris,
Et nouus Sphinges explicuiſſe meras.
Quamuis nolle legas Iuris monumenta vetuſta,
Is fecis medio ſplendidiora die.
Ergo quod illuxit iuri, dum vita maneret,
Nunc illo ſtellis clariùs aſtra patent.

BENE-

BENEDICTORVM ACCVRSII LIBER VNVS.

Ad prooemium digeſtorum.

RECTE' Accurſius Pium Iuſtinianum à Pio Antonino dictũ eſſe exiſtimat, cùm dicit A Pio Antonino omnis Imperator dicitur Pius, vt in Authentica. *vt liberi de cætero. §. facinus. coll. 6.* Rectè inquam id Accurſ. exiſtimauit. nam cognomen hoc primus Imperatorũ Antoninus Adriani ſucceſſor obtinuit (quod vt Iulius Capitolinus ſcribit) cùm ſe Hadrianus interimere vellet, ingenti cuſtodia & diligentia fecit, ne id poſſet admittere. Poſt illum ſucceſſores omnes idem cognomen retinuerunt quemadmodum ex factis & antiquis authoribus omnibus intelligitur, id ipſemet Iuſtinianus aſſerit. Nou. 76. Antoninus inquit, ex pietate cognominatus, à quo eadem vſque ad nos appellatio peruenit.

Ad §. ex libris. eiuſdem Conſtitutionis.

Rectè intelligit Accurſius quicquid alii calumnientur vſque ad *tit. de bonor. poſſeſſ.* vt ſcilicet hactenus omnia in ſcholis tradantur, alia ſuo ſibi Marte iuuenes perdiſcant & tractent: quod Iuſtinianus ipſe inferius dicturus eſt: & reuerà excepto tractatu *de bonorum poſſeſſ.* & altero *de verborum obligationibus*, quibus ex materiis criminalibus adiungam *tit. de pœnis*. cætera non ita difficilia cognitu ſunt.

Ad §. In ſecundo. eiuſdem Conſtitutionis.

Ex edicto dixit pro eo quod eſt ab edicto: videntur enim vt Accurſ. hic admonet, edictales dicti: quod ſcilicet tũc primum ad edicti perpetui interpretationem tranſirent, ne quis putet edicto ipſo nomen eis impoſitum fuiſſe. quid enim hoc curaret prætor?

Ad tit. de Iuſtitia & Iure. lib. 1. Pandectarum.

Sanè rectè Accurſius, vt opinor, artem ſententiam interpretatur, eamque ex Porphyrij ſententia rectè admonet, finitam doctrinam eſſe de infinitis. Eadem ratione Rhetoricen quoq; multi definierunt artem eſſe vel ſcientiam benedicendi vel perſuadendi: quam tamen qui magis propriè atque acutè loquuti ſunt, minùſque ad præcepta doctrinæ reſpexere, vim & facultatem perſuadendi dixerunt, vt Quintilianus lib. II. Oratoriarum Inſtit. cap. 16. refert.

Quod Vlpianus in hac l. 1. ait his verbis, Niſi fallor, philoſophiæ nõ ſimulatam adfectantes. hic (niſi fallor) in re ſibi ſanè perſpecta & explorata dicit. Rectiſſimè videtur Paulus Caſtrenſis inducere ad dictum teſtis, cum hac vel ſimili verborũ modeſtia pro teſtimonio quid dicetis: vt fides ei nihilominùs habeatur, ego ampliùs exiſtimo.

Scitè & eleganter Baldus ad verſiculum l. 1. [Boni & æqui notitiã profitetur] Scire, ait, in noſtra ſcientia non eſt propter ſcire, ſed propter operari bonum & æquum: ſcientia tamen requiritur, inquit ille, non vt finis, ſed vt ducens ad finem, quia ſine ſcientia nulla procedit operatio intellectus.

Ad l. vt vim.

Vim repulſare, debemus interpretari imminentem, inſtantemve vim aut iniuriam repellere, quoniam Accurſij, Bartoli Baldi, & omnium conſenſu non debet expectari percuſſio, ſed ſufficit armorum terror, immò ſi præcedant, inquit Bartolus, ſigna & actus manifeſtæ voluntatis nocendi, etiam ſolæ minæ, ab eo qui conſueuit exequi, ſi Accurſio & Cyno credimus. Quod eleganter Baldus ita demum admittendum putat, ſi minas ſequantur actus & argumenta ad nocendum. Plus obſeruaui apud Iaſonem ſcripſiſſe Baldum, licere aduerſarium præueniendo cædere, quando videt præparamenta ad offendendum, & ita ex facto iudicatum. Idem Accurſius & Baldus in eadem l. 1. & Angelus Aretinus in maleficiis exempla ponunt in eo qui poſt minas iuſſit vocari ſocios, & præſtolatur: ex quibus deci ſi poſſe arbitror, ſi videro inimicum ex pharetra ſagittam educere, antequam intendet arcum, præuenire etiam percutiendo licere, ſimiliter ne lanceam vel aliud telum capiat. Et denique generaliter ex eorundem ſententia definiendum vbi cunctatio periculoſa eſt, præuenire ſemper, iuſtæ defenſionis eſſe. Caius eius rei teſtis eſt locupletiſſimus *tit. ad legem Aquiliam*, Si ſeruum tuum latronem mihi inſidiantem occidero, ſecurus ero. Nam aduerſus periculum naturalis ratio permittit ſe defendere.

Rectè Bartolus putat percuſſo licere repercutere & occidere, quando iuſtè timet iterum percuti: iuſtum verò metum in incerto præſumi dicunt omnes, ſi inſtat inimicus.

Ad l. 2. D. de origine Iuris. ad ea verba, omnia manu à regibus gubernantur.

Manu, hoc loco rectè Accurſius arbitrio interpretatur, eadem enim loquendi formula vſi ſunt alij authores, vt Iuſtinus his verbis: Populus, inquit, nullis legibus tenebatur: arbitria principum pro legibus erant. Et in hac eadem *l. §. quod ad iuſta*, eodem modo Pomponius loquitur. Certè Manum Pomponius hoc loco opponit Iuri & legibus. & vi igitur ac poteſtate, non iure ac legibus Reges ab initio cuncta gubernaſſe dicit: Hæc doctiſſimus Cuiacius in Commentariis ſuis ad hunc Titulum.

Ad tit. de legibus.

Rectè Accurſius hic quicquid cæteri contradicant, ex Ioannis Cremonenſis doctrina hunc tractatum in vniuerſum ad interpretandas & condendas leges, & Paulus Caſtrenſis etiam ad conſeruandas pertinere dixerũt. Vnde cùm hodie ſingulæ, ferè & Galliæ & Italiæ ciuitates ſuis fermè legibus & ſtatutis viuãt, ad huiuſmodi municipalium legum & ſtatutorum interpretationem, nullus eſt in toto Iure vtilior, quàm hic Tractatus.

Ad l. 2. D. de rerum diuiſione. ad hæc verba, quædam vniuerſitatis.

Rectiſſimè Accurſius monet hoc loco ſuppleri debere ad hæc verba hanc diuiſionem, vt initio ſcriptum fuerit, Quædam naturali Iure communia ſunt, omnium quædam publica, vniuerſitatis. Quod rectè ſuppleri oportere id vel ex eo percipi licet, quòd paulò poſt eorum quoque quæ publica ſunt, naturam docet, quod ineptè faceret, ſi non in diuiſione ſuperiùs appoſuiſſet. Apparet hoc etiam ex principio eiuſdem tractatus in Inſtitutionibus, quo in loco tota hæc diuiſio penè ad verbum refertur. Sed & in exequendis partibus diuiſionis videntur Compilatores aliquid vel addidiſſe, vel compilaſſe, quod obſcuritatem inducat, nec omnino ſatis ipſi ſibi conſtare, quid, quatenus, & quo iure publicum vel commune cenſeri debeat, aut quonam modo hæc inter ſe diſtinguantur. Quæ omnia ſi ſcire cupis, rectè diſtincta vide apud Antonium Vaccam Iuriſconſultum Imolenſem in Expoſitionibus locorum obſcuriorum.

Ad l.19.de ſtatu hominum.

Ad ea verba huius *l.Cùm legitimæ nuptiæ factæ ſunt, Patrem liberi ſequuntur*, ſubaudiri oportet, quantum ad familiam & patriam poteſtatem,honores etiam, vt Accurſius rectè interpretatur?liberi tamen dicuntur,& matri & auo materno, quamuis in eorum poteſtate non ſint,*l.1.C.de condictionibus in ſtitis. l.cognoſcere.§.liberorum.de verború ſignif.*nonnulla enim iura & materno generi in his reſeruata ſunt*l.quippe.cum ſequentibus. D.de legibus.*

Ad l.1.D.de his qui ſunt ſui & alieni iuris.

Ponit Accurſius hoc loco plenam huius rei declarationem, vt ſciamus interdum ſpeciali aliqua ratione Domino per ſeruum non acquiri.Eius gloſſam ſuper verbo *Domino* videre, ac memoria tenere iuuenibus operæ precium exiſtimamus.

Ad tit.de officio præfecti Auguſtalis.

Rectè Accurſius ſentit Præfectum Auguſtalem eſſe, & ita appellari, quòd eum Auguſtus creauerit. id enim ex hiſtoriis notum eſt. Nam cum Antonio Cleopatra Ægypti regina ab Auguſto feliciſſimè deuictis,is Ægypto potiretur, præfectum illius mittendum Auguſtalem appellare voluit,*l.2.& l.3.C. de officio præfecti Auguſt.l.1.C.de priuatis carceribus.l.quinque.C.de Decurionibus lib.* 10. Vide Vegetium libro 2. de re militari, cap.6.

Recte idem Alexandriam Metropolitanam ciuitatem Ægypti vocat.Nam vrbs fuit celeberrima ad oſtium Nili ſita, quam loci opportunitate proſpecta, magnus ille Alexander Macedo condidit, cuius corpus adhuc ibi iacere Strabo ſcribit,De hac ciuitate plura vide apud Ammianum Marcel.li.12.

Ad l.1.de officio eius cui mandata eſt Iuriſdictio.

Quicquid alij ſenſerint, vera eſt & genuina huius capitis ſententia ad verbú ſumpta,quam Raphael Fulgoſius pridem ac poſt eum nuper Alciatus agnouit lib.2.Paradoxorum,cap.1. Ea ſcilicet in alium transferri non poſſe,quæ his tribus Iuris partibus ſpecialiter, hoc eſt, expreſſim & nominatim magiſtratibus mandantur nominatim accipe non vt nomen proprium eius qui magiſtratum gerit, exprimatur: qui fieri enim hoc poſſet,cùm perſonæ quotidie mutentur eorum qui magiſtratus gerunt,ſed nominatim de hac vel illa re aut cognitione actum eſſe: vti ea Prætori:Proconſuli,aut præfecto competat.Exempli cauſa alienatio rerum pupillorum ne fiat, niſi interpoſito decreto,Prætoris vrbani tranſactio de alimentis adhibita prætoris notione atque authoritate celebretur: & alia exempla quæ in hanc partem optimè colligunt Fulgoſius & Alciatus,apud quos plura videbis.

Ad l.Iubere cauere.D.de Iuriſdictione omnium iudicum.

Accurſij gloſſema in l.iubere cauere.D.de iuriſdict.omn.iud.emendatum.

In *l.iubere cauere.D.de iuriſd.omn.iud.* Accurſij gloſſema ſuper verbo Iubere extat,quod multos Iuriſc. hactenus moratú eſt.Nam cùm Accurſius illic de miſſione in poſſeſſionem loquutus eſſet,mox in *verſic.vel dic.aliud*,de pœna aliquot lineis diſputat,cùm tamen tota illa diſputatio nihil ad eum locum pertineat.Hanc gloſſam cum magni nominis Iuriſc. in Ticinenſi gymnaſio,ante annos aliquot in publicis ſcholis interpretaretur admonebant ſupradictum verſic.*vel dic aliud.* vſq. ad ver.*vel dic. ibi*, ſuppoſitum eſſe, & librarij alicuius incuria in Accurſianum gloſſema irrepſiſſe.Pertinet autem prædictus verſic ad *l.pen.§.fin. D. ne quis eum qui in ius vocat. eſt vi exim.*vbi iiſdem planè verbis id *gloſſ.in verbo.*in ſingulos reperitur.

Ad l.Tale pactum.§.fin.D.de pactis.

In *l.Tale pactum.§.fin. D. de pactis.* eleganter Accurſius conflat regulam his verbis:Nota,inquit,de iure id eſſe ſeruandum licèt ſtatutum nó ſit,quod veriſimile eſt, ſtatutum enim fuiſſet,ſi quæſitum fuiſſet:& in hanc rem valdè facit dictum quoddam Ariſtotelis his verbis:Emendetur omiſſum: quod & legiſlator ipſe ſi adeſſet,vtique faceret.

Ad l.Quid ergo.§.vlt.D.de his qui notantur infamia.

Si quis quærat,quomodo ſtellionatus crimen damnato infamiam irroget,omnem dubitationem nullo negotio adimere potuerit perfecta breuis Accurſij annotatio.Is enim in *l. quid ergo.§.vlt.D.de his qui notantur infamia*,relatæ Martini & Bulgari ſententiæ eam quæ Iohannis eſt, præferens ſic ait: Sed tu dic ſecundum Ioannem diſtinguendum,an crimen ſtellionatus deſcendat ex cauſa, ex qua quis ciuiliter damnatus infamatur,vt ex dolo, vt infrà *l.2. de crimine ſtellionatus*, vt patet per multa exempla poſita in *titul. de dolo.* quo caſu infamat vt hic an non infamaretur ciuiliter damnatus, & tunc nec de hoc crimine damnatus infamatur, vt in contraria pignoratitia actione,vt in *l.tutor.§.contrarium. D. de pignoratitia actione.* & tunc hoc non infamat, vt in lege contraria. Et probatur hæc ſolutio,*l.infamem.D.de publicis iudiciis*.quo quid dilucidius,& verius dici potuit.

Ad l.Inter eos.§.eos.D.ex quibus cauſis maiores.

Alciati opinio de nomine Notariorum comprobata,& quædam de notis aduerſus eos qui Alciatum reprehendunt.

De Notariis Andreas Alciatus lib.8.Parerg,cap.19.ſcribens Notarios,inquit,veteres eos ſcribas appellabant, qui per notas ſcriberent:inductique primùm fuerunt à M. Cicerone, vt Catonis orationem,quam habebat in ſenatu, aduerſus Catilinam deſcriberent,vociſque curſum celeritate manus æquarent.Auſonius:Puer notarum præpetum ſolers miniſter. ad vola Bipantes pugillar expedit, &c. Hodie ſic vulgò appellamus eos,qui inſtrumenta,ſeu priuata,ſeu publica conficiunt, quod munus apud veteres non videtur fuiſſe:nec enim vlla eſt eorú mentio Ciceroni,Liuio, cæteris.Hæc Alci.qui etſi pro ſua opinione auctores non alleget,mihi tamen videntur auctoritates illi non defuiſſe. Nam quod Notarij olim fuerint, qui dictata notis excipiebant,id extat apud Iureconſ.in *l.Lucius.D.de milit.teſtam.*his verbis:Lucius Titius miles Notario ſuo teſtamentum ſcribendum notis dictauit, & antiquam literis perſcriberetur, vita defunctus eſt. Quæro an hæc dictatio valere poſſit,&c.Cæterum quod notarum vſus propter celeritatem ſcribendi,repertus ſit,id Iud.in *l.inter eos. §.eos. D. ex quibus cauſ.maio.*ex Tranquillo docet:verba autem Tranquilli in Tito Imp.hæc ſunt:E pluribus comperi,notis quoque excipere, velociſſimè ſolitum,& cum Amanuenſibus ſuis per ludum iocúmque certantem,imitari Chirographa quæcunque vidiſſet, Porrò in *d.l.inter eos.§.eos.*notarum his verbis mentio fit:Eos qui notis ſcribunt acta præſidum, Reip. cauſa non abeſſe certum eſt.Quales autem notæ fuerint in iure noſtro non reperio niſi quod Iuſtinianus Imp in *l.1.in fin.C.de veter.iur.enucl.* captiones ſignorum, & compédioſa ænigmata, pro notis dixiſſe videtur: Ne autem, inquit, per ſcripturam aliqua fiat in poſterum dubitatio:iubemus non per captiones ſignorum, & compendioſa ænigmata(quæ multas per ſe,&per ſuum vitium antinomias induxerunt)eiuſdem codicis textum conſcribi, etiam ſi numerus librorum ſignificetur, aut aliud quicquam: Nec enim hæc per ſpecialia ſigna numerorum manifeſtari,ſed per literarum conſequentiam explanari concedimus. Cæterùm qualeſcunque notæ fuerint literas tamen eas non fuiſſe, à Iuriſconſulto in *l.ſed cum patrono.in fin.ff.de bonor.poſſeſſ.* his verbis traditur:Notis ſcriptæ tabulæ non continentur in edicto:quia notas literas non poſſe Pedius lib.25.ad edictum ſcribit.Hinc eſt,quod in *d.l.Lucius.*dicitur,militem teſtamentum notis dictaſſe,& antequam literis ſcriberetur, vita defunctus eſſe:vt appareat,notas alias fuiſſe,quàm literas. Extat quidem

de

de notis libellus Valerij Probi: vbi docet, quo ſenſu literarum notæ excipiendæ ſint. Ex quo quidem auctore exempli cauſa paucas notas referre non grauabor Q.T.I.I.C.Q.A.T.F.A. id eſt, quando te in iure conſpicio, quæro an te facias auctorem. Quas quidem notas refert Alciatus in *l. pecuniæ. §. actionis. D. de verbo ſignif.* An autem Iuriſconſulti in *d. l. Lucius. & in d. l. inter eos. §. eos.* de his notis, à Valerio Probo relatis, ſenſerint, dubitari poteſt: cùm notas literas non eſſe, ex Iureconſultorum ſententia, ſuprà dixerim. Niſi fortè reſpondeas, Iuriſconſultos in *d. l. Lucius. & d. § inter eos.* inter notas, & litteras, ſic diſtinguere voluiſſe: vt ſingulares literæ pro notis: ſeries autẽ literarum, pro literis habendæ ſint. Nam & Tranquillus tranſpoſitas literas, notarum nomine appellat, cùm in Iulio Cæſare ſic ſcribit: Extat, & ad Ciceronem. Item ad familiares domeſticos de rebus, in quibus, ſi quæ occultiùs perferenda erant, per notas ſcripſit, id eſt, ſic ſtructo literarum ordine, vt nullum verbum effici poſſet: quæ ſi quis inueſtigare, & perſequi vellet, quartam elementorum literam, id eſt, d. pro a. & perinde reliquas commutet. Quem Tranquilli locum non ea de cauſa adduxi, quòd putem Iuriſconſultum in *d. l. Lucius.* de occultis, ſiue arcanis literarum notis, (quarum Tranquillus mentionẽ facit) intelligi debere: in qua tamen ſententia Vigil. in *§. quinimo. Inſtu. de milit. teſt.* fuiſſe videtur: Sed vt oſtenderem notas in *d. l. Lucius. & in d. §. eos.* pro literarum notis, & iis quidem, quas Valerius Probus in ſupradicto libello explicat, accipi poſſe. Nam & Iuſtin. Imp. in *d. l. 1. in fin.* numerorum ſigna appellat: cùm tamen conſtet, numeros à veteribus Romanis, literarũ notis deſignari ſolitos, veluti M.C.L.X.V. Porrò cùm in *d. l. Lucius,* mentio fiat, teſtamentum à Milite notis dictatũ fuiſſe: operæpretium fortè erit, teſtamentum militare, cuiuſdam Sempronij Tucidani, literarum notis conſcriptum, ſubiicere. Refertur autem hoc teſtamentum in quodam libro, qui Romæ (ſi rectè memini) cum inſcriptione, Epigrammata antiquæ Vrbis, impreſſus eſt, his verbis: D.O.M. L. Mallio, & Q. Torquato Coſ. Sempronius Tucidanus teſtamentum iur. mil. quod ipſe facio. L.L. abeſto, ob Pœnũ Italia pulſum. fund. baleares ſenatui P.Q.R.D.D. Aurelius Tucidanus tacitam pecu. ſi via lat. oſſic. meis re. monumentum ſuo ſunt, ædificauerit habeto. Hernieti lib. aug. vind. Ma. aur. ex d. da. Sunt Lyciæ aggreſſi vxo. beneme. mũdum mulieb. queúe Eca. pa. do. L. Caius Tucidanus, quod pupillam, cuius iuſſu meo cu. ge. contra decretum ampliſſ. ord. d. ex Teſta. dodrant. L. celſo Teſtamen. quod Flapho ſcripſeram adi. Pamphilo Vicario pocu. tit. inſtrument. ruſti. quod Epito parauer. libérve here. da. ſunto filiis ſi nepotes mihi nõ fuerint. Morcellus Tucidanus ex dam. ſunt cohib. hered. quæ lego. o. eſto. Supraſcriptas autem literarum notas ego ſic interpretarer: Teſtament. iur. mil. id eſt, Teſtamẽtum iure militari L.L. id eſt, legibus. Fund. id eſt, Fũdos P.Q.R.D.D. i. Populoque Romano dono do. Pecu. i. pecuniam, Via lat. oſſ. meis re. id eſt, Via latina oſſibus meis relatis, ſu. u. id eſt, ſumptu: Vxori beneme. mundũ mulieb. queúe E. ca. pa. D.L. id eſt, Vxori benemeritę mundum muliebrem, quæúe eius cauſa paraui, do lego. Cu. ge. id eſt, curam geſſit, Ampliſſ. ord. id eſt, ampliſſimi ordinis. Vxor. d. ex teſtament. dodrant. id eſt, vxorem duxit ex Teſtamento dodrantem. Inſtrumen. ruſt. id eſt, inſtrumenta ruſtica. Extat etiam apud Ioan. Bartholomæum Marlianum in antiqua Romæ Cipographia, lib. 5. cap. 18. exemplum Teſtamenti militaris Galli Fauonij Iocũdi, in Luſitania reperti: verùm id extenſis literis ſcriptum eſt, non notis. Hæc annotanda duxi, non quòd ſatis explicata putem: ſed vt ſtudioſis ampliùs indagandi anſam præbeam.

Ad l. 2. ſi ager vectigalis.

Vt quaſdã diuiſiones Gloſſæ ſatis obſcuras operæ pretium eſt, Accurſiani Dominium vulgò partiuntur in directum & vtile. quæ verba ab ipſis conficta ſunt, nec apud veteres vſquam leguntur. Sed vt rem ipſam percipiamus, quam hac nouitate verborum exprimere voluerunt, neceſſe eſt, vt ea verba explicemus. Ac primò ſciendum eſt, ius quoddam aliquando reperiri dominio proximum, quale eſt ius Emphyteuticum, propter quod datur actio in rem vtilis ſunt dicta ob verum dominium, competit. *§. namque. Inſtit. de actionibus l. 1. D. ſi ager vectigalis, vel emphyteuticarius. l. 1. D. de ſuperficiebus*

Ad l. 31. de ſeruitutibus prædiorum ruſticorum.

Rectè Accurſius intellexit *l. 31. de ſeruitutibus prædiorum ruſticorum*: & melius quàm Haloander. Eius enim interpretatio conuenit lectioni Florentinę. Lectio autem eiuſmodi eſt: Tria prædia continua trium dominorum adiecta erant, imi prædij dominus ex ſummo fundo, imo fundo ſeruitutem aquæ quæſierat. Hoc toti ſententiæ aptum eſt, vt rectè Accurſius intellexit. neque enim is qui ſeruitutem quæſierat, ſummi fundi dominus erat, quem poſtea emiſſe dicitur, ſed imi in quem ſeruitutem adquiſiuit.

Conciliatio l. ſed ſi inter. D. de ſer. vrb. præd. & l. 4. § ſi communem. D. finium regundorum.

Rectè Accurſius hic diſtinguendum eſſe cenſet, inter actionem negatoriam in rem, & finium regundorum quæ eſt in perſonam: ſi enim communem fundum duo habeant, & alter proprium ſibi vicinum fundum, iudicium finium regundorũ ita accipi non poteſt, vt inter communem & proprium fundũ fines regantur, neque enim aduerſarij inter ſe eſſe poſſunt, qui pro indiuiſo communiter poſſidẽt fundum. Nam qui hoc modo iudicium inſtituere volunt, facere non poſſunt, quin & ſecum ipſi agere videantur, veluti ſi mei fundi nomine tecum cum quo mihi vicinus fundus communis eſt, agam, certum eſt, ante diuiſionẽ factam etiam meæ partis nomine iudicium diſtare, cùm in quauis vel minima gleba etiam meam portionem habeam, quamobrem ante diuidendus fundus vel alienandus alteruter meritò traditur à Iuriſc. hic. Secus longè eſt in actione ſeruitutis nomine competente, quæ in rem eſt, nec perſonæ ratio tanta habetur: vnde in rem agere dicimur: quià iudicium magis rei nomine quàm perſonæ datur: Præterea contra ſe agere non videtur in ſpecie. *l. ſed ſi inter. D. de ſeruit. vrb. præd.* Quia actio ſeruitutis diuidi non poteſt, ſed contra alterutrum ſociorum in ſolidum actio competit & in ſolidum debet reſtituere. *l. 4. §. ſed & ſi duorum. D. ſi ſeruitus vindicetur.* In finium regundorum agitur contra plures dominos ſimul. *l. 4. §. ſi alter. D. finium regundorum.* eadem ratio eſt in *l. ſi tertius. §. ſi ex plurium. D. de aqua pluuiali arc.* Probarẽ enim non poſſum, quòd quidam rationem differẽtię in eo ponunt, quaſi ſeruitutes longo tempore acquiri poſſint, & conſequenter metuendum ſit, ne ſi ſocius ſuperſedeat agere, rem amittat. In finium autem regundorum actione quinq. pedes, quibus fines ex lege xij. Tabularum circumſcribũtur per præſcriptionem aut vſucapionem non tollantur. Hæc enim ratio extendi ad quemuis extraneum poſſet, non ſolùm ad ſocios: non vſucapionis aut præſcriptionis euitandæ cauſa ſolùm, ſed fructuum, & quicquid eo nomine incommodi accidere dominis poteſt, intereſt eorum vel communi diuidundo, vel vindicatione ſeruitutis agere. *l. loci. §. in confeſſoria. D. ſi ſeruit. vind. l. 4. § 1. D. fin. regund.*

Ad tit. Si certum petatur.

Ad illam quæſtionem, nunquid valeat pactum in mutuo, vt eadem omnino ſpecies reſtituatur: rectè Accurſius cum cæteris qui eum ſequuti ſunt, non valere cenſuit, vt ſit mutuum, tanquam eius ſubſtantiæ repugnet, *l. cum manu. §. finali. de contrahenda emptione.* reformabit igitur hęc pactio contractum, & actio ex innominato dabitur, vt plerique ſentiunt, vel ex commodato, vel depoſito.

Ad l. 2. eodem.

Rectè Accurſius in *l. 2. de rebus creditis. § mutui datio,* In creditum ire, interpretatur Mutuum contrahere. nam licet verbum Credere generalem habeat ſignificationem, *hac l. 2. §. creditum:* anguſtum tamen aliquando accipitur, ac mutuò dare ſignificat. *l. ſingularia. l. non omnis. § . de rebus creditis.*

Ad l. Alias. D. de iureiurando.

In hoc loco huius reſponſi, Siue enim Dominus petat, inquit, cogetur reus docere liquidò ſe iuraſſe: ſiue ex ſtipulatione de rato agat, neceſſe habebit ipſe de periurio ſuo docere: rectè ſanè Accurſius ita explicat, cogi docere liquidò ſe iuraſſe, hoc eſt, inquit apertè, quod non debeat: id proculdubiò ſignificans, cogi reum docere, apertè & perſpicuè ſe non debere, quemadmodum & ſe minime debere iurauerit, & quod minus elegantibus verbis, ſed valdè ſignificantibus addit ibidem Paulus Caſtrenſis neceſſe habere liquidare de iure ſuo. Sanè illud Accurſij manifeſtè iurare non minùs aptè interpretabimur id quod manifeſtum, & ita habere perſpicuum eſt iurare. quam vulgatam ſententiam & receptam, quis non videt & illi loco aptiùs conuenire, & dictionis ſimul proprietatem & vim ſubſequi.

Ad l. 1. D. mandati

Gloſſam in l. 1. D. mandat. mendosè legi.

Extat gloſſema Accurſij in *l. 1. D. mand.* his verbis: Quocũque verbo ſimili, & idoneo non admonendo ſolùm, vt j. eodẽ idem *§. ſi quis ea qua, & j. de negot. geſt. item ſi serui. §. non commendando tantùm*, vt j. eod. ſi verò non remunerãdi. *§. cum quidam.* In alio autem exemplari aliter legitur, nimirum hoc modo: Quocunque verbo ſimili, & idoneo non admonendo ſolùm, vt j. eodem. idem *§. ſi quis ea qua ſuprà, de negot. geſt. Item ſi serui.* Item non commendando tantum, *vt j. eodem ſi verò non remunerandi. §. cum quidam.* Ego arbitror illorumque lectionem mendoſam, poſteriorem tamen minùs mendoſam eſſe. Nam quod in priori lectione, *l. item ſi serui. §. non commendando tantùm*, citatur, nuſquam *l. Item ſi serui. §. non cõmendando tantùm*, reperitur. Quod etiam in poſteriori lectione, *l. Item ſi serui*, citatur & pro *§.* non remunerando tantùm, hæc verba appoſita ſunt: item non remunerando tantùm: putarim in eo ſolum mendum ſubeſſe, quod *l. Item ſi serui. pro l. ſi ſerui.* citatur. Extra hoc erratam, putarim poſteriorem hanc lectionem veram eſſe.

Ad titulum Depoſiti.

Meliùs Accurſius quàm Haloander in *l. 1. §. 2. depoſiti.* inutile eſſe fidem frangere, contra vtilitatem publicam interpretatur, cùm Haloander illius verbi vim non percepiſſet, pro Inutile legit Inciuile, quam Accurſij interpretationem ſic confirmo. nam primùm animaduertendum eſt, iura ad ciuium & populi vſum ac vtilitatem conſtituta eſſe, ad eundémque finem & ſcopum referri, quæcunque tot tantíſque Iuris voluminibus continentur. *l. penult. D. de iuſtitia & iure.* qua ratione vtilitatem iuſti & æqui matrem ſcite admodum vocat Horatius Satyra 3. lib. 7. his verbis:

Atque ipſa vtilitas iuſti propè mater & æqui.

Quod autem huic, de qua loquimur, vtilitati contrarium eſt Inutile à Iuriſconſultis dici, vt hoc loco. Nam inutile non id modò ſignificat, quod non prodeſt, ſed etiam quod nocet, *l. Moſchis D. de iure fiſci.* Paulus *l. 13. de adminiſtratione tutorum*, Inutile eſt pupillis, ſi adminiſtratio eorum non ſeruatur nemine ſcilicet eunte.

Ad l. 20. D. depoſiti.

Rectiſſimè Accurſius in *l. ſi ſine. D. depoſ.* ideo, ait, depoſitarium, qui rem depoſitam ſine dolo amiſit, non teneri ad cautionem: ſi rem deprehendat. eam reddi: quod mitiùs agendum ſit cum eo, quàm cum mandatario, aut aliis, qui non tantùm dolum præſtant, ſed & culpam, cùm depoſitarius dolum tantùm. Mihi & alia cauſa tradi poſſe videtur vt dicamus, ideo non cogi illo modo cauere depoſitarium, ne occaſione depoſiti recepti teneatur ſtrictiùs quam fert natura actionis depoſiti. Namque ſi cogitur repromittere reſtituturum ſe rem depoſitam amiſſam, ſi eam deprehenderit, hæc repromiſſio longè ſtrictior erit, quàm fuerat actio depoſiti, cùm ſi fortè ſine dolo culpa ſecundò amiſerit aut corruperit rem depoſitam ex ſtipulatione omnimodo tenetur. nam & culpa venit in actionem ex ſtipulatu *l. ſi ſeruum. §. ſequitur. D. de verb. oblig.* Quapropter non eſt tutum continuò illud: quid enim promittere lædit. Nam quod promittitur, ſtrictè ſeruatur, tum à bonis viris vltrò, tum à perfidis, neceſſitate iuris. Præterea, etſi de dolo malo tantùm repromittere cogeretur, proculdubiò oneraretur fides ipſius & exiſtimatio apud bonos, quaſi hodie doloſus ſit exiſtimatus ab eo, qui ante ipſius fidei rem ſuam commiſerat. Quod autem alij in reliquis cauſis, veluti mandato, ideò aiunt cautionem hanc exigi, quod re ſine culpa aut dolo amiſſa, extinguatur actio, non puto rectè recipi poſſe. nam etſi res, quam ex mandato tuo comparaui, ſine culpa mea amiſſa ſit, ſi tamen eam poſt recuperem, bonæ fidei congruit eam reſtitui. nam & in ſtrictis iudiciis hoc recipitur, *l. Celſus. §. idem ſcribit, ſi quis. D. ad exhiben.* quod ſi eſt, & mandati actio competit: ſed in mandati actione ob id cautio exigitur eo caſu quia ſi ſimpliciter abſolueretur mandatarius poſtea agens mandator exceptione rei iudicatæ repelleretur, cui vt præueniatur, meritò cautio præſtanda eſt. In rei vindicatione & aliis iudiciis ideo cauetur, ne denuò lis ex integro tractanda ſit actori, ſi reus poſt iudicium nouum poſſeſſionem habiturus ſit. Depoſiti autem actio etiam poſt rem iudicatam dari poteſt, quaſi ex renouato contractu, quemadmodũ & in ſeruum poſt manumiſſionẽ datur, *l. ſi apud. §. 1. D. de poſ.* quaſi ex præſenti ſuſceptione rei cuſtodiendæ, nec refert quòd denuò iudicium depoſiti inſtitui neceſſe habeat actor: id enim exigit huius actionis natura, quę non patitur grauari depoſitarium vltra id quod dolo commiſit, niſi fortè tanta ſit culpa, vt fraude carere depoſitarius non videatur, *l. Quod Nerua eod.*

Ad tit. de Compenſationibus.

Malè Budæus in ſuis annotationibus in Pandectas in *l. 17. de Compenſationibus*, reiicit Accurſij opinionem, & legit Ædilitatis pro Edulitatis: quam peſſimam lectionem ſequutus eſt Alciatus *in l. pupillus. de verborum ſignificatione.* ſed ſatius eſt veterem vulgarémque lectionem amplecti. Edulitas enim quamuis apud Latinos authores rarò reperiatur, tamen ſeculo Papiniani vſitatam fuiſſe vocem animaduerti pro rerum ſcilicet edulium largitione & donatione, quæ à Principe in populum, cùm magna eſſet annonę caritas conferri ſolebat. cuius rei fidem facit Lampridius in Alexand.

Ad tit. de actionibus inſtit.

In l. 31 hoc tit. ad illam dubitationem quam quis facere poterat, cur hic venditor ab hac actione non liberetur, obiecta pretij ſibi debiti compenſatione. Accurſius rectè reſpondet, non admitti compenſationem, quia numi peculiares, tanquam certa ſpecies debentur, vnde rei vindicatione vt cæteræ ſpecies petuntur. At pretium iſtud actione perſonali, ſeu de peculio tanquam quantitas debetur: vnde concludit ille de ſpecie ad quantitatem non eſſe admittendam compenſationem ex *l. ſed ſi certos. de legatis primo. l. ſi creditor. in princip. de peculio.* quæ ſententia veriſſima eſt.

Idem in eadem lege rectè cenſuit aduerſus Lotharium, cõſumptis nummis indiſtinctè dominum à vindicatione ſummoueri etiam ſi minùs in peculio eſſet. argumento *l. ſeruus cuiuſdam. in fin. de condictione indebiti.* quod tamen ita intelligendum eſt. dummodo conſumptio bona fide facta ſit, *l. rogaſti. hoc tit.* & antequam iudicium hac de cauſa acceptum eſſet, vt Paulus Caſtrenſis ad Accurſium rectè addidit: ſi quis dicat conſumptis numis, ſi dominus ſerui contractum approbare nolit, non habiturum actionem, & in damno manifeſto fore, rectè idem Accurſius reſpondet, eum ſibi id imputare debere, ſi approbare nolit.

Ad l. Herennius. D. de euictionibus.

Quid ſit laudare apud Iuriſconſultos, & Nonius Marcellus ab impetitione Valla defenſus.

Citare (inquit Nonius Marcellus) pro laudare accipitur, vt Cicero, Citeturque Salamis clariſſimæ teſtis victoriæ. Sed hanc Marcelli interpretationem, Laurentius Valla libro 6. cap. 2. minimè recipiendam eſſe arbitratur: non enim ſeſe ait videre, quam

quam laudem Salamis merita ſit quippe quæ nihil egit, ſed teſtis duntaxat fuit, quia interfuit, vel quia in ea poſita ſunt Trophæa victoriæ, quæ rem geſtam teſtificantur tranſeuntibus. Ego verbum laudare apud Marcellum, non pro eo, cuius cõtrarium eſt vituperare, accipio: vti Valla accepit. Sed arbitror, Marcellum Iuriſconſultorũ more locutum eſſe, qui laudare pro nominare, hoc eſt, citare accipiunt. Modeſtinus in *l. Herennius. in princ. D. de euict.* Caia Seia, inquit, fundum à L. Titio emerat, & quæſtione mota fiſci nomine, auctorem laudauerat. Sicque hæc vox in *l. tenetur. D. de actio. empti. in l. 3. C. de in lit. dand. tut. in l. auctore. C. de euictio.* accipitur. Gell. lib. 2. c. 6. Laudare, inquit, ſignificat Priſca lingua nominare, appellareq́;: Sic in actionibus ciuilibus laudari id dicitur, quod eſt nominari Nonius Marcel. laudare, inquit, ſignificat nominare.

In *l. ſi ſeruus. D. de euictionibus* hæc verba, De dolo, optime interpretes refert ad actionem ex empto nomine doli.

Ad l. quæritur. D. de ædilitio edicto.

Mulierem pregnantem in venditionibus ſanam non præſtari, non rectè à Vitruuio aduerſus Iuriſconſultos traditum eſſe.

Iuriſc. in *l. quæritur. in princ. D. de ædil. edict.* reſpondit, mulierem prægnantem in venditionibus rerum ſanam præſtari: verba reſponſi hæc ſunt. Si mulier prægnans venierit, inter omnes conuenit ſanam eſſe: Maximum enim & præcipuum munus fœminarum eſt, concipere, & tueri conceptum. At M. Vitruuius lib. 2. cap. 9. diuerſum tradidit: Sic enim ait vbi etiam corpora muliebria cùm conceperint à fœtu ad partum non iudicantur integra, neque in venalibus ea, cùm ſunt prægnantia, præſtantur ſana: Ideò quòd in corpore præſeminatio creſcens ex omnibus cibi poteſtatibus detrahit alimentum in ſe: & quò firmior efficitur ad maturitatem partus, eò minùs patitur eſſe ſolidum idipſum, ex quo procreatur. Itaque edito fœtu, quod prius in aliud genus incrementi detrahebatur. cum ad diſparationem procreationis eſt liberatum, inanibus & patentibus venis in ſe recipit. & lambendo ſuccum etiam ſolideſcit, & redit in priſtinam naturæ firmitatem. Hæc ille. Sed condonandum eſt Architectonicæ magiſtro, ſi de iure non rectè reſpondit. Nos Iuriſconſultum hac in re ſequemur.

Ad l. vltimam. de vſuris.

Ad illam quæſtionem, vtrum fructuarius pignori rem dare poſſit, recte reſpondet Accurſius proprietatem ipſam non poſſe. vſumfructum vero, id eſt, ius vtendi fruendi & fructus ipſos poſſe recte pignori dare.

Ad l. quoties. §. finali. ſoluto matrimonio.

Ad *l. quoties. §. finali. ſoluto matrimonio.* recte animaduertit Accurſius, relatiuum pro nomine poni. Rectè enim Vlpiani reſponſum, ſi quis pro muliere dotem dederit, vt ipſi ſolueretur interpretatus eſt ipſi, id eſt, ſibi ſeu danti, poſſem ex legibus noſtris multa loca adducere, quibus indifferenter ſuus pro illum & econtrario ponitur.

Ad l. 6. eod. tit.

In *l. 6. ſoluto matrimonio.* vbi ſic legitur, Hi reſtituendi ſunt, quandoque diuortio facto, rectè Accurſius quandocunque interpretatur, vt & idem rectè facit in *l. 2. §. 1. eod.*

Defenditur Accurſij interpretatio ad l. ſi falſo. D. quod falſo tut.

Quod dicitur in *l. 10. D. quod falſo tut.* ſi falſo tutore actum ſit & interea dies actionis exierit, aut res vſucapta ſit, omnia incommoda perinde ſuſtinere debet, ac ſi illo tempore vero tutore autore egiſſet, Accurſius intelligit de pupillo, quòd is videlicet incommoda ſuſtinere debeat, non autem de falſo tutore quaſi diuerſum ſit iudicium quod competat in pupillum ab eo quod in tutorem datur, nempe in pupillũ reſtitutoriam in falſum tutorem actio in factum *l. nouiſſime. D. h. t.* Hæc diſtinctio veriſſima eſt: ſunt tamen qui inter hæc nihil intereſſe affirment, & textũ legis decimæ tantum de falſo tutore, non de pupillo intelligant, moti baſilicorum authoritate: Quare operæpretium mihi facturus videor, ſi euidẽtiſſimis argumentis hunc errorem remouero. Primum eſt in *l. nouiſſimè. §. Pomponius. D. hoc tit.* Vbi clariſſimè appertiſſiméque actio in factũ contra falſum tutorem diſtinguitur a reſtitutorio iudicio, dum ait I.C. in eo iudicio quod nouiſſimè Prætor pollicetur (quod idem poſtea in factum appellatur in *l. huius. hoc tit.*) rationem haberi ſumptuum, quos facturus eſt actor reſtitutorio agendo. Ex quo apparet non ſolùm hæc diuerſa iudicia eſſe, verùm etiam alterum per alterum non conſumi. Etſi enim in factum actione id quod intereſt conſequatur actor, nihilominus tamen ad dominium, vel ius aliud rei ſuæ recuperandum supereſt in integrum reſtitutio, quæ priori parte huius edicti promittitur. In factum enim actio odio falſi tutoris datur, ipſumque factum punit, magis, quàm ſarcit damnum quod actor patitur, (etſi id quod intereſt non excedit) & ideò nec in heredem datur. *l. huius actionis. §. nec in ipſum. hoc tit.*

Secunda differentia inter reſtitutorium iudicium, & in factum actionem, eſt quod in factum actione ſemper requiritur dolus falſi tutoris. *l. 7. §. 2. hoc tit.* At in reſtitutorio non diſtinguitur, ſiue dolo factum ſit falſi tutoris, ſiue non: huic argumẽto cõtrariũ eſt quod dicitur in *l. 1. §. verbis. hoc tit.* Etiam ſi furioſus interuenerit, reſtitutionem dãdam: ſcimus autem furioſum doli capacem non eſſe: hinc eſt quod verba prioris partis edicti ita concepta generaliter proponuntur: Quod eo auctore qui tutor non fuerit, non ſit: quod eo autore, qui dolo malo autor factus dicetur.

Præterea apparet ex *l. pupilli. D. hoc tit.* reſtitutionem in rem fieri, dum ait rem ſuam reſtitui pupillo: quod ſi ſtatuitur neceſſe eſt & hoc ſequi, in heredes eam competere. Actio autem in factum in perſonam eſt, nec in heredes quidem datur *l. huius. §. in factum. D. hoc tit.*

Tertia differentia in eo eſt, quod actio in factum nõ ſolùm datur ei, qui cum pupillo contraxit, ſed & pupillo ipſi in falſum tutorem. Generaliter enim poſterior pars edicti concepta eſt, hoc modo: In eum qui cùm tutor non eſſet, dolo malo autor factus eſſe dicitur, iudicium dabo.

Denique protutore gerens, ſi authoritatem accommodauerit, omninnodò comprehenditur priore parte huius edicti. & *l. 1. §. idem Pomponius. D. hoc tit.* At in actione in factum non omnimodò: in hac enim requiritur dolus, *d. l. 7. §. 2. h. t.* Is autem qui pro tutore negotia gerit, plerunque dolo caret. *l. 1. §. 2. tit. præc.* Poſſum & hoc afferre, quod generaliter initio huius tituli proponitur, æquitatem edicti non ambiguam eſſe, ne contrahentes decipiantur, dum falſus tutor adhibetur. Quæ enim poteſt maior eſſe iniquitas, quam cogi rem ſuam per fraudẽ in alium transferre, cùm tamen manifeſti iuris ſit, neminem inuitum rem ſuam diſtrahere cogendum Et ſi igitur agere cum falſo tutore poſſum ad id quanti res eſt, re tamen mea contra naturam, non cogar carere, cum obligatum in minimo non habeam pupillum, cui obligandi animo rem tradideram.

Ex his conſtare arbitror, duas partes fuiſſe huius edicti (quod & colligi poteſt ex *l. 1. §. ſed Pomponius*: vbi ait, Hanc partem edicti, quaſi & alia eſſet) primam ad reſtitutorium iudicium ſpectans: alteram ad actionem in factum, quo dolus punitur falſi tutoris. Porrò quòd ad l. 10. pertinet, certè longè concinnior eſt Accurſij interpretatio: ſi enim ea velimus de falſo tutore accipere, ſequitur vt teneatur, etiam ſi vero tutorẽ autore geſtum ſit id, quod cum illo geſtum erat, quo nihil abſurdius: dum enim ait perinde eum incommoda ſuſtinere debere, ac ſi illo tempore vero tutore autore egiſſet, conſequens eſt ſi de falſo tutore intelligendum ſit, hunc etiam tunc teneri, quando cum vero tutore, recte rectéque agitur: quo caſu tamen falſo tutore actum nihil dici poteſt. *l. 1. §. ſed Pomponius in fi. D. hoc tit.* Puto tamen neque Accurſium huius §. ſententiam omninò attigiſſe. Iniquum enim foret ſi pupillus incommoda eius rei ſuſtinere deberet, quæ ab ipſo mox auferenda eſſet. Quamobrem malim hunc textum accipere de actore ipſo, ita, vt ipſe interim ſuſtineat incommoda ratione eius rei

quam per reſtitutionem recuperare poteſt. Veluti, ſi, dum à pupillo fundum vindicat, per occaſionem interuenientis falſi tutoris, is captus ſit, actor ſi poſt in integrum reſtituatur, tributum eius fundi nomine tenebitur ſoluere, æquè ac ſi tum verè vindicaſſet, cùm falſi tutoris autoritas interueniret: idem dicendum eſt in aliis omnibus incommoditatibus. Similiter ſi interea dum cum falſo tutore agitur dies actionis exierit, incommoda ad actorem ſpectabunt, ex eo tempore, quo egit cũ falſo tutore. Et ideò ſi ad munera municipalia à certo modo ſubſtantiæ vocetur, ipſe, non pupillus eo nomine onerabitur. *l. Lucius. §. idem reſpondit conſtante. D. ad municip.*

Ad l. 4. D. de excuſationibus tutorum.

In *§. ſi minor. l. 9. de excuſationibus tutorum.* rectè Accurſius ait Iuſtiniani conſtitutione minores non excuſari, ſed prohiberi tutelam aut curam ſuſcipere. *l. vlt. C. de legitimis tutoribus. §. item maior. Inſtit. de excuſationibus.*

Ad l. ſi poſthumus §. quod vulgo. D. de liberis & poſthumis.

In *l. ſi poſthumus. §. quòd vulgò de liberis & poſthumis*, rectè Accurſio diſplicet illa lectio Titius & Mæuius ſubſtitutus ſit. ſcribendum enim eſt, Titio Mæuius ſubſtitutus ſit. & hoc rectè animaduertit Antonius Auguſtinus.

Ad §. idem credendum. l. Gallus. de liberis & poſthumis.

Non obſtat huic *§. §. videndum eiuſdem legis.* Poſt ea enim verba, [ſui heredes ſuccedant] ſubintelligit rectè Accurſius ea verba [Inſtituti ne rumpant.] Nam quod in Florentino exẽplari legi ſcribitur [ſuccedunto,] erroneum eſt: & imperfecta legis verba adducuntur non plena, vt in ſuperioribus §§. factũ vidimus. quamobrem nec perfectus ſenſus vbique ex iis elici poteſt. Hoc etiam ineptum eſt, quòd interpretes in quodam caſu huius legis *pronepoti ſi nepos filio ſuperuixerit*, putant dari bonorum poſſeſſionem. ad quid enim opus eſt bonorum poſſeſſione, cùm vtilius ipſi ſit ab inteſtato ſuccedere? nolenti autem bonorum poſſeſſio nemini competit.

Ad gloſſam quæ eſt in principio l. Gallus. de liberis & poſthumis

Operæpretium eſt explicare quoddam dictum quod Accurſius in hac lege ponit, quod eiuſmodi eſt: [Quanto iuniores, tanto perſpicaciores,] quod ideò ab Accurſio dictum quidam putant, quòd iuuenilis ætas capeſſendæ doctrinæ ſit aptior, & memoria magis fida. Idem ſentit Ariſtot. in Problem. hinc dependet prouerbiale illud apud nos carmen, [Eſto aduocatus iuuenis & medicus ſenex.] Cùm enim iudicium ad aduocatum non pertineat, ſed duntaxat patrocinium, faciliùs ſtudiorum laborem, tótque peruoluendorum voluminum curam iuuenis ſuſtinebit, quàm ſenex: accendet illum & gloria, quam hæc ætas maximè affectat. At in medico ſecùs eſt. Quod enim experientia maximè, & rerum vſu pollere medicum oporteat, ſenectam ætatem plurimum in hac arte pollere, eſt creditum, cùm alioquin imprudentis ſit viri, ſalutem ſuam tyroni credere, qui in tanti momenti re periculum artis ſuæ faciat. Vide Alc. lib. 10. Parer. cap. 21.

Ad l. ſi quis filio §. quòd ſi quis tædio. D. de iniuſto rupto teſtamento.

Exemplum Philoſophorum qui iactationis cauſa perierint in Empedocle, Accurſius rectè ponit. aiunt enim ſeipſum in crateras Ætnæ præcipitem dediſſe, vt pro Deo coleretur. quod ex quorundam ſententia, lib. 8. Diogenes Laertius ſcripſit, cuius rei & Septimius Florus meminit libro qui ad Martyres ſcribitur. & Horatius,

—Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam
Inſiluit.

Ad l. ſed ſi in conditione. §. ſolemus. D. de heredibus inſtituendis.

Qui ſint peregrini, & quid ſit peregrinitas in iure, & apud alios autores, rectè Accurſius peregrinum pro deportato interpretatur.

Vlpianus in *l. ſed ſi in conditione. §. ſolemus. D. de hered. inſtit.* Solemus, inquit dicere media tempora non nocere, puta ciuis Romanus ſcriptus heres, viuo teſtatore factus eſt peregrinus. Vbi Accurſius peregrinum pro deportato interpretatur: idq; ex *l. 1. C. eod. tit.* Verba autem d. l. hæc ſunt, Qui deportantur, ſi heredes ſcribantur, tanquam peregrini capere non poſſunt: ſed hereditas in ea cauſa eſt, in qua eſſet, ſi ſcripti heredes nõ fuiſſent. Potuiſſet etiam Accurſius in hanc ſententiam allegare, *l. ſed ſi hac lege. §. liberos. D. de in ius voc.* his verbis. Sed ſi per pœnam deportationis ad peregrinitatem redactus ſit patronus putat Pomponius eum amiſiſſe honorem. Ego vt concedam, deportatum pro peregrino habendum. Sed non inde ſequitur, peregrinos paſſim in iure pro deportatis accipiendos eſſe. Etenim peregrini vocabulum generale eſſe arbitror, quo continebantur omnes, quicunque ius ciuitatis Romanæ amiſerunt, ſiue id per pœnam deportationis, ſiue alio quocunque modo accidiſſet. Quomodo autem ius Ciuitatis amittatur: tradit Alciat. lib. 1. parerg. cap. 15. Hinc etiam Alciat. cap. 15. eiuſdẽ libri peregrinitatis reum, eum dici, ſcribit, qui falsò pro Ciue Romano ſe geſſit: idque Tranquilli auctoritate in Claudio Peregrinitatis reum, orta inter aduocatos leui contentione, togatum húnc ne, an palleatũ, cauſam dicere oporteret, quaſi æquitatem integram oſtentans, mutare habitum ſæpius: & prout accuſaretur, iuſſit. Idem quoque Tranquillus in Auguſto, peregrinitatis mentionem facit Splẽdidum, inquit, virum, Græciæque Prouinciæ Principẽ verum, Latini ſermonis ignarum non ſolùm albo iudicum eualit (forte legendum eraſit.) ſed etiam in peregrinitatem redegit. Arbitror igitur *in d. l. ſed etſi in conditione. §. ſolemus:* peregrinum accipiendum, quocunque modo ius Ciuitatis Romanæ amiſerit. Nec refert quod in d. l. 1. dicitur, deportatos tanquam peregrinos capere non poſſe. Nõ enim inde ſequitur, peregrinos nullos eſſe, niſi qui deportati ſunt: imò ſi deportati tanquam peregrini ſunt, vt in d. l. 1. dicitur, apparet etiam alios qui deportati non ſunt, peregrinos exiſtere poſſe. Idque oſtẽdit dictio TANQVAM. Hinc fortè à veteribus hoſtes peregrini appellati ſunt, quaſi qui ius Ciuitatis Romanæ non haberent, hoc eſt, qui Ciues non eſſent. Eóque vocabulo veteres tanquam meliori, vti maluerint vt Cicero in officiis ſcribit.

Ad l. Ex facto §. item quæro. D. de vulgari ſubſtitutione

Ad *l. ex facto. §. item quæro. de vulgari ſubſtitutione.* rectè Accurſius notat, ſpeciem temporis detrahere generi: vbi ita facta proponitur ſubſtitutio: Filius meus ſi intra decem annos deceſſerit, Titius heres eſto: ſi intra 14. Mæuius filius octo annorum deceſſerit, atque adeo intra decem & quatuordecim vtrum ſolus Titius, an & Mæuius ex ſubſtitutione cum Titio admittatur, quæri potuit. Et magis eſt in vtroque eorum tempus ſuum ſeparatim ſeruari, niſi contraria voluntas teſtatoris apertè oſtendatur. Species itaque temporis detrahit generi, vt ibi Accurſius rectè notat.

Ad l. ſi tibi §. 1. D. de optione legata.

Rectè Accurſius in *l. ſi tibi. §. 1. de optione legata.* dubitãdo, dicit quid ſint Viriolæ. Dicunt enim, inquit quidam, eſſe vaſa. ipſe verò rectè ſentit eſſe ornamenta muliebria, quoniam Vlp. viriolas inter armillas, inaures, annulóſque cõmemorat. Nam & Scæuola in *l. argumento. §. ornamenta. de auro & argento legato*, lineas inquit duas ex margaritis, & viriolas ex ſmaragdis. vbi Accurſ. non ita rectè explicuit, vt ſ. fecit. viriolas enim ibi pro rotulis accipit, quibus incluſi eſſent ſmaragdi. nam ibi viriolæ lineæ ſunt ex gemmis viridibus.

Ad l. facta. §. ſi vero nominis ad Trebellianum.

Cum enumerandi eſſent caſus quibus apud veteres facilè mutarentur nomina, rectè Acc. vnum exemplum affert, cum quis heres teſtamento ſcriptus, nomen teſtatoris ferre iubebatur, ſi id nomen honeſtum fuiſſet, omnino ferre id heres debuit alioqui, ſi id inhoneſtum eſſet, remittitur talis conditio à prætore, exempli gratia, inquit Accurſ. ſi Veſpertilionis nomen ferre quis grauatus ſit, Veſpertiliones ſunt appellati, qui metu creditorum latitant, & non niſi noctu per ciuitatem oberrant.

Ad l. facta. §. ſi ſub conditione. D. ad SC. Trebellianum.

Veriſſima Accurſij prima interpretatio, quam ita facit vt *ἀνταπόδοσις*, quæ ſubiicitur toti orationi referat ad principium tantum, reliqua tanquam in quadam parentheſi legat. Et ſane ita eſt. nam Iuriſc. cum propoſuiſſet dubitationem: an is heres qui ſuſpectam dicit hereditatem alterius, nempe fideicommiſſarij gratia præter aditionem etiam conditionem Inſtitutioni adſcriptam implere debeat: reſpondet, ſi quidem turpis non ſit, aut valdè difficilis Iubendum parere conditioni heredem. (nam ad turpem aut nimis difficilem, nec alias teneri, ſed ſtatim à prætore eam remittendam ſine dubio eſſe. (& mox rationem ſubuertit, quia abſurdum ſit fideicommiſſario) plus tribui, quàm defunctus voluit, noluit autem niſi impleta conditione, neque hereditatem adiri, neque reſtitui. Quod igitur dicit ab initio remitti, ita intelligendum eſt, etiamſi quæſtio Trebelliani non eſſet, nihilominus remittendum cōditionem & ab initio à morte teſtatoris ſi turpis ſit: quemadmodum iuriſiurandi conditio ex die legati cedente, *l. quæ ſub conditione. §. fin. de conditionibus Inſtitutionum.*

Ad tit. de bonorum poſſeſſionibus.

Optimè Accurſius quem & Bartol. ſecutus eſt, ſenſit: quomodo agnitio bonorum poſſeſſionis litis ordinandæ gratia fieret. ſic enim fieri dixit. Cùm filius emancipatus vel poſthumus alienus, vel quilibet alius cognatus qui iure ciuili excluſus humanitate tamen prætoris admittebatur accuſare teſtamentum volebat, quod facere poterat. *l. Papinianus. §. 1. de inofficioſo teſtamento.* Is prius quoddam ſignum, puta annulum vel quamlibet rem hereditariam petebat, vt ſic à prætore recognitus à iudice quoque ciuili audiretur. Sumpſit Accurſius coniecturam illam ex comœdiis in quibus exhibitione crepundiorum amiſſæ filiæ agnoſcebantur, vt in Ciſtellaria Plauti in Rudente, aliiſq; Poëtis fortè & ex Tragœdia Euripidis Græciſq; auctoribus, apud quos Ægeus filium Theſeū ex gladio & calceis (quos ſub lapide reliquerat, filio cum ad legitimam ætatem perueniſſet ab Æthra vxore iudicandos) cœpit, agnoſcere, quod Ouidius Metamorphoſeon lib. 7. oſtendit.

Ad tit. de adquirenda poſſeſſione.

De poſſeſſione defuncti heredem non continuanda. Et opinio quædam Accurſij aduerſus cæteros defenſa.

Poſſeſſionem defuncti non continuari in heredem, iuris eſt certiſſimi *l. cum heredes. D. de adquir. poſſeſſ. l. fi. Cod. de edict. di. Adr.* quoniam in heredem, id tantum transfunditur, quod eſt hereditatis. *l. omnia. ff. de regulis.* Poſſeſſio autem, hereditatis non eſt. *l. 1. §. Scæuola. ff. ſi quis teſt. lib. eſſe iuſſ. fuer.* Simile eſt in ſacerdotiis, in quibus ſolus titulus dominium transfert. l. ſi tibi abſenti de præb. in 6. Innoc. & Compoſt. in c. cum M. Ferrar. de conſtit. Poſſeſſio autem non, niſi naturaliter apprehendatur. c. cum noſtris. de conceſſ. præb. Excipi ſolent ab hac regula plures caſus. Primus, vſucapionis implementum, ad implendam quippe vſucapionem (ſi tamen medio tempore non ſit ab alio apprehenſa poſſeſſio *l. poſſeſſio. ff. de vſuc.*) non tantum dominium, verumetiam poſſeſſio, quaſi coniunctim in heredem deſcendit. *l. cum miles. vbi Acc. ff. ex quib. cauſ. mai.* Hac, vt opinor, ratione, quod licet poſſeſſio vera & propria, hereditatis non ſit: qualiſqualis tamen eſt in hereditate. *l. gerit. ff. de adq. her.* atqui in heredem, quocunque hereditatis eſt, migrare diximus. *d. l. omnia.* nec diſſimile eſt, quod de hereditate iacente proditum eſt, quæ tametſi poſſidere nihil propriè dicatur, cùm ſit corpus inanimatum, atque ideò furtum ei fieri poſſit. *d. l. 1. §. Scæuola.* ad vſucapionis tamen complementum intelligitur poſſidere. *l. captam. & l. nunquam. §. vacuum. ff. de vſuc.* Acc. filium ſuum rurſus excipit, in quem vult, poſſeſſionē non naturaliter adprehenſam transfundi. Acc. in *l. in ſuis. ff. de lib. & poſthum. & in §. ſed ſui quidem. de hered. qual. & diff.* Cæterum ab Accurſij ſententia, Bartolus & cęteri receſſerunt, in *d. l. cum heredes.* cum enim corpus & animus, in acquirenda poſſeſſione requiratur. poſſeſſio quæ non eſt naturaliter comprehenſa, non poteſt continuata dici, vt idem Accurſ. docuit, in *l. cum miles. ff. ex quib. cauſ. maior.* Et cum poſſeſſio animo & voluntate retineatur: voluntáque morte finem accipiat. *l. 4. ff. locat. l. ſi ita legatum. §. ſi volet ff. de leg. 1.* extincto animo & voluntate, extincta prorſus poſſeſſio cenſeri debet. *l. furtum. §. ſi fund. ff. de vſuc. l. licet. C. de adq. poſſ.* Suitas prætereà, non plus operatur in ſuo, quam vera aditio in extraneo. *l. ſi is qui pro emptore. ff. de vſuc.* atqui aditio acquiſitionem poſſeſſionis non operatur. *d. l. cum heredes.* Denique fictio in iis, quæ facti ſunt, vt in poſſeſſione, locum non habet. *l. denique. cum l. ſeq. ff. quib. ex cauſ. maior.* quod autem filius, mortuo patre poſſidere cenſeatur, non niſi per fictionem dici poteſt. Ego verò ad duo hæc in re animum aduerti. Primùm Acc. in *d. l. in ſuis. & in d. §. ſed & ſui.* non id eloqui, ad quod crebrò citatur, mortuo patre videlicet, continuari poſſeſſionem in filium, ſed tantum velle, vt quemadmodum filius viuo patre dominus quodam modo exiſtimatur: ita, & viuo patre, videatur habere poſſeſſionem, quo verius nihil. *l. 2. §. fi. ff. pro her.* Alterum, poſſe creditā Acc. ſententiam, à reliquorum impugnationibus defendi: continuatio quippe dominij bonorum paternorum, in filium ideò fit, quia filius viuo etiam patre, dominus quodam modo cenſetur. *d. l. in ſuis.* quæ ratio, in poſſeſſionem quoque concludit, quam filij viuo patre pariter habere creduntur. *d. l. 2. §. fi. ff. pro her.* & huic ſententiæ Bald. aſſentiri videtur, in *l. 1. in fi. Cod. de appel.* neque obſtat, quod diximus, voluntatem morte finiri, ideóque poſſeſſionem, quæ animo & voluntate retinetur, poſſeſſoris morte extingui. *l. 4. cum alleg. ff. loca.* Nam filius mortuo patre, non dicitur nouam quærere poſſeſſionem, ſed veterem continuare. *d. l. 2. §. fi. ff. pro her. Bald. c. 1. de comment. inter maſc. & fœm. de bon. in feud.* vnde alibi Accurſ. in *ca. 1. de feud. cog. in feu* filij (inquit) patri ſuccedentes, nihil nouè acquirere, ſed viuo patre, quæſitum capere dicuntur. Non item nos mouerit, quod obiecimus de ſuitate, quæ in ſuo non plus roboris virtutiſque habet, quam aditio in extraneo. *d. l. ſi is qui pro emptore.* hoc enim obtinet, reſpectu acquiſitionis dominij, non etiā poſſeſſionis, vt probatum eſt. Quod autem poſtremo dicebatur fictionem ſuper his, quæ facti ſunt, non fingere: proculdubio verum eſt, ſi factum ſit ab omni iuris effectu ſeiunctum. *d. l. denique. & l. in bello. §. facti. ff. de capt.* Cum finis legis ſit omni caſu circa ea, quæ iuris ſunt, diſponere. *l. cum quem. D. de iud.* At propter aliquem iuris effectum, factum à lege proculdubio fingitur. *l. 1. §. ſi vir. ff. de adq. poſſ. Bar. d. l. ſi is qui. v. qt* veluti lex fingit defunctum apud hoſtes, retro mortuum. *l. in omnib. ff. de capt.* ab hoſtibus reuerſum, ſemper in ciuitate fuiſſe. *§. ſi ab hoſtibus. quib. mod. ius pat. pot.* in vtero exiſtentem, natum eſſe. *l. qui in vtero. ff. de ſtat. hom.* Mortuum pro ſalute patriæ, viuere. *§. filij. de excuſ. tut.* & his ſimilia quæ omnia in facto conſiſtunt: cæterum vt finis aliquis iuris ſequatur. *d. l. 1. §. ſi vir.* & dixi in tractatu fictionis. Excipiunt prætereà nonnulli à reg. noſtra, bona feudalia, quorum poſſeſſionem, non naturaliter etiam apprehenſam, in filium migrare volunt. Bald. *l. cum antiquioribus. col. 6. C. de iur. delib.* Quæ ſententia, tametſi à Iaſ. in *l. ſi ſeruus. C. illo tit.* controuerſa, apud me dubitationem non habet, ſi de filio ſuo loquamur: cum in eum quorumcunque bonorum poſſeſſionem tranſire, iamiam docuerimus. Multò magis igitur feudalium, quorum viuo patre filius inueſtitus fuiſſe intelligitur. Acc. in c. 7. de feud. cog. in feud. Tametſi in hoc regno non magna ſit adhibenda diſtinctio, inter feuda, cæteráq; bona: cùm moribus Galli receperint, vt feuda reliqui patrimonij naturam ſequantur. Io. Fab. in Auth. ingreſſi. C. de ſacr. eccleſ. Guid. Pap. q. 59. dixi latè in *l. filium. C. famil. erc. ſi.* Hæc doctiſſimè obſeruauit Corraſius.

Ad l. commodis, D. de re iudicata.

Rectè Accurſ. interpretatus eſt hoc reſponſum quod ſic ſ[illegible]

habet, commodis præmiorum, inquit Papinianus, quę propter coronas ſacras præſtantur, condemnato placuit interdici, & eam pecuniam iure pignoris in cauſam iudicati capi, hoc eſt, vt placet Accurſio pecunia aliis pignoribus deficientibus capietur ab eo qui ſuperior in Pancratia fuit, victus tamen in foro: non ſi in aliis rebus fieri poſſit executio. *l. ſtipendia. C. de executione rei iudicatæ.* enimuerò dum commoda præmiorum propter coronas præſtari dicit Iuriſconſultus, clarè & apertè monuit pecuniam pro coronis dari ſolitam forſitan voluit Papinianus interdici commodis præmiorum, & eam pecuniam iure pignoris in cauſam iudicati capi, hoc eſt, repetita præcedenti negatione: placuit etiam interdici, ne ea pecunia capiatur, vt fulta iure ſingulari.

Ad tit. de obligationibus & actionibus.

Malè reprehenditur Accurſius à Bartolo in *l. non figura literarum, de obligationibus & actionibus.* Nam cùm dubitatum fuiſſet à Doctoribus, quomodo id reſponſum intelligendum eſſet. Dubitandi cauſa erat, quòd comparatio illa ſcripturæ & vocis non videretur vera, cùm ſtipulatio voce concipi poſſit, ſcriptura non poſſit: rurſus literarum obligatio ſcriptura conficitur, verbis tantùm non conficitur. Accurſ. rectè de literarū obligatione intelligendum putat, & taxatiuam ſubaudit non ſcriptura ſolum, quam ſententiam male Bartolus improbat: & hæc eius ratio, quoniam, inquit, tempore Vlpiani adhuc literarum obligatio inuenta non erat. Ipſe igitur Bartolus de pacto nudo reſponſum accipit, quod æque verbis atque literis concipiebatur, ſed hæc ratio Bartoli aduerſus Accurſium non valet. nam literarum obligationem nemo dubitat etiam Vlpiani tempore fuiſſe. *l. 11. §. Creditum. ſi cert. petat.* Nam reſtrictio ad mutuum, & coarctatio exceptionis non numeratæ pecuniæ à poſterioribus Imperatoribus facta, *Inſtitutionibus, de literarum obligationibus*, non arguit quin ante ea ſpecies obligationis eſſet, quæ nominibus fieri dicebatur. Vnde apud Theophilum, [illegible], Vetuſti nominis in nouum creditum, verbis literiſq; ſolennibus transformatio cuius formæ exemplum ipſe latius proſequitur. Plura vide apud Alciatum.

Ad l. ſtipulatio iſta. D. de verborum obligationibus.

Cùm in hoc libello conſtituiſſemus benedicta Accurſij recenſere, operæpretium duximus etiam deprauata eius loca reſtituere, vt in *l. ſtipulatio illa. §. inter certum. de verborum obligationibus*, ſcriptorum vitio pulcherrimus Accurſij locus deprauatus eſt, & ſic reſtituendus: Cùm lex Pontificum, inquit, iubeat decimas confeſtim ſacerdotibus parochis ſolui, vt in canone, *cum homines. de decimis* 12. q. & can. *reuertimini*, dicitur, rectè dubitauit Accurſius quid in primitiis agrorum eſſet, exiſtimauitque non ſtatim cogendum ſacerdotem, vt eos accipiat, ſed interim nouem ſaltem diebus penes ouem matrem relinquendos agnos, quæ eos alat, quoniam tempus illud repentinum fauore ſacerdotis adiectum eſt. quæ ſententia ſanè æquitati eſt conueniens.

Accurſius rectè cenſet in *l. 3. §. miles. D. de re militari*, arma non impunè ludo amitti.

Ad l. 29. C. de regulis iuris.

Ad hanc legem explicandam Accurſius noſter rectè vndique infinita exempla colligit, quorum primum eſt de ſtipulatione eorum quæ ſtatim dominio noſtro ſubiici nequeunt, licèt aliquando poſtea vt poſſint accidat. nam nihilomagis ex ſtipulatu actioni locum eſſe. *l. inter ſtipulantem. §. ſacram. de verb. oblig.* alterum affert, quod adhuc magis accommodatum eſt, *ex l. ſi eus falſi. C. ad l. Corneliam, de falſis.* Tertium, *ex l. ſi ſeruo. qui & à quibus.* quartum, *ex l. cætera. de legat. 2.* quintum, idque non omnino alienum et §. *præterea. Inſtit. qui teſtamenta facere non poſſunt.* Sextum, *ex l. 1. de regula Catoniana.* quæ omnis exempla ſanè ſunt accommodatiſſima, ſed vnum fuit ab eo prætermiſſum, quod huc magis pertinebat ex *l. quo tutela. §. vlt. hoc tit.* quod eſt eiuſmodi: Nec paciſcendo, nec legem dicendo, nec ſtipulando quiſquam alteri cauere poteſt, heredi poteſt. Ergo pactum vitioſum eſt, & inutile, per quod alteri caueo, puta ne ab hoc petatur, idque adeò, vt etſi poſtea mihi ſucceſſor extiterit, ei non proſit: quia ex poſtfacto id confirmari non poteſt. *l. ſi tibi decem. §. ſi pactus ſim. de pactis.*

Ad l. 82. de Regulis Iuris.

Notandum complures eſſe caſus, in quibus donare quis dicitur, ſed καταχρηστικῶς, & minùs impropriè: id quod bonum Accurſium non latuit. proponit enim ibi illos caſus.

Ad l. 88 eodem.

Optimè Accurſius cenſuit ex *l. ſi pupillus. de verb. oblig.* exemplum huic regulæ noſtræ aſſigendum eſſe, præſertim cùm & inſcriptiones, & oppoſita vtroque in loco eiuſdem authoris verba id exigant.

Ad *l. 92. de reg. iur.* quæcunque Accurſius dicit, ea non ſunt reiicienda, ſed retinenda. Placentinus eandem legem eleganter explicat.

Ad l. 92. de Regulis Iuris.

Rectè Accurſius exiſtimat quod hîc dicitur, errorem à librario in exſcribenda ſtipulatione commiſſum non nocere, id non modò in cæteris contractibus, ſed & in teſtamentis, & iudiciorum actis, & aliis quibuſcunque cauſis obtinere, meritò ibi notat Accurſius.

Ad ſpeciem ſecundam l. 123. rectè Accurſius & Placentinus affingit ſpeciem ex *l. obſeruare. de officio proconſulis.* Rectè etiā Placentinus & Accurſius ex *l. etiam. §. ſed ſi quis ſciens. de petitione hereditatis.* petunt interpretationem legis 126. hoc tit.

Ad l. 205.

Ad illum locum huius *l.* *Et alienare.* rectè Accurſius poſt Placentinum monet addendum eſſe, cùm ſua ſcilicet cauſa ex *l. ſi debitor facit, & l. debitorem. C. de diſtractione pignoris.* Nam *l. alienatio. de contrahenda emptione*, dicitur alienationem fieri, cùm ſua cauſa dominium ad alium trāſferimus, quæ eſſet futura ſi apud nos ea res manſiſſet, idq; toto iure ciuili ita ſe habet.

Ad l. 32. de Regulis iuris.

Quòd hîc traditur, pro nullis haberi ſeruos, non perpetuò id locum habet, vt ex iis apparet, quæ rectè hoc loco annotauit Accurſius. ſed plerunque tamen verum eſt. Itaque accipiēdum eſt quod Vlpianus li. 4. ad l. Iuliam & Papiam ſcribit lege antepenultima, hoc titulo ferè, id eſt, plerunque nos mortalitati ſeruitutem comparare.

In l. 34. idem Accurſius ex voce *Cæteris*, vbi dicitur [Semper in ſtipulationibus & cæteris contractibus] rectè annotat ex hoc loco & ex *l. ſi donationis, C. quod metus cauſa*, colligit idem ſtipulationem eſſe contractum. Strictus verò huiuſmodi contractus eſt introductus, videlicet aliarum obligationum firmandarum gratia, vt Paulus docet in libris ſententiarum.

Ad l. 31. rectè non prætermiſit Accurſius, *l. ſi ita quis ſtipulatus. de euictionibus.* quæ multùm facit ad intelligentiam illius legis, & eſt deſumpta ex eodem libro 42. ad Sabinum, ex quo hæc eadem deſumpta eſt.

Ad l. Nihil aliud. D. de verborum ſignif.

Hereditatem à M. Cicerone aliter quàm à Iureconſultis definiri: vtramque tamen definitionem defendi poſſe contra communem opinionem.

Hereditatem Cicero in Topic. ſic definit: Vt hæreditas ſit pecunia, quæ morte alicuius ad quempiam peruenit iure: nec ea aut legata teſtamento, aut poſſeſſione retenta. Dicet aliquis, hereditatem non rectè à Cicerone definiri, vt ſit pecunia,

cùm

cùm hereditas præter pecuniam, alias quoque res contineat, *l. item videndum. §. fin. l. item veniunt. in princ. D. de petitio. hered.* Cui reſpondeo, pecuniæ nomine non ſolùm pecuniam numeratam, ſed omnes res tam ſoli, quàm mobiles : & tam corpora, quàm iura comprehendi. *l. pecuniæ. 2. D. de verb. ſign.* Sed rurſus obſtat Ciceronianæ definitioni, quod Iuriſc. *in l. nihil aliud. D. de verb. ſignif.* hereditatem definit eſſe ſucceſſionem in vniuerſum ius, quod defunctus habuit. At Cicero in ſua definitione, hereditatem ait eſſe pecuniam. Aliud autem eſt pecunia, aliud ſucceſſio. Verùm ſciendùm eſt, varias eſſe apud Dialecticos definiendi ſpecies. Aliæ enim ſunt definitiones eſſentiæ, ſeu ſubſtantiæ, quæ ex genere & differentia conſtant, Bartol. in *l. 1. D. de teſt. Iaſ. in l. 1. in pr. col. 5. D. de adq. poſſ. Decius in l. omnis definitio. D. de reg. iur.* Et talis eſt Iuriſconſulti definitio in *d. l. nihil aliud.* Aliæ deinde ſunt definitiones cauſales. Et hæ vel à materia, vel à forma, vel ab efficiente, vel à fine ſumuntur: quod Dialectici docent. Inter quas definitiones Ciceronis definitio habenda eſt. Is enim definitionem hereditatis à cauſa materiali, nempe à pecunia, hoc eſt, à rebus hereditariis ſumpſit. Et hoc modo vtraque definitio defendi poteſt.

Ad rubricam Cod. nemini licere ſignum ſaluatoris.

Rubricam C. nem. lic. ſign. ſaluat. Chriſti humi. vel in ſil. vel in marm. aut ſculp. aut ping. rectè ab Accurſio declaratam.

Extat Rubr. Cod. nemini licere ſignum Saluatoris Chriſti, humi, vel in ſilice, vel in marmore, aut ſculpere, aut pingere : vbi Accurſius ſignum Chriſti, pro ſigno Crucis interpretatur. Et rectè quidem. Nam & veteres ſcriptores ſignum Domini noſtri Ieſu Chriſti, pro Crucis imagine, acceperunt. Ex quibus, loca aliquod à Theologis annotata, recenſebo. D. Auguſtinus tract. in Ioannem Euangeliſt. Quid eſt, quod omnes nouerunt, ſignum Chriſti, niſi Crux Chriſti? Idem Auguſtinus ſuper Pſal. 69. ſuppoſitis Regum frontibus, ſigno Chriſti. Ibidē in fronte portantes ſignum Crucis. Clemens libr. 6. Stromat. Dominici ſigni typum Tauta dicunt. Quod ad figuram attinet eſſe elementum, ſignificans trecentos, &c. Poſſem plura quoque adferre loca, ſed ſatis erit Iuſtiniani Imp. verba ex §. *illud igitur. in auth. de monach.* hic adſcribere: Illud igitur, inquit, ante omnia dicendum eſt, vt in omni tempore, & in omni terra, ſi quis ædificare venerabile Monaſterium voluerit: non prius licentiam eſſe agendi: quàm Deo amabilem locorum Epiſcopum aduocet, vt ille manus extendat ad Cœlum, & per orationem locum conſecret Deo, figens in eo ſalutis noſtræ ſignum (dicimus autem adorandam, & honorandam verè crucem.) ſicque inchoet ædificium: bonum vtique quoddam hoc, & decens fundamentum ponens. Hactenus Iuſtiniani Imper. conſtitutio. Ex qua ſatis apparet ſignum Chriſti nihil aliud, quàm crucem Chriſti eſſe. Cæterum de ſigno Crucis, alibi quoque in iure fit mentio. Nam Iuſt. Imp. in Auth. *de ſanct. epiſco. §. presbyteri.* honorandas, inquit, cruces, cum quibus in letaniis ingrediuntur. Crucis etiam mentio fit in *l. ſcimus. Cod. de iur. delib.* vbi Iuſtinianus Imp. ſic ſcribit: Vel ſi ignarus ſit literarum, vel ſcribere præpeditur, ſpeciali tabulario, ad hoc ſolum adhibendo, vt pro eo literas ſupponat; venerabili ſigno Crucis, anteà manu heredis, præpoſito, &c.

Ad l. accuſationis. C. quod metu cauſa.

Rectiſſimè Accurſius in *l. accuſationis. C. quod metus cauſa.* tradit ſolum iudicem eſſe legis miniſtrum, non priuatos homines, cuius dicto conſentit *l. non eſt ſingulis. D. de reg. iur.*

Ad l. 1. C. de vſuris.

Cur in ſtipulatione contrahendâ neceſſe ſit, vt interrogatio reſponſionem præcedat: vulgata interpretum ratio, Plauti authoritate defenſa, contra quorundam calumniam.

Si in ſtipulatione contrahenda, interrogatio reſponſionem non præcedat, non valet ſtipulatio. *l. 1. C. de vſur. l. obligamur. §. 1. D. de act. & obl. §. ſi ita ſcriptum. Inſt. de inutil. ſtip.* ſed quæ eſt eius rei ratio? Et Bart. in *l. 1. §. ſi quis ſimpliciter. D. de verbor. obl.* cæterique Doctores in Rubr. *D. eod.* rationem eſſe aiunt: quia ſtipulator certus eſſe non poſſet, an promiſſor obligandi animo reſponderet, niſi prius interrogatus eſſet. Et ſi verò Andreas Alciatus lib. 2. paradox. cap. 19. hanc rationem impugnare conatur, ego tamen ex vetuſtiſſimo Comicorum Plauto, eā defendi poſſe arbitror. Apud eum enim Pſeudolus ſtipulaturus hanc rationem aſſerere videtur, cùm ſic ait : Roga me, vt me effecturum tibi, quod promiſi, ſcias. Tunc Calidorus: Dabis ne, inquit, argenti mihi hodie viginti minas? Reſpondet Pſeudolus, dabuntur. Erunt fortaſſis, qui Plauti authoritatem in legibus noſtris interpretandis non admittent. Atqui veteres Iuriſconſulti Poetarum teſtimonio ſæpè vſi ſunt. *l. 1. D. de mortis cauſa donation. cum concord. apud Doct. in l. 1. ff. ſi cert. pet.*

Ad l. 1. & 2. C. communia de legatis & fideicommiſſis, defenſa communis Doctorum opinio, aduerſus calumniatores.

Fideicommiſſa iure Digeſtorum non officio iudicis, ſed iure actionis exigi ſolita, pro communi opinione: & de intellectu. l. pecuniæ. §. actionis. D. de verbor. ſign.

Iuſtinianus Imp. in *l. 1. & l. 2. C. commun. de leg. & fid.* conſtituit, fideicommiſſa iure actionis vendicari debere. Sed dubitatum eſt, quo iure fideicommiſſa, ante Iuſtiniani Imp. conſtitutionem, peti ſolita ſint, actionéne, an officio iudicis? Et Bart. Alex. cæterique penè omnes doctores in *l. 1. D. de leg. 1.* actione peti ſolita tradunt. *l. ſi alienum ſeruum. ff. de leg. 2. l. à patre. D. de leg. 3.* cum concor. Sed hoc nonnulli, in *d. l. 1. & And. Al. in l. pecuniæ verbum. §. actionis. D. de verb. ſign* improbant. Cùm enim Iuriſc. in *d. § actionis.* Fideicommiſſa extraordinario iure peti aſſerat: conſequens eſſe putant, officio iudicis Fideicommiſſa tum temporis peti ſolita fuiſſe. Ego autem communem Doct. opinionem ſequi malim. Nec me mouet, quod in *d. §. actionis,* dicitur. Fideicommiſſa extraordinario iure peti poſſe. Aliud enim eſt officium iudicis, aliud extraordinaria actio. Quod & ſuprà cap. 31. à me oſtenſum eſt. Sicque ego hanc obiectionem diſſolui debere arbitror, tametſi Alexander & Io. Franciſcus de S. Nazario in dicta l. 1. alias effugiendi latebras quæſierint.

Rectè Accurſius in l. quamuis. C. de fideicomm. argumentatur ex iis quæ expreſſa ſunt ad ea quæ expreſſa non ſunt.

Municipij lex, eum, qui proſcriptis loquitur, puniens, ſcribentem etiam ex iuſta cauſa comprehendit.

Cùm per nuntium aut epiſtolam quis propriè non loquatur. *l. mulier ad ſororem. D. de legatis ſecundo.* Bartol. & alij permulti, in *l. 1. D. de verb. oblig. & l. 1. D. de legib.* tradiderunt, legem municipij, cum proſcriptis quos nunc bannitos vocamus loquentem, puniens, admittentes nuncium, vel epiſtolam, non extendi. Etenim prohibitus à lege actum facere, ſi per nuntium faciat, legem non offendit: vnde legis pœna coercendus non eſt. *l. quod ſæpè. §. ſi quis amico. D. de adq. poſſ.* Idem quoque ſi ſcripto faciat. nam nec doctor cui poſtulatio interdicta eſt, conſilium de ſcripto præſtare prohibitus intelligi debet. Bart. *l. Paulus. §. fin. D. de legat.* Sed Lud. Rom. *l. 1. D. de verbor. oblig.* & ſcribentes, & nuntium mittentes, comprehendi rectius, vt mea fert ſententia, docuit: cùm in iis eadem quæ in loquentibus ſit ratio, ex qua tametſi in lege expreſſa non ſit, quia tamen vnica reddi poteſt, proculdubio argumentamur. Accur. *l. quamuis. C. de fid.* Alia autem ratione cum huiuſmodi hominibus non poteſt dici vetitum colloquium, quàm ne aduerſus rē publicam, cuius proſcripti, transfugæ, & alij id genus homines hoſtes ſunt perpetui. *l. 3. §. fi. D. ad l. Cornel. de ſicar.* aliquid flagitioſi homines moliantur. Ex hac igitur ratione producenda eſt, & declaranda legis municipalis diſpoſitio. *l. milites agrum, D. de re milit. l. his ſolis. C. de reu. don.* neque enim leges tam in verborum forma, quàm in ratione conſiſtunt. *l. ſcire le-*

gis.D.de legibus. cum igitur coniurationes, & celeratiſſimæ hoſtium conſpirationes, per nuntium, aut etiam epiſtolam fieri poſſint in ſcribentem etiam aut nuntium mittentem, ex lege municipij, animaduertendum erit. Nam & clericus qui matronarum domicilia intrare, & fœminas alloqui prohibetur, ſi nuntium aut epiſtolam mandet, deponitur. c. clericus. 81. diſt. Et prohibitus cum cardinalibus in conclaui loqui, interdictus quoque intelligitur literas ſcribere. *cap. vbi periculum. §. nulli. de elect. in 6.* Quamquam autem ratio ſtatuti in loquente maior videatur, propterea quòd multa ſint, quæ nec nuntio, nec literæ credere audeamus, non tamen ideo ceſſabit extenſio. *l. 2. §. ex his. vbi Socin. in princ. ff. de verb. oblig.* maximè cum verſetur fauor Reipublicæ. *l. ſi quis in graui. §. vtrum. D. ad Sillanian.* Cæterum bona fide & ex cauſa iuſta ſcribentes, vel etiam nũtium mittentes, exiſtimat Socinus in *dicta l. 1. D. de verb. oblig.* ſtatuto non contineri, cùm Iul. Paul. dixerit eum duntaxat numero hoſtium habendum eſſe, qui malo conſilio, & proditoris animo patriam relinquit. *l. poſtliminium. §. transfugæ. ff. de capt.* Nec habet Socin. contradicentem, cùm mens legis ea non ſit, vt puniatur qui dolo non delinquit. *l. cùm autem. §. capitalem. D. de ædil. edict.* vt quæ ex voluntate, & propoſito, delicta metiatur. *l. verum. D. de furt.* Propterea legimus, mulierem quandam, quæ amatorio populo hominem occiderat, ab Areopagitis abſolutam, delictum ex animo duntaxat iudicantes, quia amoris cauſa fecerat. nos vltimo ſupplicio dantem afficeremus. *l. ſi quis aliquid. §. qui abortionis. D. de pœn.* Verum enimuerò quandoque publicè defendimus, ex iuſtiſſima etiam cauſa ſcribentes, aut nuntium mittentes, ſtatuti pœna afficiendus: cùm lex verbis delictum exprimentibus non vtatur, ſed merum & nudum factum puniat. Vnde illud tantum inquirendum eſt, an factum ſit, non quomodo. *l. cùm ſeruus. D. de verb. oblig.* Et hæc lex eſt, cui qui non obedierit, morte dignus eſt. 1. Reg. 13. c. 2. de maior. & obed. tametſi res fraude geſta non ſit, ſed bene & aliquo Reip. commodo ceſſerit. Quocirca Heren. Modeſt. *l. 3. §. in bello. D. de re. milit.* eum qui in bello rem à duce prohibitam fecit, aut mandata non ſeruauit, capite puniri voluit, etiam ſi res bene ceſſerit. idcirco laudatur Titus Manlius Torquatus, qui, cùm eſſet Conſul, filium ab eo ſpeculatum hoſtes miſſum, ea lege ne pugnaret, ſecuri percuſſit, quòd hoſtem, à quo tamen prouocatus fuerat, occidiſſet. Laudauit item Cyrus magnopere militem, qui cùm in acie ſtrictum iam enſem in hoſtem eſſet infixurus, audito interim claſſico receptui, ictum cohibuit, intactum hoſtem dimittens. Iuuerit etiam prædicta & ſententiam noſtram, præclarum L. Domitij factum: Is cùm Prætor Siciliam regeret, & ad exturbanda latrocinia, quib. prouincia vaſtabatur, edixiſſet, nequis telum haberet: paſtor venabulo aprum magnitudinis eximiæ confodit, apérque ad prætorem adlatus eſt, qui ſtatim adduci ad ſe paſtorem, cuius manu occiſus erat, iuſſit, eundémque veritate cognita, crucifixit: non propter confoſſum, & interemptum aprum: ſed quia mandatis minimè obediens fuiſſet, vt qui telum habuiſſet. Hæc doctiſſimus Cortaſius obſeruauit, apud quem plura videre poteris.

Ad l. 2. Cod. de debitoribus ciuitatum.

Rectè monet Accurſius nullum hac conſtitutione ius pignoris datum ciuitatibus alioqui iſti, ad quos venerunt bona debitoris non pro portione ſua quiſque, nec demum poſt debitoris inopiam, ſed ſtatim & ad ſolidum hypothecæ nomine tenerentur.

Ad titulum Cod. de dotis promiſſione.

Commodè hic quærit Accurſius, an idem in extraneo dicendum ſit, qui cùm curator aut negotiorum geſtor eſſet, puellæ dotem ei promittit, & bene reſpondet de bonis filiæ, non de ſuo promiſiſſe videri. Quod etiam probat ex iis quæ dicit Paulus. *l. cum poſt. de adminiſtratione tutor.* Quidam cùm eſſet fratris ſui filiæ curator quadringenta dotis nomine, marito eius ſe daturum promiſit: quæro an ſuccurrendum ſit ei, cùm poſtea ære alieno emergente ſupra vires patrimonio eius dos promiſſa ſit, quoniam in inſtrumento ita ſcriptum ſit, ille patruus & curator ſtipulanti ſpopondit. Mouet quæſtionem quod non vt de ſuo dotem diceret, ſed cum crederet rationem pupillarem ſufficere promiſerit. Hic apparet non videri de ſuo dediſſe tutorem, qui ſimpliciter dotem dixit.

Ad l. vnicam. Cod. de ſequeſtratione pecuniæ.

Rectè Accurſius in *l. vnica. C. de ſequeſt. pecun.* excipit, nonnullos caſus, in quibus etiam ſi ex contractu, res petatur ſpecialem ob rationem ſequeſtrationis neceſſitas iudici poteſt, vt cùm fugæ ſuſpectus eſt reus, aliáſque non abſimiles ob cauſas, quas ex Accurſio dignoſcere quiuis poterit.

Ad Authenticam maximis. C. de nuptiis.

Quod in hac Authentica ſtatuitur viros à maximis dignitatibus, vſque ad omnes illuſtres aliquid facere poſſe vel non poſſe, rectiſſimè Accurſius deſcenſiuè & incluſiuè accipiendũ eſſe tradit. Quo fit vt non vera eſſe antiquorum ſententia videatur, quoſdam eſſe ſupra illuſtres, qui tamen non ſuperilluſtres appellentur. Nam quod Malentini & Theod. conſtitutione legebatur, ſuperilluſtris, eo loco eſt cognitio præfecturæ, *l. pen. C. de offic. præfec. prætorio.* quo loco rectè ab Haloandro correctum eſſe videtur, & repoſitum ſemper illuſtris.

Ad l. fin. C. de dote promiſſa.

Rectè Accurſius Bartolúſq; negauerunt teneri patremfamilias filiam aduentitio ſuo peculio diuitem dotare, & contra, malè alij de bonis paternis dotandam affirmarunt. quoniam inquiunt, id ad officium paternum pertinere, lex ait, quæ eſt *l. fin. Cod. de dote promiſſa.* ſed hæc ipſa ratio contra eos facit, cùm quæ officij ſunt minimè ad obligationis neceſſitatem pertineant. *argum. l. in commodato. §. ſicut. D. commodati.* vbi Paulus ait, voluntatis & officij magis quàm neceſſitatis eſſe commodare.

Ad l. 1. C. de raptu virginum.

Merita notauit Accurſius in *l. 1. C. de raptu virg.* pœnam raptus in muliere locum ſibi vendicare, ſi aliquando adoleſcentem rapuerit. Vitruuius libro 2. cap. 8. fabuloſum putat, quod aiunt Salmacidis fontem, eos qui biberint effœminare.

Ad l. 1. & 2. C. de veſtib. olob.

Ex l. 1. & 2. *C. de veſtib. olob. lib.* 11. verum eſt quod elicit Acc. viriles ſericas veſtes prohiberi iure, non muliebres. Huic enim ſerui delicatiores magis conueniunt. *l. vnic. §. nulli. C. nulli liceat in frenis. eod. lib.* 11. Iulius S. Solinus in Polyhiſtore cap. 53. atteſtatur. Seres vellera ex arboribus aquæ adminiculo carpere: hoc, inquit eſt Sericum in vſum publicum damno ſeueritatis admiſſum, & quo oſtentare potius corpora quàm veſtire, primò fœminis, nunc etiam viris perſuaſit luxuriæ libido. Grauis hic author confirmat opinionem Accurſij veram eſſe, verum notandum amplius interdictum eſſe mulieribus ne ſerico purpureo paſſim vtũtur propter eximium colorem principe ſolo dignum. *l. pen. C. de veſtib. olob.* Sericum vſus loquendi magiſter vocat, quod Verniculi, Mori, foliis enutriti nent, vt Accurſius aut quis alius ait in *l. plenum. ſuper verbo foliis. D. de vſu & habitat.* quamuis parum aptè ei loco conueniat, cùm ibi nihil de Serico dicatur.

Ad §. ſunt autem Inſt. de bon. poſſeſſ.

Ad *§. ſunt autem. Inſt. de bon. poſſ.* rectè admonet Accurſius ordinem verborum edicti, non autem ſucceſſionis ſequi Iuſtinianum. videntur enim potiora fuiſſe ſtirpis quàm gentis iura.

Ad §. vlt. Inſtit. qui tutores teſtam. dari poſſint.

Quod illa lex ait, liberos de poſthumis accipiendum eſſe, non

non malè niſi fallor, Accurſius præterquam quòd diffidenter exiſtimat, vt poſthumorum appellatione, non modò filij, ſed & nepotes ac pronepotes, ac cæteri denique liberi poſthumi contineantur. qui tamen ex teſtamento parentis, non aliter tutorem habituri ſunt, quam ſi poſt mortem teſtatoris editos nemo antecedat, licet excluſos ab hereditate alio extraneo hærede inſtituto.

Ad titulum Inſtit. de actionibus in principio.

Quomodo gloſ. Inſtit. de actionibus in princ. in verbo ſupereſt, intelligenda ſit.

Cum Iuſtinianus Imp. Inſtit. de action. in princip. diceret Supereſt vt de actionibus loquamur: Quærit gloſſ. quid ſupereſt? & reſpondet forma, ſed dubitatum eſt, quidnam gloſſ. his verbis ſignificare voluerit. Et refert Gomeſius illic duos intellectus: Primus eſt, vt forma pro actione intelligatur: idque ex ſententia Vltramontanorum, qui dicebant actionem facti eſſe, id eſt, formulam verborum: quaſi gloſſ. dicere voluiſſet formam, id eſt, formulas actionum ſupereſſe. Sed hanc interpretationem ipſemet Gomeſius improbat. Itaque formam alio modo, nimirum pro fine interpretatur. Nam cùm Imp. *d. §. fin. de action.* vltimo loco tractare propoſuerit: reſtat nunc vt formam, id eſt, finem tractatus faciam. Sed hæc quoque interpretatio à verbis nimium aliena eſt. Ego igitur arbitror, quod olim neſcio à quo audiuiſſe videor, hanc glo. aliter intelligendam eſſe: vt vox forma non nomen ſit, ſed verbum imperatiui modi. Quaſi gloſſ. diceret, forma, id eſt, in formam redige, id quod dicitur in *§. final. de iure natur. gent. & ciuil.* Nam in *d. §. final.* dicitur, omne ius quo vtimur, vel ad perſonas pertinere, vel ad res, vel ad actiones. Cùm ergo à prædicto titulo vſque ad titul. de rerum diuiſio. de perſonis dictum ſit, ab illo autem titulo, vſque ad titulum de actionib. de rebus: ideò iam ſupereſt, hoc eſt, reſtat, vt de actionibus loquamur.

Ad §. actionum Inſt. de actionibus.

Rectè Accurſius in hoc §. ait, in actionibus bonæ fidei venire ea, de quibus neque actum neque cogitatum eſt. Ratio quoniam ſicut bonum & æquum de non ſcripto venit, ſic de non ſcripto vel non dicto iudicat.

Iucunda quædam diſputatio, in qua Accurſius defenditur.

Quòd rectè ſcripſerit Accurſius in titulo de origine iuris, cap. 2. per ſapientis & ſtulti diſputationem, leges Romanis traditas fuiſſe.

Exactis & eiectis vrbe Roma Regibus, pop. Romanus incerto magis iure & conſuetudine aliqua viginti propè annos vſus eſt, quam perlata lege. Regum enim leges vnà cum ſuis authoribus ceſſerant, & exoleuerant. Sed ne hoc diu Reſp. pateretur, placuit publica authoritate decemuiros conſtitui, per quos a Græcis ciuitatib. Solonis leges peterentur, vt Pomponius Iuriſc. ſcriptum reliquit, vel ſaltem petitæ, per eos tandem concinnarentur, ruſúſq; ciuitas fundaretur legibus. Ante tamen quàm hoc fieret (inquit Accurſius) miſerunt Græci Romã ſapientem quendam, qui exploraret an Romani legibus ſanctiſſimis digni eſſent. Contrà verò Romani ſtultum prorſus hominem elegerunt, qui cum Græcorum legato diſputationẽ iniret, vt ſi vinceretur, id factum ioco atque per ludum omnes ducerent. Poſtquam ad vrbem venit ſapiens, nutu quominus diſputare cœpit, ac primò vnum efferre digitum, indicem putà, vnicum eſſe Deum eo geſtu ſignificans. Stultus inde coniecturam fecit, quaſi vellet ſapiens ille alterum oculorum ei digito effodere: Quare, velut laceſſitus, duos digitos ſuſtulit, & ſimul, vt naturaliter aſſolet, pollicem, ita perniciem minitans ambobus Græci oculis. At Græcus tribus digitis à ſtulto elatis, Trinitatem (hoc verbo vti conuenit) innui ſuſpicatus eſt, ac protinus ſupinam & apertam manum oſtendit, vt declararet omnia nuda & aperta Deo eſſe. Tum ſtultus apud ſe tacitus, Hic homo, inquit, vt eſt procax, as mihi, niſi cauero, depalmabit: proinde manum audacter comprimens, pugnum fecit, Græcum ſtrenuè repercuſſurus, qui omnia Dei manu claudi benignè interpretatus eſt, & cùm Romanos Græcorum legibus digniſſimos ſenſiſſet, diſceſſit. Hoc modò Accurſius lepidam ac vehementem ſapientis cum inſano, quem ſtultum appellat, diſceptationem ſcripſit, quam vel credidiſſe ipſum vel ſperaſſe cuiquam perſuaderi poſſe multi mirantur: & qui Accurſio plurimum fauent, eum iocari exiſtimant: ſed hi perquam pauci ſunt. nam pluribus tam malus hiſtoriæ ſcriptor videtur, quàm diuinator egregius. Ego, ſi potero, Accurſium id verè nedum ſeriò dixiſſe contendam, atque forſitan perſuadebo: & quò magis fidem accipiat narratio, nonnullas rationes veriſimiles ſubiungam, vel ad hoc ipſum vt pariter rideatur, quia nonnunquam periculum periculo redimi ſolet.

Miſerunt igitur (vt ille ait) ſapientem Græci exploraturum, an dignos legib. Romanos crederet. Sapientem hunc Pythagoreum fuiſſe veriſimilius eſt, quàm vt honeſtè negari poſſit. Nam Pythagoras Tarquinij Superbi vltimi Romanorum Regis tempore floruit, ob id regno eiecti, quòd Sextus filius Lucretiæ matronæ pudiciſſimæ vi ſtuprum intuliſſet. Verùm eo tempore nemo doctus, nemo ſapiens habitus eſt, niſi qui Pythagoræ fuiſſet diſcipulus, vt refert M. Tullius lib. 4. Tuſculanarum quæſt. Ideóque cum vigeſimo poſt exactos Reges anno hæc contentio nutu peracta ſit; quis non admittet Pythagoreum aliquem electum fuiſſe, cúmq; ſilentio multa de ſummo Deo præclara dixiſſe? Pythagoreis enim omnibus ſilentiũ adeò gratum extitit, vt illud venerit in prouerbium: [illegible] ἔσομαι τῶν Πυθαγόρᾳ τελεσθέντων, id eſt taciturnior ero his, qui Pythagoræ initiati ſunt. Quòd ſi alicubi decuit ſilentium, tum ibi præſertim, vbi de Deo agitur: vnde Ægyptij Mercurium quartum Nilo patre natum non nominabant religionis cauſa, vt ſcribit Cicero lib. 3. de Natura Deorum: nec Romani Deum illum, cuius ſub nomine vrbs præcipuè conſiſteret, teſte Macrob. libro 3. cap. 9. & Zeno Philoſophus ſapientiâ clarus, legatos Antigoni Regis ob graue negotium Athenas miſſos ſolus ſilentio excipit, dicens difficillimum omnium eſſe retinere ſermonem. Romani, quemadmodum iam dictum eſt, ſtultum diſputationi præfecerunt, qui tamen ſeriò rem pertractauit, vt verum ſit quod Æſchilus ait in Tragædia:

Πολλάκι τοι ἠ μωρὸς ἀνὴρ κατακαίριον εἶπε.

id eſt,

Sæpe etiam ſtultus vir opportuna dixit.

ἠ μωρὸς enim legit D. Eraſmus, non *κηπωρὸς*. Nihil ſecus fecit is, de quo ſcripſit Suetonius, qui cùm parum mente conſtaret in Pompeium & Cæſarem dixerit, Salue rex, ſalue regina, cùm ille regnum affectaſſe diceretur, hic Nicomedi regi pro vxore fuiſſe. Denique, qui olim præſagibant & diuinabant, furorem & inſaniam ſibi concitabant. Hinc apud Virgil. 6. Æneid. bacchatur vates, hoc eſt, furere incipit. Sane cur Romani ſtultum cum ſapiente legato commiſerint, eam cauſam fuiſſe arbitror, vt Græcorum faſtum notarent, qui leges publicas non antè Romanis conceſſerint, quam perquiſiuiſſent an hi digni eſſent legibus: quod & arrogantiæ & temeritatis plenum erat. Nam ſi pop. Rom. benè vtcunque moribus inſtitutus erat, num indignus erat legibus? ſin improbus, multo magis legibus egebat, cùm propter malos leges plurimum editæ ſunt. planè Græcos non ſatis rectè de Romanis ſenſiſſe queritur. M. Cato in fragmento originum. Tam, inquit, impudenti iactantia Græci efferuntur, vt a ſe ortam Italiam & eam ſpuriam ac nouitiam fabulentur. Idcirco legibus eam indignam ducebant, licet parum conſideratè, vt admonui. Iam velut in Theatro, actus & contentionem ſapientis ac ſtulti videamus. Digitum effert ſapiens Deum vnum demonſtraturus, quia *μονὰς*, id eſt, vnitas Deo maximè conuenit, cùm ſit diuiſionis expers, numerorum fons & origo, mas & fœmina, vt philoſophis placet: eadem fabricatori Deo dicata eſt, ſicut Trias idearum formis, vt ait Martianus Capella in li. de Arithmetica. Non omitto quod D. Baſilius aduerſus Eunomium annotauit Lucam in Euangelio dicere: Si autem ego in digito Dei, dæmonia eiicio. Inſuper, digitum attollere approbationis eſt. Tullius lib. in Verre 6. Accurrunt, inquit, tutores, digitum tollit Iunius patruus, hoc eſt, negotium probat. Nec huic ſapienti obeſſe potuit, quod

dicit Paræmia, μώρῳ δάκτυλον μὴ δείξῃς, id eſt, amenti digitum ne oſtenderis, quia hoc verbum aliò reſpicit, nempe eò, ne quicquam quantumuis puſillum ſtulto credamus, ne peius faciat. Præterea, Romanus hic ſtultus ſanæ mentis videri poterat, cùm eſſet in conſpectu inumbratæ quietis, vt Celſi Iuriſc. verbis vtar, ideò vel ſapientiſſimos fallere potuiſſet, potiſſimũ digitum leuans, quia concinnius Deum Opt. Max. deſignare non poterat, cum pulchrum ſit digito monſtrari, vt ait Perſius: & Martialis, Monſtramur digito, id eſt, in pretio ſumus. Sed quia nihil ita bonum eſt, quod male interpretando deprauari non poſſit, Romanus inſipiens de oculo cogitauit, quaſi cum vellet Græcus eruere: Nam hoc vulgò per digitum fieri dici ſolet. Hinc Alexander Seuerus Imperator apud Ælium Lampridium dicebat, paratum ſe habere digitum, quo nitum oculos erueret, quos peſſimè oderat. Quapropter duobus digitis repentè leuatis, ambobus Græci oculis perniciem minari cœpit: ſed & pollicem ſimul ſuſtulit, ex quo Græco cunctum melius vertenti Trinitatem demonſtrauit: atque hoc modo plus præſtitit caſus quàm deliberatio: qualiter euenit in Nealce pictore, cùm equum pinxiſſet, ac mox circa os ſpumam pingere conaretur, nec poſſet donec ſpongia quæ colores abſtergebat, in os equi fortuitò ceciderit, & qualem cura optauerat ſpumam, perfecit fortuna. Sed quomodo, dicet nunc aliquis, Trinitas in mentem illi venire potuit, ante Chriſtum natum, annis, plus minus, quadringentis quinquaginta? Huic ego: Quomodo, inquam, Mercurius Triſmegiſtus Atlantis nepos multis ante Solonis leges ſeculis, in eo libro, qui de ſapientia inſcribitur, plurima de verbo, de ſpiritu, de Deo ſcripſit? Beatiſſimus, inquit, Deus, qui & dæmon optimus dicitur, animam eſſe in corpore aſſerit, mentem in anima, in mente verbum, Deum autem ipſum omnium eſſe genitorem ac parentem. Plura huc pertinentia cumulat Firmianus in libro de vera ſapientia, cap. 15. & paſſim alibi, vtens etiam Appollinis Mileſij teſtimonio non pauca de Chriſto prædicentis. Sibyllæ etiam illud eſt.

Αὐτὸν τὸν γίνωσκε θεὸν θεοῦ υἱὸν ἐόντα,

id eſt,

Ipſe tu cognoſce Deum, qui Dei filius eſt.

Sileo Erythrææ carmina, quæ ideò inſania putabatur, quia de Chriſto recondita quædam prænunciaret, aliter atque ſtultus Romanus, qui quòd deciperet inſigniter, imaginem habuit ſapientiæ. Tertio actu comœdiæ, ſapiens palmam porrectam exhibuit, vt Deo nihil non perſpicuum, apertum & manifeſtũ innueret, cui nihil præteritum nihil futurum, ſed omnia ſunt præſentia, omnia ſuprà quàm dici poſſit expoſita, vt Græcus verſiculus docet,

Ὀξὺς θεοῦ δ᾽ ὀφθαλμὸς εἰς τὸ πάνθ᾽ ὁρᾷ.

id eſt,

Acutus eſt oculus Dei, videt vndique.

Hoc pacto loquuta eſt docta & diſerta manus Attici hominis, quem certè χειρόσοφον, id eſt, manu ſapientem appellare non vereor, ſic námque Lexbonax Mitylenæus hos appellitare conſueuerat, qui manum ſolertem haberent: vt Lucianus author eſt: & Demetrius Cynicis Saltatorem quendam Neronis aſpiciens, Martis & Veneris concubitus artificiosè deſaltantem, Loqueris, inquit, manibus, ô homo. Sed Polemon ſophiſtes facetus admodum, cùm quidam tragœdus Iouem exclamans manum in terram demitteret, οὗτος εἶπε, τῇ χειρὶ ἐσολοίκισεν. Hic, inquit, ſolæciſmum manu fecit: quoniam actor imperitus non ſeruierat affectui, qui maximè ex manus geſtibus dignoſcitur: loquitur enim velut altera lingua, & multum momenti in pronunciando habeo, ſi Quintiliano creditur lib. 11, ob id Martialis ad Poſthumum declamatorem ſcripſit:

Et Syllas, Mariòſque, Muciòſque,
Magna voce ſonas, manúque tota.

M. Tullius lib. 1. de nat. Deor. manu docere, pro euidenter docere dixit. Epicurus, inquit, res occultas & penitus abditas non modò viderat animo, ſed etiam ſic tractat, vt manu doceat nos eam eſſe vim & naturam Deorum, vt primùm non ſenſu, ſed mente cernatur. Numa Pompilius fidei ſedem in dextra ſtatuit, quia qui paciſcuntur, manus inuicem percutiunt: & ferire fœdus non eſt aliud quàm ſanctè promittere. Vlpianus in titulo de cenſibus, Iuris, inquit, Italici eſt, in Syria Phœnice ſplendidiſſimâ Tyriorum colonia, vnde mihi origo eſt, nobilis regionibus, ſerie ſeculorum antiquiſſima, & fœderis, quod cum Romanis percuſſit, tenaciſſima. Plutarchus in Timoleonte retulit quendam miſſum fuiſſe ad Andromachũ, & poſt multa barbaricè dicta, manum porrexiſſe modò ſupinam, modò pronam, vt ſubuerſurum ſe Andromachi ciuitatẽ oſtenderet. Tunc Andromachus ridens, manu ſimiliter vtrinque verſa iuſſit illum quamprimùm abire, niſi vellet talẽ reddi nauem ipſius: adeò manus vel boni vel mali indicium eſt: vt manifeſtò liquet ex ſtulti noſtri coniectura, qui cùm vidiſſet explicatam ſapientis manum, cum de mala percutienda cogitaſſe putauit, eóque nomine iniuriarum teneri, quamuis non percuſſiſſet, ſed manu tantummodò leuata terruiſſet, vt Iuriſc. notat in tractatu de iniuriis. c. 12. Verùm hanc Iuris vindictam non expectauit demens, quin potius pugnum fecit, velut repercuſſurus, & vim vi iure gentium propulſaturus. Pugno autem contracto, ſapiens de Deo agi exiſtimauit, quaſi omnia Deus palma clauderet, moueret & regeret. Nam Dei manus pro diuina vi & Poteſtate plerumque capitur. Hinc eſt illud in ſacris literis, & opera manuum tuarum ſunt cæli. Cùm alibi dicatur verbo Domini cæli firmati ſunt, vtrobique virtus Dei intelligitur. Philon etiam medicus nobilis θεῶν χεῖρας vocare ſolebat medicamenta quædam regia & ſalubria, id eſt, Deorum manus, eo quod vim magnam ſanandi obtinerent. Et iuriſprudente manum pro poteſtate non ſemel vſurpant, vnde manumiſſio dicta eſt, cùm ſerui dominorum poteſtatem exeũt. Quamobrem cum manus appellatio couſque extendatur, quæ res aptius tantæ diſputationi accommodari potuit? & quid mirum, ſi Romanis leges conceſſit manus diſputatrix, quas ipſa ante in æs inciderat vel ſcripſerat, & ſine qua pauca perfici poſſunt? quamuis non plus ſex & viginti oſſiculis compacta ſit, vt Soleus Clearchus Ariſtotelis diſcipulus dicebat, hæc quidvis auſpicatur, quidvis abſoluit. Hinc quotidie dicimus ſummam vel extremam manum rebus imponere. Inde Iulius Pollux lib. 2. voluit Corybantes, quos Rheæ miniſtros poetæ fingunt, non eſſe aliud quam digitos omnium rerum opifices. Rheam verò manum eſſe ad ornatum decorum, ad vſum paratiſſimã. Quare Briareum ego toties beatum duxi quod centum manus habuiſſe feratur, & ſingulas, vt par eſt, decem digitis decoratas: quem numerum inſequuti veteres, annum decem menſiũ conſtituerunt, vt primo Faſtorum libro cecinit Ouidius. Digitorum geſtu ſupputaſſe veteres compertum habeo, de qua ſupputandi ratione, quia ad præſens inſtitutum non facit, nihil habeo dicere. De illa legatur Cælius libr. antiquarum lectionum, 12. cap. 43. Nobis ſatis ſit Accurſium à vulgi ſuggillatione pro viribus defendiſſe: quem in tota hiſtoria ſcitum virum facilè credas, bonum libentiſſimè. Quo fit vt eius nugas, quas pleriq; ineptias vocare ſolent, non inuitus diſſimulem.

FINIS.

ANT 1318907

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

D 63.

Digitized by Google

image
not
available